UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# R. P. Martini De Esparza Artieda, Navarri, Theologi Societ. Iesv, Cvrsvs Theologicvs

iIn decem Libros, & duos Tomos distributus, Ivxta Methodvm, Qva In Scholis Societatis Iesv communiter traditur annis quaternis

Continens Secvndam Secvndæ, & Tertiam Partem D. Thomæ

**Esparza Arteida, Martin de**

**Lugduni, 1666**

Liber X. De Sacramentis in genere.

urn:nbn:de:hbz:466:1-94839

Visual Library

# LIBER DECIMVS.

## DE SACRAMENTIS IN GENERE, & in ſpecie, ac primùm de Sacram. in genere.

### QVÆSTIO I.

*Vtrùm Sacramentum bene definiatur: ſignum ſanctitatis ſymbolicum, practicum, à Deo pro hominibus inſtitutum?*

VIDETVR non bene definiri. 1. Quia nihil accidentale, ſed ſola ſubſtantia cadit ſub definitionem dicente Philoſ. 7. Met. cap. 4. ad med. *Definitio autem eſt non ſi nomen idem, ac oratio ſignificet; omnes enim ſermones definitiones eſſent; erit namque nomen idem cuicunque ſermoni; Quare, & illius definitio erit: ſed ſi primi alicuius ſit.* Sacramentum autem non eſt primum aliquod, ſeu prima ſubſtantia, ſed concretum accidentale conſurgens ex multis non vnitis inter ſe phyſicè, ergo non eſt definibile.

2. Sacramentum ſignificat tum pignus litigantium apud Pontifices in loco ſacro repoſitum; tum iuramentum Diuini Numinis inuocatione conceptum; tum rem ſacram latentem, ac myſterioſam propter excellentiam, nec in alia ſignificatione apud probatos auctores vſurpatur. Patet autem definitionem datam in nulla ex his ſignificatione ſacramento congruere; neque poteſt eſſe bona definitio, quæ non exponit ſenſum nominis iuxta communem aliquam eius vſurpationem.

3. Propoſita definitio diſcrepat in multis à definitionibus communiter receptis, & traditis ab auctoribus præcipuis, quales ſunt Hugonis de Sancto Victore lib. 1. de Sacram. part. 9. cap. 1. *Sacramentum eſt corporale, vel materiale elementum, foris ſenſibiliter propoſitum ex ſimilitudine repræſentans, & ex inſtitutione ſignificans, & ex ſanctificatione continens aliquam inuiſibilem, & ſpiritualem gratiam;* Idémque dicit breuius in ſumma tract. 4. cap. 1. Magiſtri diſt. 1. initio: *Sacramentum eſt inuiſibilis gratiæ viſibilis forma, eiuſdem gratiæ ſimilitudinem gerens, & cauſa exiſtens.* Diui Thomæ q. 60. art. 2. ad 2. *Sacramentum eſt ſignum rei ſacræ, in quantum eſt ſanctificans homines:* Suarez diſput. 1. ſub finem: *Sacramentum eſt ſacra, & ſenſibilis cæremonia homines aliquo modo ſanctificans, & veram animæ ſanctitatem ex inſtitutione ſignificans:* ac demum in Catechiſmo Pij V. dicitur: *Sacramentum eſt inuiſibilis gratiæ, viſibile ſignum ad noſtram iuſtificationem inſtitutum.* In quibus patet aliqua exprimi, & aliqua deeſſe præter ea, & ex his quæ habentur in definitione propoſita. Non licet autem definitionibus ſapientum communi conſenſu receptis quidquam addere, aut demere; ne contingat aliquid addi, aut demi rei ſignificatæ per nomen definitum; cuius vtique ſignificatio doctis, & indoctis communis retinenda omnino eſt, qualis demonſtratur ab ipſis, nec eſt innouanda pro libito vlla ex parte; maximè cum agitur de re ſacra fundamentali religionis, vbi error Logicus Theologicum, maximéque nocentem errorem, ſecum trahit.

4. Tò *Symboliſtum*, vel redundat, vel repugnat definito; ſiquidem aliqua generica ſimilitudo inter rem ſignificantem, & ſignificatam cuilibet ſigno eſt neceſſariò communis; ſpecifica verò, & adæquata ineſſe rei materiali cum re ſpirituali nequaquam poteſt.

5. Deeſt è conuerſo in definitione ratio *ſtabilis* exacta à Conink, Meracio, & aliis; tum quia ſacramenta ſunt diſcretiua Populi Dei à non Populo Dei, ideoque debent eſſe ſtabilia ſicut eſt ſtabilis Eccleſia Dei: tum quia ob defectum huius ſolius prædicati non fuerunt ſacramenta lotio pedum Apoſtolorum per Chriſtum, inſufflatio in eoſdem, & verba illa ſanatiua ſimul, ac ſanctificatiua paralitici: *, remittuntur tibi peccata tua.*

Art. 1. Reſpondetur. Tria iſta prædicata ſimilitudo ſymbolica, ſignificatio, & continentia ſanctitatis, ſunt imprimis communia omnibus antiquis, & nouis Sacramentis exiſtentibus de facto, & omnia coniunctim non niſi Sacramento ineſſe poſſunt, eadémque præeminent inter omnia alia, quæ Sacramentis conueniunt. De ſimilitudine ſymbolica ſic habet Tridentinum ſeſſ. 13. in decr. Euchariſt. c. 3. initio: *Commune hoc quidem eſt Sanctiſſimæ Euchariſtiæ cum cæteris Sacramentis, ſymboliſtum eſſe rei ſacræ, & inuiſibilis gratiæ formam viſibilem:* Vbi forma proculdubio ponitur pro repræſentatione, & imagine; ſiquidem eo ſenſu vſurpatur à Magiſtro, aliiſque Theologis antiquioribus; ex quibus eandem periodum deſumpſit Concilium. Significationem, & continentiam ſic exprimit ſeſſ. 17. can. 6. de Sacramentis: *Si quis dixerit ſacramenta nouæ legis non continere gratiam, quam ſignificant, aut gratiam, &c. anathema ſit.* Licet autem Concilium loquatur de ſolis ſacramentis nouæ legis, expreſsè quidem in hoc poſteriori teſtimonio, nec admodum obſcurè in priori; nihilominus quia omnia veteris teſtamenti erant repræſentationes, & ſimilitudines imperfectæ eorum, quæ cum euangelio induxit Chriſtus Dominus, iuxta illud Pauli 2. ad Col. 17. *Quæ* (ritus Iudaici) *ſunt vmbra futurorum*, & ad Hebr. 8. 5. *Qui* (antiqui Pontifices) *exemplari, & vmbræ deſeruiunt Cœleſtium:* & c. 10. 1. *Vmbram enim habens lex futurorum bonorum*, propterea quæ de ſacramentis nouis dicuntur eadem ſubintelligenda ſunt de antiquis, licet modo imperfecto, ac vmbratili.

Art. 2. Præterea Auguſtinus epiſt. 23. paulò ante finem, vſque adeò adhæret rationi ſymboli in ſacramentis, vt dicat: *Si enim ſacramenta quandam ſimilitudinem earum rerum, quarum ſacramenta ſunt, non haberent, omninò ſacramenta non eſſent:* & immediatè ſubiungit *ex hac ſimilitudine* (coniuncta vtique cum inſti-

tutione diuina, *plerumque etiam ipsarum rerum nomina accipite sacramenta.* Vnde viterius infert fidem vsurpari posse, ac de facto vsurpari pro baptismo, qui est sacramentum fidei. Eadem ratione Alexander p.4. q.2. mem.3. art. 3. lib. *respondeo, quod sacrificia,* in principio, & fine docet non omnia habere aptitudinem ad significandam rem sacram, ac proinde, nec vt ordinentur in rationem sacramenti. Alexandro, cæterisque Theologis præiuit Magister loco citato, dicens: *Sacramentum eius rei similitudinem gerit, cuius signum est; si enim sacramenta non haberent similitudinem rerum, quarum sacramenta sunt, propriè sacramenta non dicerentur.* Iam sacramentum, prout de ipso agitur in præsenti, includere rationem signi sanctitatis, notius est ex Magistro, D. Thoma, aliisque Theologis in principio huius tractatus, quàm vt confirmari debeat adductis sigillatim auctoritatibus. De causalitate non ità omnes conueniunt, sed ea firmabitur q. 19. & sequentibus.

Art. 3. Ista porrò tria prædicata ità esse sacramentis omnibus communia, vt solis sacramentis omnia coniunctim inesse possint; eadémque esse præcipua inter omnia, quæ iisdem vniuersaliter insunt, apparet satis ex testimoniis productis in tertia ratione dubitandi, & ex Tridentino nuper explicato, exque aliis huiusmodi obuiis apud P P. & Theologos. Vbicunque enim agunt de sacramentis non secus, ac locis indicatis ea exponunt, & ab omni eo, quod sacramentum non est, distinguunt per tria ista prædicata, exprimendo ea omnia, aut aliquo eorum expresso, & subintellectis aliis: quod argumento est nomine sacramenti ea solum comprehendit, quibus ea prædicata conueniunt: eadémque prædicata præeminere cæteris, quæ sacramentorum propria sunt. Alias enim Concilia PP. ac Theologi distinxissent sacramenta à non sacramentis per ea, quæ sunt his, & illis communia; & indè potissimum ea celebrassent, commendassentque fidelibus, vndè sunt minoris momenti, quorum neutrum absque absurditate dici potest. Illustrabitur deindè ampliùs, & confirmabitur istorum prædicatorum præeminentia quidem q. 11. Vis verò distinctiua ab omnibus aliis, quæ sacramenta non sunt q.24.& 25.

Art.4. Cum igitur vnumquodque legitimè definiatur per sua prædicata præcipua, ac proindè primò, discretiua eiusdem à cæteris omnibus, atque nomine quidditatis intelligatur, quod in vnoquoque est primum, & radix cæterorum conuenientium eidem, atque repugnans omni, quod non est ipsum, patet legitimam esse definitionem sacramenti per rationem signi sanctitatis symbolici, & practici; id est per similitudinem sanctitatis symbolicam, significantem, & inducentem existentiam eiusdem. Quod additur; *à Deo pro hominibus institutum,* non est omninò necessarium. Cum enim signum ex conceptu suo sit aliquid sensibile, ac materiale, vt liquet ex definitione Augustini lib. 2. de doctr. cap. 1. *Quod præter speciem, quam ingerit sensibus, aliquid aliud ex se facit in cogitationem venire*; atque quod est huiusmodi fingiturque ex parte termini rei spirituali, ad homines ex sua natura pertineat, posita ratione signi sanctitatis in definitione sacramentorum, eo ipso ponitur realiter in eadem, illa esse pro hominibus instituta. Similiter quia enti naturali, ac materiali nequit inesse significatio, & continentia sanctitatis, nisi ex voluntate diuina, expressis his duobus prædicatis, dicitur re ipsa institutio diuina. Additum nihilominùs vtrunque est; tum maioris claritatis gratia; tum maximè quia expressio diuinæ pro hominibus institutionis excitat in animo maiorem de cæteris prædicatis æstimationem, & diuinæ in nos beneficentiæ efficaciorem memoriam, adeoque confert plurimum ad expressionem perfectionis propriæ sacramentorum, & finis ob quem existunt, tum denique ob nonnullorum contentiones de connexione priorum illorum prædicatorum cum istis posterioribus.

Art. 5. Definitio in hunc modum exposita, ac stabilita, est vlterius exponibilis per istas alias conuertibiles cum ipsa, vt innotescat clarius quæst. 11. 1. *nempe signum symbolicum sanctitatis, ad existentiam homini per hominem significandam, & conferendam, eleuatum à Deo. 2. Signum ad hominis per hominem; tum institutionem spiritualem speculatiuam, & practicam; tum sanctificationem à Deo institutum. 3. Humana cæremonia sanctitatis naturam ex se referens, eiusdemque existentiam significans, ac inducens ex institutione Dei: 4. Signum discretiuum populi Dei per eius illuminationem sanctificatiuam, seu sanctificationem illuminatiuam*: Sunt, inquam, conuertibiles cum definitione data; quia prima est ferè synonima cum illa; tres verò reliquæ differunt ab eadem præcisè, quatenus exponunt naturam rei à posteriori per proprietates fundatas in illis aliis tribus prædicatis nihil ante se præsupponentibus, ideoque constituentibus potissimam definitionem.

Ad 1. Scopus Aristotelis in eo loco est; sicut esse, primo ac principaliter dicitur de solis primis substantiis, ità de solis eisdem primo, ac principaliter efferri definitiones propriissimè tales per genus, & differentiam: cæterum sicut esse dicitur nihilominus propriè, & sine metaphora de accidentibus, & concretis quibusuis accidentalibus ex mera plurium aggregatione consurgentibus; ita de iisdem admittit definitiones propriè, & sine metaphora tales, licet secundarias per prædicata eorum essentialia, id est prima, & discretiua ab aliis collecta in genus, & differentiam, si hæc adsit simplex; sin minus, vt accidit in re nostra, in multiplicem differentiam non mutuò subalternam; solúmque penitus excludit à ratione definitionis propriæ orationes descriptiuas naturæ rerum per accidentia earum, seu per proprietates accidentales, aliósque significandi, aut circumloquendi modos, præsertim metaphoricos, non attingentes primam reliquorum omnium radicem, circa quod videri potest accurata expensio Philosophi apud Vasquez in præsenti disput.128. toto cap.2.

Ad 2. Voces pendent ab humana voluntate, quoad suam significationem, & applicationem ad has, vel illas res, eáque propter existente nouitate in rebus nondum habente nomen, licet nouam vocem fingere: aut nouum vocis antiquæ deuinctæ iam olim rei simili, vsum inducere pro illa significanda. Atque hoc secundum est accommodatius, quando nouitas est supernaturalis; quandoquidem res supernaturales; non nisi ad modum rerum naturalium concipere valemus, ad quem concipiendi modum procliuiter manuducit vox ad significandum rem supernaturalem traducta ex re naturali assimili. Cum ergo significatio, & causalitas sanctitatis indita rebus materialibus fit occulta, & sacra, iure suo vsi sunt Theologi, & optimo consilio fecerunt, dum tali effectui significando applicarunt vocem, *Sacramentum*, prædictum antèà significatione rerum aliquatenus assimilium, quæ recensentur in obiectione. Atque ista facultate innouandi voces, aut vocum antiquarum significationem vsi semper sunt cum laude aliarum etiam inferiorum, ac purè naturalium facultatum professores, teste Cicerone lib. 3. de Finibus.

Ad 3. Hugo de Sancto Victore, & Magister eadem omnia, & sola exprimunt, quæ in nostra definitione

tione adhibentur, vt patet, sublata contentione, quæ foret inepta de superficie vocalium, aut summo rigore significationis. In definitione Catechismi, dum exprimitur institutio diuina secundum se, docetur re ipsa ratio signi perfectissimi, & humanæ intelligentiæ summè accommodati; quatenùs opera Dei sunt vnumquodque in suo genere perfectissima, & ad fines intentos summè accommodata. Signum autem rei sacræ perfectissimum, & humanæ intelligentiæ summè accommodatum est, quod ex analogia sibi innata præditum est vi speciali manuductionis intellectus ad rem significatam. Idem dico quoad eandem partem de definitione Suariana. 1. Quod in ea additur. *Sacra, ac sensibilis cæremonia*: non tam exprimit rationem quidditatiuam, quam proprietatem sacramenti in eo fundatam, quod sacramentum sit signum sanctitatis ex institutione homini ab homine exhibitum. Quia actio exterior ad sanctificationem hominis extrinsecus ordinata, eo ipso habet rationem sacræ, ac sensibilis cæremoniæ. Quare in nostra definitione adest ratio à priori eius particulæ, & re ipsa eadem particula. In definitione Diui Thomæ, nemo est qui non aduertat aliquid esse subintelligendum præter ea, quæ ab eo exprimuntur. Aliqui, vt Vasquez, volunt signum sanctitatis subintelligi verum, idque à Deo institutum, in quo includitur, vti modo dicebatur, ratio symbolici. Alij, vt Suares, & Valentia, subintelligunt rationem practici. Ego vtrumque subintelligendum puto, idque ex mente ipsius Sancti Doctoris, vt colligitur ex eodem in 5. dist. & art. 1. in fine responsionis ad primam quæstiunculam, ac deinceps; ibi enim latè, & distinctè exponit, & approbat omnia, quæ à nobis dicta sunt, eadémque non obscurè colligi possunt ex iis, quæ post illam definitionem obiter tantum datam, nec admodum claram adiiciat art. 6. eiusdem illius quæst. 60.

Ad 4. Similitudo symbolica, seu analogica consistit in quâdam proportionalitate, ratione cuius res inferioris ordinis excitare valet memoriam rei ordinis superioris, & ad eius vlteriorem deindè cognitionem iuuare. Eiusmodi autem proportionalitatem cum effectibus sacramentorum non habent promiscuè res omnes.

Ad 5. Nullum sacramentum est in se stabile, ac diù permanens, sed quàm citissimè transit vna dempta Eucharistia, quæ nec ipsa est durationis valdè magnæ. Quod autem sacramentum intrinsecè postulet procedere à causa, vel serie causarum inuicem, saltem vagè, connexarum, valente proximè per longum tempus iterum, atque iterum illud perficere; adeóque vnum quoduis sacramentum sit intrinsecè diuturnum quoad speciem, in primis non admodum efficaciter demonstratur verum esse. Deinde vt verum sit; nec stabilitas, nec instabilitas pertinent ad conceptum quidditatiuum cuiusque rei, sed sunt proprietates in aliquo priori prædicato fundatæ. Ob quam rationem præmittuntur nonnullæ aliæ sacramentorum descriptiones, potius, quam definitiones, per eorum varias proprietates, expositæ. Quod attinet ad primam stabilitatis sacramento essentialis probationem; sicut de facto instituta sunt signa discretiua populi mutanda ex natura rei post longum tempus, succedente nouo post vetus testamentum; ita institui posse videntur eiusmodi signa, quæ intra breue tempus ex natura rei euanescant: sicut si in fine mundi, propter speciales tunc angustias populi Dei, speciale aliquod sacramentum institueretur; ità vt populus Dei ex natura rei habeat semper aliqua signa discretiua sui; sed non necesse sit semper, aut longo tempore ea perseuerare. Altera probatio deficit, quia adducit exempla signorum sanctitatis non significantium ex præsupposita institutione, nec ex se præcisè, sed ex natura rei ob circumstantiam personæ operantis, aliásque illi adiunctas.



## QVÆSTIO II.

### *Vtrùm ratio Sacramenti sit vniuocè communis antiquæ, & nouæ legis Sacramentis.*

AFfirmant Suarez, Vasquez, Cardinales de Lugo, & Bellarminus, aliique moderni passim. 1. Quia Concilium Florentinum in instructione Armenorum lib. quinto Ecclesiasticorum: & Tridentinum sess. 7. can. 2. Sacramenta antiquæ legis ore pleno appellant sacramenta absque vllo addito diminuente, non secus, ac sacramenta nouæ legis: Ergò vtraque æquali proprietate, ac proindè vniuocè sunt sacramenta.

2. Florentinum ibidem hoc solum discrimen assignat inter vtraque, quod antiqua non conferebant gratiam, eam verò conferant noua; cùm si vniuocè non conuenirent hoc potissimum debuisset assignari discrimen; alia esse vera, & simpliciter sacramenta; alia secundum quid tantùm, & adumbrata.

3. Quod antiqua sacramenta solam conferrent sanctitatem legalem, & externam; internam verò, & veram conferant noua; solum probat effectibus vtrorumque non esse vniuocè communem rationem sanctitatis, non tamen rationem causæ sanctitatis, non esse vtrisque sacramentis vniuocè communem: Quandoquidem vtralibet alterutram sanctitatem, eodem prorsùs modo conferunt. Qua de causa actioni productiuæ accidentis, & quæ producit substantiam est vniuoca ratio actionis, etiam apud eos, qui putant rationem entis non esse vniuocam, sed analogam substantiæ, & accidenti. Cætera autem sacramenti; præter causalitatem sanctitatis, esse vtrisque sacramentis vniuocè communia, nemo dubitat.

4. In definitione sacramenti ponitur disiunctiuè sanctitas quatenus causata pro legali, vel interna, vt vult Suarez; atque alteram partem disiuncti participant ex æquo alterutra sacramenta. Deindè per vtraque sacramenta significatur practicè vera sanctitas, vt infallibiliter conferenda siue de præsenti, quod fit per sacramenta noua, siue de futuro, quod fiebat per antiqua Quæ differentia non variat rationem practicæ significationis, & veræ donationis, ac collationis secundum se, vt contendit Cardinalis de Lugo: sicut in propositione, siue sit de præsenti, siue de futuro, non propterea est diuersa ratio veritatis.

5. Causalitas sanctitatis, seu ratio sanctificationis non est de conceptu sacramenti, vt sic, & in communi, vt contendit Vasquez, sed sola significatio sanctitatis; Siquidem prima definitio sacramenti secundum suum abstractissimum conceptum apud Magistrum dist. 1. Est *signum rei sacræ*, & apud Diuum Thomam vbi supra vnica definitio est *signum rei sacræ in quantum est sanctificans homines*; atque istæ definitiones sunt communiter admissæ. Certum autem est, rationem signi veræ sanctitatis esse vtrisque sacramentis vniuocè communem.

6. Si circumcisio, & similia veteris legis tantum analogicè, & secundariò sacramenta dicerentur; eodem iure, & modo, ac illa dici possent sacramenta,

ta, iuxtà theologicam sacramenti vsurpationem, tota biblia, & quæuis eius pars, transitus maris rubri, serpens æneus, & quæcunque alia fuerunt signa præfiguratiua Christi, & gratiæ ab eo communicatæ: immò & sacramentalia omnia vetera, & noua, quia hæc omnia & similia habent relationem aliquam ad sanctitatem cum aliquali significatione symbolica ipsius. Est autem absurdum consequens.

Art. 1. Respondetur. Quæ significantur vno nomine relatiuè ad aliquod vnum, atq; ad illud referuntur secundum diuersum relationis modum, analogicè tantùm conueniunt in ratione significata per nomen. Quia partim in illa conueniunt, & partim differunt, vt habetur ex D. Thoma. 1. part. q. 4. art. 3. & quæst. 13. art. 5. & 6. & alibi passim cum Aristotele & aliis communiter. Quæ autem sub nomine sacramenti theologicè sumpti comprehenduntur, significantur relatiuè ad rem sacrã sanctificantem homines, vt signa illius, & causæ; atque ad eam diuersimodè referuntur sacramenta vetera, & noua. Quia sanctitas, quæ propriè, & simpliciter conferebatur per sacramenta veteris legis, non erat nisi sanctitas secundum quid. Nihil enim erat aliud, quàm sacratio exterior, seu idoneitas, & habilitatio ad bonum aliquod proprium Ecclesiæ, compossibilis cum peccato, & statu damnationis, atque ad statum oppositum remotè tantum disponens. Sanctitas verò propriè, ac simpliciter talis reddens hominem Deo gratum, purum à peccato, & dignum vita æterna, nec conferebatur per eadem sacramenta, nec in illis, vt in causis continebatur, nisi secundum quid, ac remotè; cuius oppositum conuenit sacramentis nouæ legis, vt constabit q. 20.

Art. 2. Patet autem secundum modum longè diuersum referri ad sanctitatem, vt causas ipsius ea, quorum alterum est causa propria simpliciter, ac propriè talis respectu sanctitatis simpliciter itidem, ac propriè talis: alterum verò, vel est causa tantum secundum quid sanctitatis simpliciter, ac propriè talis, vel est causa simpliciter quidem, ac propriè, sed sanctitatis secundum quid talis. Ergò ratio sacramenti analogicè tantum est communis sacramentis antiquæ, & nouæ legis. Quapropter sacramentum, vt docet D. Thomas in 4. dist. 1. art. 1. quæst. 3. ad 5. non diuiditur per sacramenta veteris, & nouæ legis, sicut genus per species, sed sicut analogum in suas partes, vt sanum inhabens sanitatem, & signans eam. Idem indicat 3. part. quæst. 62. art. 12. ad 1. Eiusdem sententiæ sunt Magister, & Bonauentura, Scotus, & alij in eadem dist. 1. Nec non Alexander, Becanus, & alij.

Art. 3. Confirmatur, quia D. Paulus, vt expenditur in dicta quæst. 20. Sacramenta vetera appellat infirma, & egena elementa comparatione sacramentorum nouæ legis. Quod in vniuocè conuenientibus minimè cadit, vbi ratio generica prævalet differentiæ specificæ, vti accidit in sacramentis habentibus pro genere respectum ad gratiam sanctificantem; & ex ratione insuper differentiali solùm ad peculiaria auxilia gratiæ actualis.

Ad 1. Etiam Galenus, & alij Medici ore pleno dicunt sana medicamenta, quibus inducitur sanitas; indicia quibus demonstratur; cibos, quibus conseruatur; & tamen ratio sani est, illis, & habenti formaliter sanitatem, tantùm analogicè communis. Quod ergo idem fiat circa sacramenta antiqua, nihil magis obesse potest assertæ analogiæ. Ratio est, quia nihilominus erant sacramenta propriè quatenùs. Tò *propriè* opponitur metaphorico, ac omninò translatitio, licet non, vt opponitur diminutiuo significati, quo ad aliquid. Cæterum Florentinum clarè docet ibidem, magnum esse discrimen inter sacramenta antiqua, & noua, idemque innuit non obscurè Tridentinum ibidem. Quod ad assertionem analogiæ maximè inclinat.

Ad 2. Idem est dictu re ipsa, sacramenta antiqua non contulisse gratiam, & noua conferre, atque vtraque analogicè tantum conuenire; vt apparet in nostro fundamento. Nec in Conciliis quærendi sunt termini omnes Scholastici.

Ad 3. Quidquid sit de actione, vt sic, certè conceptus actionis formaliter, quatenus est productiua entis, non est vniuoce communis actioni productiuæ substantiæ, & quæ producit accidens; si his non est vniuoce communis ratio entis. Quia tanta necessariò est disconuenientia inter causas, siue vt quo, siue vt quod, quatenus continentes aliquos effectus, quanta est inter effectus contentos. Ergo eadem ratione, esto conceptus signi practici, aut seorsim conceptus signi, vel conceptus causæ sit vniuoce communis vtrisque sacramentis; tamen conceptus signi practici sanctitatis, nequit esse vniuoce communis vtrisque.

Ad 4. Genus non benè definitur per rationes differentiales suarum specierum, etiam disiunctiuè significatas, quia non benè explicatur, quod est notius, per minus notum; atque genus est notius speciebus. Et quia in definitione speciei poneretur bis sua ratio differentialis, primò disiunctiuè, deinde determinatè; siquidem definitio speciei includit definitionem generis, & superaddit determinatè suam rationem differentialem. Præterea ad vniuocationem duorum non sufficit alteri conuenire vnam partem disiuncti, & alteri alteram partem. Quia est de conceptu vniuocationis, vt idem secundum eandem rationem vtrisque conueniat. Quod additur de vera collatione veræ sanctitatis per sacramenta antiqua, & noua cum sola differentia temporis præsentis, & futuri, falsum omninò est, docentibus Florentino, & Tridentino, hæc continere, & conferre simpliciter, illa non, vt dicetur q. 19. & 20.

Ad 5. Signum rei sacræ omninò speculatiuum, nullius designatiuum personæ nulli vtile, à quolibet indiscriminatim institutum, non infallibile, non discretiuum populi Dei, nullum dicens ordinem ad sanctificationem hominis determinati, nullam continens promissionem diuinam, ad quæ omnia est indifferens ratio signi rei sacræ secundum se nullo alio superaddito, aut subintellecto. Tale, inquam signum, inconfessò est apud omnes, non exprimere adæquatè rationem sacramenti theologicè, ac dogmaticè sumpti apud Catholicos, & prout de illo agitur in præsenti. Quare quod dicitur prima definitio Magistri; vel est pura quædam generalis expositio quoad quid nominis; vel certè non subsistit, nisi aliquo alio subintellecto, vt aduertit D. Thomas in eum locum quæstiuncula prima citata in fine corporis, & liquet clarè ex contextu sequenti ipsius Magistri; ac proinde ex illa definitione, seu quasi definitione nequit deduci vniuocatio intenta quoad conceptum adæquatum sacramenti. Idem dico de D. Thoma, qui & ipse signum rei sacræ sanctificantis accipit pro signo sanctificatiuo, ideóque practico, & causatiuo rei significatæ. Constat hoc clarè ex eadem quæstiuncula ad 3. vbi rationem ob quam, serpens æneus de quo numerorum 21. non fuerit sacramentum, reddit his verbis: *dicendũ quod quamuis serpens æneus esset signum rei sacræ sacrantis, non tamen in quantum sacrãs est actu, quia non ad hoc adhibebatur, vt aliquis sanctificationis effectus perciperetur, sed solũ effectus exterioris curationis, & similis est ratio imaginis crucis, quæ ponitur tantùm ad repræsentandum.* Ergo signum non sanctificatiuum non

est

est vllum sacramentum, neque nouum, neque vetus apud D. Thomam. Idem clatè docet ibidem sæpè, præsertim quæstiunc. 3. & 4. & maximè ad 1. quartæ, quæ incipit: *Dicendum quod sacramentum est causa, & signum.*

Ad 6. Antiquæ repræsentationes Christi, & eius gratiæ, quæ communiter non dicuntur, nec reuerà sacramenta fuere, non adhibebantur, vt aliquis sanctificationis effectus, ex illis secundum se perciperetur, vt modo dicebat Diuus Thomas de serpente æneo; sed præcisè ad repræsentandum; idémque dicitur de sacra Scriptura. Iam sacramentalia non significant practice rem sacram significantem; sed solam disponentem ad sanctificationem, vt dicetur infrà q. 36. ex D. Thoma, & aliis. Ergò neque de iis, neque de aliis similibus est eadem ratio, atque de circumcisione, & similibus, vt dicantur analogicè sacramenta. Agetur verò deinceps ex professo de præcipuo analogato, nempe de sacramentis nouæ legis, & obiter de antiquis; idque primum in genere, deinde in specie.

---

## QVÆSTIO III.

### *Vtrùm omnia Sacramenta constent rebus, & verbis, tanquam materia, & forma?*

VIdetur non constare. 1. Ex Durando, quia sacramentum pœnitentiæ perficitur exterius, ac sensibiliter sola confessione pœnitentis, & absolutione ministri, & vtraque constat solis verbis.

2. Ex eodem: Sacramentum matrimonij perficitur aliquando per solos nutus, & tunc sine verbis; vt plurimum verò per verba, & tunc sine re distincta à verbis.

3. Ex Soto, & aliis, Sacramentum Eucharistiæ perseuerat post desitionem verborum Ergo non constat verbis, tanquam forma.

4. Vt sacramenta omnia constarent rebus, & verbis; non tamen tanquam materia, & forma. Quia neutra sunt ex alteris recipiuntur. Certè verba non possunt habere rationem formæ, quia habent minorem perfectionem, quam res; cùm tamen forma cuiusque compositi sit pars eius perfectior, dans illi speciem.

5. Antiqua sacramenta præcesserunt, vt exemplaria nouorum, atque illa verbis nequaquam constabant, vt mox dicetur. Ergo verba ad nullius sacramenti substantiam pertinent, etiam cùm adsunt.

Art. 1. Respondetur. Certum primò est, sacramenta antiqua solis rebus, & non etiam verbis constitisse. Colligitur ex 17. Gen. 12. Exodi, & 8. Leuitici, vbi præscribuntur ritus circumcisionis agni Paschalis, & ordinationis Sacerdotum absque vlla verborum mentione. Adhibetur quidem Leuit. 4. oratio vocalis in sacrificio pro expiatione peccatorum; sed erat purè precatoria, non perfectiua, ac essentialiter constitutiua sacrificij; quia non adhibebatur in eo, cùm offerretur pro ipso sacerdote Præterea est probabilius tale sacrificium non fuisse simul sacramentum, quia erat signum sanctitatis, qua Deus est in se sanctus, & cultu dignus; non sanctitatis, quæ indè ab aliquo homine perciperetur ex opere operato.

Art. 2. Certum rursus est negari minimè posse, quin omnia sacramenta nouæ legis aliquo modo constent rebus, & verbis tanquam materia, & forma. Audiatur Eugenius 4. in Decreto pro instructione Armenorum, quod habetur sub finem Concilij Florentini in lib. supra citato 5. *Ecclesiasticorum*, vbi enumeratis omnibus nouæ legis sacramentis subiungit sic: *Hæc omnia sacramenta tribus perficiuntur, videlicet rebus tanquam materia, verbis tanquam forma & persona ministri conferentis sacramentum cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia: quorum si aliquid desit, non perficitur sacramentum.* Vbi si solum diceretur, sacramenta omnia perfici rebus, & verbis, sicut dicitur perfici persona ministri cum intentione; non propterea sufficienter deduceretur vtrisque illis constitui intrinsecè; deducitur tamen efficaciter ex eo, quod addit: *perfici rebus tanquam materia, & vocibus, tanquam forma.* Quia materia, & forma ex vniformi apud omnes vsu significant determinatè partes intrinsecè constitutiuas totius; cuius dicuntur materia, & forma. Constant igitur intrinsecè omnia sacramenta nouæ legis rebus, & verbis.

Art 3. Certum denique est sacramentum esse totum quoddam morale constans ex partibus moraliter tantum inter se vnitis, ob vnitatem voluntatis ordinantis illas simul sumptas ad vnum finem ac effectum indiuisim per ipsas inducendum. Vndè ad verificanda superiora illa verba Concilij iuxtà eius mentem, non solum necesse non est, physicam aliquam vnionem res inter, & verba ponere, sed neque necesse est ponere in singulis sacramentis res, & verba inter se realiter, ac formaliter distincta. Quæ autem talia sunt non sortiuntur rationem materiæ, & formæ, iuxtà summum rigorem, ac proprietatem grammaticalem harum, & illarum vocum, sufficit si res, & verba moraliter saltem, & æquiualenter reperiantur, eisque secundum munus proprium ipsorum, quatenùs pertinentium ad sacramentum, insit aliquod prædicatum ex iis, quæ sunt præcipua in materia, & forma physicis. Vtrumque aduertunt Conink, & Tannerus in præsenti cum D. Thoma, Bellarmino, & aliis communiter: colligiturque ex eodem Concilio. Quia si ageret in rigore metaphysico, non potuisset distinguere res à verbis, quæ & ipsa sunt res quædam. Et multò minùs ibidem §. *septimum est sacramentum*; potuisset dicere: *causa efficiens matrimonij regulariter est mutuus consensus per verba de præsenti expressus.* Quod perinde est ac dicere; non semper, ac necessariò effici per verba; atque hoc contradiceret definitioni generali superius positæ, & nuper hic prælatæ, nisi verba æquiualenter etiam, ac moraliter tantum talia in ea intelligerentur. Vnde patet aditus ad rationem materiæ, & formæ eodem modo subintelligendam, ac explicandam. Sumptis autem hoc modo rebus, & vocibus, materia, ac forma, non est difficile tueri definitionem illam vniuersalem Concilij, & conclusionem inde deductam, vt patebit ex solutione difficultatum.

Ad 1. Confessio pœnitentis quatenus exprimens peccata, supra quæ cadit absolutio, non inidoneè dicitur res, & materia sacramenti comparatione absolutionis. Quia verba pœnitentis ex intentione ipsius, vt talis, non adhibentur primariò, & formaliter ad exprimendos præsentes ipsius actus internos, & conceptus; sed ad exprimendam malitiam præteritorum peccatorum; & quatenùs æquiualent immediatæ exhibitioni, atque ob oculos positioni eorundem peccatorum secundùm se, quatenùs sunt operationes quædam, siue oris, siue manus, siue cordis contra legem Dei, possuntque absolutè loco verborum adhiberi nutus; ac proindè hi sunt æquiualenter verba atque è conuerso. At verba absolutionis adhibentur formaliter ad munus, quod est propriissimum, ac primarium verborum, iuxta institutionem suam naturalem; nempè ad exprimendos actus internos loquentis, nec sunt supplebilia per aliam rem. Ergò possunt priora verba vicem,

& nomen rerum moraliter subire comparatione posteriorum.

Ad 2. Verba, & nutus illis æquiualentes, quibus perficitur matrimonium validum, æquiualent traditioni, & acceptationi realiter distinctis. Et quia traditio in aliis contractibus, saltem vt plurimum, & per se, est quid purè physicum à verbis distinctum, nec verbis substitutum; acceptatio verò è conuerso saltem vt plurimum, & per se fit per verba, aut aliquid verbis substitutum; propterea verba matrimonialia, quatenus habent rationem traditionis nomine rerum moraliter, & æquiualenter censentur, nomine autem verborum, quatenus habent rationem acceptationis.

Ad 3. Verba consecrationis postquam desinunt esse formaliter, ac physicè, perseuerant nihilominus virtualiter, ac moraliter per physicam, & veram perseuerantiam alicuius sui effectus, & quatenùs sic perseuerantia constituunt intrinsecè Sacramentum Eucharistiæ, quamdiu quo ad cæteras partes physicè, ac formaliter perseuerat. De quo sicut, & de duplici superiori responsione dicetur fusius in loco.

Ad 4. Pars cuiusque compositi magis indifferens ad alteram partem, quàm hæc sit ad illam dicitur materia; forma verò, hæc alia magis determinata. Est etiam proprium formæ, vt sit præstantior, quàm materia. Quoad vtrumque comparantur partes omnes inter se, secundum eam rationem, sub quà pertinent ad totum. Iam ad sacramentum confluunt eius partes sub ratione signi symbolici; atque sub hac ratione verba habent maiorem determinationem, perfectionémque longè maiorem. Maiorem quidem perfectionem, quia, vt dicit August. lib. 2. de doctrina Christ. cap. 3. *Verba obtinent principatum ante omnia signa.* Atque hinc sequitur maior determinatio, quia perfectius signum est, quod maiori cum determinatione repræsentat rem significatam. Ex defectu enim significationis prouenit confusio, seu confusibilitas significati cum aliis, & indiscernibilitas ab aliis ex vi signi. Idem patet ex enumeratione partium. Quia aqua, quæ est materia baptismi est ex se indifferens ad abstergendum, & refrigerandum. At verba, quæ illi adiunguntur habent de se determinationem ad emundationem animæ, & macularum exterſionem, qui est effectus determinatè per baptismum significatus. Accusatio sui, quam diximus rem in sacramento pœnitentiæ, est indifferens ad humiliationem, conciliationem, damnationem, & condonationem; atque ad hanc vltimam, qui est effectus eius sacramenti determinatur per verba absolutionis; Haud aliter in matrimonio acceptatio ex conceptu suo præsupponit traditionem; & complet, tanquam vltima determinatio, coniunctionem, & adiudicationem rei traditæ respectu acceptantis; & similiter in aliis omnibus contingit. Qua ratione dixit Augustinus tr. 80. in Ioan. *Accedit verbum ad elementum, & fit sacramentum*: nempe accessio per se est magis determinati ad magis indifferens. His igitur de causis satis idoneè dicuntur res quidem materia sacramenti; formæ verò verba; licet alia propria materiæ, & formæ physicæ illis desint.

Ad 5. Antiqua sacramenta comparantur cum nouis tanquam imperfectum, & inchoatum cum perfecto, & absoluto, nec dicuntur exemplaria nouorum, nisi impropriè, quatenus præexistere cum aliqua similitudine, & vi inductiua posteriorum. Imperfectius autem necesse est, vt careat ea parte, ratione cuius præcellit, quod est perfectius. Porrò verba sunt ea pars, ratione cuius præcellit vis significatiua sacramentorum nouæ legis. Nempè quod dicit Tridentinum sess. 14. decreto de Sacramentis pœnitentiæ, & extremæ-Vnctionis cap. 3. initio: *Formam Sacramenti pœnitentiæ esse in qua præcipua ipsius vis sita est*; de reliquis etiam sacramentis suo modo verificatur, quoad præstantiam significandi, vt apparet ex modo dictis. Idem Concilium ibidem cap. 2. initio, clarè in eodem sacramento adstruit, & in reliquis nouæ legis non obscurè supponit, materiam, & formam intrinsecè constitutiuas eorum, dum dicit: *præterquam quod materia, & forma, quibus sacramenti essentia perficitur, longissimè dissident.*

## QVÆSTIO IV.

### *Vtrùm materia, & forma Sacramentorum sint inuariabiles.*

VIdentur non esse. 1. Ex Caluino, quia verba quorum est vsus in perficiendis sacramentis non pertinent ad eorum essentiam, & causalitatem, sed sunt concionatoria, solumque pertinent ad eruditionem, & ad excitandam fidem suscipientium. Colligitur primo ex illo ad Ephes. 5. 26. de Christo, & Ecclesia: *Mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ*; id est doctrinæ, & concionis, vt interpretatur Diuus Hieronymus in eum locum. Deinde ex Matth. 28. 19. *Docete omnes gentes, baptizantes eos, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*: vbi ministro baptismi quatenus loquenti solùm commendatur doctrina, & consequenter, vt dum baptizat, aut lauat solùm doctrinaliter proponat, ac exponat nomen Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Denique ex illo August. tract. 80. in Ioan. *Vndè ista tanta virtus aquæ, vt corpus tangat, & cor abluat, nisi faciente verbo, non quia dicitur, sed quia creditur?* Ergò verba in sacramentis non conferunt ad existentiam gratiæ præcisè secundùm se, & per immediatam causalitatem, sed solùm quatenùs excitant fidem. Excitatio autem fidei, & eruditio audientium multiplici verborum genere æquè benè præstari potest: nec est deuincta determinatis vllis, ac inuariabilibus verbis. Ergò formæ sacramentales sunt variabiles, pro libito ministri, sicut verba aliarum concionum.

2. Concilium Tridentinum reddidit inualidum matrimonium clandestinum sine præsentia testium, & Parochi, contractum, quod tamen ante concilium erat proculdubio validum. Varietas autem circa valorem sacramenti, est varietas circa substantiam ipsius ac proindè circa materiam, & formam secundum se, & non solùm secundum accidens. Ergò auctoritate, Ecclesiæ induci potest nouitas, & variatio circa materias, & formas sacramentorum.

3. In eodem sacramento possunt Principes temporales non minùs, quinimò à fortiori, & multò magis, similes nouitates quoties, & quales libuerit inducere. Quia contractus matrimonij est aliquid secundum se, naturale, ac temporale, substans auctoritati Principum temporalium, non minùs, aut alia ratione, quàm cæteri contractus naturales, ac temporales, variabiles, quoad substantiam iuxtà eorum voluntatem. Nec enim supernaturalia commendata auctoritati Ecclesiasticæ inducta sunt per Christum cum iactura Principum temporalium circa ea, quæ antecedenter illis suberant, vti suberat contractus matrimonij; & est res magni momenti ad temporalem reipublicæ directionem.

4. Ecclesia sola sua auctoritate induxit nouam materiam pro sacramento Ordinis. Quia olim Diaconus ordinabatur per solam manuum impositionem, vt materiam, certè absque exhibitione Euangeliorum, vt patet exemplo Sancti Stephani ordinati, cùm

cùm nondum essent scripta euangelia; quorum tamen sola exhibitione, tanquam materia peracta postea semper est eadem ordinatio. Quid quod Ecclesia Latina, & Græca hodieque dissident circa materiem huius sacramenti. quandoquidem Græci sola manuum impositione vtuntur, tanquam re, & materiam in ordinatione tam Diaconi, quam Præsbytori: Latini verò diaconatum conferunt exhibitione euangeliorum, & præsbiteratum porrectione panis, & vini cum calice, & patena. Cui dissidio nullus esset locus, si omnis materia sacramenti esset inuariabilis per auctoritatem Ecclesiæ. Neque verò dici potest in alterutra Ecclesia Latina, aut Græca ordines sacros nulliter conferri.

Art. 1. Respondetur. Ponendum pro certo est, materiam, & formam sacramentorum, quatenus determinatas à Christo illas instituente, non esse variabiles vlla humana Ecclesiastica, aut sæculari auctoritate. Hæc est omnium catholicorum sententia definita à Concilio Florentino in §. *quinto Ecclesiasticorum* superius citato: & à Tridentino sess. 21. cap. 2. doctrinæ de communione, initio: *declarat*, ait, *hanc potestatem perpetuò in Ecclesia fuisse, vt in sacramentorum dispensatione, salua illorum substantia, ea statueret, vel mutaret*, &c. Nomine autem substantiæ intelligit materias, & formas, vt liquet ex fine quæstionis præcedentis. Ratio est, quia solus Deus impertiri potest significationem practicam causatiuam gratiæ, rebus, & verbis naturalibus, vt dicetur quæst. 10. Vnde si rebus, & verbis ab eo determinatis alia substituerentur per auctoritatem humanam; eò ipso euaneseeret ratio sacramenti. Quia subsistere non posset vis significatiua, & causatiua gratiæ.

Art. 2. Non tamen pro omnibus sacramentis eandem rerum, verborumque determinationem vniformiter constituit Christus dominus: Nam in sacramento Matrimonij sufficiunt quælibet verba, & quælibet nutus exprimentes consensum internum mutuum. In aliis sacramentis determinatè requiruntur voces articulatæ, & humano ore prolatæ; tamen possunt physicè, quoad sonum, numerum, & quantitatem syllabarum, dummodo significatio naturalis insit ea, quæ à Christo præscripta est. Similis existit diuersitas, quoad res, quia pro quibusdam sacramentis necessaria est vnitas materiæ specifica atoma; pro aliis non est necessaria, pro aliis non sufficit. Exemplum primi habetur in baptismo iuxta communem sententiam; requiritur enim vera aqua naturalis, nec sufficit congelata: Exemplum secundi, & tertij habetur in sacramentis pœnitentiæ, & Eucharistiæ. Pro pœnitentia enim requiritur dolor internus, & confessio externa, & vtralibet potest multipliciter specie differre. Pro Eucharistia est necessarium vinum de vite, quod ex communi opinione est multiplex specie; & consequenter species accidentales ex eo relictæ non sunt omnes eiusdem infimæ speciei.

Art 3. Regula generalis est, materias, & formas cuiusque sacramenti debere conuenire inter se quoad significationem naturalem propriam, & quoad analogiam cum effectu sacramentali, debere etiam comprehendi sub significato proprio vocum, quibus Christus Dominus, ac deinceps Ecclesia illas nominat. Hoc igitur sensu sunt inuariabiles materiæ, & formæ sacramentorum, neque hæc subsistere, & valida esse possunt aliqua prætereà varietate inducta.

Ad 1. Verbum vitæ in sensu litterali intento ibi ab Apostolo significat verbum per se immediatè causatiuum vitæ spiritualis; id est gratiæ, & sic semper intellexit Ecclesia Catholica. Hieronymus explicat in sensu tropologico, vt ipse ibidem aduertit. Apud Matthæum iniungitur quidem doctrina præuia, qua instruantur baptizandi, sed pro actu ipso Baptismi designantur verba illa, non vt concionatoria, sed vt causatiua gratiæ per se immediatè, quod textus ipse satis præsefert dum non dicit: *docete nomen patris*, &c. Sed *Baptizantes eos in nomine Patris*, &c. constátque certò ex perpetua Ecclesiæ traditione. Iam Augustinus per τὸ *quia creditur* significat verbum abluere cor, quia est supernaturaliter eleuatum, ideoque credibile fide supernaturali; non verò quia actu creditur à suscipiente, quasi solus actus fidei verbis excitatus cor ablueret. Quod inibi satis explicat ipse Augustinus, & constat ex baptismo paruulorum toties contra Pelagianos expenso ab eodem Augustino. Videatur de his Bellarminus tom. 2. controuers. 1. lib. 1. cap. 19. & 20.

Ad 2. Determinauit quidem Christus Dominus contractum matrimonialem validum, tanquam requisitum, & essentialem pro perficiendo sacramento matrimonij; sed nihil interim determinauit circa requisita ad valorem eiusdem contractus; nec aliquibus eiusdem requisitis determinatè sumptis indidit rationem materiæ, aut formæ huius sacramenti, seu partis qualitcunque. Vnde Concilium materialiter tantum, ac identicè, non formaliter, ac directè nouitatem induxit circa sacramentum matrimonij, eiusdémque materiam, ac formam, quatenus sunt materia, ac forma ipsius, vt sacramentum est, dum effecit, vt non valeret, nisi coram Parocho, & testibus celebraretur. Nec enim retento valore contractus matrimonialis non minùs clandestini, quàm in facie Ecclesiæ initi, statuit, vt solùm nihilominus in facie Ecclesiæ initus sufficeret, esseque idoneus ad sacramentum matrimonij perficiendum. Quod fuisset disponere formaliter circa ipsum Sacramentum. Sed solùm statuit, ac effecit, vt contractus clandestinus, qui priùs erat verus, & validus contractus, posteà non esset contractus, seu vt esset contractus nullus, ideoque inutilis pro perficiendo sacramento, sicut quiuis efficere potest, vt quod erat panis, aut vinum, posteà non sit, corrumpendo substantiam eorum. Et sic efficiendo, vt non sint vtilia ad perficiendum sacramentum.

Art. 1. ad 3. Sicut agens physicum naturale non potest, nisi eleuetur à Deo, actiuitate sua immediatè attingere effectum physicum supernaturalem, licet in eo reperiatur aliquod prædicatum commune effectibus naturalibus producibilibus ab eodem agente per actiuitatem sibi intrinsecam secundùm se præcisè consideratam: idque est omninò certum: ita auctoritas, seu iurisdictio humana purè naturalis non potest, nisi eleuetur à Deo supernaturaliter quidquam lege sua immediatè efficere circa contractus, aut alios effectus morales re ipsa supernaturales, & causatiuos gratiæ; tametsi in ipsis reperiatur aliquid, seu aliquod prædicatum commune contractibus, aliisve effectibus moralibus adæquatè, ac purè naturalibus; atque hoc est similiter pro certo tenendum.

Art. 2. Contractus autem matrimonialis inter fideles non est aliquid præuium, aut consequens, aut purè concomitans, aut tantum inseparabile respectu sacramenti matrimonij, sed est realiter adæquatè identificatus cum ipso iisdémque omnibus, & solis contractus, & sacramentum adæquatè constituuntur re ipsa; Nec valor, & realitas alterutrius absque valore, & realitate alterius, aut alterutrum aliunde, quam alterum esse, ac subsistere realiter potest inter fideles. Qua de re, déque eiusdem certitudine vltra ea, quæ dicentur in loco videri potest inter alios Valentia tom. 4. disputat. 10. quæst. 1. punct. 6. Quapropter disponere nemo quidquam potest circa validitatem contractus matrimonij inter fideles, quin eo ipso disponere realiter possit de validitate sacramenti,

déque opere verè spirituali, ac supernaturali; atque dirigere legibus suis voluntates subditorum circa obiectum, & opus realiter spirituale, ac supernaturale; idque non mediatè tantum, ac remote aut indirectè, sed immediatè, & proximè, atque directè, quoad realitatem spectat. Quod est maximè notandum pro clarissima ratione discriminis ad paritates aliquas apparentes in contrarium.

Art. 3. Cum igitur tota potestas, & iurisdictio Principum temporalium sit purè naturalis minimeque eleuata, aut supernaturaliter stabilita à Deo, sicut eleuata, & stabilita est auctoritas, ac potestas humana Ecclesiæ; patet nihil illos, aut licitè, aut validè statuere posse circa valorem, aut validitatem contractus matrimonialis inter fideles. Nulla itaque consequentia est à potestate Ecclesiæ ad eorum Principum potestatem in hac re; nec responsio præcedentis obiectionis potest obiectioni præsenti absolutè accommodari, sed conditionatè tantum facta suppositione falsa. Nec propterea Principes sæculares Christianorum vllam iacturam auctoritatis, ac iurisdictionis passi sunt per directam eius restrictionem, sed per substractionem materiæ; circa panem, & vinum post eorum consecrationem. Numquam enim habuerunt iurisdictionem circa contractus matrimoniales, nisi purè naturales, quales iam nulli iniri validè possunt inter fideles. Euanuerunt enim per institutionem sacramenti matrimonij; sicut substantia panis, & vini euanescit per consecrationem eorum, nec deinceps subest vlli sæculari legi circa pretia rerum, aliave similia.

Ad 4. Siquidem olim, & nunc etiam apud Græcos diuersa fuit, & est materia pro sacramento ordinis ab ea, quam adhibet Ecclesia Latina, dicendum est consequenter Christum Dominum neutram determinatè exegisse; sed vtramlibet indeterminatè; sicut dictum est in secunda parte responsionis ad quæstionem de materiis, & formis aliorum etiam sacramentorum, quoad aliqua illis essentialia. Deinde probabile admodum est, quod pluribus suadet Arcudius lib. 6. Concordiæ cap. 7. eandem solam manuum impositionem, quæ est materia ordinationis apud Græcos, fuitque proculdubio ante conscripta Euangelia, etiam apud Latinos quoad substantiam retineri, tanquam materiam essentialiter constitutiuam eiusdem sacramenti, atque cætera requiri ex præcepto non ad validam, sed tantum ad licitam ordinationem, de quo vberius in loco, est enim res longioris expensionis.

## QVÆSTIO V.

### *Vtrùm quælibet mutatio, additio, & diminutio in materia, & forma Sacramenti ipsum reddat inualidum?*

VIdetur reddere. 1. Quia nulla mutatio potest esse minor, quam vnius litteræ; contingit autem sola vnius litteræ mutatione induci nullitatem sacramenti; Si enim in forma baptismi loco Patris ponatur Matris; & in absolutione sacramentali pro *te* dicatur, *me*; non fiet sacramentum; & tamen vtrobique fit mutatio vnius tantum litteræ.

2. Quælibet mutatio materiæ, vel formæ secundùm se est maior, quàm mutatio ipsarum secundùm accidens. Fieri autem potest, vt ex sola mutatione secundùm accidens, sacramentum reddatur nullum. Quia aqua naturalis liquida solum differt secundùm accidens à congelata; & tamen baptismus est nullus; si adhibeatur congelata; validus, si liquida.

3. Qui promittit sub conditione, est liber à promissione, si conditio partim ponatur, partim non ponitur, etiamsi minima sit pars, quæ non ponitur. Deus autem promittit gratiã sacramentalem sub cõditione quod ponatur talis forma, & talis materia. Ergo si alterutra ex illis partim ponatur, partim non ponatur, tametsi pars non posita sit minima; Deus erit liber à promissione, nec effectus gratiæ subsequi poterit ex vi promissionis eius. Quod est sacramentum esse nullum. Ergo quælibet diminutio inducit nullitatem.

4. Minister sacramenti inducens errorem, aut hæresim per mutationem materiæ, vel formæ, eo ipso sacramentum reddit nullum vt patet ex responsione Zachariæ Papæ, capite *retulerunt* de consecratione 4. distinct. Quicunque autem addit quidquam, vel detrahit, vel vtcunque mutat ex parte materiæ, vel formæ à Christo præscriptæ, eo ipso, quantum est ex se, introducit errorem, vel hæresim. Quia insinuat partem detractam non pertinere ad rationem sacramenti; pertinere verò additam, vel commutatam; & vtrumque est error, aut hæresis.

Art. 1. Respondetur. Tria sunt in quibus merito Theologi conueniunt. Primum; Mutatio materiæ, vel formæ per additionem, diminutionem, vel commutationem, si sit substantialis, sacramentum reddit inualidum; non verò si accidentalis sit. Secundum; tunc mutatio est substantialis, cum detrahitur aliquid eorum, quæ Christus Dominus exigit determinatè pro perfectione sacramenti; seu quibus determinatè deuinxit significationem, & causalitatem gratiæ. Tunc verò mutatio est accidentalis, cùm versatur circa ea, quæ tantùm requiruntur ex præcepto. Tertium; ea Christus exigit determinatè, iisque determinatè deuinxit significationem, & causalitatem gratiæ, quæ absolutè continentur sub significatione communi, & propria verborum, quibus Scriptura, Concilia, & Patres, iuxta traditionem Ecclesiæ, exponunt materias, & formas sacramentorum.

Art. 2. Ratio horum est, quia sacramenta habent vim supernaturalem significãdi, & causandi ex voluntate Christi illa instituentis; ad eum modum, quo voces habent vim naturalem significandi, & excitandi species talium, vel talium obiectorum, ex voluntate illas naturaliter eum in finem instituentis. Sicut ergo naturalis significatio vocum, & excitatio specierum deficit deficientibus, aut permixtis syllabis, quibus, & quarum tali ordini ac separationi ab aliis præcisè ac determinatè, deuincta illa fuit ex humana naturali voluntate, illas sic vel aliter instituente; ita etiam necesse est, vt supernaturalis significatio, & causalitas gratiæ deficiat deficientibus iis rebus, & verbis, iisque vtrorúmque partibus, & partium muto inter se ordine, coniunctione, separatione ab aliis atque dispositione accidentali, quibus præcisè, ac determinatè eadem significatio, & causalitas deuinctæ sunt ex voluntate Dei instituentis sacramenta. Quia verò de hac voluntate nobis non constat, nisi per verba, quibus scriptura, Concilia, & traditiones Ecclesiæ eandem voluntatem, eiusque obiecta manifestant; propterea iis omnibus, & solis deficientibus, quæ sub talibus verbis absolutè comprehenduntur secundùm propriam eorum significationem, deficit significatio, & causalitas sacramentalis, ipsumque sacramentum redditur nullum.

Art. 3. Constat porrò non qualibet additione, aut detractione, aut permutatione facta in materia, & forma sacramenti, eo ipso res, & verba, quibus ambæ constant, extrahi ex significato verborum, quibus per scripturam, Concilia, & traditiones manifestantur. Sicut enim Titius comprehenditur sub significatione

tione absoluta propria huius vocis, homo, tametsi abscindatur ipsi quintus digitus, aut innascatur sextus, aut aliqua pars corporis sit dislocata; ita etiam in sacramento baptismi, verbi gratia, siue dicatur in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti; siue Patris, Filij, Spiritus Sancti; siue Filij, & Patris, & Spiritus Sancti; siue Patris ingeniti, & Filij vnigeniti, & Spiritus Sancti; retinetur semper valor sacramenti, quia semper retinetur absolutè eadem expressio Trinitatis.

Art. 4. Breuior alia, & clarior regula æquiualens doctrinæ præcedenti hæc est; vt sola illa, & qualibet additione, detractione, transpositione, seu alteratione sacramentum reddatur nullum, per quam aufertur, vel ex verbis naturalis significatio, quatenus affinis, & assimilis significationi sacramentali; vel ex rebus analogia cum effectu sacramenti, vel symbolica eiusdem repræsentatio. Cùm enim talia determinatè verba, & res potius, quàm alia, & aliæ electa fuerint pro vnoquoque sacramento à Christo Domino propter eiusmodi affinitatem, & analogiam, vt dicetur quæst. 11. dum eæ non corrumpuntur, sed retinentur, quantum sat est pro communi hominum captu, & directione ad concipiendum effectum sacramenti; adimpletur intentio Christi, & consequenter subsistit valor sacramenti, qualiscunque demum accidat de reliquo immutatio, mutilatio, additio, transpositio, aut substitutio. Neque igitur omnis, neque nulla variatio materiæ, & formæ, quæ pro vnoquoque sacramento præscribuntur, nullitatem eius inducit, sed qualis explicata est. Exempla doctrinæ prosequuntur fusè in præsenti Cardinalis de Lugo, & Tannerus, & à nobis producentur opportunè circa singula sacramenta in particulari.

Ad 1. Contingit mutationem vocis, quæ est exigua entitatiuè, esse permagnam formaliter in ratione signi; idque potissimum habet locum in syllabis initialibus, vt aduertit D. Thomas; per quas videlicet dirigitur, ac determinatur intellectus magis, quam per finales. Quare in duplici illo exemplo inducitur nullitas sacramenti, non propter quantitatem, sed propter qualitatem mutationis variantis; scilicet significationem naturalem congruentem significationi sacramentali, ac supernaturali: Vnde potest esse mutatio alia, aut permutatio longè maior entitatiuè præsertim in vltimis litteris vocis multisyllabæ; quæ tamen nihil noceat valori sacramenti propter contrariam significationis retentionem.

Ad 2. Esto congelatio, & liquiditas sint accidentia respectu aquæ secundum se physicè consideratæ; pertinent tamen ad essentiam eiusdem, quatenùs est symbolum formæ supernaturalis mundantis animam à peccatis & quatenus subiicitur verbis constituentiformam baptismi, & significantibus ablutionem, ac emundationem. Hanc enim rationem symboli, & subiicibilitatis constituit essentialiter liquiditas, & destruit congelatio; siquidem hac perseuerante, aqua est inepta ad lauandum. Huiusmodi autem mutationem pertinentem formaliter ad rationem sacramenti non inducit quælibet mutatio physicè substantialis, aut accidentalis physicè maior, ideoque nec nullitatem inducit sacramenti.

Ad 3. Qui promittit sub conditione, quæ non consistit in indiuisibili, non liberatur à promissione, tametsi pars eius aliqua non ponatur dummodo ad substantiam conditionis, quatenus intentæ à promissore, illa non pertineat, sed eius essentia superstit nihilominus absolutè. Apparuit autem aliquas eiusmodi partes reperiri in materiis, & formis sacramentorum.

Ad 4. Consultus eo in loco Pontifex; an valeret baptismus collatus sub hac forma: in nomine Patria & Filia, & Spiritu Sancta? respondet valere si minister ea vsus fuit ob ignorantiam Romanæ loquutionis, non introducens errorem, aut hæresim. Qua ipsa responsione clare demonstratur, aliquam mutationem fomæ esse compossibilem cum valore sacramenti, & separabilem ab intentione introducendi errorem, aut hæresim annullatiua sacramenti. Quare introductio erroris, aut hæresis ibi intelligitur, non qualiscunque valdè remota, & purè materialis, sed propria ministri, quatenus talis; scilicet nolentis significare, & facere, & volentis alios suo exemplo inducere, vt non significent, ac faciant, quod significat, & facit Ecclesia. Quæ voluntas inducit proculdubio nullitatem sacramenti, vt dicetur q. 13. & notatur in glossa marginali illius capitis *retulerunt.*

## QVÆSTIO VI.

### *Vtrùm voluntas instituentis, & intentio, ac exequutio perficientis Sacramentum, intrinsecè ipsum constituant?*

VIdetur non constituere. 1. Quia nullus effectus intrinsecè constituitur per intentionem ipsum faciendi, aut per actionem qua fit, aut per voluntatem, qua datur possibilitas, vt fiat; nulla siquidem intentio potest velle efficere se ipsam; nulla actio se ipsam efficere; nulla voluntas dare possibilitatem, vt ipsa fiat. Intentio autem requisita in ministro est intentio efficiendi sacramentum; actio ab eodem exercita illud efficit; & voluntas instituentis dat possibilitatem, vt fiat. Ergo ea intentio, aut actio, aut voluntas non possunt intrinsecè constituere sacramentum.

2. Contingit intentionem perficiendi sacramentum esse peccaminosam, quia perficitur malo fine, vel in circumstantiis, in quibus non licet illud perficere, vt cum celebratur sacrum ab existente in peccato lethali. Sacramentum autem nequit intrinsecè constitui per peccatum; quia est opus Dei, est supernaturale, & causatiuum gratiæ, est honestè desiderabile à suscipiente, & pro quo gratias agere Deo debeat; quorum nihil cadere potest in peccatum, nec in aliquid includens peccatum, tanquam partem intrinsecè constitutiuam sui. Accedit Augustinus lib. 3. de baptismo contra Donatistas cap. 10. dicens: *Non est aqua profana, & adultera super quam nomen Dei inuocatur etiamsi à profanis adulteris inuocetur.* Et iterum: *Baptismus Christi verbis euangelicis consecratus, & per adulteros, & in adulteris sanctus est, quamuis illi sint impudici, & immundi, quia ipsa eius sanctitas pollui non potest.* Pollueretur autem si peccatum in eius essentia includeretur. Ergo saltem intentio ministri non constituit intrinsecè sacramentum.

3. Collectio effectuum creatorum, per quos innotescit, redditúrque credibilis per fidem voluntas Dei instituens sacramenta; connectitur essentialiter cum eadem voluntate, quandoquidem fides, de existentia huius voluntatis, suborta, ex consideratione talium effectuum, est essentialiter infallibilis. Ergo talis voluntas non requiritur ratione sui immediatè ad existentiam sacramenti, sed mediatè ratione talium effectuum essentialiter illam præsupponentium. Quod autem requiritur ad alterum tantum mediatè, & ratione alterius, non pertinet ad intrinsecam eius constitutionem immediatè per se ipsum. Ergo voluntas Dei instituens sacramenta, non constituit ea intrinsecè.

4. Actio exterior, qua perficitur sacramentum, est essentia

essentialiter supernaturalis, vtpote inductiua effectus essentialiter supernaturalis, & procedens à Deo, vt auctore supernaturali, & ab eius ministro, quatenus eleuato per ipsum, & ab vtroque vt intendente finem supernaturalem, ac proinde præsupponit essentialiter tam ex parte Dei, quam ex parte Ministri voluntatem, ac intentionem requisitas, vt perficiatur sacramentum. Ergo ea actio exterior se sola immediatè, ac formaliter differt intrinsecè ab omni actione non perfectiua sacramenti. Ergo eadem sola coniunctim cum materia, & forma sacramenti, nullo alio superaddito constituet totum quoddam essentialiter distinctum ab omni eo, quod sacramentum non est. Ergo nec Dei voluntas, nec intentio Ministri pertinent immediatè, ac intrinsecè ad constitutionem sacramenti, eiusdémque distinctiuum; sed se habent respectu ipsius tantùm præsuppositiuè, & extrinsecè.

5. Si voluntas instituentis, & intentio perficientis dicantur intrinsecè constituere sacramentum, quia hoc non subsistit alterutra deficiente; tametsi omnia, & quælibet alia existant: eadem ratione dicendum erit cætera omnia similiter necessaria, vt sacramentum sit validum, ad eius constitutionem intrinsecè pertinere. Vnde rursus consequens erit sacramentum ordinis intrinsecè constitui per duplex sacramentum baptismi alterum ab ordinante, alterum ab ordinato susceptum: immò quoduis sacramentum ordinis similiter constitui per totam seriem, & collectionem sacramentorum ordinis, quæ ab vltimo ordinante hunc ordinantem, & sic de cæteris vsque ad Christum instituentem, susceptа sunt, cum duplici insuper baptismo pro vnoquoque ordine; atque ideo vnum quodque sacramentum ordinis hoc tempore susceptum per suam essentiam esset aceruus ex multis millibus sacramentorum consurgens. Sequela ex apprehensione terminorum apparet absurda; & tamen infertur manifestè, quia vltimum sacramentum non potest esse validum, quin cætera omnia sacramenta, quæ commemorata sunt, valida fuerint, & cum validitate præcesserint; tametsi cætera omnia ab ipsis distincta ponantur à parte rei. Inualidum namque est sacramentum ordinis collatum non baptizato, vel à non baptizato, vel à non ordinato validè quidquid sit de reliquo.

6. Intentionem Ministri non pertinere ad intrinsecam constitutionem sacramenti certa, ac indubitata sententia est apud omnes anteriores Theologos, vt testantur addito suffragio Suarez disput. 42. sect. 2. & Vasquez disput. 129. cap. 3. Quæ tanta omnium auctorum vnam in partem consensio videtur absque temeritate deferi, non posse, circa eam maximè quæstionem, in qua, quia pro vtraque parte ad sunt rationes valdè apparentes, pro neutra possunt magni ponderis æstimari, atque vniuersim in re litteraria, sicus, ac in aliis rerum generibus, minus audentis solet esse melior fortuna.

Art. 1. Respondetur. Id, quo non posito, & positis omnibus aliis requisitis ad existentiam alicuius concreti, concretum nondum existit, & quo posito simul cum aliis requisitis, eo ipso existit concretum. Id inquam, pertinet formaliter ad constitutionem intrinsecam concreti. Quod enim eo modo est necessarium, vt subsistat concretum, requiritur vtique ad illud immediatè ratione sui, & tanquam cõcurrens ad eius constitutionem in genere causæ formalis. Causa namque efficiens, & finalis, & cõditio sine qua non, solum requiruntur, ad existentiam alicuius, ratione effectus pendentis ab ipsis, atque ab eisdem formaliter distincti; quo proinde posito, etiamsi per possibile, vel impossibile ipsæ non existant, aut intelligantur non existere, eo ipso intelligitur, & est existens ea res, ad cuius existentiam absolutè requiruntur. Apparet rursus hoc ipsum clarissimè, quia vnumquodque necesse est existere existentibus omnibus prædicatis, & partibus ipsum intrinsecè constituentibus, quidquid sit de reliquo. Nihil enim distingui adæquatè, vel inadæquatè potest ab iis omnibus simul sumptis, per quæ ipsum adæquatè constituitur. Patet autem ea inter se distingui, quorum altero existente fieri potest, vt alterum non existat. Si quid igitur ita comparabitur cum aliquo concreto, vt eo posito simul cum quibusdam aliis ponatur eo ipso concretum; idemque non ponatur eodem non posito; tametsi cætera omnia, & quælibet ponantur, siue per possibile, siue per impossibile; id proculdubio pertinebit ad constitutionem intrinsecam talis concreti; eritque ab eodem adæquatè sumpto realiter indistinctum, vel certè non nisi inadæquatè distinctum, tanquam contentum à continente formaliter, & tanquam pars à suo toto. Iam verò institutio diuina, intentio, & actio exequutiua exterior Ministri, ita inuicem, & cum cæteris ad existentiã sacramenti requisitis comparantur, vt quælibet ex illis possit existere absque aliis duabus, nec non absque materia, & forma, & si quæ sunt alia huiusmodi; atque è conuerso materia, & forma possint existere absque illis tribus, siue seorsim, siue simul existentibus; & tamen sacramentum deficiat, nec existere validum possit, quolibet eorum seorsim deficiente, tametsi adsint cætera omnia.

Art. 2. Constat in primis de separabilitate mutua illorum trium, tam inter se, quam respectu materiæ, & formæ. Quia hæ, cum sint entitates in se naturales, non connectuntur intrinsecè cum diuina sacramenti institutione, quæ est supernaturalis; nec magis connectuntur determinatè cum intentione, & actione exequutiua propria Ministri; cum ex vi alterius intentionis, & actionis exequutiuæ, æquè bene existere possint. Actio exterior productiua, seu applicatiua materiæ, & formæ, non est quidem separabilis ab illis mutuò; est tamen separabilis ab institutione, & ab ea intentione, quæ specialiter requiritur in Ministro pro valore sacramenti. Ab intentione quidem; quia actio exterior non diuersificatur ex diuersitate finium intentorum ab agente, si terminus productus est idem. Ab institutione verò, quia hæc nihil influit saltem immediatè ad prolationem verborum, aut applicationem materiæ; sed per accidens se habet respectu vtriusque secundum se præcisè consideratæ; vtpote supponens ex parte agentis proximi virtutem actiuam adæquatam ad vtramque, cum potestate eadem dicendi, & applicandi, siue adsit, siue non, institutio sacramenti. Eadem etiam est potestas in Ministro ad intendendum non existente institutione sacramenti, quidquid intendit eadem existente. Idem enim intendi potest in vtroque euentu saltem præeunte falsa cognitione. E conuerso institutio sacramenti est itidem separabilis ab intentione, & actione exequutiua ministri; necnon hæc intentio ab hac actione, quia minister, præsuppositа institutione, est adhuc indifferens, vt intendat, vel non intendat perficere sacramentum, & postquam intendit, potest extrinsecus impediri, quominus exequatur. Datur igitur inter hæc omnia mutua separabilitas intenta.

Art. 3. Altera pars, nimirum quolibet eorum deficiente, de quibus est quæstio, & quæ modò inter se collata sunt, deficere eo ipso sacramentum, tametsi adsint omnia, & quælibet alia, vix indiget probatione. Nam quoad intentionem ministri simul cum materia, & forma, est clara ea de re definitio Eugeniana in Concilio Florentino, quæ proposita est q. 3. De exteriori eiusdem actione; idipsum est manifestum ex quæst. 1. vbi dictum est sacramentum esse signum pro hominibus institutum, atque homini ab homine exhibitum;

hibitum; quod verificari non potest secluſa actione exteriori miniſtri; per quam videlicet exhibetur ſignum. Omnium denique manifeſtiſſimum eſt ſacramentum ſubſiſtere non poſſe ſecluſa inſtitutione diuina. Quia res materiales non poſſunt habere vim illatiuam gratiæ propriam ſacramenti, niſi dependenter à voluntate diuina eam illis communicante; quæ voluntas dicitur inſtitutio ſacramenti. Ex his igitur omnibus concluditur, inſtitutionem diuinam, intentionem, & actionem exequutiuam miniſtri pertinere ad intrinſecam conſtitutionem ſacramentorum, non minùs quam materiam eorundem, & formam.

Art. 4. De intentione enim ex gr. formatur hic ſyllogiſmus. Id, quo poſito à parte rei ſimul cum quibuſdam aliis, eo ipſo ponitur à parte rei aliquod concretum, idemque deficit eodem deficiente, tametſi ponantur à parte rei omnia, & quælibet alia, pertinet ad conſtitutionem intrinſecam talis concreti; ſed poſita à parte rei intentione debita miniſtri, ſimul cum cæteris requiſitis, eo ipſo ponitur à parte rei hoc concretum, quod eſt ſacramentum; idemque deficit deficiente ea intentione, tametſi omnia, & quælibet alia ponantur à parte rei. Ergo intentio debita miniſtri pertinet ad conſtitutionem intrinſecam huius concreti, quod eſt ſacramentum. Vel ſic: Vnumquodque neceſſe eſt exiſtere exiſtentibus omnibus, per quæ ipſum intrinſecè conſtituitur, nec poteſt deficere quin deficiat aliquid eorum, per quæ intrinſecè conſtituitur. Sed ſacramentum non neceſſe eſt exiſtere exiſtentibus omnibus aliis diſtinctis ab intentione miniſtri, idemque deficit ſi deficiat eadem intentio, tametſi nihil deſit aliud. Ergò nulla alia diſtincta ab intentione miniſtri ſunt omnia, per quæ ſacramentum intrinſecè conſtituitur, eademque intentio eſt aliquid eorum, per quæ ſacramentum intrinſecè conſtituitur. Conſtat de vtraque maiori ex priori parte præcedentis diſcurſus; ex poſteriori verò conſtat de vtraque minori, nec non de ſuppoſitione ſeparabilitatis inter intentionem, & reliqua ad ſacramentum requiſita. Eadem autem eſt ratio, vt patet, de inſtitutione, & exteriori exequutione. Ergò tria hæc conſtituunt intrinſecè ſacramentum tanquam partes eſſentiales ipſius.

Art. 5. Confirmatur quoad inſtitutionem. Sacramentum eſt ſignum ad placitum. Sed ſignum ad placitum conſtituitur intrinſecè in ratione ſigni per voluntatem inſtituentis. Ergò ſacramentum conſtituitur intrinſecè in ratione talis per voluntatē inſtituentis. Rurſus ſacramentum eſt cauſa inſtrumentalis gratiæ proximè potens ad illam inducendam, quantum eſt ex parte cauſæ. Sed cauſa inſtrumentalis in ratione proximè potentis ad inducendum ſuum effectum conſtituitur intrinſecè per applicationem agentis principalis; atque agens principale gratiæ eſt Deus, qui applicat ſe, & ſuum inſtrumentum per ſuam voluntatem, qua inſtituit ſacramentum. Ergo. Confirmatur idem quoad intentionem miniſtri: Deus diſtribuit dona gratiæ per ſacramentum mediante miniſterio, & diſpenſatione eorum, à quibus illa perficiuntur, ac conferuntur iuxta illud Pauli 1. ad Corinth. 4. 1. *Sic nos exiſtimet homo, vt Miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei.* Voluntas autem, & intentio Miniſtri, ac diſpenſatoris conſtituit intrinſecè donationem abſolutam rerum diſtribuendarum reſpectu talis, vel talis perſonæ determinatæ; vt patet in eleemoſyna, & diſtributione pecuniarum commiſſa famulo per dominum, permiſſa eidem electione, ac determinatione perſonarum; & tali determinatè quantitate pro ſingulis. Rurſus ſacramentum matrimonij, eſt indiuiſim verus, & realis contractus. Contractus autem verus, & realis intrinſecè conſtituitur per voluntates, ac intentiones contrahentium; atque ipſi contrahentes ſunt ſimul miniſtri eius ſacramenti per eandem voluntatem, ac intentionem, qua validè contrahunt. Eſt verò eadem ratio de reliquis ſacramentis ſuo modo; certè ſunt eædem pro omnibus difficultates, vt liquet conſideranti rationes dubitandi. Confirmatur denique quoad actionem exteriorem, qua proferuntur verba, vel applicatur materia; quia ſacramentum eſt ſignum quo eius miniſter ſenſibiliter confert gratiam ſuſcipientibus ſacramentum; ac proindè prolatione verborum, & applicatione materiæ dicit, ſeu innuit, ac ſignificat ſe conferre gratiam per ea verba, & per materiam, quam applicat, ſiquidem ſacramentum eſt ſignum pro hominibus inſtitutum, ſeu homini ab homine exhibitum. Neutrum autem horum ſubſiſtere poteſt abſque actione exteriori miniſtri; quæ videlicet includitur in conceptu eſſentiali loquutionis, & ſignificationis cuiuſcunque, quatenùs denominantis loquentem, ac ſignificantem talem vel talem determinatè perſonam.

Art. 6. Ex iſtis confirmationibus apparet tria hæc, de quibus diſputatur, dicenda eſſe requiſita ad exiſtentiam ſacramenti immediatè & ratione ſui tanquam partes intrinſecè conſtitutas ipſius; tametſi eſſent eſſentialiter inter ſe connexa, ſiue mutuo, ſiue non mutuo, atque intentio miniſtri eſſentialiter præſupponeret inſtitutionem diuinam; aut vtramque ſimiliter præſupponeret actio exequutiua exterior (quorum neutrum eſt improbabile;) ac proindè inſtitutio diuina, vel intentio miniſtri, vel vtraque requirerentur ad exiſtentiam ſacramenti etiam ratione alterius. Nempè probationes adhibitæ in confirmationibus concludunt independenter à connexione, & carentia connexionis, ſeu ſeparabilitate mutua, vel non mutua illorum trium inter ſe, & à cæteris, vtcunque ad exiſtentiam ſacramenti requiſitis. Neque verò repugnat requiri aliquid ad exiſtentiam alicuius concreti, tum immediatè, & ratione ſui tanquam partem eſſentialem illius; tum etiam mediatè, & ratione alterius, tanquam cauſam effectiuam alterius partis; vel aliqua alia ratione eſſentialiter præſuppoſitum ab alia parte intrinſeca eiuſdem concreti, vt apparet in verbo Diuino comparato cum hoc homine Chriſto.

Ad 1. Obiectum directè volitum à miniſtro perficiente ſacramentum, per intentionem, qua illud perficit, non eſt ipſum ſacramentum ſecundum ſuum conceptum adæquatum, ſed ſenſibilis collatio gratiæ per talia verba ab ipſo prolata circa talem materiam. Similiter actio exterior eiuſdem miniſtri non reſpicit in genere cauſæ efficientis ſacramentum formaliter, vt tale, ſed verba ex quibus partialiter conſtat, vel materiam, aut aliquod eius accidens, ex quibus itidem conſtat intrinſecè ſacramentum. Eodem modo inſtitutio diuina, ſeu voluntas Dei, qua ſacramentum inſtituitur, directè ſolùm vult, vt conferatur gratia, quoties talia verba circa talem materiam cum talibus determinatè requiſitis prolata fuerint. Sed inſtitutio Dei, intentio Miniſtri, & actio exterior, volendo directè, & formaliter, aut producendo ea obiecta, eoſue effectus diſtinctos à ſe realiter adæquatè, volunt eo ipſo, & producunt in genere exercito, atque conſtituunt formaliter ſacramentum diſtinctum ab ipſis tantum inadæquatè. Exempla actuum, & actionum volentium, ac producentium directè aliquid ab ipſis adæquatè diſtinctum, atque eo ipſo conſtituentium formaliter aliquod totum ab eiſdem, tum diſtinctum tantum inadæquatè, tum volitum, ac productum in actu exercito, vel reflexè, ſeu quaſi reflexè ſunt obuia in quolibet contractu, in quolibet opere meritorio, & ſimilibus.

Ad 2. Intentio Miniſtri non conſtituit intrinſecè ſacramen

sacramentum tamquam virtus eius, & ratio agendi, seu instrumentaliter, seu principaliter; sed solum, vt quò tanquam pura applicatio, & determinatio, vt voluntas, & potentia diuina, per hæc determinatè verba, & per hanc determinatam materiam huic determinatæ personæ potius, quam per alia, & alij, gratiam conferant. Non autem repugnat determinationem, & puram applicationem causæ bonæ, & ad effectum bonum esse malum, volente Deo præualere malitiæ ministri, eáque non obstante peruenire ad finem intentum bonum. Vnde sacramentum est opus Dei, & supernaturale secundum virtutem causatiuam gratiæ, & non verò secundum conditionem, & applicationem se habentem, vt quo ad talem virtutem determinandam. Item secundum eandem virtutem est honestè desiderabile à suscipiente, & materia gratiarum actionis; non verò est tale secundum quamlibet conditionem se habentem, vt quoad virtutem determinandam; sicut est appetibilis eleemosyna pauperi exhibita à vanè glorioso, & pro ea gratias agere debet. Testimonium Augustini diu me torsit, præsertim expenso toto contextu, donec ex alio loco in eodem libro propè finem apparuit euidentia solutionis: Dicit enim quod munuscula tradita scelestis, & à scelestis sunt dona Dei; sicut dixerat, quod sacramentum est sanctum, licet confectum ab improbo Loquitur ergo in primo loco de eo solum, quod est præcipuum in sacramemto, seu de virtute actiua gratiæ; sicut in secundo loco quando dixit munuscula tradita scelestis à scelestis esse dona Dei, loquitur de substantia donorum, præscindendo à mala voluntate tradentium, & accipientium; quæ tamen voluntas dantis in ratione doni, & donationis essentialiter includitur.

Ad 3. Collectio eorum effectuum creatorum connectitur quidem essentialiter cum voluntate diuina institutiua sacramenti, sed solùm tanquam manifestatiua talis voluntatis; reddens ipsam fide credibilem, non verò connectitur tanquam virtus, aut pars virtutis constituens formaliter, aut effectiuè vim actiuam gratiæ, qua constituitur principaliter sacramentum. Vnde, secluſa collectione talium signorum, debet in sacramento includi sola institutio diuina à qua sacramentum habet, vt sit effectiuum gratiæ.

Ad 4. Sicut ex supradictis patet, actio exterior non variatur ex varietate finium, aut intentionis agentis, sed solùm ex diuersitate causæ efficientis, à qua immediatè profluit; & ex diuersitate termini, quem immediatè efficit, vt quo. Ergo cum sit eadem actio exterior; siue procedat ab ea voluntate ministri, siue non; & consequenter siue per eam perficiatur sacramentum, siue non: patet per talem actionem non constitui intrinsecè sacramentum sufficienter, & adæquatè.

Ad 5. Respondetur dupliciter. Primò sufficere quod in sacramento ordinis intrinsecè includatur character vtriusque personæ, tum illius quæ ordinem confert, tum alterius, quæ recipit, quia solus character essentialiter præsupponit omnia ea, quæ ad ipsum præexiguntur, totamque seriem, quæ in argumento opponitur. Secundò dari inordinante actionem effectiuam ordinis, quæ essentialiter ipsum characterem supponit. Vnde licet in sacramento ordinis non includeretur intrinsecè character, adhuc sufficeret includi in ipso talem actum, à quo character essentialiter præsupponitur. Determinatio porrò huius distinctionis dabitur infrà opportunè in loco proprio.

Ad 6. Anteriores Theologi, quos referunt, & sequuntur Suarez, & Vasquez, quando excludunt à constitutiuo sacramenti intentionem ministri, loquuntur de constitutiuo præcipuo, quod se habet per modum virtutis actiuæ, non verò intendunt agere de constitutiuo sacramenti adæquatè sumpto. In eodem sensu loquuntur Suarez ipse, & Vasquez dum antiquorum opinioni subscribunt. Cuius indicium, est, tam istos duos auctores, quam citatos ab ipsis supponere potius hoc, tanquam primum principium quam docere tanquam sententiam peculiarem, intentione ministri non constitui sacramentum. Quod fieri non potuisset circa sacramentum adæquatè, & secundum omnem rationem consideratum.

## QVÆSTIO VII.

### *Vtrùm sacramemtum constituatur formaliter per ens rationis?*

VIdetur constitui; Quia sacramentum constituitur formaliter per denominationem à forma extrinseca, qualis est institutio diuina. Sed talis denominatio est ens rationis, quia non est aliquid existens, neque in forma denominante, neque in obiecto denominato; hoc est neque in institutione diuina, neque in sacramento instituto. Ergo sacramentum constituitur per ens rationis.

Sed contra est; quia manifestè patet ex diuina reuelatione, quod sacramentum est aliquod ens reale. Item patet hoc ex eo, quod est realiter causatiuum gratiæ. Sed illud quod est ens reale non constituitur formaliter per ens rationis. Ergo sacramentum non constituitur formaliter per ens rationis.

Art. 1. Respondetur. Ens rationis potest accipi tripliciter. Primo pro actu intellectus, quia cum intellectus dicatur ratio à ratiocinando; actus intellectus dicitur actus, seu ens rationis. Secundo pro obiecto, vt apprehenso opposito modo ab eo, quo realiter in seipso existit. Sic priuatio dicitur communiter ens rationis, quia apprehenditur per modum entis, cum nihil sit. Sic etiam per Philosophum, & D. Thomam, relatio scibilis ad scientiam dicitur relatio rationis, quia concipitur tanquam aliquid in scibili, cum verè in ipso nihil sit, sed scibile dicatur referri ad scientiam propter extrinsecam denominationem scientiæ, quæ refertur ad ipsum. Tertio pro obiecto non solùm apprehenso, sed vlterius etiam affirmato, oppositio modo ab eo, quo est; sicut si dicatur homo est rugibilis, per quem actum non solum apprehenditur rugibilitas, vt in homine, sed affirmatur, & componitnr cum homine.

Art. 2. Sacramentum non est ens rationis primo modo, quia non est actus intellectus, sed quid partim physicum, partim morale extra intellectum existens. Nec est ens rationis tertio modo acceptum, quasi quid fictum per intellectus compositionem, aut diuisionem, vt patet efficaciter per rationem inductam in argumento, sed contra. Quia scilicet est ens reale, gratiæ causatiuum. Solum igitur sacramentum constituitur per ens rationis secundo modo acceptum, vt rectè probat prima ratio inducta. Quia scilicet denominatur extrinsecè ab institutione diuina. Hæc autem denominatio concipitur à nobis per modum alicuius inhærentis ipsi sacramento; sicut, dum dicitur paries visus, aut obiectum scibile, concipiuntur per modum recipientium in se aliquid, à quo acquirant denominationes scibilis, & visi.

Art. 3. Hic modus apprehensionis fuit fundamentum Scoto ad ponendum in rebus quoddam esse diminutum æternum in rebus fluens à cognitione, & volitione diuina à qua res creatæ denominantur ab æterno in esse cogniti, & voliti à Deo. Quod esse diminutum à Scoto, & eius schola vocatur ens rationis;

&

& in eo constituitur ab eisdem essentia sacramenti. Verum hoc processit ex æquiuocatione fundata in nostro modo cognoscendi, quia apprehendimus, res accipere aliquid passiuè in se ipsis, per hoc,quod circa eas aliqua forma, aut actio extrinsecè versetur. Ex his patet ad duo argumenta in contrarium obiecta. Vtrumque enim pro nobis facit, vt ex dictis est manifestum. Indidem apparet, quare Vasquez supponat, tanquam indubitatum,sacramentum constitui per ens rationis; & quare alij,præsertim moderni supponant non constitui. Quia nimirum Vasquez accipit ens rationis, in secundo sensu, in quo verissimum est sacramentum constitui per ens rationis,vt ex dictis apparet. Cæteri accipiunt in tertio sensu, in quo manifestum est non constitui.

## QVÆSTIO VIII.

### *Vtrùm materia,& forma, & alia constitutiua sacramenti importentur in recto per sacramentum?*

VIdentur non importari. 1. Quia illud importatur in recto, quod per se stat, & concipitur ad modum per se stantis; illud in obliquo, quod alteri adiacet, & concipitur ad modum alteri adiacentis. Sed institutio diuina concipitur per modum adiacentis rebus, quibus sacramentum constituitur. Item forma concipitur,sicut adiacens materiæ. Ergò neque institutio diuina, neque forma importatur in recto per sacramentum.

2. Illud dici potest esse rectum in vnoquoque concreto, quod est nobilius. Quia ex nobilitate rei consequitur,quod etiam in mente teneat nobiliorem locum, adeóque sit rectum. Res enim sunt in intellectu benè disposito, sicut in se ipsis sunt, vt Aristoteles dicit. Illud verò potest dici obliquum,quod est ignobilius in tali concreto, & quod consequenter ob conformitatem intellectus cum rebus, debet concipi, sicut habens in mente ignobiliorem locum, hoc est obliquum.Forma autem sacramenti est quid nobilius, materia quid ignobilius,vt ex supradictis patet. Ergo sola forma importatur in recto, materia verò in obliquo.

3. In sacramento baptismi aqua est nobilior verbis,quia est magis actiua,magis stabilis,magisque perfecta. Ergo aqua importatur in recto; verba in obliquo;sed verba sunt forma,aqua materia. Ergo materia importatur in recto,forma in obliquo.

Art.1. Respondetur quod clarius, & magis expressè significatur per voces, illud per ipsas in recto importatur; quod autem minùs clarè, & quasi insinuatiuè, per easdem voces importatur in obliquo. Idem proportionaliter accidit in conceptibus. Illud enim est rectum, quod tenet primum locum in cognitione quoad expressionem, æstimationem, &c. illud verò obliquum, quod penes easdem secundum locum tenet: puta, quod cognoscitur tanquam aliquid alterius, & velut insinuatiuè tantum. Hinc sequitur per conceptus mentales non semper eandem partem cuiusque concreti importari determinatè in recto, aut in obliquo; sed modo vnam partem, modò aliam, modo vtramque; provt expressius, & clarius importatur modò hæc,modò illa.

Art. 2. Sciendum est pro maiori huius rei claritate, quod duplici modo potest aliquod obiectum concipi. Primò ita vt intellectus ex vi talis conceptionis immediatè determinetur ad aliquid affirmandum, vel negandum de termino concepto, aut ad ipsum de aliis affirmandum, vel negandum,& consequenter,vt proximè disponatur ad quærendum vlteriorem notitiam de tali termino,inuestigando passiones, & proprietates ipsius;& tunc dicitur talem terminum principaliter concipere, & in recto. Secundò potest intellectus terminum concipere, ita vt ex vi talis modi concipiendi nihil immediatè possit de ipso prædicare, nec ipsum de aliis, nec determinetur proximè ad quærendam vlteriorem notitiam. Et tunc terminus sic conceptus,concipi dicitur in obliquo.

Art.3. Circa voces verò, quia non tot voces nobis suppetunt,quot sunt conceptus exprimendi, ideò ex antecedentibus, & consequentibus colligendum est, quidnam in recto, aut in obliquo per tales voces importetur. Vniuersaliter nomina concretorum accidentalium solam formam in recto significant, subiectum in obliquo; si tamen talia nomina extra propositionem sumantur, vt acutè S. Thomas aduertit. Eadem verò nomina quatenus propositionibus subsunt, subiectum important in recto, formam in obliquo; Sic album secundum se significat albedinem in recto, subiectum in obliquo; at quatenus est pars propositionis, *Petrus est albus*, significat subiectum in recto, albedinem in obliquo,alioquin enim esset falsa; quia perinde esset, ac dicere, *Petrus est albedo*. Cuius ratio ex dictis est manifesta;quia prædicationes, quæ fiunt in propositionibus, institui solent ad cognoscendam substantiam, non verò accidentia. Ex quo fit, quod per ipsas expressius, & primario substantias apprehendamus, accidentia verò implicitè, & secundariò. At verò nomina imponi magis solent ad significandam formam,à qua sensibiliter desumuntur.Vnde expressius significant,& in recto formam accidentalem.

Art.4. His positis potest fieri triplex comparatio inter constitutiua sacramenti. Prima materiæ, & formæ ad inuicem. Secunda materiæ, & formæ cum supernaturali significatione vtrique conueniente. Tertia cum reliquis requisitis, intentione Ministri, actione, &c. Circa primam: In reliquis sacramentis præter Eucharistiam, vt plurimum, & per se, forma in recto importatur, materia in obliquo. Quia voces, quæ habent rationem formæ, principatum tenent in genere signi. Vnde altius se imprimunt animo, quàm res, expressioremque, & clariorem sui notitiam ingerunt. Ac proinde voces magis expressè, & clarius; res verò quasi insinuatiuè tantum conceptu sacramenti percipiuntur. Ratio excipiendi sacramentum Eucharistiæ est, quia cum species sacramentales sint permanentes, ac sæpè visui obiiciantur: è contra voces sint aliquid præteruolans & non nisi semel audiantur; consequens est,vt sit intensior, & magis expressa notitia talium specierum, quam vocum. Vnde plerumque verba per Eucharistiæ sacramentum insinuatiuè, & in obliquo apprehendunt: at species sacramentales corpori Christi adiunctæ expressè, adeóque in recto concipiuntur.

Art. 5. Circa secundam comparationem materiæ, & formæ ex vna parte; cum significatione supernaturali, quam habent, ex aliia parte respectu talis significationis materia,& forma in obliquo significari solent sub hoc nomine sacramentum, quando ponitur extra propositionem: at verò quando ponitur in propositione, frequenter supponit in recto pro materia, & forma, aut pro vtraque. Probatur prima pars, quia significatio supernaturalis eodem modo comparatur ad materiam, & formam, quo formæ accidentales physicæ comparantur respectu suorum subiectorum. Ergò sicut extra propositionem formæ accidentales per se importantur in recto à concretis accidentalibus, sic significatio supernaturalis per se importatur in recto à sacramento,

quia magis clarè, & quasi primò impetu suggeritur, cætera verò minus principaliter, & minus expressè importantur. Patet secunda pars, quod scilicet per sacramentum dum in propositione ponitur forma, & materia per se in recto importentur; quia scilicet in horum notitiam plerumque incumbunt Theologi, dum de sacramentis agunt, & circa sacramenta propositiones formant. Circa tertiam comparationem: cætera constitutiua per se, & plerumque in obliquo importantur, præsertim in propositione quia minus expressè, & clarè importantur per sacramentum, nec in ipsorum notitiam, valdè propendent Theologi, & PP.

Ad 1. Non quod concipitur per se stans, sed quod clarius & expressius est rectum. Forma autem sic concipitur ab eo, qui format enunciationes circa sacramentum, ideò magis in recto, quam materia importatur; licet vtraque aliqualiter rectum sit: sicut ex materia, & forma physica fit vnum compositum, quod est rectum totale cæterorum sibi adiacentium. De institutione diuina esto, quod per se in obliquo solùm importetur, & per hæc patet etiam ad 2.

Ad 3. Pro constitutione recti non attenditur nobilitas rei secundum se consideratæ, sed secundum eam rationem, quæ ab vnoquoque concreto dicitur de formali. Vnde licet aqua præemineat verbis secundum entitatem; quia tamen verba præeminent aquæ secundum significationem, quæ attenditur magis in sacramento, quam aliæ perfectiones, ideò non solum aqua, sed etiam verba, cum quibus ipsa vnum substantiale moraliter constituit, importantur in recto; & magis verba, quàm aqua.

## Qvæstio IX.

### *Vtrùm institutio sacramenti sit voluntas conferendi gratiam sensibiliter?*

Videtur non esse. 1. Quia voluntas dandi gratiam sensibiliter existit in Deo ab æterno. Institutio autem sacramentorum facta est à Christo Domino in tempore. Ergo illa voluntas, & hæc institutio distinguuntur realiter.

2. Voluntas conferendi gratiam, & voluntas significandi collationem gratiæ sunt diuersæ voluntates. Institutio autem sacramenti fit per voluntatem significandi collationem gratiæ, siquidem sacramentum est signum collationis gratiæ, vt liquet ex eius definitione. Ergò non consistit in voluntate conferendi gratiam, saltem adæquatè.

3. Ex Scoto, Gabriele, & aliis; institutio sacramenti est impositio significationis gratiæ coniuncta cum firma, ac rata constitutione efficacitatis adiungendæ eidem significationi. Hæc autem non includuntur in sola voluntate conferendi gratiam sensibiliter, siquidem gratia conferri sensibiliter potest nulla antecedenter imposita significatione ipsius gratiæ; conferri certè potest non adiuncta constitutione efficacitatis conuenientis ipsi significationi.

4. Ex Durando, institutio sacramenti consistit in designatione rei, aut vocis, cui insit significatio gratiæ, & efficacitas significationis. Talis autem, seu rei, seu vocis, seu vtriusque designatio non fit per solam voluntatem conferendi gratiam sensibiliter. Quia Deus potest velle conferre sua virtute gratiam sensibiliter; simulque velle committere alteri designationem rei, & vocis, per quas illam conferat, reddatque sensibilem. Ergò institutio sacramenti est omninò distincta à voluntate conferendi gratiam sensibiliter.

5. Institutio naturalis vocum, aliorumque signorum fit per mutuam promissionem, & obligationem inuicem notificatam, non adhibendi tales voces, aut res, nisi cum aderunt tales conceptus, vel tales aliæ res. Ergo institutio supernaturalis sacramentorum facta similiter est per promissionem, & obligationem notificatam, & acceptatam non adhibendi tales res sensibiles, aut voces, quin eo ipso conferatur gratia. Patet autem nequaquam includi hæc omnia in simplici voluntate conferendi gratiam sensibiliter; ac proinde fieri non potuit institutio sacramentorum per eiusmodi voluntatem.

Art 1. Respondetur. Institutio sacramenti proculdubio consistit in impositione significationis efficacis gratiæ adiuncta enti sensibili habenti analogiam, & symbolicam proportionem cum gratia. Cum enim sacramentum sit signum symbolicum effectiuum gratiæ; per id vtique institutum illud erit, vi cuius imposita erit significatio effectiua gratiæ entitati sensibili habenti dictam analogiam.

Art. 2. Impositio porrò eiusmodi significationis constat voluntate efficaci conferendi gratiam, sufficienti ex se ad illam conferendam, quoties exhibita fuerit talis determinata res sensibilis secundum tales determinatas circumstantias, & manifestatione eiusdem voluntatis facta iis, quibus, & à quibus exhibenda est res eadem sensibilis. Quia, posita tali voluntate, ipsiusque voluntatis reuelatione, fieri non potest, quin eo ipso exhibitio talis rei sensibilis inferat existentiam gratiæ, faciatque venire in cognitionem collationis, & existentiæ eiusdem gratiæ omnes percipientes exhibitionem eius rei sensibilis, & præuentas ea reuelatione. Eo namque ipso habebunt præmissas, ex quibus necessario inferatur illud consequens. Ergo eo ipso talis res erit signum effectiuum gratiæ. Signum quidem quatenus facit venire in cognitionem gratiæ: effectiuum verò, quatenus infert existentiam eiusdem. Ergò eo ipso impositа erit significatio intenta. Eadem verò impositа non erit, si deficiat aliquid eorum, quæ præmissa sunt, vt patet singula consideranti. Impositio igitur significationis sacramentalis, adeóque institutio sacramenti ea omnia, & sola complectitur, quæ in dicta voluntate conferendi gratiam, eiusdemque voluntatis reuelatione obseruata sunt.

Art. 3. Eadem autem omnia, & sola continentur in voluntate conferendi gratiam sensibiliter. Imprimis enim voluntas aliquid faciendi, vel inefficax, vel aliundè insufficiens ad efficiendum non dicitur simpliciter, & absolutè voluntas, sed secundum quid, & cum addito diminuenti; nempè velleitas, & voluntas affectiuè tantum efficax. Ergò, dum dicitur absolutè *voluntas conferendi gratiam*, reipsa significatur voluntas efficax, & ex se sufficiens ad exequutionem. Dum autem additur *sensibiliter*, significatur re ipsa reuelatio eius voluntatis, etiam quatenus determinantis talem rem sensibilem, habentem vtique vt superiùs, dictum est, analogiam cum gratia. Quia nimirum hæc omnia requiruntur, & sufficiunt pro sensibilitate intenta collationis gratiæ, vt liquet ex dictis. Dicendum igitur est institutionem sacramenti esse voluntatem conferendi gratiam sensibiliter, accipiendo tamen sensibilitatem, iuxtà superius discussa de ea, quæ est perfectissima, & inest symbolo gratiæ.

Ad 1. Dum voluntati conferendi gratiam, quæ fuit in Deo ab æterno, adiungitur particula *sensibiliter*, satis indicatur manifestatio, & reuelatio facta in tempore à Christo Domino, vt nuper expositum est. Et quia adiiciens operi vltimum complementum, dicitur absolutè, cum illud adiicit, tale opus perficere; propterea absolutè dicitur Christum Dominum

Dominum instituisse sacramenta in tempore. Vel distinguatur claritatis gratia duplex institutio. Altera actiua, & æterna constituta per voluntatem Diuinam conferendi gratiam per res sensibiles, idque ipsum reuelandi in tempore, Altera passiua, & temporalis, constituta per exteriorem reuelationem talis voluntatis. Quo pacto distinguuntur à Theologis in tractatu de Fide reuelatio Dei actiua,& passiua.

Ad 2. Sacramentum simul est signum,& causa gratiæ, atque ideò eius institutio includit in se tum voluntatem conferendi gratiam, tum sensibiliter conferendi, idest significandi collationem, vt dictum est.

Ad 3. Sufficienter expositum est in voluntate conferendi gratiam sensibiliter includi omnia, quæ exiguntur à Scoto, & assæclis, essèque mutuò conuertibilia cum illa. Eadem est responsio ad 4. ex Durando; nimirum in 7ò sensibiliter includi designationem rei,aut vocis, siue ea designatio fiat ab ipso volente conferre gratiam, siue ab alio siue per eius commissionem à quibus differentiis modo præscinditur; dicetur verò de iisdem in quæst. sequenti.

Ad 5. Promissio, & obligatio, seu quasi obligatio aliquid faciendi non distinguitur in Deo, ad quem pertinet institutio sacramenti, à voluntate faciendi, & reuelandi se facturum, vt dictum est in tractatu de Iustitia quæst.19. §. *Neque verò*. Distinguitur autem in homine. Vnde non tenet paritas.

---

## QVÆSTIO X.

### *Vtrùm solus Deus sit, solúsque esse possit auctor institutionis Sacramentorum?*

VIdetur non esse,nec esse posse. 1. Quia Apostoli & eorum successores sunt Vicarij Christi in terris, iuxta illud 2. ad Corinth. 2.2. *Nam, & ego,quod donaui, si quid donaui, propter vos in persona Christi:* idest sicut Vicarius Christi,& perinde,ac si ipse Christus donasset. Vicarius autem potest eadem, quæ potest principalis in his, quæ pertinent ad stabilimentum, & conseruationem reipublicæ sibi commissæ, qualia sunt sacramenta respectu populi Christiani. Quare Apostoli, & eorum successores possunt instituere sacramenta,sicut Christus, quot, & qualia iudicauerint.

2. De institutione confirmationis, confessionis, & extremæ-vnctionis, nihil habetur in sacra Scriptura. In qua tamen traduntur, quæ sunt diuinitus instituta. Probabile igitur est, tria hæc sacramenta instituta esse immediatè ab Apostolis, aut eorum successoribus, vti sentiunt de confirmatione Alensis, & D. Bonauentura, & de extrema-vnctione Magister, idemque Bonauentura: de confessione verò glossa dist.5. in principio.

3. Rebus inanimatis communicauit Deus vim causatiuam gratiæ, vt dicetur quæst.24. & 25. Ergò substantiis rationalibus communicare potuit potestatem, vt rebus inanimatis eam vim communicarent. Nec enim ea potestas est quid maius respectu rationalium,quam ea vis respectu inanimatorum.

4. Potest Deus subdere vim, & actiuitatem omnipotentiæ suæ arbitrio voluntatis humanæ, inito pacto producendi gratiam quoties,& quando homini libuerit, & per ea instrumenta, quæ ipsa designauerit. Immò potest Deus, vt argumentatur Cardinalis de Lugo impertiri creaturæ potestatem obligandi ipsum Deum ad conferendam gratiam per medium electum ab eadem; ad eum modum, quo in humanis Dominus dat facultatem ipsum obligandi, famulo facto procuratori ad contractus, & alia negotia. In vtrouis autem ex his euentu, maximè verò in secundo, potest voluntas creata communicare se sola cuilibet rei significationem, & vim infallibilem illatiuam gratiæ, & sic instituere sacramentum, vt infert idem Cardinalis. Quod si potuit Deus eiusmodi potestatem impertiri, proculdubio est impertitus, quia, vt infert August. lib.4. contra Maximum c.3. ad finem: *Si potuit,& non voluit,inuidus fuit, quod in Deum cadere non potest.*

5. Christus,vt homo habet potestatem conferendi gratiam,quia Matth.9.6. dicit: *Sciatis,quia filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata*: Christus autem est filius hominis, quatenus homo,& dimissio peccatorum fit per collationem gratiæ. Ibidem versu 5. dicit Magdalenæ, vt homo loquutione videlicet propriè humana: *dimittuntur tibi peccata tua*; idest confero tibi gratiam. Qui autem habet potestatem conferendi gratiam potest pro libito instituere signum, dependenter à quo eam conferat; ac proinde potest instituere sacramentum. Ergò Christus, vt homo potuit instituere sacramentum, & non solum,vt Deus.

6. Immò de facto omnia sacramenta instituit Christus,vt homo,quia,vt dicit glossa super illud ad Rom. 5.14. *In similitudinem præuaricationis Adæ,&c.* ex latere Christi dormientis in Cruce fluxerunt sacramenta, per quæ saluata est Ecclesia; nempè ex merito Christi patientis habent sacramenta omnem suam virtutem,& robur. Quo alludit Paulus 1.ad Cor.1.13. dum dicit: *Numquid Paulus pro vobis crucifixus est, aut in nomine Pauli baptizati estis?* Is autem est auctor institutionis sacramentorum,ex quo vim suam omnem, & robur ipsa obtinent. Ergò Christus patiens, quod non nisi,vt homini, illi conuenit, est auctor institutionis sacramentorum. Iam quod conuenit Christo, vt homini,potest diuinitus communicari puro homini. Ergò is potest diuinitus esse auctor institutionis sacramentorum.

Art.1. Respondetur. De conceptu institutionis sacramenti est voluntas ex se sufficiens ad conferendam gratiam,idque primo,ac principaliter pertinet ad eius essentiam, quia inde primo, ac principaliter obtinet virtutem suam actiuam gratiæ. Sola autem voluntas Dei habet ex se talem sufficientiam; Solus namque gratiam causare potest;iuxtà illud ad Rom.8.23. *Deus qui iustificat*: nec alius potest filios adoptare,hæredes scribere vitæ æternæ,quæ est ipse Deus;& per veram amicitiam Deo coniungere cum mutua omnium vtrinque bonorum communicatione. Quæ omnia,& similia habentur formaliter per gratiam. Ergò solus Deus est, soluſque esse potest principalis auctor institutionis sacramentorum.

Art. 2. Verum cum ad hanc requirantur determinatio rei sensibilis, & temporalis reuelatio voluntatis diuinæ; atque Deus possit proculdubio committere creaturæ huiusmodi determinationem; eademque mediante reuelare temporaliter suam voluntatem patet creaturam posse Deo sic ordinante instituere sacramenta secundariò, & minùs principaliter. Conuenientius tamen fuit, ne ea ipsa designatio materiæ, & formæ committeretur arbitrio creato; tum quia spectat ex natura rei ad agens principale, vt assumat per se instrumenta sibi congruentia; tum vt eo longius remouerentur homines ab spe, & fiducia collocanda in creatura; tum quia ad iucundam, vberem, & salutarem sacramentorum, & eorum, quibus ipsa constat, meditationem plurimum confert,delectum rerum, & verborum quibus gratia significatur, ac repræsentatur, factum esse à Deo immediatè.

Art. 3. Cùm enim intellectus diuinus sit com-

prehensiuus omnium rerum, & voluntas eius intentiua omnium bonorum, quidquid similitudinis, congruentiæ, & qualiscunque relationis respectu gratiæ, conferens ad institutionem, & ædificationem hominum, legitima ratione deprehensum fuerit in signo eiusdem gratiæ electo à Deo, id totum obseruatum, & intentum ab eo fuisse meritò creditur, & piè, ac vtiliter consideratur. Quod non ita contingeret, ob rationem contrariam, in signo electo per creaturam. Quæ itidem causa est, cur sacri Interpretes in tam multiplicem sensum verba sacræ scripturæ vtilissimè diffundant; secus ac fiat circa verba Conciliorum, quibus ita inspirantur sententiæ ab Spiritu Sancto, vt determinatio verborum, & circumstantiarum humanæ electioni permittatur. Superest igitur temporalis reuelatio voluntatis diuinæ, & ministerialis institutio, quæ humanæ operationi committeretur, sed maximè Christi Domini, vt hominis, cuius videlicet humanitas est instrumentum coniunctum Diuinitatis respectu operum, quibus Diuina prouidentia saluti humanæ subuenit, dum cæteri homines sint instrumenta instrumenti coniuncti, sicut serra respectu manus.

Ad 1. Ex illo testimonio solum deducitur ministerialis causalitas, eáque non nisi mediata, vt indicat illa particula, *in persona Christi*. Nec verum vniuersaliter est Ministrum, & Vicarium posse omnia, quæ potest principalis; Ea enim tantummodò potest, pro quibus substituitur. Nec Deus, cuius potentia est essentialiter infinita, potest cuiquam committere omnia, quæ per se immediatè potest; cum sint aliqua, quæ immediatè causam infinitam essentialiter postulant; atque huiusmodi est collatio gratiæ.

Ad 2. Non omnia, quæ diuinitus instituta, vel acta sunt, traduntur in scriptura, sed de pluribus constat per traditionem Ecclesiæ, & rationem Theologicam. Illę porrò auctorum opiniones, iam diu exulant à scholis omnibus, nec possunt amplius tolerari, vt sonant, dicente Tridentino sess. 7. can. 10. *Si quis dixerit sacramenta nouæ legis non fuisse omnia à Iesu Christo Domino nostro instituta, anathema sit*: & sess. 21. cap. 2. *Perpetuò in Ecclesia fuisse auctoritatem circa sacramenta, salua eorum substantia* Inquam verò, vt sonant; quia confundunt, vt credo, illi auctores institutionem sacramenti, cum institutione cæremoniarum accidentalium adiacentium sacramento; & institutionem per auctoritatem, cum ministerio institutionis; Ideoque solis vocibus dissident à cæteris.

Ad 3. Rebus inanimatis sola collata est causalitas instrumentalis in gratiam. Ratio autem causæ instrumentalis, & ratio ministerij, quæ concessa similiter est puris hominibus, ad idem genus reducuntur, quatenus Minister est instrumentum animatum, & instrumentum est Minister inanimatus ex 5. Ethic. c. 2.

Ad 4. Obligationem moralem propriè dictam, & distinctam à necessitate metaphysica, nulla sua, aut alterius voluntate contrahere Deus vllo pacto potest, vt dictum est in quæst. 19. de Iustitia à §. *Neque verò*. Necessitatem autem metaphysicam aliquid faciendi, siue absolutam, siue conditionatam, vel potius quasi conditionatam sola sua voluntate imponere sibi potest; cum dominium eius physicum, & morale sit essentialiter supremum, ac vniuersale. Atque, quoad hæc, paritas ex domino temporali, & eius seruo; est nulla, vt patet. Quare Deus solum potuit velle conferre gratiam dependenter à voluntate creata, tanquam ab opponente conditionem aliquam, verbi gratia, designationem materiæ, & formæ; quæ tamen ipsa designatio, & positio conditionis non pertinuisset ad conceptum primarium, & principalem institutionis sacramentorum, vt dictum est. Sed neque illud verum est, Deum de facto commisisse voluntati creatæ, quidquid absolutè committere illi potuit. Nec enim commisit, quæ conuenientius fuit, vt non committeret. Ostensum verò est conuenientius fuisse, ne committeret designationem materiæ, & formæ. Iam Augustinus dum ex posse, & nolle infert inuidiam, loquitur de posse secundum optimum, & congruentissimum modum operandi; vt nihil dicam amplius in præsenti. Videatur, si placet quæstio 28. de Deo.

Ad 5. Solùm quatenus Deus, potuit Christus Dominus esse causa principalis conferens gratiam, & dimittens peccata, vt patet ex dictis. Quare quod dicitur Filium hominis habere potestatem dimittendi peccata, accipiendum est in sensu materiali secundum communicationem idiomatum, ratione cuius, quæ sunt Dei attribuuntur homini Christo; & è conuerso; atque Magdalenæ expressit exterius, vt homo, quod contulit interius, vt Deus, vel vtrobique intelligenda est potestas, & actio ministerialis, qualis conceditur etiam in institutione sacramentorum.

Ad 6. Christo patienti adscribitur in illis locis institutio, & existentia sacramentorum tanquam causæ meritoriæ, non verò tanquam causæ principali immediatè efficienti, & conferenti vim, ac robur per auctoritatem. Deinde non quidquid conuenit Christo, vt homini, est communicabile puro homini: quia Humanitas Christi ratione vnionis ad Verbum obtinet multiplicem excellentiam, tum in rebus aliis, tum in materia sacramentorum, minimè communicabilem puro homini. Qua de causa cum à D. Thoma, & communiter Deus dicatur causa institutionis sacramentorum per auctoritatem, Christus dicitur causa eiusdem per excellentiam; cæteri verò Dei, & Christi Ministri, dicuntur causæ puræ ministeriales separatæ.

## QVÆSTIO XI.

### *Vtrùm fuerit conueniens institutio Sacramentorum?*

VIdetur non fuisse. 1. Ex natura rei in genere. Quia per institutionem sacramentorum applicatur mens hominis rebus sensibilibus, & exercitationi corporali, quibus illa constant. Non est autem conueniens, mentem hominis applicari, & deprimi ad res sensibiles, & corporali exercitatione diuerti, sed potius euehi ad spiritualia, & intelligibiliter exerceri, iuxta illud Ioan. 4. 23. *Spiritus est Deus, & eos, qui adorant eum, in spiritu, & veritate oportet adorare*: & illud Apostoli 1. ad Tim. 4. 8. *Corporalis exercitatio ad modicum vtilis est*: ideest merito contemnitur. Eodem pertinet sententia illa Augustini lib. 2. de liber. arbitr. 19. *Res sensibiles sunt minima bona, sine quibus homo rectè viuere potest*. Ea autem sine quibus homo rectè viuere potest, nullam habent conuenientiam spiritualem, nec eis debet animus hominis applicari.

2. Ex determinatione materiæ, & formæ. Cum enim omnia sensibilia, eo fine facta sint, vt ducant in cognitionem, & amorem rerum spiritualium, iuxta illud ad Rom. 1. 20. *Inuisibilia enim ipsius à creatura mundi per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur*; non fuit conueniens; vt significatio, & repræsentatio gratiæ, aliorumque donorum spiritualium, & excitatio mentis, respectu considerationis eorum, restringeretur ad numerum determinatum paucarum rerum, & verborum; sed debuerunt promiscuè quibuslibet rebus, & verbis inesse pro libito cuiusque; sicut colligitur ex Genes. 28. à versu 18. contigisse in statu legis naturæ, quo est longè perfectior status legis

legis gratiæ, ideóque restrictior esse non debuit. Et præterea cum vnaquæque res, quo præstantior est, eo debeat nobiliori signo, & imagine repræsentari; atque gratia sit res nobilissima; non debuit eius significatio adiungi obuiis, & vilissimis rebus, vt sunt aqua, panis, & verba. Confirmatur, quia res sensibiles præstantissimæ maiorem habent similitudinem, & symbolizationem cum præstantissima forma gratiæ. Ergò eiusmodi potissimum assumi debuissent ad sacramentalem, ideſt symbolicam gratiæ significationem.

3. A posteriori. Non sunt conuenienter instituta, quæ mutari oportet; Sacramenta autem oportuit sæpè mutare; alia siquidem fuere pro tempore legis naturæ, & pro tempore legis scriptæ; & rursus alia ante, & post Christi aduentum. Ergò sacramenta non sunt conuenienter instituta saltem omnia.

4. A sufficienti partium enumeratione quo ad status naturæ. Certum namque primò est, pro statu puræ naturæ nulla futura fuisse sacramenta, aut vestigia sacramentorum; cum istorum institutio sit intrinsecè supernaturalis. Nulla similiter fuisse pro statu innocentiæ, nullaque futura fuisse eodem statu diutius durante, sententia est D. Thomæ, & communis, & meritò, quidquid renitatur Suarez, & ex parte Vasquez. Quia sacramenta sunt quædam medicinæ spirituales, quibus non indiget natura nondum patiens vllam ægritudinem, nec vllo vulnere sauciata, iuxtà illud Matth. 9. 12. *Non est opus valentibus Medicus.* Sed neque post peccatum ante Christi aduentum aliqua debuerunt esse sacramenta; quia omnia pendent à passione Christi tanquam à causa, vt dictum est in quæst. præcedenti. Effectus autem nequit existere antequam existat causa. Deinde, qui vtebantur sacramentis veteris legis, erant sub elementis mundi seruientes; iisque infirmis, & egenis, vt apparet ex 4. ad Galat. 3. & 9. Non est autem conueniens, hominem subesse seruituti elementorum mundi infirmorum, & egenorum. Denique post Christi aduentum sacramenta retineri nulla debuerunt. Quia veniente veritate debet cessare eius figura; vtpote, quæ iam superfluit. Sacramenta autem sunt quædam signa, seu figuræ gratiæ, & veritatis; atque gratia, & veritas per Iesum Christum facta est, qui venit plenus gratia, & veritate, vt habetur ex 1. Ioan. 14. & 27. Pro nullo igitur statu fuit conueniens sacramentorum institutio.

Art. 1. Respondetur. Principalis auctor institutionis sacramentorum est solus Deus, vt dictum est quæst. præcedenti. Quiquid autem diuinitus institutum est, conuenientissimum est; cum voluntas Dei sit regula totius conuenientiæ; neque quidquam facere Deus possit, quod non sit valdè bonum, ac proinde valdè summéque conueniens, iuxta dicta quæst. 28. de Deo. Elucet verò hoc, vel maximè in modo, quo Diuina prouidentia iuuat hominem per sensibilia ad cognitionem, & amorem intelligibilium. Cum enim homo ex sua natura hoc habeat, vt non possit quidquam cognoscere, nisi dependenter à sensibus, adeóque nisi mediantibus rebus corporalibus; nec magis possit ad suum finem, qui est summè spiritualis, peruenire, nisi eleuando se supra sensus, & sensibilia ad considerationem, & amorem rerum spiritualium; conuenientissimè vtique prouidit Deus homini iuxtà eius conditionem de tanta sensibilium copia talis naturæ, & cum tali inuicem ordine, vt peridoncè perducere eum valerent ad intelligentiam, & quasi conspectum bonorum inuisibilium, vt apparet ex verbis Apostoli nuper indicatis in Epistola ad Romanos.

Art. 2. Quia verò homo in statu puræ naturæ debuisset tendere ad Deum præcisè vt auctorem, finemque purè naturalem, & ad reliqua bona spiritualia purè itidem naturalia; atque ad horum intelligentiam, & prosequutionem ordinatur ex sua natura, & sufficit totus iste mundus visibilis, præcisè, vt est in se intrinsecè, & connaturaliter propterea nullis pro eo statu sacramentis, seu signis sensibilibus extrinsecè eleuatis indiguisset. Immò nec eis percipiendis fuisset idoneus; vtpotè nullo præditus supernaturali intelligentiæ lumine. Itaque pro eo statu fuissent loco sacramentorum omnes, & singulæ res sensibiles instruentes scilicet, ac perducentes ad finem naturalem eo prorsus modo, quo hominem supernaturaliter eleuatum, ac illustratum instruunt, & perducunt ad finem supernaturalem sacramenta, seu obiecta sensibilia supernaturaliter significantia.

Art. 3. Verum neque in statu eleuationis ante peccatum vlla fuit necessitas aut conuenientia sacramentorum. Ita enim homo creatus est rectus, vt partis superiori obedirent absque resistentia vires omnes partis inferioris, sensusque perfectè subessent imperio despotico rationis. Quia verò nullum obiectum sensibile potest aliquod præiudicium creare aduersus deliberationem, & electionem rationis, nisi per impressionem, ac motionem factam in potentiis sensitiuis; consequenter omnia sensibilia vsibus honestis etiam supernaturalibus sponte patebant pro eo statu, erantque sufficienter eleuata indirectè in finem supernaturalem per internam mentis vsque adeò dominatricis directam eleuationem, ac illustrationem supernaturalem. Nullis igitur signis sensibilibus supernaturali institutione eleuatis opus fuit pro statu innocentiæ; nec opus fuisset eodem diutius durante, & perseuerante in posteris Adæ; ac proinde non fuit, aut fuisset conueniens, vt aliqua pro eo statu sacramenta instituerentur. Quapropter, cum Deus ea sola subsidia pro vnoquoque statu de facto præstiterit hominibus, quæ eidem statui conueniunt, & maximè congruunt; non solùm nulla sacramenta de facto instituit pro statu innocentiæ, sed nec instituisset eodem diutius perseuerante. Constat nimirum ex dictis q. 15. de Incarnat. & alibi, euentus huiusmodi conditionatos, licet pendentes à sola libera Dei electione, habere determinatam veritatem ex vi decreti liberi diuini absolutè existentis, contrà quàm sentit Vasquez in præsenti controuersia.

Art. 4. Ob rationem contrariam oportuit, vt instituerentur sacramenta pro statu naturæ lapsæ, simulque eleuatæ. Rebellarunt nimirum vires sensitiuæ animi aduersus rationem propter peccatum, & cœpit *corpus, quod corrumpitur aggrauare animam* (leuem ex se, vt sursum ad spiritualia feratur;) *& terrena inhabitatio deprimere* (ad terrena, & sensibilia, vt in eis tanquam in centro, & fine subsidat) *Sensum multa cogitantem*, vt dicitur Sap. 9. 15. Vnde Apostolus exclamat 7. ad Rom. 23. *Sentio aliam legem in membris meis* (impressione vtique rerum sensibilium tyrannicè vexatis) *repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati.* Tanto igitur sensibilium prædominio post peccatum, & tantæ, versus illa, declinatati hominis lapsi, opportunum admodum remedium fuit, vt opponeretur aliquod sensibile spiritualizatum, cuius occursu ita roboraretur pars animæ superior aduersus assultus reliquorum sensibilium, vt mentali illius consideratione manu ducenti ad æterna, & corporali, circa idem, occupatione honesta, declinare suauius posset; tum otium, tum cogitationes de iisdem sensibilibus, quatenus caducitati obnoxiis, ac inde inutiliter, nocenterque detinentes; tum occupationes, circa alia exteriora, allicientes sola vtilitate, aut delectatione nihil conferenti ad vltimum finem, sed potius illum impedienti. Eiusmodi autem sensibile sacramentum, vt liquet ex quæst. 1. ac deinceps. Oportuit igitur superaddere

rebus sensibilibus, saltem aliquibus institutionem sacramentalem pro statu naturæ lapsæ.

Art. 5. Accedit, ruinam humani generis processisse ex obiecto sensibili tenuis ex se allicientiæ, sed cui potentissimam attrahendi vim adiecerat promissio diabolica apertionis oculorum, participationis diuinitatis, & scientiæ boni, & mali, vt habetur Genes. 3. 5. *Igitur, ars, vt artem falleret, & medelam ferret inde, hostis vnde laserat*, prout canit Ecclesia; oportuit reparationem humani generis fieri per obiecta itidem sensibilia, vtcunque ex se vilia, ac inefficacia, quibus tamen vis ingens, & efficacitas infallibilis accresceret ex diuinis promissionibus gratiæ, & visionis beatæ, quarum altera est participatio diuinæ naturæ, altera est plenitudo scientiæ. Alioquin enim maior fuisset astutia decipientis, ac perdentis nequitia, quàm sapientia instruentis, ac reparantis bonitas. Adhibuisset namque medium magis accommodatum conditioni, & inclinationi subiecti, nempe hominis sensibilibus addicti, simulque ordinati ad similitudinem cum Deo, cuius est imago; similitudinem verò maximè quoad scientiam, quæ est omnium diuinissimum, & cuius est insatiabilis appetitus in homine.

Art. 6. Accedit rursus, peccatum originale, vi cuius sensualitas prævalet supra rationem destitutam gratia, vt dictum est quæst. 9. & 12. de gr. deriuari ex Adamo in posteros per actionem corporalem humanæ propagationis. Ergo gratia, vi cuius ratio prævaleret supra sensualitatem, & restituitur (licet modo, & gradu longè imperfectiori, quam pro statu innocentiæ) in primæuum prædominium, debuit deriuari ex Christo secundo Adamo in filios adoptionis eius, per corporalem similiter actionem diuinæ regenerationis, augmentationis, & conseruationis, quæ fit per sacramenta. Vt nimirum id, & inde reponat reparatio, & operatio diuina, quod, & vnde aufert interitus, & operatio humana. Ob hæc igitur pro statu naturæ lapsæ, siquidem erigenda, ac reparanda erat, conueniens fuit sacramentorum institutio; ratione cuius res sensibiles in sacramentum assumptæ euadunt maxima bona, & vis, quam habent ex sua natura ad mentem deprimendam conuertitur in vim eleuandi eandē; & corporalis in eis exercitatio redditur summè vtilis, tametsi ex se æstimabilis non sit, vt patet ex dictis. Et apparet præterea ex verbis Concil. Trident. sess. 22. cap. 5. vbi occasione sacrorum Missæ rituum declarat sic: *Cumque natura hominum ea sit, vt non facilè queat sine adminiculis exterioribus ad rerum diuinarum meditationem sustolli propterea, &c.*

Art. 7. Idem confirmari luculenter potest ex frequenti doctrina Dion. præsertim cap. 2. de Cœlest. Hier. vbi inter alia paulò post principium dicit de natura nostra: *Eget accommodatis sibi, & cognatis adminiculis, quæ formas rerum, quæ formis carent, quas consequi possimus, nobis proponant.* Istud ipsum documentum suggerit sæpè in lib. de Eccles. Hier. vbi cap. 1. inter princ. & med. sic habet: *Nos autem exemplis, imaginibusque sensum mouentibus ad diuinas contemplationes, vt possumus, transferimur.* Et rursus propè finem. *Hierarchia nostra pro modo nostro signis continetur, cum egeat rebus, quæ sensus mouent ad diuiniorem nostri, ex ipsis, ad eas, quæ mente comprehenduntur, reuocationem.* Eodem pertinet, quod Augustinus in alium, sed affinem scopum supponit cap. 9. de catechiz. rud. nempe *plurimum valere ænigmatum latebras ad amorem veritatis acuendum, discutiendumque fastidij torporem*; inductum vtique per peccatum, per quod etiam hebetatus est ille amor. Obsequitur Dionysio, & Augustino adiuncta optima ratione D. Thomas 2. 2. quæst. 49. art. 1. ad 2. *Ideò autem necessaria est huiusmodi similitudinum, vel imaginum adinuentio: quia intentiones simplices, & spirituales facilius ex animo elabuntur, nisi quibusdam similitudinibus corporalibus quasi alligentur. Quia humana cognitio potentior est circa sensibilia.* Eiusmodi autem alligatio facta est efficacissimè per institutionem sacramentalem, quæ videlicet ex lucro sollicitum, & efficacius affectum reddit hominem circa eiusmodi signa sensibilia. Quam in rem audiendus est iterum ibidem D. Thomas dicens: *Tertio oportet, vt homo sollicitudinem apponat, & affectum adhibeat ad ea, quæ vult memorari. Quia quanto aliquid magis fuerit impressum in animo, tanto minus elabitur.* Cum igitur significatio practica sacramentorum vim istam imprimendi adiiciat quam maximam; patet institutionem eorum fuisse conuenientissimam pro statu naturæ lapsæ, ideoque difficillimæ, quæ ad spiritualia sollicitè, constanter, & effectuosè erigatur.

Art. 8. Conueniens porrò præterea fuit, vt non perseuerarent semper eadem sacramenta, sed instituerentur longè inter se diuersa, maiori cum perfectione, & minori numero posteriorum, quàm priorum; idque per trinam vicissitudinis seriem, iuxtà triplicem mutationem notabilium, & quoad mores hominum, & propinquitatem eorum ad Christum pro triplici magno temporis interuallo; Ab Adamo ad Moysem, à Moyse ad Christum, à Christo ad finem vsque mundi, vbi de facto diuina prouidentia disposuit. Tempus vsque ad Moysem legis naturæ: indè vsque ad Christum legis scriptæ, Mosaicæ, antiquæ; post Christum legis gratiæ, nouæ, Euangelicæ, Christianæ.

Art. 9. Tempore legis naturæ sub initia, mores hominum non vsque adeò desciuere à probitate, & fœlici conditione proximi status innocentiæ non indigentis vllo sacramento, vt dictum est; nec peccatum originale protinus vno velut impetu totum suum virus in operationes posterorum transfudit, ac propterea homines dirigi pro tunc sufficienter potuere per solas paternas traditiones, & interiorem instinctum diuinum. Quibus consonum fuit, vt remedium originalis positum esset tunc in actibus internis, præsertim fidei, quos exterius protestarentur per res, & actiones, quæ cuique magis ad id incommodatè viderentur, iuxta motionem interioris instinctus diuini. Quæ proindè res, & actiones eatenùs præcisè significarent, & dicerentur inducere abolitionem peccati, & infusionem gratiæ, quatenùs erant indices actuum internorum inducentium vtramque, & cum eisdem connectebantur, tanquam cum causis suis; nec alio sacramentorum genere opus fuit, cum diuina determinatione rerum præ aliis significantiorum, vel verborum, supra res additamento, vel cum maiori efficacitate, seu connexione cum gratia.

Art. 10. Sed progressu temporis interfectio peccati originalis, & dissolutio concupiscentiæ ruentes gradatim in deterius, eam tandem induxere corruptionem morum, & indè mentis cæcitatem, vt opus fuerit abolitam ex cordibus legem in tabulis exprimere, & animos instinctui purè interno inidoneos instruere externis gratiæ signis, speciali ad eam referendam, aptitudine à Deo electa, præditis, illaque commendare manifestatioribus promissionibus de Christo venturo, & de gratia post eius aduentum vberrimè conferenda per alia eiusmodi sensibilia signa, quæ simul forent causæ significatorum. Atque hic fuit secundus sacramentorum ordo pauciorum, & perfectiorum propter maiorem indignitatem generis humani iam non valentis vndelibet pro arbitrio indiscriminatim instrui, & indigentis efficaciori incitamento ad spem, & sollicitudinem donorum gratiæ; tum propter maiorem propinquitatem ad Christum, quem par erat maximè desiderantibus, & melius dispositis apparere.

Art. 11. Demum post aduentum Christi, & per Christum *alia instituta sunt sacramenta virtute maiora, vtilitate meliora, actu feliciora, numero pauciora* vt dicit Augustinus

Augustlib. 19. contra Faust. c. 13. Quia videlicet sacramenta, tam antiqua, quam noua instituta sunt dependenter à Christo, tanquam à causa eorum omnium meritoria, potente inducere præmium etiam pro tempore physicè antecedenti ad existentiam ipsius, vt dictum est in quæstione 41. de Incarnation. non minus quàm pro tempore sequenti. Cùm hoc tamen discrimine, quod pars præmij suprema, & vltima in vnoquoque genere, & ad quam reliquæ partes præmij, vt ad finem ordinantur, non potest existere tempore antecedenti ad meritum, sed debet ad ipsum etiam physicè consequi, vt ibidem notatum fuit. Ergò sacramenta nouæ legis existentia post Christi meritum, ad quæ ordinabantur anteriora sacramenta, debuerunt esse maiora, ac meliora. Deindè respectu institutionis sacramentorum nouæ legis exercuit Christus causalitatem præterea ministerialem, ac instrumentalem, vt superius dictum est. Effectus autem Ministri, & instrumenti nobilioris debet esse nobilior. Denique, vti dicebatur in superiori comparatione, malitia hominum fuit similiter longè maior sub finem temporis legis scriptæ, quàm sub initium, ideóque oportuit apponi remedium maius institutis sacramentis præstantioribus.

Art. 12. Sunt autem præstantiora Euangelica, non solùm quoad efficacitatem communicatiuam gratiæ de præsenti, & immediatè, sed etiam quoad significationem, & vim excitatiuam, instructiuam, ac illuminatiuam mentis humanæ; tum propter additamentum verborum, quæ tenent principatum in significando, tum propter delectum rerum habentium perfectissimam analogiam cum gratia sacramentali, vt innotescet in expositione singulorum sacramentorum. Hoc vnum modò notandum est illis omnibus commune, materias eorum, & formas significare perfectionem, & excellentiam gratiæ sanctificantis, non secundum se, & in abstracto, sed relatiuè ad subiectum, cui confertur sacramentum, & secundum munus, quod exercet circa ipsum dependenter ab vnoquoque sacramento; idque iuxta captum omnium vbique hominum; siquidem omnibus indiscriminatim consultum est sacramentorum institutione. Eiusmodi autem res, & voces, patet necessario esse viles, & notas idiotis etiam, & vsibus humanis circa curam corporis accommodatas; nec nisi paucas esse posse, quæ cum tanta vilitate simul habeant præstantissimam symbolicam proportionem cum effectibus formalibus circa animam.

Art. 13. Constat igitur, conuenientissimum fuisse; vt instituerentur sacramenta pro statu naturæ lapsæ, vt alia aliis succederent, iuxta diuersam hominum conditionem contingentem pro diuersis temporibus; sicut alia, & alia opera præscribuntur hyeme, & æstate cum laude vtrorumque; vt posteriora essent prioribus semper præstantiora; præstantissima verò post Christum, eaque ipsa de causa pauciora, & vilibus, ac vbique obuiis rebus deuincta. Atque per hæc simul cum cæteris, quæ præmissa sunt, satis patet ad obiectiones, quidque in illis concedendum sit, quid negandum, quid distinguendum.

---

## QVÆSTIO XII.

### *Vtrùm omnis, & solus viator sit idoneus minister Sacramentorum?*

VIdetur nec omnis, nec solus esse idoneus. 1. Quia Angeli, & animæ separatæ possunt exequi omnes actiones exequibiles ab homine viatore circa sacramentum. Possunt enim edere omnes verborum sonos, quos homo viator; & materias eodem prorsus modo, ac ipse, applicare, & exhibere. Causa autem potens exequi omnes actiones quas potest exequi alia causa; potest proculdubio, & effectus exequi omnes, quos eadem potest. Ergò sacramenta possunt perficere Angeli, & animæ separatæ non minùs, quam possit homo viator.

2. Communiter recipitur, vt vera narratio Nicephori lib. 11. cap. 20. de Amphilochio ab Angelis consecrato Episcopo, reliquis Episcopis eam ordinationem habentibus ratam. Quod fieri non potuisset, si Angeli non essent idonei Ministri.

3. Ex Suarez: In testimoniis sacris, ex quibus constat de ministerio sacramentorum hominibus commisso non exigitur conditio viatoris, nec fit vlla eius mentio. Ergò homo beatus, non minus, quàm viator in illis comprehenditur; siquidem vterque eandem intentionẽ concipere, & easdem actiones eiusdem infimæ speciei efficere possunt. Extant præterea multæ historiæ fide dignæ de huiusmodi ministerio beatorum. Ergò non solus viator est idoneus minister.

4. Homo rediuiuus, & inter mortales mortalis iterum constitutus est viator, sicut erat antequam moreretur; & nihilominus non est idoneus sacramentorum minister. Quod quidem videtur certum de iis sacramentis quorum administrandorum potestas est inseparabiliter coniuncta cum iurisdictione. Quia omnis humana iurisdictio expirat per mortem habentis illam, nec redit redeunte vita, vt fert communis, & certa scientia. De reliquis verò eadem videtur esse ratio, maximè cum potestas administrandi quoduis sacramentum, ad aliquod iurisdictionis genus, reducatur. Ergò non omnis viator est idoneus minister sacramentorum.

5. Multi præterea viatores excluduntur à ministerio sacramentorum; tum propter defectum physicum rationis, vt pueri, & amentes, quos certum est non posse sacramenta validè conficere; tum propter defectum moralem puritatis conscientiæ, quem patiuntur omnes peccatores, quos ab eo ministerio excludit illud Ecclesiast. 34. 4. *ab immundo quid mundabitur*: Mundat verò qui sacramentum ministrat, & peccator est immundus. Accedit neminem dare quod non habet; dant autem, qui sacramentum ministrant, gratiam, eandémque non habent peccatores.

Art. 1. Respondetur. Quandoquidem omnibus indiscriminatim substantiis rationalibus, & quibusuis seorsim, ac priuatiuè potuit absolutè committere Deus sacramentorum administrationem; quibus potissimùm de facto ea commissa sit ex vi præsentis institutionis, eruendum est ex testimoniis sacris, in quibus talis commissio continetur. Hæc autem testimonia ad solos homines diriguntur. Cum ipsis enim sermo erat, cùm diceretur circa Eucharistiam: *hoc facite in meam commemorationem*: circa baptismum: *docete omnes gentes baptizantes eos*: circa pœnitentiam: *quorum remiseritis peccata*: circa extremam-vnctionem: *inducat presbyteros*: de ordine, & confirmatione est eadem Ecclesiæ traditio: de matrimonio res est clara, cum eius ministri sint ipsi contrahentes. Solis igitur hominibus delegata est per institutionem præsentem potestas perficiendi, ac ministrandi sacramenta. Eandem restringi ad solos viatores satis colligitur ex iisdem testimoniis, vtpotè directis ad homines viatores, in quorum persona non possunt absque speciali mentione subintelligi, ac repræsentari Beati, vtpotè pertinentes ad rempublicam diuersam, & diuersæ conditionis, & sub diuersis institutis existentes, nec spectantes ad sensibilem nobiscum societatem, & mutuam communicationem, ad quam pertinent sacramenta,

Art. 2. Idem innuit, vt aduertit Cardinalis de Lugo,

illud ad Cor. 11.26. circa Eucharistiam : *Mortem Domini annunciabitis, donec veniat* : ideſt dum durat ſtatus viatoris, & illud Iac. 5. 14. circa extremam vnctionem : *inducat præsbyteros Ecclesiæ*, & rurſus : *oratio fidei ſaluabit infirmum.* Vbi exigitur miniſter, qui ſit præsbyter Eccleſiæ militantis, & capax fidei, cuiuſmodi eſt ſolus viator. Eodem pertinet, vt ſubiungit Meracius, paritas ex poteſtate offerēdi ſacrificia, quam ſolis viatoribus collatam eſſe colligitur ex 5. ad Hebræos 2. Præmiſſo enim Pontifice potente offerre ſacrificia, hæc eius additur conditio ; *Qui condolere poſſit iis, qui ignorant, & errant ; quoniam, & ipſe circundatus eſt infirmitate.* Quod ſoli conuenit viatori. Eadem autem eſt ratio de ſacramentis; quæ videlicet pro iiſdem inſtituta ſunt, pro quibus, & ſacrificia.

Art. 3. Iam verò nullus vtriuſuis ſexus viator, dummodò ſit rationis compos, quam conditionem manifeſtè præſeferunt ſuperiora omnia teſtimonia, & natura ipſa rei: Nullus inquam excluditur ab adminiſtratione omnium penitus ſacramentorum; licet pro aliquibus peculiares præterea conditiones requirantur, de quibus dicetur circa ſacramenta in particulari. Igitur iuxta præſentem inſtitutionem, & ex natura rei omnis, & ſolus viator, eſt idoneus miniſter ſacramentorum ſecundum communem, & genericam rationem ſacramenti.

Ad 1. Pro æquali poteſtate circa effectus morales pendentes ab alterius voluntate, & commiſſione non ſufficit poteſtas æqualis ad eaſdem omnes actiones phyſicas. Sacramenta autem ſunt effectus morales, & eorum miniſter pendet à voluntate, & commiſſione Dei.

Ad 2. Supponitur à Nicephoro eam conſecrationem fuiſſe factam inuiſibiliter, ac inſenſibiliter. Quare nullum ibi interuenit ſacramentum formaliter, ſed tantum æquiualenter, & quoad ſacramenti effectum. Deindè vt ſacramentum etiam formaliter interueniſſet ex vi inſtitutionis, & commiſſionis vniuerſalis reuelatæ toti Eccleſiæ, ſed ex noua inſtitutione, & commiſſione ſpeciali facta à Deo per prouidentiam extraordinariam determinatè pro illo euentu. Quod nihil probat contra concluſionem; quæ videlicet procedit de miniſtro ordinario habente facultatem ex vi præſentis inſtitutionis, quatenùs manifeſtatæ vniuerſaliter Eccleſiæ. Altero ex his duobus modis exponendæ ſunt etiam hæ hiſtoriæ, quæ inſinuantur in tertio. Et vniuerſim concluſiones Theologicæ habentes fundamentum in doctrina Eccleſiæ reuelata, non ſunt ſtatuendæ iuxtà hiſtoricas narrationes auctorum particularium, ſed hæ potiùs ſunt accipiendæ, ac diiudicandæ iuxta illas.

Ad 3. Iam apparuit in teſtimoniis ſacris fundamentum excludendi Beatos, eoſdémque, licet poſſint concipere, & exercere eaſdem phyſicè intentionem, & actiones, quas poſſunt viatores, non tamen poſſe eaſdem moraliter, & quoad effectus morales.

Ad 4. Homo rediuiuus retinet, ſicut ſi mortuus non fuiſſet, quæ ſibi ante mortem inerant dependenter à ſola voluntate Dei, cuius nimirùm intuitus, & intentio complectuntur æqualiter omnes temporis differentias, & caſus; licet non retineat, quæ inerant cum aliqua immediata dependentia à voluntate hominis; cuius videlicet intentioni quoad ea, quæ vitam hominis reſpiciunt, ita mors limites præſcribit, atque ſi poſſibilis nullatenùs eſſet reditus ad vitam. Datur enim hominibus mutua facultas circa res eiuſmodi ſibi connaturali, ideóque deuincta ſoli durationi ipſorum naturaliter contingenti. Quapropter redit cum vita poteſtas perficiendi, ac miniſtrandi ſacramenta, & iuriſdictio, ſeu quaſi iuriſdictio, quæ inerat ante mortem dependenter à ſola voluntate diuina inſtituente eadem ſacramenta; licet non redeat iuriſdictio, & poteſtas connexa cum iuriſdictione, quæ inerat cum dependentia à voluntate etiam, & intentione humana. Cognita porrò iſta ratione differentiæ in genere facile cuiuis, ac obuium eſt deducere conſequentias circa ſingula.

Ad 5. Quoad primam partem; viator non intelligitur in concluſione, vt patet ex eius fundamentis, qui talis ſit ſolùm negatiuè, & paſſiuè, ideſt non habens finem ſuum, & potens habere per actionem alterius; ſed poſitiuè, & actiuè, id eſt potens tendere ad finem ſuum per proprios actus, ideóque compos rationis. Quoad alteram partem certum eſt ex fide ſacramentum poſſe validè perfici à peccatore, & immundo, vt conſtat ex Tridentino ſeſſ. 7. can. 12. de ſacramentis, & tuentur Bellarminus, Suarez, & alij in præſenti. Quare locus Eccleſiaſtici accipiendus eſt de mundatione ex opere operantis, & per ſe, non ex opere operato, & per ſacramentum, in quo diuina virtus ſecretius operatur. Vel dicatur τὸ *ab immundo*, eſſe ibi neutrius generis pro re immunda. Iam qui aliquid non habet; poteſt nihilominùs illud dare, vt miniſter habentis; & ſic dat gratiam miniſter perficiens ſacramentum. Eſt enim in ea re miniſter Dei, qui eſt principalis auctor gratiæ.

## QVÆSTIO XIII.

### *Vtrùm intentio miniſtri de ſeria exequutione externa ſufficiat ad valorem ſacramenti.*

VIdetur ſufficere. 1. Quia ad valorem contractuum & cuiuſuis alterius actus legitimi, ſufficit ſi exterius hæ actiones præſententur ſeriò, quæ pro illis perficiendis præſcribuntur ; tametſi fiant ficto animo, dummodò fictio ſit purè interna. Ergò idem etiam ſufficiet ad valorem ſacramenti; quandoquidem committitur homini humano modo perficiendum, & per quendam quaſi contractum de conferenda gratia quoties tales actiones ſenſibiles exhibitæ fuerint.

2. Ad exiſtentiam cuiuſque effectus pendentis ab aliqua conditione, eæ tantum voluntates, & actiones requiruntur, quæ ſufficiunt ad ponendam conditionem, eáque poſita ad ponendum effectum. Gratia autem, quæ per ſacramenta confertur, pendet tanquam à conditione ab exteriori materiæ, & formæ exhibitione, quæ ſolæ ſunt ſenſibiles, atque ad poſitionem iſtarum ſufficit voluntas miniſtri terminata ad ipſas ſecundum ſe, eiſque poſitis ſufficit ſimiliter ſola Dei voluntas ad ponendam gratiam. Ergò nulla alia ſpecialis intentio requiritur ex parte miniſtri.

3. Si adhibitis materia, & forma, omnibúſque actionibus exterioribus requiſitis ad perficiendum ſacramentum; fieri nihilominùs poſſet, vt illud euaderet nullum, eiuſque effectus ſuſpenderetur ob defectum alicuius ſpecialis intentionis purè internæ ex parte miniſtri; nemo poſſet vnquam eſſe certus de ſacramento re ipſa validè ſuſcepto, & de gratia per ipſum obtenta. Quod eſt magnum inconueniens, vtpotè auferens conſolationem fidelium, cuius intuitu inſtituta ſunt ſacramenta; ipſamquè rationem ſacramenti, quæ conſiſtit in collationis gratiæ ſenſibilitate, repugnante, vt patet, dependentiæ eiuſdem gratiæ ab aliquo purè interno, & nullatenùs apparente exterius.

4. Baptiſmus ab Athanaſio puero pueris aliis adminiſtratus per iocum, approbatus fuit ab Alexandro Patriarcha Alexandrino, & S. Gineſius recipiens baptiſmum in theatro mimicè, & ad contemptum Eccleſiæ catholicæ, commonitus fuit ab Angelo de efficacia illius aquæ ad remiſſionem peccatorum, atque per ipſam iuſtificatus de facto fuit; vt referunt ex probatis

auctor

auctoribus Ægidius Conink, Cardinalis de Lugo, & alij in præsenti, & quod caput est, August. lib. 7. de baptismo contra Donatistas c. 53. ad med pronunciat *verum eos habere baptisma, qui fallaciter datum, fallaciter accepere.* Ergò sufficit ad valorem sacramenti qualiscunque voluntas, ac intentio ministri terminata ad actiones exteriores secundum se præcisè: & nequidem hoc requiritur, vt externa seriedas exequutionis intendatur.

Art. 1. Respondetur. Certum est ex fide ad valorem sacramenti requiri ex parte ministri intentionem saltem faciendi, quod facit Ecclesia. Sic enim expressè definit Concilium Tridentinum sess. 7. c. 11. de Sacramentis. Eodem pertinet decretum Florentini productum q. 3. art. 2. Manifestum autem est hunc modum describendi intentionem, quæ necessaria est in ministro complecti necessariò aliquam specialem voluntatem, vltra eam, quæ siue serio, siue per iocum feratur in prolationem verborum, & exhibitionem materiæ, vt sunt in se præcisè secundum suas entitates, & prædicata purè naturalia. Hæc enim sunt eatenùs manifestiora, quàm vt exponi deberent per id, quod facit Ecclesia, tanquam per prædicatum conuertibile notius. Indignum deindè est à Concilio generali, speciali canone, definiri hominem præsertim compotem rationis, vt faciat aliquid in sua præcisè actione exteriori consistens, indigere intentione idipsum secundum se faciendi. Constat denique ex Bellarmino, & aliis eo canone damnari Lutherum minime negantem necessitatem intentionis earum actionum secundum se, sed cuiusquam præterea alterius specialis, quàm adesse Ecclesiæ supponitur à Concilio.

Art. 2. Ratio eius apud vtrumque Concilium decisionis est. Quia ad valorem sacramenti requiritur ea, vt minimum perficientis intentio, quæ necessaria est ad verificandam significationem verborum, & actionum, quas exercet. Cùm enim sacramenta operentur significando, & quatenùs significant, si significatio sit falsa, operatio erit nulla. Præterea sacramenta non possunt perfici ab homine, nisi quatenus est minister Dei, & nomine Dei operatur. Nequit autem operari, vt talis, dum mentitur, quia Deus nemini committit, vt mentiatur, ideóque mendacium nequit proferri à ministro Dei operante, vt minister eius est, & eius nomine, exque eiusdem commissione; ex qua tamen sacramentum perficitur, & perfici validè non potest, nisi dependenter ab ea. Significatio autem verborum, & actionum sacramentalium verificari non potest, si non detur in ministro, nisi sola intentio exequutionis externæ secundum se, siue ludicrè ea, siue seriò intendatur. Quia verba sacramentalia, & actiones illis adiunctæ significant effectum sacramenti, quatenùs pendentem, & procedentem ab eius ministro, non vt à puro exequutore actionum exteriorum, sed insuper, vt à causa voluntariè, & liberè illum conferente per peculiarem propriam potestatem.

Art. 3. Quod quidem in sacramento pœnitentiæ est perquam manifestum. Hæc enim verba; *Ego te absoluo*: non solùm naturaliter significant loquentem, esse auctorem, & exequutorem eorum, & habere voluntatem ea exequendi; sed insuper significant ad placitum eundem dare effectum liberationis à peccatis, & habere veram efficacem voluntatem intentiuam, & inductiuam talis effectus. Ergò si minister solùm habeat voluntatem, ac intentionem ea verba proferendi, & nihil amplius; eorum significatio non poterit euadere vera. Obseruatum hoc, & luculenter declaratum est à Trident. sess. 14. c. 6. de pœnit. sub finem. *Quamuis*, ait *absolutio sacerdotis alieni beneficij sit dispensatio, tamen non est solum nudum ministerium, vel annunciandi Euangelium, vel declarandi remissa esse peccata; sed ad instar actus indicialis, quo ab ipso velut à iudice sententia pronunciatur; atque ideò non debet pœnitens adeò sibi de sua ipsius fide blandiri, vt etiamsi, illi nulla adsit contritio, aut sacerdoti animus seriò agendi, & verè absoluendi desit, putet tamen se, propter solam suam fidem, verè, & coram Deo esse absolutum.* Vnde optimè deducitur sine animo seriò agendi, ac absoluendi non sequi veram, coram Deo, absolutionem. Quia sententia veluti à iudice pronunciatur, verbo vtique significante adesse voluntatem absolutoriam veluti iudicis. Idem apparet in forma baptismi: *Ego te baptizo* Hoc enim verum esse non potest, si dicenti non adsit animus inducendi, quantum est ex se effectum mundationis. Eadem est ratio de reliquis sacramentis, déque eorum significatione, ex vi institutionis diuinæ; atque de matrimonio præsertim res est clarissima.

Art. 4. Vltima resolutio huius discursus, & conclusionis est in testimonia, quibus quæstione præcedenti constitit de ministro idoneo ex vi præsentis institutionis. Indè enim apparet istud ministerium non esse puræ exequutionis, quale est ministerium tabellionis, aut præconis intimantis, seu legem, seu sententiam Principis; sed veræ cooperationis, & causalitatis moralis, complentis vltimò, accessione liberæ voluntatis auctoritatiuè, causam adæquatam effectus intenti à superiore, atque ab eodem commissi arbitrio inferioris; quale est ministerium procuratoris ad contractus, aliósque actus legitimos translationis dominij, & rerum. Hoc enim significat illud: *quorum remiseris peccata*, & similia. Eodem pertinent testimonia iam ante expensa 1. ad Cor. 4. *Sic nos existimet homo, vt ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei*: & 2. ad Cor. 2. *Quod donaui, si quid donaui, propter vos in persona Christi donaui.* Quæ & similia eum in scopum pronunciat Apostolus, vt concludat reuerentiam, quæ maxima esse debet erga ministros Dei, iuxta illud ad Galat. 4. 14. *Sicut Angelum Dei excepistis me, sicut Iesum Christum.* Dimittere autem peccata, dispensare mysteria Dei, donare munera gratiæ, & tanta propterea susципiendus reuerentia, non potest propriè, & absolutè dici minister puræ exequutionis exterioris, in quo solum desideratur voluntas aliquid exterius, vtcunque præstandi, & non etiam, vt interiori consensu, & intentione speciali, circa effectum per actionem exteriorem obtinendum, valorem huic impertiatur in ordine ad illum inducendum.

Art. 5. Certum igitur est in ministro sacramentorum requiri pro eorum valore intentionem specialem circa ipsorum effectum, vltra voluntatem, siue per iocum, siue etiam seriò exequendi actiones exteriores præcisè secundùm entitatem, & prædicata ipsarum purè naturalia; atque oppositum huius, quoad sufficientiam quidem intentionis exequendi præcisè actiones exteriores, etiam iocaliter, & cum fictione exteriùs, manifesta est hæresis Lutheri manifestè damnata, vt iam apparuit à Concilio Tridentino. Quoad sufficientiam verò intentionis seriò faciendi, quod facit Ecclesia, non absolutè, vt dicit Concilium, cum Florentinum, tum Tridentinum, sed cum hac limitatione, *exterius*, absque alia vlteriùs intentione, aut etiam cum alia simul intentione non faciendi validum sacramentum, nec inducendi eius effectum; licet sit sententia Catherini, Paludani, atque vt videtur, Salmeronis, aliorúmque quorundam; non tamen videtur satis tuta ob ea, quæ dicta sunt, vti merito censent Cardinalis de Lugo, Meracius, Tannerus, & alij in præsenti.

Art. 1. Ad 1. Negatur in primis antecedens, quia dominia rerum transferibilia per contractus acquiruntur, & conseruantur interna voluntate illas habendi vt suas, cooperante lege, vt dictum est quæstione 3. de iustitia. Vnde non amittuntur, nec transferuntur

feruntur, dum perseuerat eadem voluntas, nec succedit voluntas, ac intentio contraria, quæcunque demum alia voluntas, aut actiones exteriores interueniant; nisi lex, in pœnam fraudis, & ob communem pacem, ac tranquillitatem, suppleat sua dispositione nullitatem contractus, præstétque per se ipsam effectum translationis dominij, quem præstare debuisset voluntas contrahentis conformis verbis, & inde dependens valor contractus.

Art. 2. Distinguitur deindè antecedens, eóque transmisso quoad contractus vtrinque onerosos, negatur quoad contractus, seu quasi contractus liberalis donationis. Quia de liberali donatione nemo, aut vix vllus dubitat, quin valida esse non possit absque vera interna donatione donandi superaddita à donante indiciis eius extrinsis. Omnis lex, iúsque ipsum naturæ fauet liberæ cuiusque voluntati circa res suas, saltem dum neminem lædit iniustè; esto peccet contra veracitatem, aut fidelitatem mentiendo. Donatio autem gratiæ per sacramenta est absolutè liberalis, & gratiosa ex parte Dei, & consequenter ex parte ministri, quatenùs operantis nomine Dei, comparatione suscipientis sacramentum. Distinguitur rursus idem antecedens, & dato valore donationem exterius manifestatam per procuratorem absque interno eiusdem consensu, quando eadem valitura foret facta eodem modo à delegante ipso per se immediatè, negatur valere posse talem donationem per procuratorem, si eius principalis nullam talem donationem facere possit immediatè per se ipsum, aut valitura non foret facta immediatè per eundem. Quia procurator sicut vices subit sui principalis, ita & conditiones induit eiusdem, dum operatur, vt procurator, & quatenùs respicit actionem & effectum actionis sibi commissum. Minister autem sacramentorum est procurator Dei, cuius constat nullam externam donationem, aut esse simpliciter, aut validam esse posse absque vera interna intentione donandi. Quia fallere non potest, & omnia essentialiter pendent immediatè, & non tantum mediatè ab eius, circa vnumquodque reali voluntate, ac intentione.

Art. 3. Transeat denique antecedēs de contractibus & quasi cōtractibus vtrinque humanis, & negatur consequentia. Discrimen est, quia licet inter homines verba significantia consensum internum, etiam dum is reipsa non adest, possent loco cōsensus haberi, & perindè valere se solis, atque coniuncta cum reali interno consensu, quia homines non possunt ad internam animi dispositionem, cognitione vicissim peruadere; ideóque oportuisset, vt nulla interni consensus reipsa existentis, vel non existentis, ratio haberetur; vtque Deus, vtens prouidentia humanæ conditioni accommodata, voluisset lege sua mutuas hominum obligationes inducere dependenter à solis signis externis liberè exhibitis ab ipsis quoad ea, in quibus operarentur nomine proprio, aut alterius hominis; alia tamen longè ratio est de Deo, & homine inuicem comparatis, necnon de homine agente nomine Dei, & circa rem, aut actionem, ita propriam Dei, vt nullius hominis sit propria, nec eius voluntati principaliter subiecta. Patet namque Deo cor hominis, & ad interna immediatè peruadit eius cognitio, iuxta illud 1. Reg. 15. 17. *Dominus autem intuetur cor*; ideóque apud ipsum non potest habere locum æquipalentia exterioris significationis, & interioris voluntatis; aut fictio iuris vtramuis perindè valere iubens. Qua de causa verba significantia votum internum directum ad solum Deum nullam inducunt obligationem, nisi adsit reipsa interior intentio, ac voluntas se obligandi; idque est indubitatum apud omnes. Eadem igitur de causa minister sacramenti, ad quem pertinet determinare Deum, actione, & voluntate sua, ad conferendam gratiam, quæ est donum ipsius Dei, nihil efficiet, nullámque inducet obligationem, seu quasi obligationem, ac determinationem Dei ad illam conferendam, si non adsit interna voluntas faciendi, quod dicit. Quia Deus intuetur cor, eiusque rationem habet quoad ea, quorum præstatio spectat ad ipsum secundum se.

Ad 2. Iam constitit, ministrum sacramentorum non esse ministrum puræ exequutionis externæ, velut instrumentum inanimatum, sed esse cooperatorem liberum Dei, & eius Vicarium, ac procuratorem. Quapropter ad sacramentalem collationem gratiæ, non habent rationem conditionis, sine qua non, seu potiùs concausæ instrumentalis, actiones exteriores, & voluntas eas secundùm se præstandi, sed prout coniunctæ cum voluntate, ac intentione præstandi effectum ipsum gratiæ sacramentalis.

Art. 1. Ad 3. Incertitudo aliqua de obtenta gratia habetur etiam de ea, quæ obtinetur ab vnoquoque per solos suos actus. Nunquam enim certus omninò esse potest, exercitos eos fuisse, prout oportet, & sufficit ad obtinendam gratiam. Quid igitur mirum si adsit eadem incertitudo circa gratiam obtinendam dependenter ab alterius, & sua simul operatione, ac dispositione? Deindè sicut potest minister suspendere interius intentionem conferendi gratiam, & faciendi validum sacramentum; ita etiam facile potest addere exterius, vel detrahere vnam, aut plures syllabas mutantes sensum verborum, quin id coniiciat, qui suscipit sacramentum; ideóque is non poterit esse omninò certus, saltem vt plurimum de effectu sacramenti sequuto, seu non petito per ministrum, tametsi ponatur, nullam eiusdem specialem intentionem esse necessariam.

Art. 2. Immò, quia vt habetur Eccles. 9. 1. *Nescit homo, vtrum amore, an odio dignus sit*; atque huius ratio, vt ibidem mox adiungitur, est *eo quod vniuersa* (vtique sensibilia, & naturaliter certo cognoscibilia) *æquè eueniunt iusto, & impio; bono, & malo; mundo, & immundo; immolanti victimas, & sacrificia contemnenti*: atque Prouerb. 28. 14. *Beatus*, dicitur, *vir, qui semper est pauidus*; eadémque incertitudo apertè colligitur ex Tridentino sess. 6. can. 9. à can. 12. de Iustific. atque eam in rem multa fortiter vrget Suarez tom. 3. de gr. lib. 9. capit. 9. & 10. Quia, inquam, hoc ita se habet, ea ipsa de causa certitudinis totalis de obtenta gratia impossibilis haberi in hac vita, iuxta legem ordinariam; dicendum potiùs est, infusionem gratiæ non esse infallibiliter deuinctam solis secundum se actionibus exterioribus liberè exercitis à ministro, quæ vt sic certò cognoscibiles sunt adhibita diligentia.

Art. 3. Cæterum quoddam certitudinis moralis genus, de suscepta gratia per sacramenta, abundè sufficiens ad maximam fidelium consolationem in eorum frequentatione, haberi potest etiam iuxta nostram sententiam: tum quia probitas ministri sæpè fundat specialiter talem certitudinem administrationis cum debita intentione; tum quia vix vnquam occurrere potest motiuum vtilitatis, aut delectationis temporalis, quod ministrum etiam scelestissimum determinare sufficiat ad exercendas actiones sacramentales cum serietate exteriori, quin intendat finem, ob quem instituta sunt sacramenta, & quem intendit Ecclesia; cùm ad concipiendam istam intentionem adsit motiuum per se maximum peccandi lethaliter, si eam omittat, & velit ficto animo administrare, atque mentiri.

Ad 4. Propter abundantiam sanguinis sinceri, & vacuitatem prauarum cogitationum, coniunctas cum nimia cerebri humiditate, non solum hilariter, sed cum quadam insuper ioculatitatis imperfectione, actiones

actiones exteriores, vt plurimum exercent pueri, etiam eas, quarum vlteriorem intelligibilem, ac spiritualem effectum verè intendunt, maximéque desiderant; atque ita contigisse credendum est in baptismate Athanasij imitantis ioculariter adultos, simúlque verè intendentis quidquid ipsi intenderent, ac perficerent. Iustificatio Sancti Genesij fuit miraculosa, & præter ordinarium prouidentiæ modum, nec est ex se credibilior eo loci, & temporis idonea dispositio suscipientis illud baptisma, quàm intentio ministri necessaria, Dicatur igitur; vel adfuisse nihilominùs vtramque in vtroque ex peculiari Dei instinctu, & motione efficaci, vel Sanctum Genesium iustificatum fuisse, aut tunc per solam contritionem, aut posteà per solum Martyrium. Nec enim omninò constat ex historia, vter ex his iustificationis modus interuenerit. Denique August. fallaciter datum, & fallaciter acceptum dicit baptisimum, non quod sine vera, miniméque ficta intentione, sed quod sine fide datur, & accipitur, vt liquet clarè ex contextu.

## QVÆSTIO XIV.

### *Vtrùm intentio sufficiens, & insufficiens ad valorem sacramenti differant necessariò ex parte obiecti?*

VIdetur, quod non. 1. Quia simplex propositum nullam inducens obligationem, & votum eandem inducens non differunt necessariò ex parte obiecti, ad quod directè feruntur; siquidem vtrumque concipi potest de eodem omninò opere præstando, & ex eodem prorsus motiuo, ac proindè differunt, vel certè differre possent, per solam supra se reflexionem diuersam; quatenùs actus, quo simpliciter proponitur aliquid faciendum vult se non esse obligatorium; actus verò, quo idem vouetur, vult se esse obligatorium. Ergò sola simili supra se reflexione sufficienter etiam inter se distinguentur intentio conferens valorem sacramento, & quæ eundem non confert.

2. Simplex apprehensio, & iudicium ab illa dependens nullam inter se distinctionem sortiri possunt ex diuersitate obiecti ab ipsis distincti. Quia quidquid cognoscitur per iudicium, necessariò supponitur præcognitum per simplicem apprehensionum. Quapropter solùm differre possunt ex diuerso modo tendendi, quatenùs iudicium repræsentat componendo, aut diuidendo idem obiectum, quod simplex apprehensio repræsentat incomplexè. Ergò intentio sufficiens, & insufficiens ad valorem sacramenti differre solum poterunt ex solo modo tendendi absque vlla obiecti diuersitate.

3. Constat ex quæstione præcedenti intentionem insufficientem terminari posse ad materiam, & formam, & actiones serias circa vtramque. Nullum autem apparet obiectum, quod præter hæc adiicere, aut debeat, aut possit intentio sufficiens. Nam velle conferre gratiam non est necessarium; tum quia sacramentum potest validè perfici etiam ab infideli nullam habente cognitionem gratiæ supernaturalis, tum quia ad ponendam causam alicuius effectus à parte rei, non est necesse velle formaliter effectum eius, atque sacramentum est causa gratiæ. Nec illud satisfacit præscriptum à Conciliis supra; velle facere, quod facit Ecclesia. Quia nondum liquet, in quo differat ex parte rei, quod facit Ecclesia, ab eo, quod non facit, siue vltra quod facit; siquidem nullum est discrimen quoad exteriora, & per se sensibilia. Iam velle operari nomine proprio, vel alterius scilicet Dei, aut Christi, quò recurrit Eminentissimus de Lugo, tanquam in terminos notissimos, & nemini ignoratos, obscurum reuera est quoad conceptum metaphysicum, nec facile extricatur cum quiete intellectus, vt apparet ex eodem auctore, disputat. 3. de Incarnation. sect. 5. vbi operosè nititur exponere eos terminos. Satius igitur est, atque omninò necessarium dicere intentionem sufficientem ad valorem sacramenti, non necessariò habere obiectum distinctum ab obiecto, cuiusuis intentionis insufficientis, sed ab ea differre ex solo modo tendendi.

Respondetur. Constat ex quæstione præcedenti, Ministrum sacramenti non posse habere intentionem sufficientem ad eius valorem, nisi habeat sufficientem ad significationem eiusdem verificandam, & rursus sacramento significari gratiam, vt dispensatam, & donatam à ministro sacramenti, tanquam à causa libera, ac voluntariè cooperante ad existentiam gratiæ remittenti peccata, & reconcilianti cum Deo, vel simpliciter, vel secundum augmentum reconciliationis. Patet autem actionem inductiuam alicuius effectus essentialiter, & intrinsecè constitui, per intentionem eiusdem effectus, in ratione dispensationis, & donationis, & liberæ, ac voluntariæ cooperationis, remissionis peccati, & reconciliationis; neque denominari quemquam posse dispensantem, & donantem liberè, ac voluntariè aliquid cooperantem ad existentiam eius, remittentem peccatum, & reconciliantem cum aliquo; nisi hæc omnia verè intendat, nec ea eueniant purè per accidens respectu intentionis eius. Ergò intentio ministri sufficiens ad valorem sacramenti necessario terminatur, vt ad obiectum proprium, non solùm ad actiones exteriores circa formam, ac materiam, sed etiam ad gratiam vt inducendam per illas à ministro easdem exercente, quatenùs minister Dei est. Ergò intentio sufficiens, & insufficiens differunt necessariò ex parte obiecti distincti realiter ab vtraque nempe intentioni complectenti totum obiectum, quod explicatum, & concluſum modò est necessarium, nihil deesse potest in ratione intentionis, quominus inducat atque constituat validum sacramentum.

Ad 1. Actus inter se similes, quatenus tendunt directè in obiectum distinctum realiter ab ipsis, non possunt euadere dissimiles inter se ratione vllius supra seipsos reflexionis. Quia actus reflectentes supra se comparantur secum, quatenus directè tendunt ad obiectum realiter distinctum ab ipsis, non secus ac comparantur, quatenus directi sunt cum eodem obiecto realiter ab ipsis distincto. Ergò tam impossibile est actus, quatenus reflexos, euadere inter se dissimiles, si supponantur similes inter se, quatenus directi sunt; quam est impossibile, illos esse dissimiles inter se, quatenùs directi sunt, si obiecta ab ipsis realiter distincta sint inter se similia; Nempe, vt reflexiui sunt, feruntur in seipsos, vt directi sunt, atque ex seipsis specificantur; sicut feruntur in obiecta realiter distincta, atque ex eisdem specificantur, vt directi sunt. Quare negatur antecedens. Vouens enim vult amissionem vltimi sui finis, seu beatitudinis, si faciat oppositum voti. Vult enim se obligari in conscientia; atque obligari in conscientia consistit formaliter in amissione conditionata vltimi finis. Proponens autem simpliciter, id ipsum non vult, quia non vult se obligare in conscientia; quod idem discrimen redditum, & fusius expositum est in quæstion. 21. de act. hum. ab art. 6. circa præceptum, & consilium.

Ad 2. Quod est modus essendi in rebus purè physicis, est modus tendendi in intentionalibus, quare sicut

ſicut dicere duas aliquas entitates purè phyſicas eſſe diuerſas ex modo eſſendi nihil eſt dictu, & perindè valet ad intelligentiam rerum, de quibus agitur, atque ſi præcisè diceretur eſſe diuerſas, ſeu alteri earum ineſſe aliquid, quod non ineſt alteri, atque oportet hoc aliquid vlteriùs determinate, ac explicare, vt aliquid vtiliter agatur; ita etiam nihil eſt dictu, duos actus, ſeu intellectus, ſeu voluntatis differre inter ſe ex modo tendendi, reſpondetur enim per genus, quando quæritur de ſpecie. Quod attinet ad ſimplices apprehenſiones, ac iudicium ab eis dependens, certum eſt differre realiter ex parte obiecti inadæquati, quia iudicium vltra obiectum ſimplicium apprehenſionum, cognoſcit ipſas ſimplices apprehenſiones, earúmque, & ſui conformitatem cum obiecto, ſiquidem illi aſſentiatur, prout in iiſdem apparet; ſi verò diſſentiatur, cognoſcit earundem cum eodem diſconformitatem. Qui enim aſſentitur, vel diſſentitur obiecto ſibi propoſito, neceſſe eſt, vt indiuiſim feratur in idem obiectum, & eius propoſitionem, & vt vtrumque inuicem conferat. Videatur D. Thomas prima part. q. 16. art. 2. cap. ad med. & 1. 2. quæſtion. 17. art. 6. cap. & ad 1. Iſtæ igitur paritates, aliæque ſimiles, de quibus longum eſt dicere in particulari, ſunt potiùs vtiles ad diſtinctionem intentionum, de quibus diſputatur ex parte obiectorum, pro qua tamen diſtinctione, data eſt ſpecialis ratio pro re noſtra.

Ad 3. Iam aſſignatum eſt obiectum intentionis ſufficientis ad valorem ſacramenti realiter ſuperadditum vltra materiam, & formam, & actiones circa vtramque. De reliquis, quæ ibi adiunguntur innoteſcet quæſt. ſeq. Hoc vnum obſeruandum modò eſt; non poſſe poni à parte rei cauſam proximam effectus habentis rationem liberæ, ac voluntariæ diſpenſationis, remiſſionis, ac reconciliationis, & non potentis exiſtere ſine hac ratione, & denominatione; quin intendatur ipſe effectus ſecundum ſe. Quia ab huiuſmodi ſolum intentione rationem illam formalem, ac denominationem ſortiri poteſt. Oſtenſum autem eſt miniſtrum ſacramenti eo modo poſſe, & non aliter conferre gratiam.

## QVÆSTIO XV.

### *Vtrùm ſufficiat ad valorem Sacramenti intentio ſolum virtualis, vel habitualis illud perficiendi?*

VIdetur vtramuis ſufficere vtcumque conceptam. 1. Quoad virtualem, tum quia intentio virtualiter in ſe continens intentionem formalem, habet virtutem eandem, quam habet formalis, eidémque æquualet; tum quia infidelis poteſt validè perficere ſacramentum, vt dictum eſt ſuper ex Auguſtino, nec poteſt in dubium reuocari; & tamen non poteſt infidelis concipere intentionem formalem, aut conferendi gratiam, aut perficiendi ſacramentum; vtpotè nullam habens explicitam cognitionem donorum ſupernaturalium, inſtitutionis ſacramentorum, aut gratiæ. Habitualem verò ſufficere conſtat: tum in genere, quia voluntas actualiter ſemel habita, & non retractata æſtimatur interim pro actuali, eoſdémque vniuerſaliter effectus morales ſortitur, ac ſi actualiter ſemper adeſſet: tum in particulari, quia voluntas applicans valorem ſactificij, aut aliorum operum, in finem determinatum, ſortitur effectum applicationis, dummodò non retractetur, tametſi actualiter non adſit, dum perficitur ſacrificium, aut opus meritorium. Eadem autem videtur eſſe ratio de voluntate perficiendi ſacramentum, & exequendi actiones exteriores ad illud pertinentes, eo fine; vt ipſum perficiatur validè, atque effectus eiuſdem obtineatur.

2. Pro ſufficientia tam virtualis, quàm habitualis intentionis adeſt conſideratio magni ponderis, nimirum ex quo miniſterium ſacramentorum commiſſum eſt hominibus, videri acceptatum eſſe, vt ſufficientem modum operandi humanum familiarem, ac ordinarium. Modus autem operandi ordinarius apud homines eſt, vt fines præſertim eos, quorum explicita, ac formalis apprehenſio eſt difficilis, & valdè abſtracta, intendant implicitè tantum, ac virtualiter; vtque poſt illos ſemel præintentos, actiones deindè exteriores ordinatas ad ipſos exequantur abſque actuali ad eoſdem aduertentia. Ergò hic modus operandi credendus eſt ſufficiens pro valore ſacramenti.

3. Idem vrgetur ab inconuenienti: Quia ex oppoſito ſequeretur, nimium frequenter ſacramenta perfici inualidè, propter imbecillitatem, & facilem diuerſionem mentis humanæ, impotentis proindè moraliter, vt formaliter, & actualiter, explicita, ac immobili ſemper intentione feratur in finem ſpiritualem operis exterioris præſertim ſupernaturalem, & vſque adeò eleuatum; atque eſt infuſio gratiæ.

Sed contra eſt quoad intentionem virtualem. Quia qui vult cauſam neceſſariam alicuius effectus, eo ipſo vult virtualiter ipſum effectum, tametſi eius intentio non attingat eundem immediatè. Sacramentum autem eſt cauſa neceſſaria gratiæ; & dictum nihilominus eſt quæſt. præcedenti neceſſariam eſſe pro eius valore intentionem quæ immediatè feratur in gratiam. Ergò non ſufficit intentio virtualis.

Contra ſimiliter eſt, quoad habitualem. Quia intentio miniſtri debet eſſe cauſa actionum exteriorum ſacramentalium, eas inducens vi ſua. Intentio autem habitualiter tantum perſeuerans nullam poteſt exercere cauſalitatem mouendi, & applicandi potentias exteriores.

Art. 1. Reſpondetur. Intentio virtualis, & habitualis non vſurpantur eodem ſenſu ab omnibus, nec ab iiſdem ſemper. Indigent proindè diſtinctione, & expoſitione. Intentio, quæ dicitur virtualis, & implicita reſpectu alicuius obiecti, aut prædicati, neceſſario eſt formalis, & explicita reſpectu alicuius alterius obiecti, aut prædicati. Similiter quæ habitualis eſt, completur in ratione talis per aliquid actuale, tunc actualiter exiſtens, cum illa habitualiter exiſtit. Quidquid enim verè dicitur, dicitur vtique per enunciationem formaliter, & actualiter veram, ideóque habentem obiectum quod formaliter, & actualiter ſit verum in ſe pro ea duratione, pro qua ſignificatur per eandem enunciationem; quandoquidem veritas enunciationis dependet à veritate obiecti, prout enunciatur per ipſam. Conſiſtit enim eſſentialiter in conformitate cum obiecto; in eo videlicet, vt obiectum habeat in ſe veritatem, tranſcendentalem, & entitatiuam, qualem habet intentionalem, & repræſentatiuam in cognitione. Omnis igitur cognitio formaliter, & actualiter vera habet obiectum formaliter, & actualiter verum in ſe pro ea duratione, pro qua per ipſum repræſentatur, ac enunciatur; ac proindè habet obiectum, quod formaliter, & actualiter detur à parte rei pro eadem duratione. Quia vnumquodque ita ſe habet ad verum, ſicut ſe habet ad eſſe, vt habetur ex Diuo Thoma 1. par. quæſt. 14. art. 9. & 10. atque vt dicit Ariſtoteles 2. Met. text. 4. diſpoſitio rei in eſſe eſt, ſicut ſua diſpoſitio in veritate. Vnde nihil poteſt eſſe veritatis intentionalis, aut fundamentum, aut terminus, aut complementum, quin ſit in ſe formaliter, habeátque formaliter, & actualiter in ſe eſſe, quale enunciatur

ciatur de ipso,& habet in cognitione sui vera.Omnis igitur intentio, tum virtualis,tum habitualis,est, tum formalis intentio alicuius, tum actualiter aliquid.

Art. 2. Contingit verò intentionem aliquam esse virtualem respectu alicuius obiecti. Primò , quia intendit realiter aliquid realiter ab eo distinctum , sed connexum intrinsecè cum eodem ; ratione cuius connexionis trahentis secum necessariò suum terminum perinde æstimatur ipsum velle , ac terminum secundùm se. Istud porrò ita connexum potest esse aliquid , vel antecedens , vel consequens , vel concomitans respectu sui termini. Antecedens, vt causa necessaria respectu sui effectus : Consequens , vt effectus respectu suæ causæ vnicæ : Concomitans,vt pars materiæ minor minima naturali respectu alterius compartis.Intentio sufficiens respectu sacramenti non potest esse virtualis respectu eiusdem , ex eo quod sit formalis intentio alicuius antecedentis connexi cum sacramento , vel cum gratia , quæ est eius effectus. Quia valor sacramenti constituitur intrinsecè , vt dictum est supra per ipsam intentionem liberam ministri ; cum qua proinde nihil eandem antecedens potest habere connexionem necessariam. Gratia verò, quæ ad sacramentum consequitur , debet esse præintenta seorsim , & non tantum in causa , vt patet ex quæst.13. quatenus voluntas ministri constituitur, in ratione sufficientis ad perficiendum sacramentum, per ipsam gratiæ secundùm se intentionem. Sed neque sufficit vniuersaliter, vt intentio terminetur formaliter ad aliquid consequens secundùm se.Quia non est de ratione sacramenti , vt sit causa vnica determinatè necessaria ad existentiam effectuum, qui ex ipso procedunt,vt dicetur quæst.28. Ea nihilominus sacramenta , quorum aliquis effectus vnicè dependet ab iisdem, qualis est character , erunt virtualiter intenta per intentionem formalem talis effectus ; eadémque sufficiet, vt validè illa perficiantur : Si quid erit concomitans similiter connexum , eius quoque formalis intentio similiter sufficiet.

Art. 3. Contingit secundo , intentionem esse virtualem de aliquo, quia est formalis circa prædicatum identificatum realiter cum illo , & conuertibile cum eodem.Certissimè autem est sufficiens ea virtualis intentio, quæ formaliter intendit aliquid identificatum cum sacramento valido,atque cum eo intrinsecè connexum , ac conuertibile. Quia constat ex Conciliis indicatis eadem quæst.13. sufficere,vt minister intendat facere,quod facit Ecclesia. Quod autem facit Ecclesia , non est conceptus explicitus sacramenti , aut collationis sensibilis gratiæ,vt patet ; est tamen prædicatum conuertibile cum iis , & realiter identificatum. Quia Ecclesia vult facere actiones exteriores sacramentales ad eum finem , quem edocta est à Christo , vt intendat , ac inducat per illas. Nomine namque Ecclesiæ intelligitur multitudo hominum in hunc modum addicta Christo;tum vniuersaliter,dum absolutè profertur;tum in particulari, quoad aliquod opus,dum comparatur cum eo. Consequens verò inde est, similiter sufficere, si minister intendat exercere easdem actiones. Primò,iuxta Christi, seu intentionem, sed institutionem. Secundò , vti solent fieri à bonis,seu Ecclesiæ, seu Christi ministris. Tertiò,vt omne bonum obtineatur , quod Deus illis actionibus deuinxit. Quartò , vt prosint ei , circa quem exercentur , quantum prodesse possunt iuxta Dei præsentem voluntatem,ac prouidentiam,vel quantum ille idem legitimè intendit. Quintò , qui solitus est facere eas actiones cum aliqua , ex his , intentione, vel alia similis æquiualentiæ multipliciter possibilis , sufficiet , si formaliter tantum intendat facere, quod solet ipse facere. Atque hæc,in exemplum, sufficiant.

Art. 4. Vnum addo ; sufficere , si quis formaliter intendat exequi actiones eas exteriores in nomine Dei,aut Christi, vel quatenus est eius minister. Quia sicut minister hominis , per eiusmodi formalem voluntatem, virtualiter vult, vt acquisitio dominij , aut pondus obligationis, cuius est inductiua actio , quam exercet,illi cedat,aut illum grauet, cuius est minister, & non se,aut sibi : vtque actio à se exercita sortiatur effectum, quem sortiretur, si eam per se , & sine dependentia ab alterius voluntate exequeretur is, cuius ipse est minister : ita minister Dei incapacis , qui grauetur , aut lucretur, si formaliter intendat exequi actionem exteriorem in nomine Dei,aut Christi, aut quatenus est eius ministeri,eo ipso intendit virtualiter, vt sua actio prosit illi,circa quem exercetur,quantum Deus , & Christus voluit , vt prosit eidem, vtque sortiatur effectum,qui est cõformis vtriusque intentioni, ac voluntati. Hæc videlicet sunt , quæ proportione seruata , apprehenduntur re ipsa , & intenduntur ab operante , dum operatur formaliter, vt minister, aut nomine alterius. Huiusmodi porrò intentionem aliquam concipere facilè potest , etiam vtcunque rudis, immò,& infidelis. Quia,licet non habeant cognitionem explicitam , & certam rerum supernaturalium; habent tamen facilè implicitam cognoscendo explicitè prædicatum aliquod conuertibile cum illis , vt apparet in exemplis positis.

Artic. 5. Iam habitualis intentio finis consistens in sola dispositione animi actualiter existente , vi cuius si in mentem veniret talis aliquis finis, proculdubio intenderetur actualiter , non sufficit ad validum sacramentum. Quia intentio , ad hoc sufficiens est causatiua gratiæ , dispensatiua , donatiua , &c. vt dictum est supra. Intentio autem , quæ existeret , & non existit , nihil potest causare , dispensare , donare , &c. sed posset. Eadem ratione non sufficit intentio aliquando habita , & tantùm non retractata, solúmque perseuerans per actualem existentiam eorum , quibus impeditur retractatio , & speciei impressæ , aut dispositionis habitualis ; aut memoriæ relictarum ab ipsa. Quia intentio hoc tantum pacto perseuerans,nec mediatè, nec immediatè est causa actionum exteriorum , quæ tempore , ad illius secundùm se existentiam , consequenti , exequutioni mandantur. Siquidem potentiæ exteriores , intentionem tempore , seu breui , seu longo priorem, percipere , aut vllum ab eadem , secundùm se impulsum , accipere nequaquam possunt ; & illæ aliæ tres qualitates non sunt actiuæ per se, & motiuæ respectu earumdem potentiarum. Hinc à fortiori concluditur non posse sacramentum validè perfici per actiones exteriores exercitas tempore somni , aut ebrietatis ; tametsi antecesserit intentio formalis , siue conditionata, siue absoluta de perficiendo sacramento,eaque fuerit formaliter concepta ex præcognitione experimentali de exercendis eo tempore actionibus exterioribus sufficientibus, quantum est ex se, ad sacramentum. Quia , in vtroque casu , eiusmodi intentio se habet purè materialiter respectu exequutionis hic , & nunc talium actionum. Quæ videlicet eodem modo exercendæ forent ; tametsi nulla talis intentio deliberata , & propriè humana præcessisset ; aut etiam præcessisset intentio contraria de non perficiendo sacramento. Quare actiones exteriores taliter circumstantionatæ nullam iam retinent vim significandi intensionem interiorem legitimam , siue præsentem , siue præteritam.

Art. 6. Supereſt igitur , vt ea solum intentio habitualis sufficiens dicatur , quæ non est purè habitualis;sed cui, præter existentiam præteritam,& præsentem non retractationem,adiungatur aliqualis intentio actualis aliquo modo illam in se continens propter

intrinsecam aliquam relationem, & propter aliquam simul reflexionem supra eandem; & imperans, atque inducens vi sua actiones exteriores sacramentales. Huiusmodi intentio est: velle operari in ordine ad finem præintentum. Nolle actionibus iam inceptis nouum motiuum adiungere; velle constantiam propositi in tali opere: Velle illud absoluere, provt inchoatum fuit; velle insistere cœptis, seu progredi in eisdem, aut plenariè satisfacere priori animi inclinationi. Quibus sunt alij similes quamplures, supra priorem intentionem, reflectendi modi, eandem in se virtualiter continentes, & inuicem æquiualentes, iidémque vsque adeò familiares, & tam facilè insinuabiles animo post præmissam iam deliberationem, & intentionem directam finis, vt vix percipiantur, aut veniant sub experimentalem notitiam, distinctam, & claram. Cæterùm ratio manifesta conuincit potentias exteriores non posse moueri, aut applicari de nouo ad opus, aut continuare suas actiones, quin illis imperet actualiter tunc existens, vel noui motiui noua intentio, vel præexistentis continuatio, seu repetitio, vel formalis, vel virtualis modo dicto.

Artic. 7. Noua noui finis intentio impertinenter se habens ad priorem intentionem non sufficit ad valorem sacramenti. Quia tunc prior intentio nullatenus influit in actiones tempore posteriori exercitas, neque istæ ab illa mediatè, vel immediatè dependent. Immò vix fieri potest, vt talis noua intentio non excludat, ac retractet priorem intentionem; Tum quia nouum motiuum, siquidem intenditur absque vlla attentione ad motiuum præcedens, intenditur vt adæquatum positiuè, & negatiuè, adeoque excluditur, & retractatur prior intentio. Tum quia, qui omittit, nec actualiter vllo modo intendit motiuum, cuius intentionem significant verba, & actiones exteriores, quibus deliberatè se applicat; id vtique facit volendo fingere, ac mentiri, adeoque idem motiuum reiiciendo, & retractando eius intentionem, si præcessit. Necesse igitur est, vt vltra intentionem præteritam, & non retractatam, adsit actualiter intentio alia ratificatiua illius, eiusdémque saltem virtualiter iteratiua aliquo ex modis supra insinuatis; vi cuius, per se ipsam applicantis potentias inferiores, inducantur actiones exteriores sacramentales, vtpote habentes, ab eadem sic influente valorem, ac vim illatiuam gratiæ.

Art. 8. Vnde apparet, quare intentio offerens valorem sacrificij, aut aliorum operum in finem determinatum, non necesse sit vt actualiter adsit per se, vel per aliam intentionem intrinsecè continuatiuam, ac contentiuam ipsius, quando sacrificium peragitur, vel meritoria eliciuntur. Quia videlicet intentio purè applicatiua, non est causatiua valoris, quem offert, seu applicat, & effectus, quem immediatè intendit, ponitur à parte rei per voluntatem alterius; in cuius proinde præuisione sufficit, vt actualiter perseueret intentio applicatiua, quando exequutioni mandantur actiones exteriores, seu interiores habentes aliunde valorem. Oppositum huius accidit in intentione conferente valorem sacramento, seu sacrificio, vel operi meritorio, vt patet ex dictis Ex quibus etiam patet quid dicendum sit ad ea, quæ pro vtraque parte dicta sunt, aliquid vtrisque concedendo, aliquid negando.

## QVÆSTIO XVI.

### *Vtrùm intentio conditionata sufficiat ad valorem sacramenti?*

VIdetur non sufficere. 1. Quia materiæ, & formæ sacramentorum, maximè verò formæ: *Ego te absoluo: Ego te baptizo*: significant absolutè, atque ad verificandam significationem absolutam non sufficit intentio conditionata. Dictum autem est q. 13. non sufficere, ad valorem sacramenti intentionem, quæ non sufficit ad verificandam significationem sacramentalem.

2. Non valet sacramentum sub hac conditione, si cras peccabis, vel etiam non peccabis; si abusurus es sacramento, vel è contra, & similibus. Idem communiter censetur de his: si es prædestinatus: si Deus scit te non peccaturum esse cras, te lecturum, pugnaturum, & sic de similibus. Eadem autem videtur esse ratio, de quauis alia conditione.

Art. 1. Respondetur. Certum primo est, non reddi nullum sacramentum per appositionem cuiusuis indiscriminatim conditionis de præterito, aut præsenti. Nam cap. 2. de Baptismo consulitur, vt ij, de quibus dubitatur an iam fuerint baptizati, baptizantur sub hac conditione, & expressione: *Si non es baptizatus*, nec dubitatur valere sacramentum: *Ego te baptizo, si es homo viator: Ego te absoluo, si habes characterem baptismalem.* Certum secundo est valere sub quauis conditione necessaria ex sua natura; vt *si cras Sol lucebit*, quia intentio sic conditionata perinde æstimatur, atque omninò absoluta, & vtraque infert suos effectus eodem modo. Intentio namque conditionata, data conditione, redditur absoluta; atque conditiones ex sua natura necessariæ iam dantur. Licet enim Sol crastinus modò non luceat; modò tamen datur, quod lucebit; idque est notum omnibus. Quæ ratio notitiæ est omninò necessaria, vt mox dicetur in tertia illatione. Certum tertio est, quauis per ministrum apposita conditione, eáque non subsistenti, sacramentum reddi nullum. Quia hoc beneficium dispensat minister liberè, quando, quomodo, & cui vult, vt superiùs dictum est. Quare ipso nolente facere quidquam, aut præstare, nisi sub tali conditione, si ea non subsistat, nihil fit, aut præstetur.

Artic. 2. Hinc colligitur: Primò sacramentum sub conditione impossibili esse nullum. Quia talis conditio nunquam subsistit. Colligitur secundo intentionem conditionatam conditione redeunte in ipsam intentionem; id est habentem se ipsam pro conditione mediatè, vel immediatè non sufficere ad valorem Sacramenti. Quia talis conditio est impossibilis in ratione conditionis. Fieri namque non potest, vt intentio distinguatur realiter à se ipsa, aut vt existat independenter à se ipsa, quatenus determinante formaliter voluntatem ad dandam sibi existentiam. Est verò de ratione conditionis, vt distinguatur à conditionato, & eius intentione, vtque existat independenter ab eadem intentione. Dicitur autem intentio habere se ipsam pro conditione immediata quidem, quando apponit pro conditione aliquod prædicatum secum reipsa identificatum; mediatè verò cum apponit pro conditione intentionem aliam realiter distinctam à se, sed quæ ipsam vicissim apponat pro conditione. Quibus profectò modis nemo Sacramentum aut quidquam aliud vnquam intendit. Discutiunt tamen ex professo sic intendentem nonnulli subtiles Theologi in præsenti, quibus præiuit Suarez tom. 3. in 3. p. disp. 13. sect. 3. ad 3.

Art. 3.

Art. 3. Colligitur denique appositio, pro conditione; aliquo contingenti ignoto, aut non certè noto, siue præteritum id sit, siue præsens, siue futurum, siue diuinum, siue creatum, Sacramentum esse nullum. Quia conditio ignota, aut non certò cognita est impossibilis ratione Sacramentalis significationis, seu complentis Sacramentalem significationem. Nempe Sacramentum pendens à conditione ignota, aut dubia nullatenus ducere potest, aut non nisi incertè, ad cognitionem collationis gratiæ; cum tamen sit de essentia Sacramenti, vt, quantum est de se, ducat in cognitionem illius, eámque certam. Quod liquet ex superiùs positis, & patebit magis quæstione 26. Quia verò ignorantia & incertitudo per se datur in nobis respectu futuri contingentis, & connexorum cum ipso; propterea quæstio communiter proponitur de eiusmodi contingenti, & de connexis cum eodem. Cæterùm ratio nullitatis Sacramenti ex eadem, vt iam satis apparuit, siue intentioni, aut formæ: *Ego te absoluo*, adiiciatur; *si cras dabis eleemosynam*; *si Deus scit te daturum*, *si es prædestinatus*: siue adiiciatur; *si stellæ sunt pares*: *si Deus scit ita esse*; siue adiiciatur; *si Titius heri hora septima fecit actum contritionis*; & sic de similibus. Nempe, omnibus eiusmodi conditionibus, vtpote æquè ignotis, aut incertis, æqualiter suspenditur, ac aufertur vis certa significandi practicè collationem gratiæ; ac proinde, & essentia Sacramenti.

Art. 4. Videtur autem probabilius Sacramentum valere sub qualibet eius generis conditione, si perficienti, & suscipienti Sacramentum adsit notitia certa; quod ea conditio subsistat. Existenti enim huiusmodi certitudine, nihil officit conditio collationi gratiæ, eiusdémque significationi, & perceptioni; perinde namque subsequitur, ac percipitur collatio gratiæ, siue intendatur, ac dicatur: *Ego te absoluo*; sine addito, siue cum hoc addito: *Si Antichristus seducet multos*: *si est reprobus*: *si Deus id scit*. Nec obstat adfuturam esse nihilominus Antichristo libertatem, vt neminem seducat, vtque non reprobetur. Quia ea libertas, ac potestas simpliciter antecedens est coniuncta de facto cum necessitate consequenti oppositi; atque hæc necessitas est intrinseca Sacramento, quod intentum, & perfectum sit, vti modo dictum est. Quare Antichristus habebit solam potestatem simpliciter antecedentem, ne illa certitudo data fuerit, & consequenter ne Sacramentum validè perficeretur dependenter ab illa, nec gratia ex eodem taliter administrato obtineretur; non verò ne Sacramentum validum absolutè perficeretur cum tali conditione, neve gratia Sacramentalis absolutè conferretur. Ex quo patet quid dicendum sit circa nonnullas difficultates de abusu gratiæ Sacramentalis impedienti conditionem de facto appositam Sacramento, & consequenter eius valorem, atque illationem gratiæ. Idem enim dicendum est circa hoc, quod dictum est circa Antichristum.

Art. 5. Vt vt autem hoc habeat: certum est grauiter peccare ministrum apponentem, sine graui causa (quæ vix vnquam occurrere potest) conditionem aliquam non necessariam ad validum Sacramentum, iuxta naturam ipsius. Quia in re graui sine graui causa deludit fideles, si conditionem apponit occultè, si palam scandalizat substantiali nouitate ritus & vtrouis modo exponit Sacramentum periculo frustrationis; nec gerit se, vt fidelis minister Christi, & Ecclesiæ; dum alterat formulam præscriptam Sacri Ministerij sibi commissi. Igitur eas tantum conditiones expressè apponere licet, quæ tametsi non exprimantur, virtualiter includuntur in ipsa rei natura. Communis hinc obseruatio in præsenti est, ministrum matrimonij posse, tum validè, tum etiam licitè adiicere huic Sacramento omnes conditiones siue de præsenti, siue de futuro, quæ licitè, & validè opponerentur in puro contractu. Quia materia, & forma sensibilis est eadem pro Sacramento, & contractu, & vtraque habet rationem materiæ respectu rationis formalis Sacramenti. Quæ videlicet vtramque extrinsecè denominat, & vltimò complet in ratione Sacramenti. Quare hoc Sacramentum, tunc demum perficitur, & vltimo completur intrinsecè, cum omnes conditiones requisitæ ad valorem contractus iam sunt positæ à parte rei; tametsi aliquæ fuerint tempore posteriores, quàm intentiones ministrorum, & earum causalitas ac motio physica. Quod in aliis Sacramentis accidere minimè potest. Quia in illis conditiones appositæ pro libito à ministro non pertinent secundùm se ab substantiam Sacramenti, nec rationi illius formali subiiciuntur, tanquam materia designata à Christo Domino, vti subiiciuntur conditiones contractus matrimonij; ideoque valor, & substantia aliorum Sacramentorum suspendi, ac differri non potest vsque ad tempus positionis conditionum de futuro; vti potest in matrimonio.

Ad 1. Licet materiæ, & formæ Sacramentorum habeant modum significandi absolutum; subintelliguntur tamen conditiones, quas secum afferunt ex sua natura res significata, & res significantes: quales conditiones sunt in quouis Sacramento dispositio, ex parte suscipientis, necessaria ad effectum Sacramenti ipsi communicandum? & ex parte ministri potestas perficiendi; in Sacramento non iterabili, non fuisse prius susceptum idem Sacramentum, & sic de aliis. Atque eiusmodi conditiones, nil interest, an explicitè adhibeantur, an subintelligantur implicitè. Aliæ verò conditiones vlterius adiunctæ ex arbitrio ministri, non omnes corrumpunt substantiam significationis absolutæ, sumptæ moraliter, & iuxta communem hominum apprehensionem, ac æstimationem, vt apparet ex his quæ præmissa sunt.

Ad 2. Patet ex dictis quænam distinctio, adhibenda sit circa eiusmodi conditiones de futuro contingenti, vel de præsenti connexo cum tali futuro, nec admittendos esse, aut reiiciendos omninò auctores, vel affirmantes, vel negantes circa illas, absque tali distinctione.

## Qvæstio XVII.

### *Vtrùm Sacramentum possit esse validum existentibus in ministro intentionibus contrariis?*

Videtur non posse. 1. Quia volente Caio matrimonium contrahere cum Sempronia, & non cum alia, simúlque volente contrahere cum Titia præsente, existimata Sempronia, sacramentum est nullum, tametsi accesserit consensus vicissim verbis expressus. Videtur autem eadem esse ratio de quouis alio sacramento, & de quauis alia oppositione intentionum. Ergo sacramentum nunquam validè perfici potest existente in ministro intentionum contrarietate.

2. Corpore in oppositas partes simul impulso, nullus sequitur motus localis. Ergo nec animo oppositis intentionibus huc, & illuc simultaneè distracto, vllus vnquam in vlla materia effectus moralis sequetur. Nempe, quod est impulsus in corpore, est volitio, ac intentio in animo.

3. Nemo nolens, absoluit, donat, &c. validè, quæ tamen præstat, qui perficit sacramentum. Ergo sit

habeat nolitionem perficiendi sacramentum, & dandi eius effectum perficiet sacramentum nullum, tametsi habeat intentionem simul contrariam, eò vel maximè, quia malum ex quocunque defectu, ideoque nolitio perficiendi sacramentum prævalebit contrariæ volitioni, quoad inducendum malum nullitatis.

Art. 1. Respondetur. Intentiones contrariæ de perficiendo, & non perficiendo sacramento possunt adesse ministro, vel simultaneè pro eo instanti, pro quo, per imperium voluntatis, vltimò determinantur potentiæ materiales ad actiones exteriores sacramentales; vel successiuè, nempe altera pro eo instanti, altera ante idem instans. Siquidem aderunt simultaneè, adeoque ferentur ad obiecta non explicitè, & formaliter, sed implicitè tantum, ac realiter contradictoria; videndum est vtra intentio sit appretiatiuè maior seu volitio, seu nolitio sui obiecti. Ea namque prævalebit, & sortietur euentum sibi conformem, quæ ita maior fuerit. Quia, respectu intentionis appretiatiuè minoris, habet rationem causæ ignorantia conuertibilitatis realis inter prædicatum, ad quod fertur talis intentio, & prædicatum, ad quod fertur intentio appretiatiuè maior; eadémque ignorantia est purè comitans respectu intentionis appretiatiuè maioris. Vnde intentio appretiatiuè minor est inuoluntaria secundùm quid, cùm, quæ est appretiatiuè maior, nullatenus sit inuoluntaria, sed plenè, ac totaliter voluntaria; atque ex conceptu intrinseco vtriusque intentionis verificatur, quod si taliter intendenti adesset cognitio conuertibilitatis, inter vtrumque illud prædicatum, oppositа illi ignorantiæ, sola mãsura esset in ipso intentio appretiatiuè maior, excludendáque foret per eandem cognitionem intentio appretiatiuè minor. Quæ sunt certa, ac conspicua, ex dictis in quæst. 10. act. human. Manifestum autem est prævalere intentionem perfectè, & adæquatè voluntariam intentioni, in qua voluntarium est admixtum inuoluntario, & illam quæ sola nititur præsenti cognitione, illi, quæ nititur cognitione vt coniuncta cum ignorantia, & illam demum, quæ accedente cognitione incompossibilitatis inter vtramque, sola permansura esset in voluntate ex sua natura, & conditione intrinseca, illi, quæ ex sua itidem natura euanesceret vi eiusmodi cognitionis.

Artic. 2. Quapropter casu, quo quis exequeretur actiones exteriores requisitas ad sacramentum baptismi intendens operari iuxta Christi voluntatem, ac intentionem; simúlque nolens subiicere baptizatum Pontificiæ potestati, quia existimat hæc duo esse inuicem separabilia, miniméque inter se conuertibilia, sacramentum valeret, si adhæsio animi erga Christi voluntatem, ac intentionem esset maior absolute, quam auersio aduersus Pontificiam potestatem. Si autem accideret è conuerso sacramentum esset nullum. Idem dicitur de aliis eiusmodi, quia pluribus Semper enim intentio appretiatiuè minor, est virtualiter conditionata, & moraliter nulla comparatione intentionis appretiatiuè maioris. Quod si contingat vtramque intentionem esse æqualem appretiatiuè, sacramentum erit nullum perinde atque si nulla adfuisset intentio circa prædicata propria sacramenti. Quia neutra alteri prævalere poterit, vt inducat effectum aliquem moralem.

Art. 3. Si verò altera intentio fuerit prior tempore, & altera posterior. Semper prævalebit, quæ est tempore posterior. Non præcisè, quia posterior retractat priorem, ac aufert permanentiam eius habitualem. Hoc enim deficere potest in intentionibus, quæ non opponuntur ex parte obiecti formaliter, & explicitè; sed realiter tantum, & implicitè: Verum quia actiones exteriores recipiunt valorem, & inualiditatem moralem ex eo actu interiori, vi cuius existunt, seu qui est ipsorum causa, non verò ab eo, qui de facto se habeat per accidens, respectu existentiæ ipsarum. Patet autem intentionem posteriorem causare de facto actiones exteriores, mouendo vi sua potentias materiales, non verò priorem tametsi habitualiter perseueret, dummodò purè habitualiter perseueret. Atque hoc est quoad rem præsentem manifestum, cuiuscunque demum conditionis, & naturæ, seu reflexionis sit vtralibet intentionum. Nulla namque ratione fieri poterit, vt actiones exteriores sacramentales non procedant à sola intentione posteriùs existente, atque ab eadem specificentur moraliter.

Ad 1. Hoc est speciale in sacramento matrimonij, quod saltem vt plurimum adhæsio animi ad personam præconceptam est appretiatiuè maior, quàm ad aliam personam physicè præsentem existimatam eandem cum priore, & quàm ad valorem contractus, & sacramenti hîc, & nunc. Quia plurimum interest contrahentis habere personam præconceptam, & non impediri, quoad hoc, per contractum sacramentalem cum alia. Ideoque error personæ annullat per se hoc sacramentum, cuius contrarium per se accidit, ob contrariam rationem, in reliquis sacramentis. Cæterum omnibus sacramentis, est commune, vt euadant nulla, si intentio ministri, vel vnica, vel appretiatiuè maior, sit deuincta determinatæ personæ, aut materiæ, aut circunstantiæ, quæ de facto non adest.

Ad 2. Etiam in corpore sequitur motus, si alter impulsus sit maior; & siquidem motus consisteret in indiuisibili, vti consistit valor sacramenti, & effectus eius secundùm se; tantundem moueret idem impulsus, atque si nullus impulsus contrarius ipsi coëxisteret.

Ad 3. Id vnusquisque dicitur simpliciter velle, aut nolle, quod vult, aut non vult affectu appretiatiuè maiori, atque affectus contrarius minor, perinde æstimatur comparatione eius, ac si re ipsa non adesset, vt apparet ex ratione data. Iam quod dicitur; *malum ex quocunque defectu*, accipitur de defectu, qui priuat bonitate pertinente ad substantiam rei, cui inest defectus; ita vt ratione ipsius reddatur talis res inhabilis in ordine ad suum finem. Non est autem talis defectus, respectu sacramenti, intentio ipsi contraria, per aliam efficaciorem intentionem, viribus spoliata.

---

## QVÆSTIO XVIII.

### *Vtrùm minister sacramenti, eo validè perfecto, satisfaciat toti suæ, ea in re, obligationi?*

VIdetur satisfacere. 1. Quia cui committitur aliquod opus, eo ita peracto; vt nihil vlteriùs perfectionis illi superaddi possit, ad nihil amplius tenetur ex vi talis commissionis. Tale autem opus est sacramentum validum. Ergo minister sacramenti, dummodo illud validè perficiat, ad nihil amplius teneri potest præcisè vt minister.

2. Nulla est, vel auctoritas manifesta, vel ratio euidens, quæ ostendat legem, qua obligetur minister, saltem sub lethali ad aliquid, sine quo valor sacramenti subsistere potest. Quoad auctoritatem, patet id ex interpretationibus probabilibus adhibitis à Vasquez disputatione 136 cap. 1. & ex superadditis à Cardinali de Lugo disp. 8. sect. 9. circa testimonia, quæ adduci

solent

solent pro obligatione puritatis conscientiæ, quæ non est necessaria ad valorem sacramenti, & de qua ferè sola controuertitur in præsenti. Hoc ipsum patet quoad rationem circa idem punctum. Quia tota vis rationis reducitur ad congruentias quasdam, & paritates, quibus quidam assentiuntur, & quidam alij dissentiunt, ideoque limites probabilitatis non transcendunt, neque cogunt penitus intellectum. Vbi autem desunt auctoritas manifesta, & ratio euidens de obligatione, sola superesse potest probabilitas de eadem; atque opinio solum probabilis de obligatione aliqua nunquam obligat, vt apparet ex dictis q. 23. de act. human.

Art. 1. Respondetur. Peccat quicunque aliquid agit, si operetur non secundum quod oportet; vt habetur ex 2. Ethic. cap. 3. & 6. & lib. 3. cap. 7. atque inde assumit D. Thomas quæst. 64. art. 6. Iam verò operari non secundùm quod oportet, est operari, non vt decet, vti apparet ex D. Thoma ibidem iuncto artic. 5. immediate præcedenti ad 3. atque expositum, & confirmatum est fusiùs quæst. 21. & 22. de act. human. Deficit autem tripliciter decentia in opere respiciente aliam personam, vt subiectum sui, vel sui effectus, quale opus est sacramentum. Primò ex parte operis secundùm se, vt in blasphemia, idololatria, mendacio. Secundò ex parte operantis, vt si quis doceat veros articulos fidei tanquam tales, dubitans, siue culpabiliter, siue inculpabiliter, an tales sint. Tertiò ex parte subiecti, vt si detur potus aquæ frigidæ nocens febricitanti. Ex primo capite tenetur minister sacramenti ad exhibendam qualitatem, & quantitatem, tum materiæ, tum formæ, quæ instituta sunt pro vnoquoque sacramento, iuxta dicta supra q. 4. & 5. Ex tertio capite tenetur ad obseruandam idoneitatem suscipientis, iuxta ea, quæ dicentur infra q. 52. & 53. Ex secundo capite tenetur ad duo, quorum alterum est notitia saltem probabilis; & quidem probabilis practicè de potestate sibi competenti ad perficiendum validè sacramentum, alterum est puritas conscientiæ, nempe, vt non sit sibi conscius de peccato lethali, seu actuali, seu habituali.

Art. 2. Debet quidem præberi notitia potestatis, ne minister operans absque ea notitia, temerè se exponat periculo faciendi sacramentum inualidum: id est periculo exhibendi, cum falsa significatione, signum à Deo institutum ad significandum, & quod exhibetur nomine Dei, tanquam principaliter, ac primario significantis, & affirmantis per illud sanctificationem hominis. Quod est grauissimum irreuerentiæ genus aduersus Deum, non absimile illi, quod patratur in iuramento falso, seu interposito cum periculo falsitatis; nisi quod signum sacramentale simul est causa gratiæ, cuius protinus communicandæ grauissima necessitas excusare potest dubitantem de potestate, quo minus peccet administrando sacramentum; quatenus eadem necessitas simul reddit conditionatam significationem sacramenti, ac per consequens interpositionem diuinæ auctoritatis, vt loquentis per illud.

Art. 3. Debet autem non minus præhaberi puritas conscientiæ. Quia minister sacramenti est socius, & cooperator Dei quoad sanctificationem hominis, & vnionem amicabilem eiusdem cum eodem, inducens subiectum sacramenti in amicitiam Dei sua directè, ac formaliter, quoad id, libera voluntate. Quod sanè est opus ex sua natura proprium intimi amici Dei, habentis summam, ex genere suo, familiaritatem cum ipso, & consortis naturæ eius. Dedecet autem quam maximè hominem impurum, & inimicum Dei, atque naturæ eius aduersum, arrogare sibi personam, & exercere ministerium vsque adeò dissonantia reali suæ præsenti conditioni; nec Deum reueretur, vt decet, cui cum sit filius iræ, & Diaboli, ingerit se nihilominus, tanquam socium, & cooperatorem ipsius Dei in opere adoptandi filios eius, & faciendi atque acceptandi amicos eiusdem.

Artic. 4. Quapropter, qui perficit sacramentum in statu peccati lethalis, peccat proculdubio grauiter ex natura rei; saltem si sit minister consecratus, & non per accidens ob defectum alterius ministri idonei, sed per se tale ministerium exercet; nec excusetur, aut iure, & officio naturæ simul concurrente, vt concurrit in matrimonio; quatenus actiuè administrato, aut necessitate valdè graui, nec permittente moram iustificationi ipsius ministri, moraliter sufficientem, vt in articulo mortis. Videri nempe potest non irreuerenter, aut non admodum irreuerenter agere; neque qui ius suum naturale, vtcumque circumstantionatum, vtcumque dispositus prosequitur; neque qui per accidens subintrat in locum ministri per se idonei, ob defectum eius hic, & nunc, ea ipsa agendi ratione sufficienter significans suam absolutè indignitatem, nec adeò obligatus ad cognitionem, & considerationem altitudinis ministerij extra ordinem & per accidens exerciti; multò verò minus videri potest irreuerenter agere, qui paret necessitati in negotio æternæ salutis respectu personæ vltimò periclitantis, & quoad opus institutum in remedium, ac subsidium talis periculi. His porrò secluſis exceptionibus, circa quas variant Theologi, præter quam circa illam de necessitate grauissima, quam omnes meritò admittunt, vnanimi consensu; de reliquo conclusio posita est concors eorundem sententia, licet non concorditer probata.

Art. 5. Eidem suffragatur Dionysius Epist. 8. ad Demophilum circa medium dicens: *Nefas est ea quæ iusta sunt; non secundum dignitatem, meritáque exequi.* Et paulò post subiungit, *vt mihi quidem videtur audax nimium est, qui non veretur ea, quæ sunt diuina, præter meritum exequi.* Similiter Augustinus lib. 2. contra Parmenianum cap. 10. post medium: *Omnia sacramenta*, ait, *cum obsint indignè tractantibus, prosunt tamen per eos dignè sumentibus.* Cuiusmodi quam plura Pontificum, & Patrum testimonia habentur in decreto 1. quæst. 1. cap. *Omnia Isaiam* c. *Prophetauit*; nec non apud Suarez, & Vasquez in præsenti. Origo eiusmodi auctoritatum est auctoritas scripturæ dicentis Leuit. 19. 2. *Sancti estote, quoniam ego sanctus sum*, & Ecclesiastici 10. 2. *Secundum iudicem populi sic & ministri eius.* Quæ à D. Thoma, & ab aliis communiter accipiuntur de obligatione puritatis conscientiæ imposita ministris Dei in proprio ministerio. Igitur minister sacramenti non satisfacit toti suæ obligationi sacramento validè perfecto, sed insuper tenetur, inter alia, vt illud non perficiat in statu peccati grauis.

Ad 1. Licet sacramentum validum sit opus in se perfectum, nec ipsi secundum se possit, aut debeat aliqua vlterius perfectio superaddi; potest nihilominus, ac debet alia vlterius perfectio superaddi congruens operanti comparato cum eodem opere. Aliud nempe est adesse operanti voluntatem congruentem potestati eius; aliud verò adesse voluntatem congruentem subiectioni eiusdem ad primam regulam morum, atque ordinationi ad vltimum finem relatiuè ad idem opus. Vnde prouenit, vt opus in se bonum, & perfectè inductiuum sui effectus ex opere operato; possit nihilominus esse malum relatiuè ad operantem, nec inductiuum sui effectus ex opere operantis.

Ad 2. Data est ratio satis clara, ac euidens, atque auctoritates insinuatæ sunt omninò manifestæ. Neque

quidquam facit ad probabilitatem partis contrariæ, quod nonnulli circa vtrasque nihilominus tergiuersentur. Sunt enim, qui dubitent etiam de existentia Dei, de immortalitate animæ, & de vtriusque legitimis demonstrationibus, déque aliis similibus, & fuere, qui negarent, quodlibet esse, vel non esse, vt liquet ex 2. Metaphys. in re præsenti peccatur à nonnullis. Circa rationem quidem, quia quod re ipsa est primum principium indemonstrabile, aut non possunt, aut nolunt agnoscere, vt tale; quod sæpè contingit, præsertim in doctrina morali; vtpote pendenti à maturitate arbitrij, eáque nihil sensibus adiuta directè. Circa auctoritates verò, quia dicta antiquorum non accipiunt cum proportione accommoda ministrorum, & ministeriorum pro leuitate, & grauitate culpæ; & insuper volunt ea reducere, sicut dicta modernorum scholasticorum, ad præcisos quosdam, & formales vbique terminos; cum illi non ita loquantur vt plurimum, & ex toto contextu, iuxta principalem eorum scopum, sint interpretandi.

## QVÆSTIO XIX.

### *Vtrùm sacramenta nouæ legis conferant gratiam ex opere operato?*

VIdetur non conferre. 1. Quia gratia sacramentalis confertur ex meritis Christi, vt patet ex 3. ad Titum 5. *Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis, & renouationis Spiritus sancti, quem effudit in nos abundè per Iesum Christum Saluatorem nostrum.* Quod autem confertur ex meritis, non confertur ex opere operato, sed ex opere operantis. Nempe opus operatum vsurpatur communiter, vt oppositum operi meritorio.

2. Pro recipienda gratia sacramentali est omninò necessarium opus laudabile, ac meritorium, tanquam dispositio requisita ex parte suscipientis, vt apparebit infra quæst. 33. Ergo ea gratia habetur ex opere operantis, & non tantùm ex vi operis operati secundùm se.

3. Non inest sacramentis vlla virtus physicè causatiua gratiæ; quandoquidem nulla est eorum cum hoc effectu proportio physica. Ergo sola potest illis conuenire causalitas moralis, quæ à causalitate meritoria operis seiunginon potest, adeoque nec ab opere operantis.

4. Si gratia sacramentalis conferretur independenter à laudabilitate, & merito operationum ministrantis, & suscipientis; sacramenta non iuuarent pietatem, & bonos mores, sed magis inducerent eorum contemptum; vtpote conferentia vitam æternam independenter ab omni bona, & laudabili operatione. Quod tamen est contra finem supra explicatum institutionis sacramentorum, & contra rationem rectæ prouidentiæ.

Art. 1. Respondetur. Collationi gratiæ ex opere operato vnum quoddam est commune cum collatione gratiæ ex opere operantis; nempe gratiam dari dependenter ab opere tanquam à causa existentiæ eius, & non solum tanquam à pura conditione sine qua non. Differunt verò quatenus conferri gratiam ex opere operato est, existentiam gratiæ, vel simpliciter, vel quoad augmentum sub determinata quadam mensura, seu gradu induci ex vi talis operis secundùm se; siue meritorium, & laudabiliter per actum sit, siue neutrum, aut etiam oppositum vtriusque illi conueniant. Conferri verò gratiam ex opere operantis est, illam, aut eius augmentum induci ex vi talis operis, præcisè quatenus meritorium, & laudabiliter peractum est, & præcisè iuxta mensuram, seu gradum correspondentem virtuti meritoriæ. Hic est sensus istarum vocum apud omnes Catholicos, defensus acriter inter alios, à Vasquez aduersus Lutherum, & alios ei similes perperam oblatrantes loquutioni simul cum re significata.

Art. 2. Conclusio igitur immediatè respondens ad quæstionem propositam est, quæ habetur in Concilio Tridentino sess. 7. can. 8. *Si quis dixerit per ipsa nouæ legis sacramenta ex opere operato non conferri gratiam, sed solam fidem diuinæ promissionis ad gratiam consequendam sufficere; anathema sit.* Itaque sacramenta nouæ legis sunt veræ causæ conferentes gratiam ex vi actionis exterioris qua perficiuntur, & rerum quibus constant; & non tantum ex merito, precibus, vel fide, siue ministri, siue suscipiétis; nec iuxta mensuram meritorum, vel vtriusque, vel alterutrius ex ipsis. Quæ veritas pluribus præterea sacræ paginæ, aliorum Conciliorum, & PP. testimoniis illustratur aduersus contrarias hæreses à Bellarmino tom. 3. lib. 2. de Sacramentis cap. 2. Suarez disp. 7. sect. 2. Vasquez disput. 131. cap. 3. & 4. Eandem satis apertè præsefert significatio sacramentorum expensa supra quæst. 13. art. 2. Ratio verò congruentiæ, & conuenientiæ maximæ, vt talis virtutis sacramenta instituerentur apparet satis ex q. 11.

Ad 1. Collatio gratiæ non dicitur ex opere operato per exclusionem cuiusuis meriti vniuersaliter, & indiscriminatim respectu gratiæ, quæ sic confertur, sed per exclusionem meriti ex parte ministri exequentis immediatè tale opus, & ex parte eius, circa quem exercetur idem opus, quique suscipit gratiam correspondentem eidem operi. Quare gratia sacramentalis relatiuè ad Christum, & eius opera est ex opere operantis, sed relatiuè ad ministrum, & suscipientem, & ad opus, seu opera vtriusque, est simul ex opere operato.

Ad 2. Paruulis inprimis, ineptis ad merendum, datur nihilominus gratia per sacramentum. Deinde adultis etiam bene dispositis datur gratia, per sacramenta, vltra mensuram correspondentem eorum merito, seu plusquam daretur existente solo eo merito. Demum dispositio adulti sæpè est talis, quæ non superueniente sacramento nullam gratiam inductura foret, vt dicetur in eadem illa q. 33.

Ad 3. Circa illud antecedens, & consequens dicetur ex professo quæst. 24. & 25. & ibidem apparebit vtrumque esse defectuosum, & laborare falsa suppositione.

Ad 4. Ad hoc datur gratia per sacramenta etiam non merenti, & à non merente; & eum merentur, vltra quam mereantur; vt habeatur vnde merita, aut maiora merita proueniant. Præterea adulti, pro quibus solis tale inconueniens proponi potest, non obstante collatione gratiæ sacramentalis ex opere operato, indigent bonis operibus, vt peruenire possint ad regnum cœlorum, nec fieri potest, vt illud absque illis consequantur, si diutius viuant, & exponantur opportunitatibus bene, ac male operandi. Rursus actiones exteriores sacramentales postulant ex sua natura bonorum operum comitatum, tum ex parte ministri, vt liquet ex quæstione præcedenti, tum ex parte suscipientis adulti, vt dicetur quæst. illa 33. Demum, quod gratia detur per sacramenta absque meritis, aut vltra mensuram meritorum, præterquam Christi Domini, non solum paruulis, sed etiam adultis, est valdè conueniens pro statu præsenti, vt liquet ex dictis supra q. 11.

## QVÆSTIO XX.

*Vtrùm sacramenta antiqua conferrent gratiam ex opere operato?*

VIdetur, quod conferrent. 1. Quia constat ex q. vndecima conueniens fuisse, vt pro statu naturæ lapsæ, iterúmque eleuatæ, instituerentur sacramenta, vtque eidem naturæ, ex quo lapsa est, prouideretur de aliquo eiusmodi remedio peccati originalis, & malorum emergentium ex ipso. Constat rursus ex quæst. 28. de Deo semper vnicuique Deum prouidere de his, quæ conuenit, vt ei prouideantur. Sacramenta autem, quæ nullam conferrent gratiam vi sua ex opere operato, nullam vtique conuenientiam haberent, aut rationem remedij respectu originalis, & malorum subsequentium. Ergo nullo tempore relicta est natura lapsa cum solis eiusmodi vacuis sacramentis; sed semper aliqua, vel aliquod habuit sacramentum, beneficio cuius obtineretur gratia, & remissio peccatorum, præsertim originalis, ex opere operato.

2. Innocentius quartus c. *Maiores* de baptismo videtur manifestè tribuere sacramento circumcisionis vim collatiuam gratiæ ex opere operato; Præfert namque primo loco, quod baptisma *successerit circumcisioni*. Deinde comparat illud. Genes. 17. 14. *Anima, cuius præputij caro circumcisa non fuerit, &c.* cum illo Ioan. 3. 3. *Nisi quis renatus fuerit, &c.* Demum prænotato cautè, *quanto plus baptismus hodie conferat Christianis, quam quondam Iudæis circumciso contulisset*; concludit discrimen vtriusque in hæc verba: *Quoniam & si originalis culpa remittebatur per circumcisionis mysterium, & damnationis periculum vitabatur; non tamen perueniebatur ad regnum Cœlorum, quod vsque ad mortem Christi fuit omnibus obseratum. Sed per sacramentum baptismi, &c.* Ergo quoad vim remittendi peccatum originale, & vitandum periculum damnationis, adeoque quoad vim conferendi gratiam, per quam solam vtrumque illud bonum formaliter habetur, nullum est discrimen inter circumcisionem, & baptismum, de quo iam nuper constitit conferre gratiam ex opere operato.

3. Videtur dubitari minimè posse, quin Augustinus sæpè attribuat circumcisioni vim collatiuam gratiæ ex opere operato. Quia lib. 2. contra litt. Petiliani cap. 72. *Antiquus populus*, ait, *circumcisione pro baptismo vtebatur*, lib. 5. Hypognosticon. à medio: *Circumcisio illa*, dicitur, *octauæ diei gratiam baptismi gestabat, & paruulus, qui ea fraudatus est, delicto, quod ex Adam contraxit, non caruit.* Fundamentum Augustini præcipuum, si non & vnicum, est locus ille Genesis modò insinuatus, qui ex versione 70. Interpretum sic habet apud ipsum *Masculus, cui non circumcidetur caro præputij sui octauo die, interibit anima illa de genere suo, quia testamentum meum dissipauit.* Ex particula *octauo die*, deducit in ea comminatione comprehendi etiam paruulos nondum compotes rationis. Comminationem verò accipit de interitu æterno. Testamentum denique dissipatum intelligit, non legem ipsius circumcisionis, sed præceptum impositum Adamo, & ab eo violatum. Atque his ità positis concludit lib. 4. de baptismo contra Donatistas cap. 24 *Cur ergo ei præceptum est, vt omnem deinceps infantem masculum octauo die circumcideret, qui nondum poterat corde credere, vt ei reputaretur ad iustitiam, nisi quia & ipsum, per se ipsum, sacramentum plurimum valebat.* Quis porrò istud, *ipsum per se ipsum plurimum valere*, non confundat cum valore ex opere operato? Ob istas igitur & alias similes auctoritates Scotus, Durandus, Suarez, Gamachæus, & alij nonnulli meritò, vt videtur, concedunt circumcisioni, & consequenter remedio legis naturæ aduersus originale, vim collatiuam gratiæ ex opere operato, licet reliquis ante Christum sacramentis negent eandem vim, tum ipsi, tum cæteri omnes Theologi. Nec videntur audiendi Cardinalis de Lugo, Tannerus, & pauci alij medias quasdam sententias sequuti circa circumcisionem, vt auctoritatibus hinc, & inde vehementibus quoquo modo occurrerent. Quæ quidem auctoritatum vehementia tanta est, vt ipse etiam D. Thomas circa eandem circumcisionem nutauerit non semel, licet sententiæ tandem negatiuæ firmiter adhæserit, vt apparet in præsenti ex quæst. 62. art. 6. & q. 70. art. 4. & ad Hebr. 9. lect. 4. fine.

Art. 1. Respondetur. Dicendum est; neque circumcisionem, aut sacramentum, quod ante legem, & ante aduentum Christi Domini semper viguit, & communiter dicitur remedium legis naturæ, atque circumcisioni, & baptismo aliqualiter correspondebat; neque vllum aliud antiquum sacramentum habuisse vim collatiuam gratiæ ex opere operato. Conclusionem istam dixit certam ex fide, & eius dogma appellauit Bartholomæus Medina. Verùm Cardinalis Bellarminus Vasquez, Valentia, & alij cum D. Thoma, Capreolo, & aliis merito tenent eandem solum vt longè probabiliorem. Colligitur imprimis admodum clarè ex Conc. Florent. in decreto fidei post vltimam sessionem §. *Quinto Ecclesiasticorum*, vbi de sacramentis nouæ legis sic definit: *Multum à sacramentis differunt antiquæ legis. Illa enim non causabant gratiam, sed eam solùm per passionem Christi dandam esse figurabant. Hæc verò nostra, & continent gratiam & ipsam dignè suscipientibus conferunt.* Suffragatur haud quaquam obscurè Concil. Trident. sess. 7. dum condemnat. Primùm Can. 2. dicentes *sacramenta nouæ legis non differre à sacramentis antiquæ, nisi quia sunt diuersæ cæremoniæ ritúsque diuersi*, Deinde can. 4. dicentes: *sacramenta nouæ legis non continere gratiam, quam significant, & esse tantum signa externa acceptæ iustitiæ, & notas quasdam Christianæ religionis.* Quæ profectò definitiones inuicem collatæ satis clarè innuunt totum, inter vtraque sacramenta, discrimen in hoc situm esse, quod alia contineant, alia non continerent gratiam; alia essent tantum signa externa acceptæ iustitiæ, alia non hoc tantùm sint.

Art. 2. Includitur porrò, vel maximè circumcisio sub decisionibus vniuersalibus vtriusque Concilij; Tum quia ipsa erat præcipuum antiquæ, seu Mosaïcæ legis sacramentum, institutum quidem ante ipsam legem tempore Abrahæ, sed quod posteà coaluerit legi, tanquam principale distinctiuum populi professi eandem legem, ideoque valdè præeminens inter sacramenta talis legis: Tum quia in Tridentino illa verba *signa quædam acceptæ iustitiæ, & notæ quædam Christianæ religionis*, manifestam continent allusionem ad circumcisionem. Tum denique ob vniuersalitatem propriam dictionis negatiuæ vsurpatæ à Florentino absque vlla restrictione, aut insinuatione restrictionis; quæ tamen erat valdè necessaria, ob rationes prædictas, vt excluderetur, atque à fidelibus intelligeretur exclusa circumcisio, ne eis subreperet opinio falsa de præeminentia suorum sacramentorum super omnia omninò anteriora sacramenta.

Art. 3. Vtrumque Concilium hausit eam doctrinam ex Apostolo sæpè, ac manifestè negante antiquis sacramentis, maximè verò circumcisioni vim collatiuam gratiæ ex opere operato. Primum enim in Epist. ad Rom. præmissa cap. 2. iustificatione ex fide, non minùs Gentilis, quàm Iudæi, subiungit cap. 3. initio, sibique opponit in hunc modum. *Quid ergo*

*amplius Iudæo est atque vtilitas circumcisionis*; Respondet verò immediatè ad primam partem obiectionis: *Multum per omnem modum. Primum quidem* (ideſt potiſſimum) *quia credita sunt illis* (Iudæis) *eloquia Dei*; ideſt reuelationes, & promiſſiones diuinæ. Tota ergo vel certè præcipua prærogatiua Iudæi præ Gentili conſiſtit in maiori mentis illuſtratione per maiorem, magiſque amicabilem ſpiritualium, ac diuinarum rerum manifeſtationem. Ad alteram partem obiectionis reſpondet cap. 4. in cuius principio replicat eandem obiectionem, atque ſumma reſponſionis habetur verſu 11. in hæc verba: *Et signum accepit Abraham circumcisionis, signaculum iustitiæ fidei, quæ est in præputio, vt sit Pater omnium credentium.* Tota itaque ſpecialis vtilitas circumciſionis ſita erat in ſignificatione iuſtitiæ, quæ eſt per fidem communem omni homini, ſiue Gentili, ſiue Iudæo; ita vt Iudæo ſolùm ſpecialiter conueniret proteſtatio fidei de iuſtificatione, per eandem fidem, inducta, nec non promiſſionum diuinarum de reconciliatione Dei, quæ ſubſequitura poſtea erat, iuxta illud Geneſis 17. 11. *Circumcidetis carnem præputij vestri, vt sit in signum fœderis inter me, & vos.* Neutra autem reſponſio Pauli, aut iſta circumciſionis expoſitio fuiſſent idoneæ, ſi circumciſio habuiſſet vim liberandi à peccato, & ſanctificandi ex opere operato. Hæc enim tanta vis fuiſſet procul dubio præcipua Iudæorum prærogatiua, & maxima vtilitas, primumque prædicatum circumciſionis, non ſolùm præ cæteris ſufficiens ad reſpondendum dubitationi præmiſſæ, ſed, & omnem dubitandi aditum penitus intercludens, vt apparet in baptiſmo pro Excellentia Chriſtianorum, ipſiuſque baptiſmi vtilitate, quas nemo expoſuerit, ac commendauerit idoneè prætermiſſa virtute eiuſdem baptiſmi ad iuſtificandum, & ad conferendam gratiam ex opere operato.

Art. 4. Rurſus in Epiſtola ad Galatas, cum eum populum idololatriæ prius deditum, & poſtea in, & ex abſentia ipſius Pauli repetentem Iudaiſmum, toto capite tertio vehementer contendiſſet ab eo propoſito reuocare, & ad Euangelium pertrahere, inſiſtens capite quarto eidem cohortationi ſubdit, inter alia v. 9. *Quomodo conuertimini iterum ad infirma, & egena elementa, quibus denuò seruire vultis?* Quaſi dicat. Quomodo egenam, & infirmam idololatriæ religionem anteà profeſſi, ad aliam iterum egenam ſimiliter, & infirmam religionem, qualis eſt Iudaiſmus, conuertimini? Patet nimirum ex contextu non agi de reuocandis Galatis, ab idololatria, ſed de iiſdem remouendis à Iudaiſmo, vti docent Auguſtinus, & alij Sancti PP. ex confeſſione Suarij, & demonſtrat efficaciter D. Thomas in eum locum. Vnde conſequenter cæremoniæ, & ſacramenta Iudæorum appellantur ab Apoſtolo infirma, & egena elementa; qualia tamen dici minimè potuiſſent indiſcriminatim, & vniuerſaliter, ſi quod Iudæorum ſacramentum vſurpandum à profitente Iudaiſmum, habuiſſet vim aliquam conferendi gratiam ex opere operato. Quia quod habet eam vim robuſtum potius eſt, & locuples elementum. Ergo nec circumciſio nec vllum aliud ſacramentum, quod eſſet in vſu apud Iudæos, habuit vim vllam conferendi gratiam ex opere operato. Id quod oportet verum eſſe, non ſolum ex ſuppoſitione Euangelii, ſed etiam abſolutè ex ſua natura, & præſcindendo ab Euangelio, atque ab Euangelij promulgatione. Nempe apud Galatas, de quorum ad Euangelium reductione agebatur, ſupponendi minimè erant effectus Euangelij promulgari, ipſúmque Euangelium, ſed deprimendus erat, Iudaiſmus ex eo tantum, quod ipſius ſecundum ſe, & ex ſua natura, abſolutè proprium eſſet.

Art. 5. Poſtremò 7. ad Hæbr. 18. *Reprobatio quidem fit* pronunciat Apoſtolus, *præcedentis mandati propter infirmitatem eius, & inutilitatem*; *Nihil enim ad perfectum adduxit lex.* Quod ſanè, per nimiam, & nimis aberrantem à vero exaggerationem, dictum meritò videri poſſet ſi aliquod eius legis ſacramentum, ſiue phyſicè, ſiue moraliter contuliſſet gratiam ex opere operato. Nec enim infirma, & inutilis, & impotens ad perfectum adducere, iiſque titulis reprobabilis dici ſyncerè, ac legitimè poteſt ea lex, quæ tantum, & tam præcellens priuilegium contineret, vt opere exteriori per ipſam iniuncto, independenter ab omni merito, omnique actu interno laudabili, tam exequentis illud, quàm eius, ad quem dirigeretur poterat abolere peccatum gratiam ſanctificantem conferre, & in æternam vitæ æternæ ſecuritatem inducere. Sanctos PP. hoc modo, ac ſenſu exponentes Apoſtolum recenſet magno numero, & expendit accuratè Vaſquez tom. 1. in 1. 2. diſput. 130. c. 2. ibidémque obſtruit diligenter euaſiones, & interpretationes aduerſariorum, quibus nos præoccupando, aditum præcluſimus inter proponendum argumenta noſtra.

Ad 1. Natura humana, non obſtante peccato reſtituta eſt per diuinam miſericordiam in ſtatum eleuationis. Oportuit conſequenter, vt eidem indulgeret remedium aliquod peccati originalis, & effectuum eius, vtque illud eſſet coniunctum cum aliquo, aut aliquibus rebus ſenſibilibus perducentibus animum ad intelligibilium, ac ſupernaturalium conſiderationem, & proſequutionem, vt oſtenſum eſt in quæſt. illa 11. Verùm indulgentiæ eius diſpenſatio debuit eſſe diuerſa, & inæqualis perfectionis pro diuerſis temporibus, atque ad cumulum peruenire ſub aduentum Chriſti, vt inibi commonſtratum eſt.

Art. 2. Ex hoc porrò principio, iunctis teſtimoniis in vtramque partem nuper expenſis, deducitur diuerſitatem eam, & inæqualitatem ante, & poſt aduentum Chriſti in hoc ſitam eſſe, vt ante Chriſtum aboleretur originale, & obtineretur augmentum gratiæ non ex vi præcisè operis alicuius exterioris ſecundum ſe, ſeu ex opere operato, ſed ex vi fidei interioris coniunctæ cum laudabili, ac ſalutari voluntate eandem fidem proteſtandi per opus aliquod exterius determinatum, ex inſtinctu, aut ex inſtitutione diuina. Quod proinde opus diceretur, & eſſet ſacramentum quatenus interiorem fidem, & voluntatem ſalutariter conceptas, quas proteſtabatur, immediatè ſignificabat, & mediatè gratiam ſanctificantem inductam vi eorumdem actuum, ideoque diceretur gratiam etiam ipſam conferre per denominationem ab actibus internis, vi quorum, & inducebatur interius gratia, & inferebatur ipſum opus exterius. Poſt Chriſtum verò, & poſt eius paſſionem opus ipſum externum vtcumque ſiue honeſtè, ſiue inhoneſtè exequutioni mandatum gratiam induceret vi ſua præcisè, independenter à laudabilitate, & virtute meritoria actus interni, quo imperatur ex parte miniſtri.

Art. 3. Huiuſmodi ſcilicet diſcrimen, cum maximè congruat diſcurſui propoſito in dicta quæſtione 11. ſimul etiam conſonat auctoritatibus; iis quidem, quæ in iſta, & in præcedenti quæſtione pro vera ſententia adducta ſunt, vt ſonant, & ad litteram, vt patet ex ſe, iis verò, quæ in contrarium propoſitæ ſunt, nec longa, nec difficili ambage, vt mox patebit. Et quod ad directam obiectionis ſolutionem pertinet tuetur præterea vtilitatem non exiguam, nec abſolutè contemnendam veterum, ante Chriſtum, ſacramentorum. Nec enim vtilitate vacat abſolutè magna opus externum poteſtatiuum fidei, & ſignificatiuum diuinarum promiſſionum, inſtruens proinde intellectum, & excitans animum ad eandem fidem, & ad ſpem firmiſſimam futurorum bonorum; Quod fuit omnibus antiquis ſacramentis commune. Multo verò

verò minùs vtilitate vacat opus externum, cuius, in cultum Dei, exequendi laudabilis, & religiosa voluntas coniuncta cum fide, quam idem opus externum protestaretur, induceret infallibiliter gratiam, quam, saltem cum eadem infallibilitate, inducere non valerent alij actus interni circa alia obiecta; tametsi essent perfectionis intrinsecè haud quaquam minoris, vel etiam maioris. Eiusmodi autem opus fuit, vt mox dicetur sacramentum circumcisionis, & ante circumcisionem sacramentum; quod dicitur, & erat remedium legis naturæ aduersus originale.

Ad 2. Scopus Innocentij in illo c. est, vt patet ex eius initio, damnare hæreticos docentes nullum peccatum remitti posse, nisi per caritatem, & actum diuinæ dilectionis elicitum ab eo, cui remittitur peccatum; ac proinde perperam baptismum impendi paruulis, nec sentientibus, nec consentientibus, nec diligentibus Deum. In hunc autem scopum suffecit definire, prout præcisè definiuit, per baptismum remitti peccatum, & damnationis periculum vitari, idémque olim præstitum fuisse per circumcisionem. Cæterum, an ex opere operato, an ex opere operantis ministri procedat, aut procederet olim is effectus, nequaquam determinat; sicut nec definit; an cum remissione peccati conferatur simul, aut conferretur gratia sanctificãs; quod tamen erat multò &, manifestius, & scopo propinquius. Nempè animus Pontificis fuit, vt elucet ex medio eiusdem capitis, nihil eorum definitione sua complecti, de quibus esset aliqua inter Doctores Catholicos controuersia. Erat verò controuersia eo tempore inter Doctores Catholicos de infusione gratiæ simul cum remissione peccati, vt liquet ex D. Thom. loco indicato; estque in hunc vsque diem de remissione peccati, per circumcisionem ex opere operato. Eadem de causa illud tantummodo discrimen expresè constituit inter baptismum, & circumcisionem, quod non erat controuersum inter Doctores Catholicos, de aditu ad regnum Cælorum protinus patefacto per baptismum, per circumcisionem verò ad futurum vsque tempus dilato, permittens cætera opinionibus, & liberæ, prout cuique videretur determinationi Theologorum. Ex his igitur apparet nihil in alterutram partem haberi pro controuersia præsenti ex illo Innocentij decreto.

Art. 1. Ad 3. Eadem est ratio de Augustino, atque de Innocentio; nisi quod Augustinus pugnat aduersus alios hæreticos attribuentes similiter remissionem peccati soli fidei suscipientis, seu modò baptismum seu olim circumcisionem, & dicentes consequenter neutrum sacramentum paruulis prodesse, vt liquet clarissimè ex toto præsertim libro illò quarto contra Donatistas. Quare dum dicit c. illo 24. *ipsum, per se ipsum, sacramentum plurimum valuisse*, solum contraponit virtutem sacramenti indigentiæ actus fidei, aut alterius cuiusquam actus meritorij ex parte suscipientis; non verò indigentiæ similis actus ex parte ministrantis. Quia videlicet hoc secundum nihil conducebat ad scopum disputationis, & ad impugnationem hæreticorum; ideoque ab hoc puncto præscindit omninò Augustinus, tum ibi, tum in omnibus aliis locis, in quibus agit eadem de re nihilque proinde vsquam determinat de remissione peccati per circumcisionem ex opere operato, vel ex opere operantis ministri.

Art 2. Iam circa testimonium illud ex Genesi multa mouet, nec leuiter Vasq. Primo vt expugnat particulam, *octauo die*, quæ nec in vulgata reperitur nec in versionibus aliis, nec adiungitur circumcisioni, sed interitui in editione ipsorum septuaginta emendata iussu Sixti V. Deinde vt nomine testamenti pro quo in vulgata habetur pactum, intelligatur præceptum de ipsa circumcisione. Demum, vt iuxta mentem plurium aliorum PP. concludat solum ibi contineri præceptum circumcisionis respectu adultorum. Vt vt autem hæc habeant, iis etiam omnibus admissis, quæ assumit, & docet Augustinus, adhuc supereſt locus eidem illius testimonij interpretationi, quæ modo adhibita est ipsi Augustino, nec non discrimini per nos intento inter circumcisionem, & baptismum. Et quidem, quod ad discrimen attinet, agnoscunt illud aduersarij nostri; tum omnes vnanimiter quoad maiorem vniuersalitatem baptismi, vtpotè vtilis, ac necessarij fœminis non minùs, quam masculis; cum circumcisio solis masculis præscriberetur; tum etiam ferè omnes quoad maiorem necessitatem baptismi. Admittunt enim circumcisionem paruuli fuisse absolutè supplebilem alio medio; atque paruulos, ante octauum diem in præsentissimum vitæ periculum, adductos, aut ipsa circumcisionis acerbitate in illum certissimè adducendos ideoque incapaces eius sacramenti, vel legitimè excusatos, ab vsu illius potuisse obtinere remissionem originalis per remedium legis naturæ omissa circumcisione, & facta applicatione meriti actus fidei, & religionis, vel puræ internæ, vel per aliam actionem exteriorem loco actionis circumcisiuæ; cum tamen baptismi reipsa collati nullum omninò supersit supplementum respectu paruuli. Quod est certum apud omnes.

Art. 3. Istud discrimen innuit sufficienter sacer ipse textus in locis, obiiciuntur. Nam dum dicitur, *nisi quis renatus fuerit ex aqua, & spiritu sancto &c.* significatur eo modo esse necessarium baptismum filiationem supernaturalem respectu Dei; quomodo necessaria est generatio naturalis ad naturalem respectu hominis, filiationem. At dum dicitur; *anima cuius præputij caro circumcisa non fuerit &c.* sola significatur ratio communis necessitatis, quæ multipliciter exponibilis est absque violentia. Exponatur igitur cum fundamentis iam prælatis de necessitate præcepti; atque dicatur extitisse quidem obligationem circumcidendi pueros, & insuper circumcisionem contulisse peccati originalis, non tamen ex vi actionis exterioris secundum se, & ex opere operato, sed ex vi actuum internorum, & ex opere operantis; atque ideo, superueniente impedimento exterioris realis circumcisionis, obtinere nihilominus potuisse eundem effectum per eosdem actus internos, vel solos, vel aliter manifestos, ac applicatos exterius. Quapropter hæc videtur esse legitima omninò, & absolutè tenenda ratio vniuersalis concordiæ inter auctoritates hinc, & inde proponit solitas in quæstione præsenti, & superius indicatas ex parte; vt negantes antiquis sacramentis, præsertim circumcisioni, vim collatiuam gratiæ, & remissionis peccati, intelligantur de collatione, & remissione ex opere operato; affirmantes verò intelligantur de collatione, & remissione ex opere operantis. Cuiusmodi discriminis, & intelligentiæ diuersæ verborum similium reddita iam est ratio sufficiens, tum ex contextu, tum ex parte materiæ, eiusque circumstantiæ.

His ità expeditis supereſt vt exponatur modus quo sacramenta nouæ legis conferunt gratiam ex opere operato: an scilicet physica causalitate an sola morali causalitate illam conferant. Pro cuius rei clara manifestatione necesse omninò mihi est, vt præferam tres alias quæstiones aliquantulum vniuersaliores, quam sit res, de qua nunc agitur; sed quas nihilominus omnes ferè auctores in hunc locum coniiciunt ducti necessitate modò à me asserta, & perspicienda clarè ex progressu doctrinæ.

## Qvæstio XXI.

*Vtrùm sit possibilis virtus aliqua actiua, quæ non possit reduci connaturaliter in actum secundum?*

VIdetur esse possibilis. 1. Quia omnipotentia Dei quatenus actiua effectuum supernaturalium non potest connaturaliter reduci in actum secundum. Alioquin enim effectus supernaturales possent naturaliter existere. Idem nimirum est Deum quatenus potentem producere aliquem effectum reduci in actum secundum; atque eundem effectum existere à parte rei. Vnde idem etiam est Deum connaturaliter posse reduci in actum secundum; & effectum posse connaturaliter existere. Sequela autem est absurda & implicans in terminis. Agnoscenda igitur est virtus actiua quæ non possit connaturaliter reduci in actum secundum.

2. Deus, etiam intra ordinem naturalem, potest efficere infinitas syncategorematicè species rerum magis, ac magis perfectarum absque vllo fine; ita vt fieri non possit, quin semper supersint aliæ, atque aliæ species vlterius producendæ, vt alibi dictum est cum D. Thoma, & plerisque aliis. Consequenter substantiæ spirituales creatæ possunt elicere visiones, & volitiones inuicem inæquales syncategorematicè infinitas intra ordinem naturalem cum perfectione maiori semper, ac maiori, ita, vt fieri non possit quin semper supersint aliæ, atque aliæ species visionis, & amoris naturaliter producibiles, seu naturales & non productæ. Quia substantiæ spirituales possunt naturaliter videre, & amare quidquid naturaliter existere, & ipsis coexistere potest. Ergo non omnis virtus actiua, seu diuina, seu creata potest connaturaliter reduci in actum secundum. Ergo aliqua est, quæ non potest connaturaliter reduci in actum secundum.

3. Potentia obedientialis tam hominis, quam Angeli ad actus supernaturales non potest connaturaliter reduci in actum secundum, vt patet. Ea autem potentia obedientialis est aliqua virtus actiua.

4. Possibilis est potentia passiua non reducibilis connaturaliter in actum secundum; vt patet inter alia in potentia passiua humanitatis respectu vnionis hypostaticæ; necnon in potentia passiua cuiusuis naturæ creatæ intellectualis respectu donorum supernaturaliũ, quæ possunt sibi diuinitus infundi. Potentia autem actiua non habet, ex genere suo, maiorem connexionem cum suo actu secundo, quam passiua cum suo. Immò habet minorem illa connexionem, quam ista. Quia potentia passiua magis indiget suo actu secundo, vtpote perfectibilis per ipsum. Ergo non postulat connaturaliter quælibet virtus actiua, vt educatur in actum secundum.

5. Appetitus elicitus, licet sit actiuus obiecti, ad quod fertur, potest esse purè conditionatus, non magis exigens ex se existentiam, quam non existentiam conditionis, sed vtramque respiciens omninò indifferenter. Ergo appetitus innatus causæ, siue actiuæ, siue passiuæ potest similiter esse purè conditionatus respectu sui effectus, seu formæ, adeoque respiciens prorsus indifferenter, existentiam, & non existentiam conditionis. Patet consequentia. Quia appetitus innatus existit in natura ad modum appetitus eliciti, vt docent D. Thomas, & alij communiter. Appetitus autem conditionatus respiciens omnino indifferenter existentiam, & non existentiam conditionis appositæ per eundem appetitum, potest connaturaliter destitui conditione, ac proinde, & conditionato. Quia existentia talis conditionis non exigitur determinatè, nec conditionatum intenditur, nisi dependenter ab eadem conditione, & præcisè ex suppositione, quod ipsa existat. Ergo causa tam actiua, quàm passiua potest esse talis, quæ ex sua natura non magis postulet reduci, quàm non reduci in actum secundum; ac proinde potest esse talis, quæ possit connaturaliter nunquam reduci in actum secundum.

6. Causa libera non potest reduci in actum secundum quoad omnem suam actiuitatem. Quia est actiua contrariorum, atque inuicem incompossibilium. Vnde, vtcumque reducatur in actum secundum, suo ipso qualicunque exercitio impedit quominus virtus actiua oppositi effectus æquè sibi conueniens reducatur in actum secundum. Ergo non potest omnis virtus actiua reduci connaturaliter in actum secundum.

7. Potentia visiua cæci nati, aliæque causæ creatæ permanenter impeditæ per alias causas creatas non possunt vnquam reduci naturaliter in actum secundum. Non igitur omni causæ, omníque virtuti actiuæ debetur ex natura rei, vt reducatur, aut vt reduci connaturaliter possit in actum secundum.

8. Id est vnicuique rei connaturale, quod Deus in ipsa, ex ipsa, & circa ipsam fecerit. Quia vt dicit Augustinus lib. 26. contra Faustum cap. 3. *Deus creator, & conditor omnium naturarum nihil contra naturam facit. Id enim erit vnicuique rei naturale, quod ille fecerit à quo est omnis modus, numerus & ordo naturæ.* Deus autem potest quamlibet virtutem creatam reducere, vel non reducere in actum secundum, provt ipsi libuerit. Nulli igitur virtuti creatæ, seu actiuæ, seu passiuæ debetur ex natura rei, vt reducatur potius, quàm vt non reducatur in actum secundum, sed vtrumuis eligatur à Deo, erit illi æquè connaturale.

9. Beatitudo, tam naturalis, quam supernaturalis consistit in operatione, vt dictum est quæst. 3. de act. hum. ex philosopho D. Thoma, & aliis. Beatitudo autem supernaturalis potest negari connaturaliter à Deo, immò non potest nisi supernaturaliter donari substantiis intellectualibus, quæ solæ sunt capaces illius, vt dictum est sæpè in quæstionibus de Deo, & de Gratia. Ergo substantiæ intellectuales possunt connaturaliter non reduci, immo non possunt nisi supernaturaliter reduci in actum secundum quoad virtutem actiuam operationis, in qua consistit beatitudo supernaturalis. Quia verò plures aliæ operationes, tam earundem substantiarum; quàm substantiarum irrationalium ordinantur per se ad operationem supernaturaliter beatificam; dicendum est consequenter plures alias virtutes actiuas proprias agentium, tam rationalium, quam irrationalium posse connaturaliter non reduci; Imo non posse, nisi supernaturaliter reduci in actum secundum.

Art. 1. Respondetur. Frustra esse potentiam, quæ non reducitur ad actum. Atque Deum, & naturam nihil frustra facere, sunt axiomata Philosophi nimis nota, & vtrumque traditur 1. de Cœlo in fine. Si ergo daretur virtus aliqua actiua, quæ ex sua natura non reduceretur in actum; daretur virtus aliqua actiua, quæ ex sua natura esset frustra, & consequenter factum esset, quod fieri non potest. Nempe vt Deus & natura aliquid frustra faciant. Non est igitur possibilis virtus aliqua actiua, quæ per se, & ex sua natura non exigat reduci in actum secundum; ideóque à fortiori, quæ non possit connaturaliter in illum reduci.

Art. 2. Idem apparet ex eo, quod omnis virtus actiua, omnéque actiuum principium est propter suam operationem. Quod quidem est admodum manifestum de principio intellectuali. Quod scilicet est intrinsecè ordinatum ad felicitatem, & beatitudinem, vt ad vltimum suum finem propter quem est ipsum,

&

& sunt omnia, quæ ipsi insunt. Felicitas autem; & beatitudo consistit, vt modo rectè, assumebatur, in operatione perfectissima, & ad illam peruenitur per omnes alias operationes bonas possibiles infra ipsam, & ante ipsam, tanquam per media ad eam intrinsecè ordinata. Quoduis igitur principium intellectuale est propter vnam suam operationem, tanquam propter vltimum suum finem, & propter cæteras omnes suas operationes bonas, tanquam propter fines intermedios, seu proximos. Id ipsum est non minùs manifestum de rebus omnibus aliis, quæ intellectuales non sunt. Quia eiusmodi res non sunt gratia sui, nec amantur propter se, cùm non sint capaces felicitatis, nec bonis suis frui possint; sed existunt gratia substantiarum intellectualium, vt eas iuuent ad consequutionem sui vltimi finis, & ad pleniorem eiusdem iam obtenti fruitionem. Iuuant verò per suam operationem, nec iuuare aliter possunt. Quodvis igitur principium non intellectuale est similiter propter suam operationem, tanquam propter finem intermedium, hoc est, finem habentem rationem medij ordinati ad vlteriorem finem.

Art. 3. Itaque tam impossibile est dari virtutem aliquam actiuam, quæ non exigat ex sua natura, vt exerceatur, vtque reducatur in actum secundum, quam impossibile est dari aliquid non exigens intrinsecè suum finem connaturalem, eique non adhærens innato appetitu. Impossibilis igitur est virtus actiua, quæ non possit connaturaliter reduci in actum secundum, & quæ hoc ipsum non exigat intrinsecè quantum est ex se; itavt nulli virtuti actiuæ repugnet reductio sui in actum secundum; Imò cuiuis repugnet quantum est ex se, vt non reducatur in actum secundum; sitque connaturale reduci, supernaturale, ac miraculosum non reduci, dum nullum datur contrarium impediens ex sua natura operationem eius.

Art. 4. Confirmatur, quia nemo dubitat, quin aliquæ virtutes actiuæ postulent intrinsecè ex sua natura operationem in ipsis contentam; ita vt connaturaliter per eam exerceantur, & non nisi volenter, aut supernaturaliter impediantur ab ea ponenda à parte rei. Ita comparatur grauia respectu motus deorsum; leuia respectu motus sursum, & vtraque quietis correspondentis illi motui, sol respectu illuminationis, & calefactionis, & sic de similibus. Ergo omnis vniuersaliter virtus actiua postulat intrinsecè exercitium sui, & reductionem in actum secundum. Patet consequentia, quia quælibet virtus actiua est vniformiter contentiua operationis, & effectus, cuius est actiua, & simili prorsus proportione, atque adeò simili prorsus exigentia intrinseca, referturad eandem operationem, & effectum, quatenus sibi commensuratum, nec transcendentem limites eiusdem virtutis actiuæ. Confirmatur rursus, quia nulla est virtus actiua creata, quæ positis conditionibus, omnibúsque ad operandum requisitis non postulet intrinsecè productionem sui effectus absolutè boni; ita vt sit miraculosum, si nihilominus non operetur, quod est in confesso apud omnes. Eodem autem modo, quo virtus quælibet actiua creata comparatur immediatè cum suo effectu præhabitis omnibus ad operandum requisitis, comparatur etiam cum iisdem requisitis antequam ea consequatur. Perinde namque est habilis ex se præcisè ad eiusmodi requisita, atque est habilis ad effectum præhabitis iam iisdem prærequisitis. Repugnat igitur virtus actiua creata, quæ non postulet intrinsecè exigentia absoluta effectum in ipsa contentum, quatenus contentum in ipsa, nec non omnia ad illum eatenus producendum requisita. Confirmatur denique, quia nulla supereſſet ratio discriminis inter effectus, & formas vnicuique causæ, & subiecto connaturales, & supernaturales; si esset possibilis virtus aliqua creata actiua, aut passiua, cui repugnaret ex natura rei, vt reduceretur in actum secundum, seu quæ non posset connaturaliter reduci in actum secundum. Qua de re videri plura possunt accuratè discussa quæst. 6. de gratia.

Ad 1. Deus est à se, & propter se adæquatè, idémque est eminenter omnia alia extra se. Vnde quatenus essentialiter exercet rationem principij sufficientiæ adæquatè respectu sui eo ipso exercet eminenter & cum perfecta æquiualentia totam actiuitatem sibi conuenientem respectu creaturarum. Et similiter, quatenus se ipsum habet, séque fruitur, possidet perfectissimè, & totaliter finem, seu quasi finem suum adæquatè. Quapropter, siue actiuitas Dei ad extra reducatur in actum secundum producendo res creatas, siue non reducatur sic in actum secundum, perinde non est frustra, & consequenter vtrumuis est illi æquè connaturale respectu rerum creatarum, tam naturalium, quam supernaturalium. Nempe hæc differentia non conuenit rebus creatis comparatione Dei formaliter, ac præcisè; sed ex comparatione ipsarum inter se, vt manifestum est quæst. illa 6. de gratia; Nec Deus, quando producit effectum aliquem supernaturalem, operatur supra suam naturam, siue supernaturaliter respectu sui, sed tantum supra aliquam naturam creatam, & respectu eiusdem. Patet autem nihil hæc sibi inuicem aduersari, nihilque simile reperiri in actiuitate vlla propria rei creatæ, vtpote non habentis in se finem suum saltem adæquatum, & vltimum, nec exercentis in se, siue eminenter, siue formaliter totam actiuitatem suam.

Art. 1. Ad 2. In primis neque Deus, neque substantiæ intellectuales creatæ habent potentiam productiuam totius collectionis suorum effectuum absolutè possibilium sumptæ collectiuè, seu quoad species, seu quoad indiuidua singularum specierum. Quia ad impossibile nulla est potentia, atque eiusmodi collectio est impossibilis; itavt repugnet totam poni à parte rei, vtque nulla vlterius supersit adhuc producibilis, & nondum producta, aut species, aut indiuiduum, vt rectè assumitur in obiectione.

Art. 2. Deinde, quod ad Deum attinet iam modo dictum est totam eius actiuitatem esse semper in actu, & in exercitio sibi adæquato eminenter, & cum perfecta æquiualentia, etiam si nihil operetur ad extra; idque esse ipsi essentiale, sicut est repugnans causis creatis. Quod autem attinet ad naturas intellectuales creatas, dicitur totam ipsarum actiuitatem totámque vim videndi, ac cognoscendi reduci in actum secundum intensiuè quidem per comprehensionem sui, vel alterius obiecti sibi æqualis. Quia non habent vim cognoscendi intensiue maiorem, quam habeant cognoscibilitatem, vti ponderatum est quæst. 13. de Deo ab art. 2. Extensiue verò, extensione simultaneè cognoscibilium, reducitur in actum secundum eadem vis cognoscitiua per cognitionem simultaneam determinatæ, ac finitæ alicuius multitudinis visibilium. Quia cum quiuis intellectus creatus sit finitus, ac limitatus, necesse est, vt attentione distincta, & clara ad aliquam determinatam, & finitam multitudinem obiectorum, tandem exhauriatur. Porrò probabile admodum est talem esse collectionem omnium cognoscibilium de facto existentem respectu omnis intellectus creati existétis atque vtrumuis ex his extremis, in ratione cognoscibilis, & cognoscitiui, esse iustam mensuram alterius ex natura rei de facto, de quo alibi pluſculum dicendum est.

Art. 3. Quapropter ex possibilitate syncategorematicè infinita aliarum, atque aliarum rerum specie diuersarum, haudquaquam sequitur non reduci, in actum secundum, totam virtutem visiuam, & volitiuam substantiarum intellectualium existentium de facto,

facto. Tota enim reducitur nihilominus in actum secundum, vt visum est; tum intensiuè; tum extensiuè extensione se tenente ex parte virtutis cognoscitiuæ, & volitiuæ, de qua est quæstio. Solùm itaque inde sequitur non reduci totaliter eandem virtutè in actum secundum per omnem actum absolutè sibi possibilem, & circa omnia obiecta absolutè possibilia cum omni extensione possibili ex parte effectuum, & obiectorum seorsim absolutè cognoscibilium, & volibilium; de quo non instituitur, nec est opportuna quæstio. Hoc nimirum solùm vtiliter quæritur, quoad præsens attinet; vtrum quælibet virtus actiua connaturaliter exigat, vt exerceatur tota, & totaliter totalitate ipsius virtutis in aliquo suo effectu, & circa aliquem suum terminum, seu obiectum?

Ad 3. Potentia obedientialis, & naturalis vniuscuiusque causæ differunt tantum extrinsecè per diuersitatem intrinsecam comprincipiorum, & effectuum supernaturalium, & connaturalium. Eadem namque virtus actiua, atque entitas operatiua prorsus eadem quoad conceptum suum adæquatè intrinsecum, dicitur obedientialis, quatenus coniungibilis est cum comprincipiis supernaturalibus, sibique indebitis, & quatenus potest cum iisdem producere effectus supernaturales; naturalis verò dicitur, quatenus coniungibilis est cum comprincipiis sibi connaturalibus, ac debitis, & quatenus potest cum iisdem producere effectus naturales. Cæterum perfectio, quæ communicatur effectibus supernaturalibus per virtutem actiuam realiter, & entitatiuè naturalem, eidémque virtuti formaliter correspondet, est eiusdem omninò rationis cum perfectione indidem deriuabili ad effectus naturales. Totum proinde discrimen effectuum supernaturalium à naturalibus prouenit ex comprincipiis supernaturalibus, eisdémque solis formaliter correspondet. Nam vt ait Bernar. de grat. & lib. arb. col. 5. fine: *Simplices affectiones in sunt naturaliter tanquam ex nobis; additamenta ex gratia.* Et rursus *Itaque liberum arbitrium nos facit volentes, gratia benevolos, ex ipso nobis est velle, ex ipsa bonum velle.* In quam sententiam plura alia producta sunt q. 18. de gratia. Tota itáque actiuitas conueniens Angelis, & homini respectu actuum supernaturalium, & non nisi supernaturaliter reducibilis in actum secundum per eosdem actus supernaturales, exercetur nihilominus, & reducitur connaturaliter in actum secundum per actus naturales: sicut tota virtus productiua cuiusuis causæ respectu vnius alicuius sui effectus naturalis determinatè sumpti reducitur adæquatè in actum secundum per productionem alterius effectus naturalis pertinentis ad eandem speciem infimam. Reducitur inquam totaliter totalitate ipsius virtutis, licet non totalitate effectuum seorsim possibilium.

Ad 4. Paritas est bona, & conuincit ratio [illegible]ritatis, quæ adducitur; sed antecedens est falsum. Dicendum nimirum similiter est repugnare potentiam passiuam, quæ non reducatur connaturaliter in actum secundum per aliquam formam completiuam ipsius ex natura rei. Potentia namque passiua humanitatis respectu vnionis hypostaticæ, atque personæ diuinæ, vt vtar exemplo obiectionis, completur tota, & ponitur in actu per vnionem naturalem ad personalitatem itidem naturalem; atque his habitis non superest in humanitate vlla vacuitas, seu capacitas ad vlteriorem aliquam vnionem alterius simul personalitatis, ad eum vtique modum, quo vas capax vnciarum octo expletur totum vnciis octo liquoris vilis non minùs, quam totidem vnciis liquoris pretiosi. Idem contingit in quauis potentia passiua entitatiuè naturali respectu cuiusuis doni supernaturalis. Semper etenim correspondet forma aliqua connaturalis eiusdem proportionaliter muneris cum vnaquaque forma supernaturali, quæ forma connaturalis totam potentialitatem explere, & reducere in actum secundum connaturaliter possit. Alioquin enim daretur potentia aliqua passiua; quæ ex sua natura esset frustra, nec posset existere connaturaliter, nisi frustra, eadem vtique ratione, qua idem dictum est de potentia actiua. Itaque potentia entitatiuè naturalis perficitur quidem multò magis, ac proinde est intrinsecè capax, vt perficiatur multò magis per formam supernaturalem, quam per formam connaturalem; atque ideo hæc sibi determinatè debetur, sed est supra omnem eius exigentiam. Et quoad hoc deficit omnino exemplum adductum de vase æquè explebili per liquores inæquales, vtpotè non perfectibili per ipsos, neque multum, neque parum, ideóque quemlibet eorum respiciente indifferenter, vno eodem prorsus modo. Cæterum eadem potentia passiua entitatiuè naturalis ita expletur adæquatè per formam, non solùm supernaturalem, sed etiam per formam sibi connaturalem, vt simul cum ipsa forma connaturali, nullam aliam eiusdem muneris formam recipere vllo pacto possit. Quæ est sententia eatenus satis communis. Et quoad hoc tenet illud idem exemplum de vase æquè pleno per liquorem vilem, ac pretiosum.

Ad 5. Appetitus elicitus conditionatus fundatur in imperfectione cognitionis ipsum dirigentis, nempè in incertitudine eius circa conditionem, vel in apprehensione eiusdem conditionis, admodum incertæ. Appetitus autem innatus rerum dirigitur cognitione diuina, vt docet D. Thomas. 1. 2. quæst. 26. art. 1. ex dictis 1. p. quæst. 103. art. 1. Atque in cognitionem diuinam neutra imperfectio cadere potest. Quare appetitus innatus nequit esse purè conditionatus; licet talis esse possit appetitus elicitus creatus. Qua itidem ratione excluſus est à Deo quæst. 25. de ipso ad 3. omnis appetitus, & actus formaliter conditionatus.

Ad 6. In potentia libera datur simul actiuitas ad oppositа; non tamen ad simultatem oppositorum. Est enim potentia ad vtrumlibet oppositorum impediendo simul alterum extremum, contrarietatis, aut contradictionis. Quapropter elicito vtrolibet actu ex inuicem oppositis, reducitur in actum secundum tota potentia libera totalitate potentiæ, licet non totalitate actuum; & exercetur circa vtrumque ex oppositis, licet non per vtrumque. Deinde potentia, ex quo est proximè libera, connaturaliter reducitur in actum secundum exercitio vtriuslibet actus ex oppositis inter se, ideoque nullam habet actiuitatem non reducibilem connaturaliter in actum secundum.

Ad 7. Ex defectu, & limitatione causarum secundarum prouenit, vt cum inuicem sibi occurrunt, mutuò pugnent inter se, & quæ vincit, impediat alteram, quominus operetur, vel simpliciter. vel perfectè, atque determinet eandem vt vel nullum producat effectum, vel nonnisi defectuosum, & inhabilem ad omnes, vel aliquam operationem propriam suæ speciei. Verum quia fieri potuit ex natura rei, vt causa, quæ impedita fuit de facto, vel non incideret in causam contrariam impeditiuam, vel eam vinceret effectumque produceret perfectum, & habilem ad omnem operationem propriam suæ speciei; atque hoc potissimum quælibet causa, & quilibet effectus exigit, quantum est ex sua natura, & appetitu particulari: Quia inquam hæc ita habent apparet quamlibet causam posse absolutè, & per se reduci connaturaliter in actum secundum totam suam actiuitatem; & quod oppositum accidat, esse per accidens, & violentum spectata cuiusque causa secundum se natura & exigentia particulari.

Ad 8. Augustinus tum alibi sæpè, tum maximè lib. 9. de Genesi ad litt. c. 17. initio, lib. 2. soliloq. cap. 12.

cap. 12. ad fin. & toto lib. 1. de ordine, necnon lib. 2. vsque ad med. docet luculenter res omnes, & singulas habere in se quasdam naturales suas leges, & quosdam appetitus suos determinatos fundatos in cuiusque rei virtute determinata, vt per ipsam, aut in ipsa aliquid fiat nihilque Deum facere contra eas leges, & appetitus, licet multa faciat supra illos. *Quia non potentia temeraria; sed sapientiæ virtute omnipotens est*, vt dicit loco citato de Genesi. Quare in testimonio, quod obiicitur. *To naturale* sumitur non prout opponitur supernaturali. Sed prout opponitur contranaturali. Id quod apparet clarè ex principio eiusdem illius sententiæ; *nihil contra naturam facit.* Supponitur ergo potius vt certa, quam impugnetur, vt falsa, ab Augustino assertio posita. Verum de tota ista re, déque mente Augustini circa ipsam videri multa vtiliter possunt quæst. illa 28. de Deo.

Ad 9. Eodem ferè modo respondetur, atque ad 3. nempè nullam esse in actibus beatificis perfectionem, aut formalitatem peculiarem correspondentem formaliter intellectui; & voluntati beati, quæ non sit communis aliquibus eiusdem actibus naturalibus ideoque omnem actiuitatem entitatiuè naturalem, seu identificatam realiter cum intellectu, & voluntate beati, quæ supernaturaliter exercetur in actibus beatificis, reduci posse connaturaliter in actum secundum per actus aliquos naturales; ac per consequens fieri connaturaliter minimè posse, vt per nullos prorsus actus reducatur in actum secundum, nisi forte per accidens, vt dictum est. Eadem est suo modo ratio de actiuitate ad actus alios supernaturales.

## QVÆSTIO XXII.

### *Vtrùm quælibet causa possit diuinitus producere propria virtute quemlibet indifferenter effectum secundum rationem eius specificam?*

VIdetur posse. 1. Quia Augustinus c. illo 27. lib. 9. de Genes. ad litt. prop. med. cum prætulisset *elementa mundi habere definitam vim qualitatemque suam; quid vnumquodque valeat, vel non valeat quid, de quo fieri possit, vel non possit*; idque exemplis idoneis exposuisset: *Super hunc autem*, subiungit, *motum, cursumque rerum naturalem, potestas creatoris habet apud se, posse de his omnibus facere aliud, quam eorum quasi seminales rationes habent.* Ergo quoad ea, quæ potestas creatoris apud se habet, vt de his rebus omnibus naturalibus facere possit, eædem res naturales definitam vim qualitatemque suam non habent vllam, sed indefinitè, ac prorsus illimitatè quiduis de quouis, quælibet species de qualibet specie fieri diuinitus potest. Fieri verò de quouis, & de qualibet potest in genere causæ efficientis, de quo videlicet solo genere sermo, & exempla immediatè præcesserant circa naturalia, immediatè subsequuntur circa supernaturalia.

2. Eandem vniuersalitatem cuiuslibet causæ ad rationem specificam cuiuslibet effectus demonstrant exempla, quæ idem. Augustinus producit ibidem ex sacris litteris; nempè ex Num. 17. de ligno arido, & perpolito, florente nihilominus, & gignente fructus repente; ex Genesi 21. defœmina per iuuentam sterili, & patiente in senectute; ex Num. 22. de Asina loquente. Nullus nimirum effectus remotior esse potest secundum speciem suam ab vlla causa, quam sint prædicti effectus à prædictis causis. Ergo quilibet effectum potest diuinitus prouenire secundum suam rationem specificam indiscriminatim à qualibet causa.

3. Calor qui se solo potest procedere calorem, coniunctus cum igne, cuius ex sua natura est instrumentum, potest producere ignem formaliter secundum rationem specificam eius; ideò potest, quidquid potest ipse Ignis; idémque contingit in quibusuis aliis eiusmodi accidentibus. Quælibet enim accidentia coniuncta cum iis substantiis, quarum instrumenta sunt ex sua natura, possunt producere secundum rationem specificam eos omnes effectus, quos possunt producere eædem substantiæ. Quia videlicet quodlibet instrumentum potest in suo genere, quidquid potest in suo principali cuius instrumentum est. Omnes autem Causæ creatæ ex sua natura sunt instrmenta potentiæ Dei, quæ potest omnia, & secundum omnia prædicata, omnémque cuiusuis generis perfectionem. Ergo omnes causæ creatæ coniunctæ cum omnipotentia Dei possunt producere omnes, & quosuis indiscriminatim effectus secundùm omnia, & quælibet eorum prædicata.

4. Actiuitas hominis entitatiuè naturalis potest diuinitus eleuata producere virtute sua actus supernaturales secundùm rationem specificam vltimam ipsorum: secundùm quam videlicet imputantur illi ad meritum, vt vero ipsorum principio. Nulla autem ratio est, vt alicui effectus supernaturales dicantur diuinitus producibiles secundùm speciem suam ab aliqua causa entitatiuè naturali, & non etiam quilibet à qualibet. Imò adest ratio paritatis in oppositum, haud obscura; quandoquidem nulla causa entitatiuè naturalis secundùm se præcisè considerata continet in se effectum vllum supernaturalem, quoad rationem eius specificam vltimam; Omnipotentia verò diuina est æque sufficiens quantum est ex se ad eleuandum, ac iuuandum quamlibet causam creatam respectu cuiuslibet effectus, & rationis cuiuslibet specificæ, ac differentialis, atque ad supplendum quemlibet cuiuslibet causæ creatæ defectum, seu insufficientiam.

5. Decet magis amplitudinem dominij, & omnipotentiæ Diuinæ posse vti virtute propria cuiuslibet causæ creatæ pro qualibet specie effectuum; & similiter decet obedientiam, ac subordinationem creaturarum respectu creatoris esse vniuersalem penitusque illimitatam; nec potest euidenter ostendi vsum, & obedientiam eiusmodi vniuersalem repugnare. Deo autem adscribi debent decentissima quæque, neque sunt ei neganda, absque euidenti ratione repugnantiæ quæ talia apparent ex terminis.

Art. 1. Respondetur. Dictum est in quæst. præcedenti non esse possibilem vllam virtutem actiuam, quæ non possit connaturaliter reduci in actum secundum in aliquo suo effectu. Esset autem possibilis talis virtus actiua, immò esset talis omnis actiuitas creata, tum existens de facto, tum absolutè possibilis; si quælibet causa posset, vel etiam diuinitus producere, atque attingere immediatè, propria virtute, quemlibet effectum secundum rationem eius specificam. Manifestum namque est nullam causam creatam existere de facto, cuius virtus actiua possit connaturaliter exercere, & reduci in actum secundum circa quaslibet species effectuum. Experientia enim constat vnamquamque causam habere ex sua natura Sphæram determinatam actiuitatis, certis quibusdam effectuum speciebus, aut vna tantum specie circumclusam, vltra quam, saltem connaturaliter, progredi agendo nequaquam possit. Quia neque ex frigore calor, ex siccitate humiditas, ex materiali spirituale, nec (aquæ sunt exempla illa nuper insinuata Augustini) ex tritico faba, vel ex faba triticum;

ex pecore homo ; vel ex homine pecus prouenire naturaliter possunt. Neque verò dici potest rationem differentialem specificam cuiusuis ex his effectibus contineri virtualiter, seu æquiualenter in ratione differentiali specifica cuiusuis alterius ex iisdem effectibus ; cùm rationes differentiales eorum sint adæquatè inter se diuersæ. Quapropter exercita actiuitate alicuius causæ circa rationem specificam alicuius sui effectus connaturalis ; non propterea redigeretur in actum secundum , vel etiam æquiualenter , actiuitas eiusdem causæ circa quosuis alios indiscriminatim effectus secundum rationem specificam eorum. Igitur nec de potentia Dei absoluta fieri potest , vt quælibet causa producat propria sua virtute quemlibet effectum absolutè possibilem secundum rationem eius specificam.

Art. 2. Manifestatur hoc ipsum alia præterea ratione. Omnes nimirum causæ , omnesque effectus creati, tam coniunctim quàm seorsim considerati participant finitè tantum , ac limitatè bonitatem , perfectionemque diuinam , nec eam alitèr participare possunt. Quia Deus nullam rem , nullamque rerum collectionem facere potest æqualem sibi in bonitate. Vnde cuilibet rei creatæ , & cuilibet determinatæ rerum creatarum collectioni inest necessario defectus alicuius perfectionis specificæ communicabilis à Deo alteri rei , & collectioni creatæ. Nulla igitur causa creata , nullaque collectio causarum creatarum , potest vel etiam de potentia Dei absoluta producere , atque immediatè attingere propria virtute quemlibet indiscriminatim effectum secundum rationem eius specificam. Patet consequentia , quia impossibile est, etiam de potentia Dei absoluta , inde prouenire , seu partialiter , seu totaliter speciem aliquam perfectionis , vbi est totalis defectus perfectionis eiusdem. Quod , præterquam est ex terminis satis manifestum; confirmari potest ex D. Thoma ; dicente quæst. 6. de potentia, quæ est de miraculis , art. 1. ad 5. *Mortuum viuificare* ( eadem est ratio de qualibet re priuata aliqua perfectione , & nihilominus dante alteri actiuitate , & influxu suo eandem perfectionem ) *includit in se contradictionem , nec etiam de potentia absoluta fieri potest.* Nulla igitur potentia fieri potest, vt quælibet causa creata propria sua virtute attingat immediatè, & formaliter vllo pacto quemlibet indiscriminatim effectum secundum eius rationem specificam.

Art. 1. Ad 1. Augustinus solum dicit Deum posse facere de omnibus his rebus aliud , quam earum, quasi seminales rationes habent , seù quam quod ex eis prouenit sicut ex semine germen. De qua re nullus vnquam Catholicus dubitauit. Non autem superaddit vlterius Augustinus : Deum posse facere quiduis aliud de re qualibet , quod est punctum vnicum præsentis controuersiæ. Immò supponit oppositum haud obscurè illo ipso in loco dum subiungit : *Et hoc de vnaquaque re in suo tempore facit , quod ante in ea facit , vt possit.* Et iterum : *neque enim , vel illeceret, quod ex eis fieri non posse præfigeret , quoniam se ipso non est nec ipse potentior.* Mens igitur Augustini est posse de rebus naturalibus fieri , per potentiam Dei absolutam , ipsis etiam concurrentibus , aliquid vltra id , quod naturaliter possunt , atque ideo vltra definitam naturaliter vim , qualitatemque ipsarum ; non tamen omninò indefinitè , illimitatè , & vltra quam ex eis fieri posse Deus ipse præfixisset.

Art. 2. Verùm posteriores isti limites , ac termini virtutis creatæ , quatenus supernaturaliter, ac obedientialiter operantes non ita innotescunt humanæ rationi , sicut innotescunt termini , ac limites priores virtutis naturalis , quatenus naturaliter operantis. Quia ratione naturali sunt imperuia ex se supernaturalia omnia ; peruia verò , quæ naturalia sunt. Inde autem prouenit , vt termini , ac limites illi priores virtutis obedientialis fortiantur respectu nostri apparentiam quandam illimitationis omnimodæ ; quatenus , quod non percipitur , nec comprehenditur visu , aut mente , confunditur quodammodo , per primam apprehensionem, cum eo , quod re ipsa non datur. Propter magnam nimirum , circa vtrumque, vniformitatem animi neutrum videntis. Quod fortè inuerit attentiori meditatione diligentius considerare ad vitandas plures delusiones intellectus nostri circa quæstiones eiusmodi possibilitatum & impossibilitatum de potentia absoluta.

Ad 2. Exempla illa sunt de rebus retinentibus participationem virtutis , & perfectionis actiuæ , quæ connaturaliter producere posset eos effectus. Nec enim proponitur fœmina , vel asina florum fœcunda, & fructuum , nec lignum pariens illum, vel loquens. Qui sanè effectus essent magis distantes ab iis causis. Sed proponitur loquens , seu quasi loquens Asina , cui inest natiua virtus edendi vitaliter sonos in aëre , iisque significandi naturaliter internas æstimationes obiectorum. Quod est genus eiusdem quasi loquutionis. Pariens verò proponitur fœmina , quæ vtcunque sterilis accidentaliter , retinet nihilominus, quoad substantiam , virtutem generatiuam. Proponitur demum florens , & fructificans lignum , quod ex arbore , cuius est veluti cadauer , retinet plura accidentia particularia , & magnam communionem naturæ. Nempe ligna sunt diuersa specie pro diuersitate specifica suarum arborum , eisdémque sunt valdè affinia , quoad speciem naturæ, & virtutis. Nihil igitur habetur ex illis exemplis pro vniuersali vsu cuiusuis causæ , & virtutis actiuæ ad quaslibet indiscriminatim species effectuum.

Ad 3. Non est verum, quoduis instrumentum posse in suo genere , quod potest in suo , causa principalis. Nam pictor simul , & statuarius ex. gr. non potest vti iisdem instrumentis pro vtraque arte ; immò neque pro omnibus partibus , seu statuæ , seu picturæ. Deus autem est artifex vniuersalis , & illimitatus; cùm causæ creatæ sint instrumenta particularia , & valdè limitata Vnde licèt singulæ causæ creatæ possint cooperari Deo , per propriam virtutem quoad productionem eorum effectuum , quorum perfectionem specificam adæquatè , vel inadæquatè participant ; non tamen possunt cooperari quoad eos effectus , quorum perfectio specifica est adæquatè diuersa à perfectione specifica ipsarum , seu vniuscuiusque ex illis. At calor participat inadæquatè perfectionem specificam propriam sui ignis , quæ sola est communicabilis efficienter ab vnoquoque igne aliis ignibus, & propterea potest producere illos inadæquatè virtute propria secundum rationem specificam eorum; idémque cernitur in similibus aliarum substantiarum similiter limitatarum proprietatibus accidentalibus, ac instrumentariis. Manifestum igitur est paritatem non tenere.

Art. 1. ad 4. Ratio specifica vltima actuum supernaturalium coalescit ex duabus differentiis non subalternis inuicem seu non inuicem subordinatis , neque mutuò , neque non mutuò. Vitalitas namque propria visionis beatæ est ipsi communis cum actibus omnibus naturalibus , quibus supernaturalitas non est communis. Supernaturalitas verò propria eiusdem visionis est ipsi communis cum habitibus supernaturalibus , & cum vnione hypostatica , quibus non est communis vitalitas : At proinde neutra formalitas est subordinata alteri , sed vtralibet, respectu alterius secundum se, se habet disparatè. Idem appareret in cæteris omnibus formalitatibus specificis, tam visionis Dei , quam cæterorum quorumuis actuum

supernaturalium. Nulla namque in eis reperitur formalitas indiuisibilis metaphysicè, quæ se sola sit tota ratio differentialis, quæque ex conceptu suo sit intrinsecè subordinata cæteris omnibus cuiusque actus prædicatis; seu formalitatibus; sicut rationale subordinatur animali, animal viuenti, &c.

Art. 2. Hinc fit, vt intellectus, & voluntas hominis, licèt non possint propria virtute concurrere formaliter, nec adæquatè, nec inadæquatè ad supernaturalitatem actuum supernaturalium, possint nihilominus concurrere inadæquatè ad rationem specificam vltimam ipsorum, quatenus in ea includuntur prædicata aliqua communia iis actibus cum actibus naturalibus circa eadem obiecta. Nempe cætera prædicata actus meritorij tribuuntur voluntati formaliter non vt principio effectiuo eorum, sed vt electiuo tantùm. Patet autem non reperiri similiter in qualibet specie infima quorumlibet indiscriminatim effectuum prædicata formaliter correspondentia cuilibet causæ, & communia effectibus connaturaliter producibilibus per ipsam. Quapropter licet Deus possit, quantum est ex se, iuuare ad quamlibet speciem effectuum; non tamen quælibet causa potest iuuari à Deo ad quamlibet speciem effectuum. Quia non quælibet causa potest agere aliquid per se ipsam circa quamlibet speciem effectuum ob rationem superiùs ponderatam; atque de conceptu causæ iuuabilis per aliam causam est, vt aliquid agat per se ipsam, iuxta celebrem sententiam Augustini ad illud Psalm. 68. *Adiuua nos Deus: Qui adiuuatur aliquid agit per se ipsum.* In quem scopum videri possunt plura ex eodem August. quæstione 18. de gratia sub initium.

Ad 5. Non minus interest Dei, atque omnipotentiæ, & dominij Diuini repugnantia impossibilium, quàm possibilitas non repugnantium. Quia vtramque fundat, & continet in se æquè essentialiter, & vtralibet deficiente æqualiter eodémque modo deficeret Deus, vt ostensum est quæst. 3. de Deo. Quapropter rationes inde desumptæ, absque alio aliunde adminiculo, pro affirmanda determinatè, vel neganda possibilitate, aut impossibilitate cuiusquam rei, sunt prorsus inanes; nec plus aut minus ad negandum, quàm ad affirmandum requiritur, ex auctoritate, vel ex ratione, vel ex vtraque. Deinde data est in præsenti ratio negandi satis clara, ac manifesta.

## QVÆSTIO XXIII.

### *Vtrùm causa impotens cooperari secundum speciem effectus possit nihilominus cooperari secundum genus.*

VIdetur posse. 1. Quia causa similis effectui secundum genus, tam est idonea, vt influat secundum genus, quam vt influat secundum speciem, quæ est similis secundum speciem. Omnis nimirum causa est assimilatiua effectus respectu sui, & eatenus est operatiua, quatenus est inductiua similitudinis sui, vt traditur 7. met. Contingit autem aliquam causam esse similem alicui effectui secundum genus, simúlque dissimilem secundum speciem. Fieri ergo potest, vt aliqua causa sit idonea ad influendum secundum genus; licet sit inepta ad influxum secundum speciem effectuum aliquorum.

2. Contingit de facto aliquam causam influere in aliquos effectus secundum genus, simúlque non influere secundum speciem. Quia Deus influit ad effectus causarum secundarum secundum rationem entis, & Cœlum influit ad effectus istarum causarum inferiorum secundum rationem corporis sublunaris, vt docent D. Thom. de potentia quæst. 3. art. 7. cap. versus finem, & alij communiter. Ergo fieri potest, vt virtus causatiua alicuius effectus, secundum genus eius, reperiatur separata à virtute causandi eundem effectum secundum speciem eius. Patet consequentia; quia ex separabilitate influxuum in actu secundo rectè arguitur similis, ac proportionalis separabilitas quoad virtutes influendi in actu primo; quandoquidem actus primus ordinatur ad actum secundum, éstque propter ipsum cum proportione.

3. Potest aliquis effectus procedere ab aliqua causa agente secundum rationem suam genericam, licet idem procedere non possit ab eadem, vt agente secundum suam rationem specificam. Sic enim procedit cognitio abstractiua rationis genericæ à suo obiecto motiuo. Poterit ergo similiter aliqua causa agere in aliquem effectum secundum rationem eius genericam; licet non possit agere in eundem secundum rationem specificam eiusdem.

4. Formæ substantiales inesse complementi vt sic & formæ accidentales inesse qualitatis, vt sic possunt, saltem de potentia absoluta, communicari subiectis, quibus communicari nullatenus possunt secundum suos effectus formales specificos; & proprios. In hoc enim nulla apparet repugnantia, propterea éque communiter admittitur. Eadem autem est proportionalis ratio de causis efficientibus, & effectibus atque de subiectis, & formis. Similiter enim inuicem ordinantur.

Respondetur. Impossibile est aliquem causam esse similem alicui effectui, eúmque in se continere, ac producere secundum rationem specificam talis effectus adæquatè sumptam; simúlque non esse similem, non continere, non producere secundum omnem rationem genericam eiusdem. Quia ratio specifica cuiusque rei ex conceptu suo est essentialiter connexa cum omni sua ratione generica, & eidem subordinatur essentialiter, ideoque est de eius essentia inseparabilitas realis ab eadem tum in se; tum in sua causa. Impossibile igitur est causam adæquatam effectus secundum totam eius rationem specificam non esse simul causam adæquatam eiusdem secundum omnem rationem genericam ipsius. Impossibile rursus est, vt alibi demonstratum est, dari simul in actu secundo duas causas efficiétes adæquatas, vel alteram adæquatam, & alteram inadæquatam eiusdem effectus secundum eandem rationem. Impossibile igitur est causam, quæ nec adæquatè, nec inadæquatè producere potest aliquem effectum secundum perfectionem eius specificam; posse nihilominus producere eundem secundum rationem seu perfectionem aliquam genericam ipsius. Patet hæc posterior consequentia; Quia effectus producibilis à tali causa haberet aliam causam adæquatam respectu sui secundum rationem specificam; adcóque haberet duas causas adæquatas; vel saltem alteram adæquatam, & alteram inadæquatam secundum aliquam rationem genericam ipsius, vt apparet manifestè ex præmissis.

Ad 1. Omnis quidem virtus actiua est assimilatiua effectus respectu sui secundum formalitatem contentam in eadem virtute; non tamen omne simile est actiuum sui similis secundum omnem rationem, secundum quam inuicem assimilantur. Quod patet inter alia in Deo, cui secundum plura prædicata sunt similes plures causæ creatæ, pluresque earum effectus; & tamen, quia secundum suam rationem differentialem est omninò improducibilis Deus, non habet producibilitatem vllam secundum rationes communes. Hoc igitur modo effectus creatus omninò improducibilis ab aliqua causa secundum suam

rationem differentialem vltimam, est consequenter omnino improducibilis ab eadem secundum omnem, & quamlibet rationem suam communem; falsum igitur est, ita se habere similitudinem præcisè secundum genus ad productionem præcisè secundum genus; sicut se habet similitudo secundum speciem ad productionem secundum speciem.

Ad 2. *Quantò aliqua causa est altior, tantò est communior, & efficacior; & quantò efficacior, tantò profundius ingreditur in effectum*, vt dicit D. Thomas eodem illo in loco: idest, tantò plures formalitates, maiorque pars, seu quasi pars perfectionis conuenientis effectui correspondet formaliter tali causæ. Maxima autem perfectio cuiusque rei est penes rationem specificam. Quapropter, dum dicitur Deum influere secundum rationem entis, perinde est, ac dicere virtutem eius actiuam complecti omnes species entis, & in singulis speciebus omnes, & singulas formalitates earum, non tantum identicè, ac realiter, sed etiam formaliter. Nempe omnes, & singulæ causæ creatæ dependent in sua operatione ab eius influxu, non tantùm identicè, & concomitanter, sed etiam formaliter, & directè; sicut omnia media quoad vim motiuam voluntatis dependent formaliter à motione vltimi finis, de quo alibi fusiùs. Idem eadem ratione dicitur proportionaliter de qualibet causa vniuersaliori comparata cum effectu causæ minus vniuersalis sibi subordinatæ. Nulla itaque causa attingit sua virtute rationem genericam effectus, quin simul attingat rationem eius specificam. Tribuitur nihilominus peculiariter ratio specifica effectus causæ magis particulari. Quia ad solam rationem specificam concurrit formaliter; & quia causa vniuersalior determinatur ad talem speciem effectus per exigentiam causæ particularis.

Ad 3. Quò remotius est obiectum, eò magis confusam, magisque vniuersalem causat cognitionem. Quapropter, si cognitionem vniuersalem, & genericam causaret obiectum operando præcisè per rationem suam genericam, & vniuersalem, secundum quam conuenit ipsi minor perfectio, quam secundum rationem specificam; sequeretur maiorem, ac ampliorem sphæram actiuitatis conuenire obiecto ratione minoris, quam ratione maioris suæ perfectionis. Quod est inconueniens. Quia maior sphæra actiuitatis fundatur in maioritate perfectionis, & virtutis cæteris paribus; eiusdemque perfectionis, & virtutis est ex longinquo posse parum aliquid, & ex propinquo posse multum. Cognitio itaque vniuersalis, & generica gignitur ab obiecto agente tota sua virtute actiua, tum generica, tum specifica; non tamen agente totaliter ex parte effectus, sed parum, & imperfectè: sicut Deus producit virtute infinita res finitas, & paruas, & magnas; non tamen agente infinitè, & totaliter, infinitate, & totalitate actus secundi.

Art. 1. Ad 4. Duplex est ratio discriminis. Prior ratio est quia communicato, per aliquam formam, effectu formali solum generico, non propterea necesse esset communicari eidem subiecto, per aliam formam, effectum formalem specificum contentum sub illo generico. Vnde nec ipsum effectum formalem genericum necesse esset communicari adæquatè eidem subiecto per duas formas simultaneè informantes. Cuius oppositum apparuit, & est ex se manifestum circa genus causæ efficientis; cum sit euidens repugnare, vt producatur realiter ratio aliqua generica, quin simul producatur realiter ratio aliqua specifica contenta sub eo genere.

Art. 2. Altera ratio discriminis est, quia effectus formales sunt prædicata realiter distincta à subiecto, cui communicantur, eique realiter superadduntur. Prædicata verò communicabilia effectui à causa efficienti sunt identificata cum illo realiter, nec eidem realiter superadduntur. Vnde non ea ratione repugnat, communicato solo effectu formali generico per vnam formam, denuo communicari effectum formalem eiusdem rationis eidem subiecto per aliam formam dantem simul effectum suum formalem specificum; qua ratione repugnat, data effectui perfectione generica per vnam causam efficientem adæquatam, dari denuo perfectionem eiusdem rationis eidem effectui per aliam causam efficientem, siue adæquatam, siue inadæquatam. Quia nimirum quæ sunt vnicuique extrinseca, seu distincta realiter ab eodem possunt multiplicari circa idem, intrinseca verò, & identificata nequaquam. Non autem multiplicato eo, quod præstatur adæquatè per vnam aliquam, vel formam, vel causam efficientem, nihil omnino supereſt, quod denuò reipsa præstetur; præstarive possit, secundum eandem rationem, per aliam causam, siue formalem, siue efficientem, & cuius exhibitione verè exerceatur talis alia causa in actu secundo à parte rei, vti distinctius traditum est in Philosophia. Transeat igitur quod dicitur de formis, & negetur consequentia.

## Qvæstio XXIV.

### *Vtrùm Sacramenta sint causæ physicæ gratiæ, vel principales, vel instrumentales?*

Videntur non esse causæ physicæ, neque principales, neque instrumentales. Non quidem principales; quia talis dicitur ea solum causa, cuius virtus actiua est coniuncta cum perfectione maiori, vel certè non minori, quam sit perfectio effectus. Certum autem est perfectionem gratiæ præeminere perfectioni sacramentorum; quæ videlicet sunt res materiales, & admodum viles. Sed neque instrumentales causæ esse possunt. Quia de ratione instrumenti est, vt propria, & natiua sua virtute præstet aliquid conferens, ex sua natura, ad effectum causæ principalis; sicut serra acumine suo efficit sectionem necessariam, vt ab artifice fiat scamnum. Quæ sunt expositio, & exemplum D. Thomæ quæst. 62. art. 1. & alibi sæpè. Nihil autem continetur in virtute, & actiuitate naturali sacramentorum, quod eo modo comparetur cum existentia gratiæ.

Dicendum igitur videtur Sacramenta esse puras conditiones, sine quibus non respectu gratiæ quæ dependenter ab ipsis sola voluntate, & potentia diuina confertur, vti opinantur Ocham, Gabriel, Durandus, & nonnulli alij. Quibus suffragari videntur aliqua sanctorum PP. effata, vt Ambrosij lib. 1. de Sacram. cap. 5. *Aliud est elementum, aliud consecratio: Aliud opus, aliud operatio. Aqua opus est, operatio Spiritus sancti est.* Hierem. in cap. 4. Isaiæ: *Homo tantùm aquam tribuit; Deus autem Spiritum sanctum.* Augustinus epist. 23. *Aqua exhibens extrinsecus Sacramentum gratiæ, & Spiritus sanctus operans intrinsecus beneficium gratiæ, &c.* Cyprianus, vel quis alius serm. de Baptism. Christi: *Dimissio peccatorum, siue per baptismum, siue per alia Sacramenta donetur propria Spiritus sancti est & ipsi soli huius efficientiæ priuilegium manet.* Quæ aliáque similia nullam veram physicam causalitatem Sacramentis relinquunt, quam exerceant per se ipsa, sed solam rationem conditionis sine qua non.

Accedit Sacramentum aliquando conferre gratiam,

tiam, cum iam non existit, & interposito aliquo tempore; nempe recedente postea fictione, quæ adfuit, quando Sacramentum perficiebatur, vt dicetur quæst. 30. Manifestum autem est nullam causalitatem physicam præstari posse à causa, quando iam non existit; ac proinde eam causam, cuius causalitas exerceri, & effectus tunc primum existere potest cùm ipsa causa iam non existit, nùllatenus esse veram causam physicam, seu principalem, seu instrumentalem.

Sed contra est. Quia Concilia, & Patres communiter docent, idque absque vllo addito diminuente, Sacramenta esse causas gratiæ. Et præterea monent frequenter humana ratione comprehendi minimè posse, quo pacto Sacramenta causent gratiam. Quò, inter alia, pertinet admiratio illa Augustini tract. 80. in Ioan. post medium. *Vnde tanta vis aquæ, vt corpus tangat; & cor abluat!* Et paulò post: *Aqua baptismalis corpus tangit, & cor abluit:* Incongruè autem, & absurdè dicitur causa, præsertim sine addito diminuenti, quod nihil physicè præstat; nec humanam rationem prætergreditur, aut magnæ admirationis iusta materia est causalitas, omni vera physica, causalitate minor; nec aqua ita cor abluit, sicut corpus tangit, si non habet virtutem abluendi physicè cor. Concedenda igitur est Sacramentis nouæ legis causalitas physica, vel principalis, vel saltem instrumentalis propriè talis respectu gratiæ.

Art. 1. Respondetur. Infertur imprimis clarè ex dictis in triplici quæstione præcedenti, Sacramenta non producere gratiam secundum vllam eius rationem specificam aut genericam agendo in illam immediatè per virtutem suam propriam, seu identificatam realiter cum ipsis. Quia gratiæ secundum suam rationem specificam consideratæ nullum conuenit prædicatum commune sibi cum vllo prædicato specifico effectuum naturaliter producibilium per materias, & formas sacramentorum, vt patet ex se; ac proinde neque secundum suam rationem specificam, neque secundum vllam suam rationem genericam est producibilis, etiam diuinitus, virtute illarum propria agente in ipsam immediatè, vt patet ex præmissis. Tametsi autem causa principalis non eodem sensu semper vsurpetur, à nemine tamen causa principalis physica vnquam dicitur respectu alicuius effectus, quæ nullatenus potest ipsum, per propriam virtutem, immediatè attingere secundum vllam rationem formalem identificatam realiter cum eodem. Ergo Sacramenta non sunt causæ physicæ ptincipales gratiæ, nec esse potuere etiam de potentia Dei absoluta.

Art. 2. Iam causa instrumentalis, quædam est necessaria, aut conueniens, inseruitque causæ principali quoad effectum ipsius secundum se, atque ad eundem effectum simpliciter, & absolutè inducendum. Quo pacto est necessaria securis, inseruitque artifici ad inducendam formam scamni. Quædam verò alia causa instrumentalis inseruit, & est necessaria, aut conueniens, non ratione effectus causæ principalis secundum se, nec ex natura ipsius causæ principalis, & effectus eius; sed solum ad effectum sic, vel sic iuducendum iuxta peculiarem intentionem causæ principalis, & ob circumstantias accidentales non per se, sed per accidens inexistentes effectui. Quo pacto hypocritis, qui describuntur Matth. 6.2. erat necessaria tuba, & eius sonus ad largitionem eleemosynæ; ad largitionem scilicet gloriosam, & honorificam apud homines. Quæ sanè fuit inuentio nequitiæ, consideratæ naturæ rei secundum se, valdè mirabilis, vt tuba esset instrumentum dandi eleemosynam, inducerétque ipsam in genere causæ physicæ instrumentalis.

Art. 3. Vtrique instrumento commune est, vt præstet aliquid immediatè propria virtute, per quod cooperetur causæ principali in ordine ad inducendum suum effectum; præmittendo scilicet aliquam dispositionem necessariam, vt talis effectus existat hic, & nunc; vel simpliciter, vel cum aliqua speciali vtilitate, & conuenientiæ ratione. *Si enim instrumentum aliquod nihil huiusmodi ageret secundum illud, quod est sibi proprium, frustra adhiberetur ad agendum*, vt dicit D. Thomas 1. part. quæst. 44. art. 5. ac proinde non haberet vllam veram rationem causæ, seu principalis, seu instrumentalis propriè talis. Nempè est de conceptu causæ, vt sic propriè talis vt non sit frustra respectu effectus pendentis ab ipsa, sed vt aliquid conferat ex se in ordine ad existentiam eius; sitque proinde causa vel solum principalis, vel ita instrumentalis respectu vnius effectus, vt simul, ac indiuisim sit principalis respectu alterius effectus ordinati ad existentiam prioris effectus.

Art. 4. Sacramenta autem nihil eiusmodi præstare possunt virtute propria respectu gratiæ secundum se præcisè consideratæ, & iuxta eius naturam præcisam ab omnibus circumstantijs accidentaliter sibi adiungibilibus. Quia gratia est effectus ex se insensibilis, spiritualis, & supernaturalis existens auctore Deo, vt causa eius principalis adæquata, adeoque omninò independens per se ab omni sensibili, ac naturali dispositione, quam solam præstare possunt Sacramenta, virtute ipsorum propria, vt apparet ex ratione proposita art. 1. Igitur Sacramenta non habent, nec habere vllatenus possunt rationem causæ physicæ instrumentalis, respectu gratiæ secundum se præcisè consideratæ; nec sunt necessaria, aut conuenientia ad inducendam eandem sub eadem consideratione.

Art. 5. Neque verò dici potest Sacramenta eleuari per qualitatem supernaturalem communicatam sibi à Deo, vt ea mediante tanquam virtute, & ratione agendi, possint iuuare physicè ad productionem gratiæ. Primùm quia talis qualitas non posset communicare Sacramentis suum effectum formalem proprium, vt apparet ex dictis quæst. 21. præsertim ad 4. ideoque non redderet Sacramenta causatiua gratiæ, tametsi ipsa esset causatiua eiusdem gratiæ. Deinde quia perfectio specifica propria gratiæ sanctificantis in nulla qualitate, quæ non sit sanctificans, potest contineri, siue adæquatè, siue inadæquatè, ac proinde nulla alia qualitas inferioris conditionis potest esse effectiua gratiæ, siue adæquatè, siue inadæquatè. Verùm neque dispositiua ad gratiam aut purè exigitiua eius dici potest talis qualitas. Non quidem dispositiua, quia dispositionem purè physicam, sicut nullam peculiariter exigit gratia in subiecto, cui infunditur, ita nullam communicat Sacramentum; intentionalem verò, neque aliquid extrinsecum creatum causare potest in anima suscipientis Sacramentum, neque est de ratione Sacramenti vt illam inducat, aut reperiat in suscipiente, vt patet ex baptismo paruulorum, & aliorum carentium vsu rationis.

Art. 6. Nec etiam purè exigitiua gratiæ dici potest eadem qualitas eleuatiua Sacramentorum. Quia repugnat pura exigentia innata, & pura connexio physica vnius cum alio, absque aliqua alia habitudine priori inter ipsa. Omnis namque eiusmodi exigentia, & connexio fundatur in aliqua speciali proportione virtutis causatiuæ, & effectus; medij, & finis &c. nec autore Deo, & natura existere potest stulta eiusmodi appetitio destituta omni ratione petendi fundata in tali, vel tali speciali conditione petentis, & aptante, ac ordinante specialiter ad talem, vel talem terminum petitionis. Præterea quo iure

dicuntur Sacramenta seipsis immediatè connecti essentialiter cum qualitate exigitiua gratiæ; eodem immo, & potiori dici possunt, nec possunt non dici similiter connecti se ipsis immediatè cum gratia. Quia nulla talis connexio conuenire illis potest, nisi ratione diuinæ institutionis. In institutione autem diuina certissime continetur collatio gratiæ, non verò collatio talis qualitatis exigentis gratiam. Nullus itaque supereſt modus; vel extrinsecæ eleuationis intentus à Suarez, & asseclis; vel intrinsecæ informationis per qualitatem supernaturalem effectiuam gratiæ, aut dispositionis supernaturalis ad gratiam, vt intendunt moderni nonnulli Thomistæ; vel purè exigitiuam gratiæ, vt placet quibusdam aliis. Nullus, inquam, supereſt talis modus, quo Sacramenta possint esse instrumenta physica respectu gratiæ secundum se suamque entitatem præcisè.

Art. 7. Possunt nihilominus eadem Sacramenta esse, & reipsa sunt causæ physicæ instrumentales gratiæ; quatenus sensibiliter conferendæ; adiuncta videlicet per vim eorum illustratione, erectione, & excitatione peculiari animi ad considerationem intimiorem; ac faciliorem ipsius gratiæ, & beneficentiæ diuinæ, nec non effectuum, quos eadem gratia præstat suscipienti vnumquodque Sacramentum; & adiuncta consequenter speciali eiusdem suscipientis consolatione de accepto beneficio gratiæ, nec non speciali ad eandem gratiam adhæsione, & affectione. Etenim Sacramenta causant per se virtute propria speciem impressam sui in sensibus auditus, visus, vel tactus. Et rursus media sensione, atque inde cognitione sui præsupponenti, vti de facto præsupponit institutionem, & reuelationem diuinam, & notitiam vtriusque, vt dictum est quæst. 9. inducunt cognitionem gratiæ, quatenus collatæ dependenter ab ipsis. Quia verò eadem Sacramenta sunt symbola gratiæ, & effectuum eius, vt dictum est quæst. 1. & expositum clarius quæst. 11. erudiunt simul, exercéntque animum circa naturam, & effectum gratiæ. Ac demum ex duplici istiusmodi cognitione proueniunt, vt facile apparet consideranti ipsarum naturam, reliquæ vtilitates spirituales nuper indicatæ. Fuit porro valdè conueniens, ac necessarium, vt gratia conferretur, pro statu præsenti naturæ lapsæ, cum prædictis omnibus specialibus vtilitatibus, ac circumstantiis vt apparet ex quæst. illa 11. Concurrunt igitur Sacramenta, tanquam veræ causæ physicæ instrumentales ad gratiam, quatenus conferendam eo modo, quo oportet, vt conferatur de facto, atque supremus artifex optima, ac per idonea sanctificandi hominis instrumenta sibi delegit, perfecitque pro rerum opportunitate præsentium, dum nobis talia Sacramenta instituit, & indulsit.

Art. 8. Iste modus exponendi, & statuendi causalitatem instrumentalem physicam Sacramentorum in gratiam, extrahit imprimis eadem Sacramenta à ratione puræ conditionis sine qua non, respectu eiusdem gratiæ. Quia quod est pura conditio sine qua non, nihil præstat, nullúmque producit effectum virtute propria, per quem cooperetur, vel ad existentiam simpliciter, vel ad conuenientem modum existentiæ effectus, respectu cuius est conditio sine qua non. At Sacramenta, iuxta expositionem præmissam causalitatis eorum, præstant aliquid virtute propria, per quod verè, ac physicè cooperantur ad gratiam, quatenus conuenienter conferendam homini lapso, ac reparato.

Art. 9. Consonat deinde D. Thomæ idem modus exponendi. Quia S. Doctor quæst. ista 62. art. 1. & 4. & alibi semper tribuit Sacramentis causalitatem instrumentalem respectu gratiæ vtendo in eam rem exemplis serræ, securis, cultelli. Quæ sanè exempla essent absona, ac prorsus inidonea, si ageret, vt volunt Vasquez, & alij, de causalitate solum morali. Adducit verò præterea quoddam aliud exemplum in prædicto art. 4. ad 1. dicens Sacramentis inesse vim quandam spiritualem ad communicationem gratiæ, eo modo quo vocibus inest ad communicandos mutuò conceptus mentis. Nihil autem apositius dici potest ad expositionem nostræ sententiæ, nec vlli alij sententiæ exponendæ vtile, & opportunum esse potest istud exemplum. Quia voces humanæ, secundum id, quod dicunt in recto, & secundum suas entitates materiales, solam causant virtute propria speciem impressam sui. Deinde hæc species, quatenus superueniens institutioni ad placitum, & notitiæ institutionis præexistenti in audiente, inducit manifestationem conceptuum loquentis, quam ipse loquens intendit, tanquam eiusdem auctor principalis. Atque hoc demum modo euadunt voces causæ instrumentales manifestationis conceptuum, superaddita, entitati ipsarum materiali, & virtuti actiuæ innatæ, denominatione extrinseca per liberam hominum institutionem, & per intentionem loquentis. Quæ ipsa denominatio extrinseca, est extrinseca quædam vis spiritualis agendi in vocibus. Eadem autem seruatis seruandis, seu mutata tantum materia, dicta sunt, ac dici omnino debent iuxta mentem Angelici Doctoris de Sacramentis respectu collationis gratiæ conuenientis statui naturæ lapsæ.

Art. 10. Per eundem denique exponendi modum satisfit clarè, & facilè rationibus dubitandi præmissis pro vtraque parte. Prioribus enim rationibus negatiuis conceditur non inesse Sacramentis causalitatem physicam principalem respectu gratiæ; neque etiam instrumentalem effectiuam dispositionis requisitæ ad existentiam gratiæ spectata eius natura secundum se; solumque proinde Deum esse causam adæquatam totius perfectionis conuenientis gratiæ secundum se. Hoc autem tantummodo intendunt illi Sancti PP. & conuincunt illæ rationes. Negatur verò non exercere Sacramenta causalitatem physicam instrumentalem respectu gratiæ, vt conferendæ modo conuenienti statui naturæ lapsæ. Cuius oppositum nullatenus indidem conuincitur, vt patet. Verùm neque ex eo conuincitur, quòd gratia Sacramentalis aliquando conferatur tempore, quo Sacramenta iam non existunt. Quia non est de ratione omnis instrumenti, vt tunc existat, quando inducitur effectus causæ principalis, vt patet in artifice potente inducere formam scamni, postquam securis, quæ ligna antecedenter secuit, destructa est; patet verò clariùs in vocibus, quæ non existunt secundum se, sed tantum in effectu suo, quando fit manifestatio conceptus loquentis. In hunc igitur modum Sacramenta existentia tempore antecedenti possunt causare iuxta expositionem datam, sensibilitatem gratiæ, vt conferendæ tempore sequenti, quatenus ipsis pereuntibus remanet nihilominus species impressa, quæ ab eisdem processit, de quo dicetur plusculum infra quæst. 47. circa effectus Sacramenti Baptismi.

Art. 11. Iam quod attinet ad posteriores rationes dubitandi. Pro omni eiusmodi admiratione, & magnifica expensione causalitatis Sacramentorum in gratiam, abundè sufficit, quod Sacramenta physicè, ac realiter, licet instrumentaliter tantum, gratiam efficiant. Nec enim humana ratio, nisi diuina reuelatione instrueretur, ac eleuaretur, assequi vnquam, & credere potuisset res ita dispositum iri, aut etiam disponibiles esse vt efficientis connaturalis rebus materialibus, iisque vilissimis actione sua aliquid conferret ad collationem gratiæ sanctificantis, eandémque

démque gratiam aliquatenus induceret ; vtque aqua, dum corpus tangit , simul etiam , licet non eodem modo (de qua identitate modi nihil dicit , aut insinuat Augustinus) cor ablueret , cum ea præsertim huius causalitatis instrumentalis prærogatiua speciali , nec communi aliis instrumentis , quæ in quæstione sequenti clariùs exponetur. Iuuat interim obseruare in exemplo nostræ sententiæ nuper expenso ex mente D. Thomæ , voces dici communiter causas manifestationis conceptuum ; cum ad illam non plus , aut aliter influant , quam dictum est à nobis entitates materiales Sacramentorum influere in gratiam. Foret præterea valdè mirabile, si non esset quotidiana experientia vsque adeò manifestum sonos editos in aëre posse esse manifestatiuos internorum animi conceptuum , omniúmque eius discursuum , ac meditationum. Quid ni igitur admirationem pariat summam assimilis influentia , & causalitas rei materialis , & extra nos positæ in internam , ac supernaturalem infusionem gratiæ , nequaquam manifesta per experientiam, solúmque transparens obscurè per diuinam reuelationem.

---

## Qvæstio XXV.

### *Vtrùm Sacramenta sint causæ morales gratiæ ?*

VIdentur non esse. 1. Quia morale diuiditur contra physicum in vnoquoque genere. Vnde fieri non potest , vt idem prædicatum insit eidem physicè simul , & moraliter. Dictum autem est Sacramenta esse causas physicas gratiæ. Ergo non sunt causæ morales eiusdém.

2. Exempla denarij plumbei quo quis vtitur ad obtinendum centum libras ex Regis ordinatione, & exhibitionis libri , ac baculi , quibus inuestitur Abbas, reprobantur à D. Thoma, & ab aliis communiter , tanquam insufficientia , ac inidonea ad explicandam causalitatem Sacramentorum ; cum tamen sint omninò appropriata ad explicandam causalitatem moralem. Approbantur verò è conuerso ab eodem, & ab aliis satis communiter exempla ferræ , securis, & cultelli : quæ ridiculum esset dicere instrumenta moralia , aut causas morales. Ergo Sacramenta non sunt causæ morales.

3. Causa moralis mouet, ac determinat causam physicè effectiuam , ad producendum effectum vtrique communem. Neque verò id præstat, vt purum signum voluntatis ita operandi , quæ præexiterit in ipso efficienti , nec etiam præstat, vt pura conditio sine qua non apposita per voluntatem eiusdem efficientis. Quia causa ex suo conceptu communi superaddit aliquid vltra rationem puri signi , & puræ conditionis. Sacramenta autem non mouent , ac determinant Deum, qui est causa principalis efficiens gratiæ. Quia nec vis meritoria illis inest, vt patet ex quæst. 19. nec aliud moralitatis genus , qua mouere, ac determinare possint, in eis apparet.

4. Quod non est tale, vel tale physicè, dicitur nihilominus tale moraliter , præcisè quatenus æquiualet rei , cui physicè conuenit esse talem. Sacramenta autem formaliter sunt causæ physicè instrumentales gratiæ ; & nihil habent, quo æquiualeant causæ physicæ principali , qui est Deus. Ergo Sacramenta , nec causæ instrumentales, nec principales gratiæ, moraliter esse possunt.

Art. 4. Respondetur. Per hoc vel maximè differunt Sacramenta ab aliis causis instrumentalibus , quòd alia instrumenta , non solùm existere secundum se, verum etiam exercere possunt totam actiuitatem propriam ipsorum, nondum existente effectu proprio causæ principalis , & insuper quin vnquam absolutè talis effectus subsequatur , vt patet in lignis sectis serra, securi aut cultello, & nondum aptè dispositis, vel etiam vnquam disponendis ab auctore principali artefacti , vt ipsum artefactum aliquando existat. At Sacramenta , nec existere , nec effectum suum proprium , ac peculiarem actiuitate sua naturali exequi possunt , quin sequatur infallibiliter effectus causæ principalis , quantùm est ex parte ipsius causæ principalis ; id est, nisi eadem causa principalis simul cum iisdem Sacramentis aliunde extrinsecus impediantur. Differunt præterea tum ab iisdem instrumentis pure physicis, tum à causa, quæ est meritoria immediatè ratione sui. Ab instrumentis quidem purè physicis, quia huiusmodi instrumenta non dependent ex se ab vllis meritis , sicut dependent Sacramenta à meritis Christi quoad vim inducendi effectum causæ principalis. A causa verò immediatè meritoria differunt , quia causa , quæ est meritoria immediatè ratione sui habet ex se , vt inferat sub determinata mensura effectum dependentem à vi meritoria ipsius ; Sacramenta verò inferunt gratiam , sub tali determinatè mensura, præcisè ratione meritorum Christi. Differunt denique, quia instrumenta alia purè physica non constituuntur intrinsecè, nec adæquatè, nec inadæquatè in ratione talium, per determinatam voluntatem, ac intentionem vtentis iisdem instrumentis ; Sacramenta verò constituuntur intrinsecè per determinatam intentionem ministri vtentis ipsis , vt dictum est q. 6.

Art. 2. Triplici igitur ex capite dici potest Sacramenta causare moraliter gratiam , seu esse causas morales gratiæ ; vel instrumentales eo modo , quo dictum est in quæstione præcedenti esse causas physicas ; vel etiam principales moraliter sub aliqua consideratione. Primò nimirum , quia quæ parum inter se distant , aut conueniunt in prædicato , quod præcipuè æstimatur in eo comparationis extremo, quod præeminet alteri extremo, idem moraliter censentur ; quatenus parum pro nihilo reputatur , ideoque eodem nomine vtrumque significatur adiuncta particula *moralis* , illi extremo , quod re ipsa est minùs principale. Prædicatum autem , quod præcipuè æstimatur in causa physica principali effectus ; quem quis desiderat , est actiuitas inferens infallibiliter eundem effectum in quouis subiecto bene , aut non malè dispositio. Conuenit porrò illud prædicatum actiuitati Sacramentorum respectu gratiæ ; vt nuper primo loco obseruatum fuit. Rursus id omne participat denominationem moralis, quod viget vi rei in se intrinsecè moralis, idque ex aliquali coniunctione cum eadem re intrinsecè morali. Omnis autem Sacramentorum vigor dependet ex meritis Christi ; & ex quadam coniunctione actionis Ministri cum iisdem meritis, vti obseruatum similiter nuper fuit. Postremò res physicè, & actiones exteriores includentes intrinsecè actum liberum voluntatis , quoad vim inductiuam, & causatiuam alicuius effectus, dicuntur absolutè causæ morales talis effectus : Quia eatenus differunt à causa purè physica; vtpote non sic includente in se vllum actum voluntarium, ac liberum. Quo pacto contractus exteriores dicuntur causæ morales translationis dominiorum, aliorúmque similium effectuum. Dictum autem est Sacramenta includere intrinsecè, ac essentialiter talem actum internum , atque ab eo dependere formaliter quoad esse completum Sacramenti, & quoad vim illatiuam gratiæ.

Art. 3. Multipliciter ergo Sacramenta sunt causæ morales gratiæ. Verùm propter duas potissimum istas

posteriores rationes, & maximè propter tertiam tales dicuntur. Quia videlicet id maximè ac propriissimè de vnoquoque dicitur absolutè, quod sibi conuenit propriè ratione partis suæ essentialis, & non tantùm ex aliquo merè extrinseco, vtcumque demum reputetur velut intrinsecum, aut solum per comparationem, ac relationem accidentalem ad aliquid aliud adæquatè ab ipso distinctum. Talis autem est ea sola moralitas Sacramentorum, quæ notata est in tertia ratione causalitatis moralis ipsorum in gratiam. Et quidem Sacramentis conuenire causalitatem aliquam moralem, respectu gratiæ, distinctam à ratione puræ conditionis sine qua non & puri signi; rem dixit certam de fide Melchior Canus relect. de Sacram. p. 4. §. *Pro eius itaque rei explicatione.* Eandem, tanquam communem, & indubitatam omnibus, etiam causalitatis physicæ auctoribus, supponit, & tradit Suarez disp. 9. sect. 9. ante secundam conclusionem. Profecto dubitari minimè potest, aliquo ex dictis modis, Sacramenta esse causas morales gratiæ, licet nullus determinatus modus causalitatis moralis illis conuenientis talem certitudinis gradum determinatè obtineat.

Ad 1. Opponitur quidem causa purè physica causæ morali, ideoque nequit vtraque causalitas eidem rei conuenire respectu eiusdem effectus. Cæterùm non repugnat causam physicam instrumentalem, & imperfectam, actione sua, physicè ac immediatè manante ab ipsa, permouere causam principalem ad productionem sui effectus, idque sibi conuenire ex vi applicationis aliquorum meritorum respectu sui; aut per inclusionem essentialem actus intrinsecè, ac immediatè moralis; ideoque eandem causam secundum considerationes diuersas esse physicam, & moralem respectu eiusdem effectus. Ostensum autem est ea omnia coniunctim in Sacramentis reperiri.

Art. 1. Ad 2. Exempla illa displicent D. Thomæ, & aliis, non quatenus adhibentur ad explicandam causalitatem aliquam moralem Sacramentorum in gratiam, sed quatenus à quibusdam intendebatur non conuenire Sacramentis vllum aliud causalitatis genus respectu gratiæ, quam conueniat monetæ plumbeæ, vel chirographo respectu exactionis pecuniæ debitæ, cuius soluendæ obligationem significant, quin aliud præterea quidquam virtute sua efficiant, aut coefficiant; & quàm conueniat libro, cuius exhibitione inuestitur Canonicus respectu canonicatus; vel baculo, quo inuestitur Abbas, respectu Abbatiæ; cum liber, & baculus significent quidem diuersos earum dignitatum gradus, quo tantùm respexit Bernardus vtriusque auctor exempli serm. in Cœna Domini ante med. nihil tamen præstant aliud virtute sua.

Art. 2. Quæ sanè intentio iure optimo reprobatur, nec tolerari potest. Quia nec moneta plumbea vel chyrographum est causa pecuniæ, aut solutionis, nec liber, vel baculus Canonici, vel Abbatis; seu canonicatus, vel Abbatiæ; Cum tamen Sacramenta sint veræ causæ gratiæ, vt constat ex quæst. 19. Similiter exempla ferræ, & aliorum eiusmodi adducuntur quidem opportunè ad explicandam causalitatem physicam instrumentalem Sacramentorum; non tamen sunt adæquata ad excludendam causalitatem moralem physicè illi causalitati indiuisim coniunctam. Alioquin non idoneè simul adduceretur vti simul adducitur à D. Thoma exemplum vocum significantium ad placitum. Quod enim verò exemplum nec ipsum est omninò adæquatum, vt patet ex præmissis.

Ad 3. Quod ex sua natura, & actiuitate propria hoc habet, vt sit vtile, ac necessarium ad existentiam effectus, provt oportet ipsum existere; vim profectò habet mouendi causam principalem talis effectus ad productionem eiusdem. Quia auget rationem boni, & appetibilitatis conuenientem productioni secundum se. Quapropter, quod tale est, confert, ac mouet ad productionem effectus secundum substantiam ratione modi, & specialis conuenientiæ, quas adiungit ex se. Quod est diligenter obseruandum. Dictum autem est in quæst. præcedenti Sacramenta esse tale quid respectu gratiæ, quatenus subuenientis naturæ lapsæ, intuitu cuius, vt lapsæ, instituta ea sunt, nec instituenda fuissent secluso lapsu, & peculiari humanæ naturæ indigentia, quæ ex illo prouenit, vt liquet ex q. 11. Verùm, quia, vt eiusmodi motio Sacramentorum ad infusionem gratiæ redigatur in actum secundum, procedit ex meritis Christi; atque in suo exercitio includit intrinsecè intentionem liberam ministri; & insuper habet adiunctam infallibilitatem effectus inducendi; iure optimo dicitur motio, & causalitas moralis, vt expositum est in q. præsenti.

Ad 4. Vt aliquid dicatur tale, vel tale moraliter, non est necessaria æquiualentia quoad omnia, sed sufficit æquiualentia quoad prædicatum, cuius ratio maximè habetur, dum ea comparatio quasi identificatiua instituitur, vt patet in Prorege, qui moraliter est Rex. Eiusmodi autem æquiualentia non deest in re nostra, vti multipliciter apparet ex dictis. Obseruatum præterea iam est Sacramenta non tam dici causas morales principales gratiæ, propter eam æquiualentiam respectu causæ principalis physicè, quàm dicantur causæ morales instrumentales, propter dependentiam à meritis Christi, & coniunctionem intentionalem cum iisdem ex eiusdem voluntate diuina; & humana, & propter inclusionem intentionis ministri, vt operantis nomine Christi.

## QVÆSTIO XXVI.

### *Vtrùm omnia Sacramenta possint conferre primam gratiam.*

VIdentur posse. 1. Quia omne agens potens inducere rem aliquam formam incompossibilem cum alia forma, eo ipso potest istam aliam excludere. Omne enim agens potens inducere calorem, eo ipso potest simul excludere frigus, & sic de similibus. Dictum autem est q. 19. Omnia nouæ legis Sacramenta posse inducere gratiam, quæ est forma incompossibilis cum peccato. Ergo omnia possunt excludere peccatum; quod est posse conferre primam gratiam.

2. Sancti Patres omnibus promiscuè Sacramentis, maximè verò Sacramento Eucharistiæ, quod vel maximè est Sacramentum viuorum, attribuunt frequenter remissionem peccatorum, munditiam animæ, ablutionem sordium, & scelerum, ægritudinum sanationem. Hæc autem, & similia verificari minimè possunt absque potestate conferendi primam gratiam omnibus Sacramentis indiscriminatim communi, præcipuè verò Sacramento Eucharistiæ.

3. Concilium Tridentinum can. 6. sess. 7. definit. generaliter Sacramenta nouæ legis conferre gratiam non ponentibus obicem. Non autem ponit obicem peccator, qui cum bona fide accedit attritus. Idem Concilium sess. 13. can. 5. damnat dicentes præcipuum fructum Eucharistiæ esse remissionem peccatorum. Ergo supponit hanc etiam esse eius fructum. Eidem indidem percipiendo hanc solam dispositionem exigit Apost. 1. Corinth. 11. 28. *Vt probet se ipsum homo.*

Sufficien

Sufficienter autem se probat peccator, qui accedit bona fide, cum attritione existimata contritione, & credens inculpabiliter se esse rectè sufficienterque dispositum. Percipit ergo in eo casu fructum gratiæ sanctificantis, ac per consequens remissionem peccatorum.

4. Congruit magis bonitati, ac beneficentiæ diuinæ, & fiduciæ hominum in misericordia Dei, vt nullus vnquam fraudetur fructu vllius Sacramenti, qui ad illud accedit bona fide. Ergo si bona fides coniuncta fuerit cum peccato; ex quouis Sacramento percipietur gratia coniuncta cum remissione peccatorum; id est percipietur prima gratia.

Art. 1. Respondetur. Certum est apud omnes duo Sacramenta, Baptismi, & Pœnitentiæ conferre per se primam gratiam; reliqua verò quinque solum conferre per se eiusdem gratiæ augmentum. Hinc certum rursus consequenter est licitam esse per se susceptionem priorum duorum Sacramentorum in statu peccati lethalis: Qua de causa Sacramenta mortuorum nuncupantur. Reliqua verò quinque Sacramenta non licitè suscipit ab homine non præexistente in gratia, nisi excusetinuincibilis ignorantia iuris, aut facti. Qua de causa Sacramenta viuorum nuncupantur. Certum tertiò est Sacramenta mortuorum conferre, saltem per accidens, solum augmentum gratiæ, si suscipiantur ab homine iam aliunde antecedenter iustificato.

Art. 2. Dubitatur. An similiter Sacramenta viuorum conferre possint per accidens primam gratiam suscipienti illam in statu quidem peccati lethalis, sed absque nouo peccato ex ea susceptione ob ignorantiam inuincibilem, vel quod præcesserit peccatum, vel quod nondum deletum, vel quod requiratur status gratiæ? Videtur autem negandum potiùs cum D. Bonauent. Alexand. Vasquez, & aliis contra Suarez, & alios. Quia de Sacramentorum vi, & potestate, constare nobis minimè potest, nisi ex diuina reuelatione scripta, vel tradita. Sicut autem docemur apertè, per diuinam reuelationem, de potestate Baptismi, & Pœnitentiæ ad remittenda peccata, ita circa reliqua Sacramenta solum docemur de potestate conferendi augmentum gratiæ; neque quidquam præterea inde habetur de potestate conferendi, in aliquo casu, remissionem peccatorum. Sicut ergo potestas conferendi simpliciter gratiam credenda nequaquam fuisset de rebus materialibus; si reuelata diuinitus non fuisset: Ita potestas conferendi primam gratiam credenda nequaquam est, vbi nulla extat reuelatio diuina de ipsa.

Art. 3. Accedit Sacramenta significando causare, & causando significare quidquid causant, & significant, vt communiter dicitur, ac verè. Sicut autem ablutio Baptismi, & absolutio pœnitentiæ significant remissionem peccatorum; ita Panis Eucharisticus nutritionem spiritualem, & reliqua Sacramenta potestatem ad peculiares vnaquæque actiones significant; atque vtralibet vitam agentis ex se præsupponit. Vnde hæc Sacramenta nullam in se continent significationem primæ gratiæ, & remissionis peccatorum. Nunquam ergo conferre illam possunt, nisi fortè Sacramentum Extremæ-Vnctionis, circa quod adest peculiaris ratio dubitandi, de qua dicetur in loco & modo præscinditur.

Ad 1. Hoc inter alia differt gratia à qualitatibus elementaribus, quod vnaquæque ex istis, per singulos suos gradus, excludit singulos tantum gradus qualitatis contrariæ. At gratia per quemlibet suum gradum excudit omnia peccata. Vnde potestas inducendi augmentum gratiæ non est necessariò coniuncta cum potestate remittendi vllum peccatum. Neque hæc ex illa argui potest. Quia non bene arguitur potestas ad difficilius ex potestate ad facilius. Distinguendum igitur est de gratia simpliciter, & secundum augmentum tantùm; necnon de contrario auferibili sensim per gradus, & non auferibili nisi totaliter.

Ad 2. Sancti PP. dum talia dicunt, non loquuntur de eo, quod per accidens, & rarenter tantùm Sacramenta præstare possunt; sed de eo quod præstant per se, & semper quantum est ex sua natura. Vnde, dum ea dicuntur de Sacramentis in communi vniuersaliter, accipienda sunt iuxta distributionem accommodam ad singula, & ad significationem singulorum. Dum verò eadem dicuntur de singulis seorsim, ac præsertim de Eucharistia, accipienda sunt de emundatione, & sanatione à venialibus, & de reliquiis mortalium quoad prauos affectus, & pœnas temporales, atque de præseruatione in futurum, etiam à mortalibus, per adiuncta auxilia gratiæ; ac præsertim circa Eucharistiam, de eadem, vt sacrificium est, vel de motu contritionis excitato, & concepto in susceptione eiusdem, vt Sacramentum est; quæ scilicet vis excitandi, atque inducendi contritionem inest peculiariter huic Sacramento, vt notat in hanc ipsam rem Dicastillus. Particulares cuiusque seorsim testimonij interpretationes in istos sensus videri possunt apud Vasquez disput. 205. cap. 5. & apud Cardinalem de Lugo disp. 12. de Eucharistia sect. 1.

Ad 3. Concilium Tridentinum can. illo 6. sancit imprimis Sacramenta nouæ legis conferre gratiam non vtcumque, sed quam significant. Vnde confirmatur potiùs nostra sententia, vt apparet ex ponderatione præmissa art. 3. Deinde, qui ad Sacramentum viuorum accedit mortuus, accedit vtique cum obice, & venit ad nuptias absque veste nuptiali; mittendus propterea in tenebras exteriores, certè relinquendus in iis, quibus iam subiacet. Confirmatur itidem vera sententia ex illo alio can. 5. Quia si remissio peccatorum lethalium haberi posset per Sacramentum Eucharistiæ ex opere operato, is proculdubio esset præcipuus fructus ipsius. Sola igitur ibi supponitur remissio venialium, de qua non quæritur, nec dubitatur in præsenti. Iam Apostolus agit tantùm de dispositione necessaria, ne communio sit nocens, ac peccaminosa, sed honesta, & cum spe fructus. De dispositione verò necessaria ex natura rei, vt fructus Sacramenti reipsa percipiatur, ibi non agitur, vt patet ex contextu. Certè bonam fidem ad id se sola minimè sufficere aduersarij quoque ipsi consentiunt, quæ tamen sola satisfacit præcepto Pauli etiam absque attritione, vt rectè obseruat Vasquez disputatione nuper indicata fine.

Ad 4. Illi considerationi bonitatis, & misericordiæ diuinæ, nostræque in ipsa fiduciæ contraponitur remissionem peccati esse summè indebitam peccatori, & æquè debitam vindictam, cuius proinde indulgentia absque magnis expensis ex parte peccatoris, quales fiunt in Baptismo adulti, & in confessione, non facilè credenda est de iustitia Dei nihilo minore, quàm sit eius misericordia. Indicat nihilominus sententiam oppositam nostræ, licet obiter tantùm, Diuus Thomas tum alibi, tum in præsenti q. 72. art. 7. ad 2. Vnde non nego eam esse valdè probabilem ideo, vel maximè, quia vis prouocatiua iræ Dei conueniens peccato ex sua natura, hebetata admodum est, & misericordia Dei mansit quasi obærata nobis ad omne genus indulgentiæ per Passionem Iesu Christi, ex qua processerunt omnia Sacramenta, eorúmque vis omnis subsistit.

## Qvæstio XXVII.

*Vtrùm omnia Sacramenta conferant omnibus æqualem gratiam?*

Videntur conferre æqualem. 1. Quia Cyprianus lib.4. Epist.7. sub initium: *In sacramento*, ait, *salutaribus necessitate cogente, & Deo indulgentiam suam largiente totum credentibus conferunt diuina compendia.* Et rursus ante medium. *Quinimmò Spiritus sanctus non de mensura datur, sed super credentem totus infunditur. Nam si dies omnibus æqualiter nascitur, & si Sol super omnes pari, & æquali luce diffunditur; quanto magis Christus Sol, & dies verus in Ecclesia sua lumen vitæ æternæ pari æqualitate largitur?* Ergo neque ex parte sacramentorum, eorúmque secundum se diuersitate, vt liquet ex prima periodo; neque ex parte susципientium, vt liquet ex toto testimonio, éxque tota illa Epistola, potest vlla esse inæqualitas gratiæ collatæ vi sacramentorum.

2. Omnia imprimis sacramenta habent, secundum se, æqualem vim, & efficacitatem. Quia omnium vis, & efficacitas prouenit ex iisdem Christi meritis potentibus æqualiter influere per quoduis instrumentum. Nulla deinde inæqualitas influxus, & effectus prouenire potest ex inæquali deuotione, aut dispositione, vel ministri, vel susципientis, vel vtriusque. Primum, quia inæqualitas hinc prouenieus esset ex opere operantis, ideoque non esset propria sacramentorum, nec quoad effectum proprium ipsorum ex opere operato. Rursus quia sacramentorum significatio, cui est essentialiter coniuncta, atque omninò commensurata vis causatiua gratiæ, non potest esse diuersa, & inæqualis pro diuersitate, & inæqualitate deuotionis eius, aut dispositionis, vtpote insensibilium ex se, nihilque proinde significantium, vel adæquatè, vel inadæquatè. Demum quia maiora peccata, vel ministri, vel susципientis, vel vtriusque non efficiunt, vt conferatur minor gratia; ac proinde neque maiora merita efficere possunt, vt conferatur maior ex opere operato. Omnia igitur sacramenta, omnibus, & semper conferunt æqualem gratiam.

3. Sacramentum Eucharistiæ est dignius cæteris, vt per se patet, & exigit meliorem dispositionem, nempe statum gratiæ; quàm Sacramenta Baptismi, & Pœnitentiæ, vtpote conferibilia peccatori. Et nihilominus conferunt plus ista duo Sacramenta, quàm Sacramentum Eucharistiæ. Quia conferunt, simul cum gratia, remissionem peccatorum, quam Eucharistia minimè confert, aut conferre vnquam potest, vt nuper dictum est. Hic autem excessus est incompensabilis per intensionem gratiæ, vtcumque magnam. Quia plus interest esse sine peccato, quàm esse cum quantalibet intensione gratiæ. Ergo nec ex inæquali dignitate Sacramentorum, nec ex inæquali susципientium dispositione potest euadere inæqualis sacramentorum effectus quoad intensionem gratiæ. Nullũ porrò aliud apparet inæqualitatis vllius caput.

Art.1. Respondetur. Sacramenta imprimis diuersæ speciei conferunt cæteris paribus inæqualem gratiam. Quia quæ differunt specie sunt inæqualis dignitatis, vt constabit ex dicendis q.35. Dignitas autem Sacramentorum pésatur, vel maximè penes vim causatiuam gratiæ. Præterea diuina prouidentia nihil frustra molitur, & media finibus iustè semper accommodat, ideoque non vtitur inæqualibus instrumentis, nisi ad inducendos, quantum est de se, inæquales effectus.

Art. 2. Deinde idem etiam Sacramentum specie confert inæqualem gratiam, inæqualiter dispositis, dicente Tridentino sessione 6. cap.7. *Adultos per Baptismum* (eadem est ratio de reliquis Sacramentis) *iustificari, iustitiam in se recipientes secundum propriam cuiusque dispositionem, & cooperationem.* Atque in ordine naturali, cui attemperatur ordo supernaturalis, ab eodem igne plus caloris recipit, qui plus ei appropinquat. Quo exemplo vtitur in hanc ipsam rem D. Thomas quæst.69. art.8. Spectat etiam ad perfectionem prouidentiæ Dei, vt promoueat honestos hominum conatus, & feruentem vsum gratiæ antecedéter præhabitæ, donando largiùs, non solum plus merenti, sed etiam melius disposito.

Artic. 3. Confirmatur vtraque conclusio. Quia cibus, & potus naturales causant meliorem effectum ex se, quàm ablutio naturalis; & ex eodem nutrimento plus accrescit sano, aut magis sano, quàm ægro, aut minùs sano, & proportionaliter de ablutione. Ergo entitates materiales Sacramentorum (nempe est eadem quoad hoc ratio de cæteris quoque Sacramentis) ex proportione symbolica significant inæqualem effectum gratiæ, iuxta inæqualitatem, tum ipsarum secundum se, tum etiam dispositionis præexistentis ex parte subiecti. Ergo nec omnia Sacramenta eidem, vel diuersis; nec idem Sacramentum omnibus æqualem semper gratiam conferunt.

Ad 1. Tota illa Epistola Cypriani agit de solo Baptismo, & de æqualitate remissionis omnium peccatorum, atque de totalitate coniunctionis cum Deo quoad substantiam per exclusionem omnis ab eodem separationis. Quapropter nihil inde deduci potest pro maiori, vel minori, aut æquali intensione gratiæ, de qua sola, & non de peccatorum deletione instituitur præsens controuersia. Præterea exemplum illud de die, & Sole fauet potius nostræ sententiæ, quia inæqualis intensio lucis diffunditur in corpora dispariter, aut obiecta Soli, aut opaca in se.

Art.1. Ad 2. Merita Christi, sicut, & aliæ causæ principales, ac vniuersales, operantur inæqualiter ex natura rei, iuxta inæqualitatem instrumentorum, quibus vtuntur; maximè cum illis vtuntur ex proprio delectu, eoque sapientissimo, provt vtitur Christus Dominus. Eadem inæqualitas effectus prouenit similiter ex iisdem causis vniuersalibus propter inæqualitatem dispositionis repertæ in subiecto, in quod influunt.

Art. 2. Quod attinet ad deuotionem, & probitatem ministri maiorem, vel minorem; conceditur nihil eam conferre ad inæqualitatem gratiæ ex opere operato. Quia nec cibus datus à saniori, vel cum meliori intentione, magis nutrit, & sic de similibus. Negatur tamen eandem esse rationem de meliori dispositione ex parte susципientis. Quia licet augmentum gratiæ correspondens meliori dispositioni, quatenus meritoria est ipsa dispositio, non sit ex opere operato, nihilominus, quod correspondet eidem, quatenus dispositiua est formaliter, est ex opere operato. Nam dispositio, vt dispositio tenet se omninò ex parte passi, nec habet rationem causæ, vel etiam inadæquatæ respectu effectus, ad quem disponit, atque ita omnes vnanimiter censent de aliis etiam causis, & dispositionibus vniuersaliter. Dictum porrò est inæqualitatem istam prouenientem ex dispositione inæquali sufficienter significari per sacramenta, licet materialiter, & quoad entitatem, sit eadem semper significatio. Nempe significatio Sacramentorum, sicut exigentia innata aliorum agentium, est conditionata quoad hoc, & variatur formaliter variata conditione, quæ est ipsa dispositio.

Art. 3. Iam paritas ex peccatis nulla est. Quia licet peccata plura, aut maiora difficiliorem reddant demerito

demeritoriè remissionem eorum, & reditum gratiæ; cæterùm in ratione indispositionis nihil variant. Quia quoduis peccatum lethale remouet à Deo totaliter,quãtamcumque gratiã destruit,& ad quantulamcumque indisponit omninò,absque discrimine quoad gradus. Vnde maiori peccatori difficilius, sed non minor confertur gratia cæteris paribus, vndecunque ea proueniat. At dispositio bona potest esse maior, & minor; atque ad maiorem, & minorem gratiam. Quia non quiuis accessus ad Deum coniungit cum ipso totaliter,nec totam gratiam inducit.

Ad 3. Sacramentum Eucharistiæ confert per se plus gratiæ,quam alia sacramenta. Remissionem verò peccatorum, quam dant Baptismus, & Confessio, compensat cum excessu per maiorem vim præseruandi in posterum à peccatis. Præseruatio enim est quid maius in ratione doni, quam remissio, quia remouet magis à malo. Nempe remissio non impedit quominus euenerit malum præteritum cum quo pugnat.At præseruatio impedit, ne eueniat malum futurum, cum quo pugnat. Quod si remissio certa peccatorum, quæ habetur ex vi Baptismi,& Confessionis; atque præseruatio efficax incerta,quæ habetur ex vi Eucharistiæ, dicantur se habere, tanquam excedens, & excessum; accedit nihilominus pro excessu simpliciter effectus Eucharistiæ, excessus vberioris gratiæ præsenti æquè certus.

## QVÆSTIO XXVIII.

### *Vtrùm gratia Sacramentalis differat aliquatenus à gratia non Sacramentali?*

VIdetur nihil differre. 1. Quia gratia sanctificans,siue habita per sacramenta,siue habita absque sacramentis, perficit vniuersaliter animam in ordine ad actus omnium virtutum. Hoc nimirum habet ex suo conceptu, vt afferat secum habitus omnium virtutum, & dona, atque auxilia actualia illis proportionata. His autem positis ponitur omnis perfectio,cuius anima est capax,& ad quam ordinantur sacramenta.Nihil igitur superest, per quod gratia sacramentalis differat à non sacramentali;aut in plus, aut in minus.

2. Omnis additio, vel subtractio in formis variat speciem, vt dicitur 8. Metaphys. text.10. Absurdum est autem dicere, gratiam, quæ confertur per sacramenta, differre specie ab ea gratia,quæ datur absque sacramentis; præsertim cùm sacramenta instituta sint, vt reparetur gratia amissa per peccatum, eadémque augeatur, quæ gratia collata fuerat à solo Deo immediatè, nullóque interposito sacramento. Neutra igitur gratia plus aliquid habet, vel minus,ac proinde nihil differunt inter se.

Art. 1. Respondetur. Omnia sacramenta conueniunt in significanda eâdem gratia sanctificante quoad substantiam, vt apparet ex quæstione 1. differunt tamen realiter,quoad modum illam significandi. Quia aliud illam significat per modum abluentis; aliud per modum confortantis; aliud per modum nutrientis; & sic de cæteris,vt patet ex eorum materiis, & formis, & exponetur vberius circa singula sacramenta in particulari. Effectus autem sacramentorum sunt conformes significationibus eorum. Necesse igitur est, vt illi significationum diuersitati correspondeat aliqua diuersitas ex parte effectus. Nulla verò diuersitas esse potest quoad dona permanentia & habitualia gratiæ. Quia vna eadémque, quoad substantiam, gratia sanctificans confertur per omnia sacramenta,nihilque differens substantialiter à gratia,quæ confertur extra sacramenta. Quia verò habitus omnium virtutum necessariò consequuntur ad gratiam sanctificantem sub eadem eius mensura, nec etiam quoad eos habitus secundum se, vllum existit discrimen specificum.

Artic. 2. Tota itaque differentia effectiua, tenens se ex parte effectus sacramentorum, reuocatur ad auxilia actualia gratiæ, penes quæ contingit esse magnam diuersitatem sub eadem intensione gratiæ habitualis. Quare sub eadem intensione gratiæ sanctificantis potest haberi, & habetur per se, ex vi vniuscuiusque sacramenti, specialis abundantia auxiliorum actualium peculiariter vtilium ad finem itidem peculiarem ad quem vnumquodque sacramentum specialiter ordinatur; atque per talium auxiliorum diuersitatem sortitur gratia habitualis eum multiplicem modum essendi, ac iuuandi animam, qui correspondet peculiari significandi modo obseruato in vnoquoque sacramento. Quæ est sententia D. Thomæ quæstione 62. art.2. aliorúmque communis, antiquatis iam opinionibus quorundam de habitu speciali ad finem cuiusque sacramenti proprium, de gratia habituali intrinsecè curatiua, nec dabili sano; necnon de qualitate purè exornatiua animi.

Art. 3. Datur alia præterea differentia gratiæ habitualis sacramentalis à non sacramentali penes effectus formales quos non præstat se sola, sed partim per se, partim per adminicula sibi extrinsecus superaddita; quatenus gratia habitualis procedens efficienter à sacramentis habet formaliter ratione coniunctionis cum eisdem,vim peculiarem salutariter consolandi, instruendi, excitandi, vt dictum est q.11. & quæst.24.Gratia igitur habitualis, sacramentalis est quidem eadem entitatiuè cum non sacramentali; differt tamen ab eadem extrinsecè, tum per adiuncta specialia auxilia actualia gratiæ, tum per peculiares effectus formales salutares inadæquatè præstitos per ipsam secundum se.

Ad 1. Tametsi gratia quælibet habitualis perficiat animam vniuersaliter in ordine ad actus omnium virtutum; tamen quæ sacramentalis est, seu habita per sacramenta, perficit specialiter, ac magis intensè quoad aliquos actus, & præterea communicat animæ speciales effectus formales salutares modo dicto.

Ad 2. Additio, & diminutio quoad essentialia variant speciem, sed non additio, & diminutio quoad intensionem; & quoad extrinseca,aut accidentalia,vt dictum est euenire in re nostra.

## QVÆSTIO XXIX.

### *Vtrùm gratia Sacramentalis incipiat esse in instanti?*

VIdetur non incipere in instanti. Quia non incipit imprimis in instanti terminatiuo extrinseco sacramenti,pro quo primum non est ipsum sacramentum, & ante quod immediatè fuit. Deinde nec incipit,aut idem instans extrinsecum, in alio priori instanti, pro quo primùm est sacramentum, & ante quod immediatè nondum erat. Non quidem incipit esse in instanti terminatiuo extrinseco sacramenti. Primum. Quia nulla causa dat esse effectui, quando ipsa iam non existit. Deinde, quia sacramenta significant suam effectum de præsenti, vt facilè cuiuis apparet per inductionem; ac proinde, pro viuificatione sui, exigunt effectum sibi coëxistentem. Demum,quia inde fieret peccatorem validè,& sine obice

baptiza

baptizatum, cuius vita terminaretur simul cum sacramento, posse, vel nunquam nihilominus recipere gratiam, & remissionem peccatorum atque damnari nullo deinceps commisso peccato; vel saluari, tametsi extiterit in peccato per totam vitam vsque ad vltimum eius instans inclusiuè. Ex quibus duobus extremis istud secundum meritò censuit intolerabile Vasquez; primum verò intolerabiliter admisit disputatione 132.cap.4.fine. Intolerabiliter verò duplici de causa. Prima est, quia id contradicit apertè fidei promissionis diuinæ Matth.16. 16. *Qui crediderit & baptizatus fuerit saluus erit.* Altera causa est, quia id ipsum contradicit veritati significationis sacramentalis, id est institutæ à Deo, & factæ nomine Dei. Significatur enim mundari baptizatum, & liberari à peccatis; & non solum mundandum posteà, ac liberandum esse.

Neque verò potest gratia incipere esse in instanti aliquo intrinseco existentiæ sacramenti. Quia cum sacramentum perficiatur successiuè, necesse est omnes eius partes tempore mensurari. Tempus autem secundùm omnes, & quaslibet suas partes est diuisibile in infinitum; ita vt, postquamlibet partem determinatè sumptam, supersint aliæ, atque aliæ syncategorematicè infinitæ ex 6. Phys. à text.11. Quapropter, in quamcumque demum partem totius temporis, pro quo perficitur sacramentum, dicatur incidere instans inceptionis gratiæ; necesse erit fateri supereſſe post ipsum alias, atque alias partes temporis, pro quibus adhuc perficitur sacramentum, & nondum est perfectum. Quod perinde est atque fateri supereſſe adhuc alias, atque alias partes ipsius sacramenti pertinentes ad substantiam eius, nondum proinde existentem adæquatè. Incipit igitur existere gratia ex vi sacramenti nondum existente adæquatè sacramento, quoad substantiam, & essentiam; id est existit effectus, antequam existat eius causa quoad suam substantiam, & essentiam. Quod planè est impossibile.

Iam recursus ad instans terminatiuum intrinsecum si fortè datur, est inutilis. Quia sicut punctum in continuo permanenti non facit maius; ita instans in tempore, seu continuo successiuo, non facit plus durationis, ex eodem 6. Phys. ab initio. Vtrumuis autem faceret, & maius, & plus; si esset extra omnes partes diuisibiles, vt patet consideranti. Faceret enim vltra eas esse. Necesse igitur est instans terminatiuum, si datur, incidere in partem aliquam diuisibilem temporis, cui inest, atque cum eadem parte penetrari, seu quasi penetrari coëxistendo illi. Hoc autem posito sequitur idem quod prius. Nempe ea pars temporis, inquam ponitur incidere talè instans, poterit diuidi in alias rursus partes priores, & posteriores eodem illo instanti; quandoquidem indiuisibile, quisibili, neutra ex parte, commensurari potest adæquatè. Pro prioribus autem partibus nondum erit sacramentum, quia ponitur nondum esse gratia. Pro posterioribus verò partibus iam præexistet gratia; id est existet antequam existat sacramentum adæquatè.

Præterea neque id dici potest, quod nonnulli ausi sunt dicere angustiis nodosæ difficultatis coacti; nempe gratiam sacramentalem primum incipere, simúlque sacramentum perfici terminatiuè, pro aliquo instanti intrinseco existentiæ ipsius sacramenti sumpto vagè, ac indeterminatè; pro nullo verò determinatè sumpto. Hoc inquam dici non potest, quia omne quod est in se intrinsecè à parte rei determinatè est; & per solam denominationem extrinsecam potest esse indeterminatè, vel in sua causa, vel in necessitate sui, vel in intellectu imperfecto. Est enim lumine naturæ notum quodlibet quandolibet, esse determinatè, vel non esse determinatè; neque fieri potest, vt aliquid aliquando, neque sit, neque non sit in se determinatè à parte rei; & neque affirmantem, neque negantem; aut vtrumque, vel neutrum, dicere verum.

Postremò minister sacramenti post absolutam ipsius formam, potest immediatè adiicere verbum, aut syllabam, quo destruat significationem sacramentalem, vt si dicat; *hoc est corpus meum figuratiuè: Ego te absoluo:* & similiter potest mutare intentionem sub finem. Ergo gratia nullo pacto potest incipere esse pro tempore, pro quo primo existit sacramentum; sed aliquanto post, interposita mora sufficiente ad interruptionem moralem. Quod tamen nec ipsum dici potest ob rationem indicatam supra aduersus Vasquez.

Art.1. Respondetur. Terminus motus, sicut generatio, corruptio, illuminatio, est in instanti, vt dicit Commentator cum Philosopho 6.Physic.text.25. Similiter transitus de contradictorio in contradictorium fit in instanti, vt dicit D. Thomas de veritate, q.28. art.9. Quia inter contradictoria non datur medium, quod tamen est essentiale cuiuis tempori. Denique forma inducitur in subiectum in instanti; quando, vel ipsum subiectum supponitur iam vltimò dispositum, nec supereſt vlla amplius resistentia ex parte eius, vel agens est infinitæ virtutis, vt docet idem Sanctus Doctor in præsenti quæstione 75. artic.7. & 1, 2. 113. artic.7. Quia mora temporis in agendo oritur ex coniunctione formæ contrariæ resistentis, ex parte subiecti, cum virtute limitata, ex parte agentis, propterea non valentis superare subitò resistentiam.

Art.2. Concurrunt autem omnia ista quatuor in re nostra. Primum enim infusio gratiæ est terminus motus, quo fit sacramentum. Deinde transitus ad ipsam gratiam est à contradictorio eius, nempe à pura priuatione, vel totius gratiæ, vel augmenti eius, idque nulla præexistente qualitate contraria physicè resistente. Rursus subiectum præsupponitur vltimo dispositum ad gratiam, saltem pro priori naturæ. Demum potentia Dei, quæ operatur per sacramenta tanquam causa principalis adæquata, est virtutis simpliciter infinitæ. Quadruplici igitur ratione gratia sacramentalis confertur, & incipit esse in instanti. Idem iisdem rationibus dicitur circa sacramentum Eucharistiæ quoad conuersionem panis, & vini in corpus, & sanguinem Christi; eam scilicet fieri in instanti, vt docet D. Thomas dicta q.75. art.7. & in 4.dist 11.p.1.art.2.quæstiunc.2.

Art.3. Illud porrò instans incidit determinatè in eam temporis partem, pro qua significatio sacramentalis vltimò completur substantialiter quoad conceptum suum essentialem, iuxta dicta supra quæst.5. Coexistit verò eidem temporis parti posituè, licet incommensurabiliter, & inadæquatè; ad eum vtique modum, quo instantia discreta motus Angelici correspondent partibus motus continui corporalis, vt docet D. Thomas 1.p. q.53. art.3. & in 1. dist.37.q.4. art.3. & quo communiter dicitur partem plani tangi à globo.

Art.4. Neque verò admittendum propterea est, post tale instans, supereſſe adhuc necessariò partes aliquas pertinentes ad substantiam, ac essentiam sacramenti. Quia licet partes continui sint infinitæ in potentia, vt docet, & multipliciter demonstrat Philosophus toto libro 6.physic. sunt tamen finitæ actu, sicut totum ipsum continuum est finitum actu; nec oppositum huius habetur vspiam apud Philosophum. Instans autem infusionis, & inceptionis gratiæ correspondet, & coexistit actu parti postremæ substantiali sacramenti, quæ datur actu; & tantum possibiliter partibus quæ sunt in potentia. Vnde nulla

pars

pars sacramenti existit de facto licet posset existere post instans inceptionis gratiæ ; quæ pars pertineat ad substantiam, & essentiam sacramenti.

Art.5.Iam quod,post eam partem vltimam completiuam significationis sacramentalis quoad substãtiam, ac essentiam eius , superueniat intentio contraria ministri, aut superaddatur syllaba, seu verbum corruptiuæ significationis naturalis ; nihil nocet valori sacramenti. Idonea namque intentione perseuerante vsque ad prolationem syllabæ , seu partis vltimò complentis positiuè substantiam , ac essentiam significationis , iam sacramentum adæquatè perfectum erit; nec posteà factum infectum fieri vllo pacto poterit. Quapropter quidquid deindè subsequetur, esto possit causare æquiuocationem , atque deformare significationem sacramentalem , vix , vt appareat an ipsa sit ; nullitatem tamen inducere, & gratiæ subsequutionem impedire nequaquam poterit. Quia totum id erit per accidens respectu præcedentium. Confirmatur consideratione contractus purè naturalis non annullabilis in conscientia ratione alicuius purè consequentis ad ea, quibus ipse adæquatè constituitur positiuè. Ex his patet ad rationem dubitandi. Concedunrur nimirùm, & benè concludunt , quæ non contradicant iis quæ modo dicta sunt. Quæ verò contradicuntur ex iisdem soluta sufficienter manent. Nec expedit longiorem in præsenti moram facere circa tricas continui,de quibus dictum est in Philosophia , vbi etiam fusius probata, & exposita sunt, quæ hic breuiter insinuata fuere.

---

## QVÆSTIO XXX.

### *Vtrùm Sacramenta fictè suscepta conferant gratiam recedente posteà fictione ; possintque valida esse, & informia.*

VIdetur neutrum contingere posse. 1. Quia omnia sacramenta significant gratiam determinatè, ac præcisè de præsenti. Ergò si de præsenti illam non conferant , significatio erit falsa ; ac proindè sacramentum erit nullum , nec vnquam quidquam præstare poterit.

2. Verba Eucharistica directa ad fatinam , vel vuas non efficiunt posteà conuersionem in corpus , & sanguinem Christi , confecto inde pane , aut vino. Ergò reliqua sacramenta directa ad subiectum indispositum non conferunt posteà gratiam superueniente dispositione, suntque nulla ab initio. Tenet consequentia , quia vtrobique est eadem proportionalis significatio, & virtus ; ac proindè, & nullitatis ratio est eadem vtrobique.

3. Opus bonum elicitum à peccatore est mortuum , nec viuificatur ad meritum per subsequentem iustificationem. Ergò sacramentum ab homine indisposito est similiter mortuum, ac nullum,nec potest inducere gratiam ob subsequentẽ posteà dispositionem.

4. Ex communi sententia Theologorum ferè omnium , aduersus Caietanum , & Petrum de Soto , est aliquod sacramentum non conferens gratiam recedente fictione , cum qua susceptum fuit. Ergò idem dicendum est vniuersaliter de omnibus sacramentis. Nulla nimirum ratio discriminis assignari potest quoad hoc inter vnum aliquod , & aliud quoduis sacramentum. Idem dicitur suo modo de coniunctione valoris cum informitate.

Art. 1. Respondetur. Sacramentum fictè , seu cum obice susceptum dicitur , quod suscipitur absque dispositione sufficienti ad gratiam , tunc recipiendam, cùm perficitur sacramentum. Recessus fictionis , & ablatio obicis dicitur positio eius dispositionis.Sacramentum validum est , quod quantum est ex se potest conferre gratiam : informe, quod de facto illam non confert. Certum est apud omnes aliqua sacramenta valida,simulque informia esse posse. Sacramenta enim imprimentia characterem ; nempè Baptismus, Confirmatio , & Ordo , & præterea Matrimonium , suscepta à peccatore, nec contrito , nec attrito. Immò, & ab actualiter peccãte , ideóque susceptа cum obice gratiæ , & informia ; sunt nihilominus certissimè valida , nec permittitur ab Ecclesia , vt iterentur tanquam inualida propter indispositionem ad gratiam, cùm susciperentur. Hæc eadem quatuor sacramenta fictè susceptа , recedente posteà fictione conferunt gratiam.

Art.2. Ratio quod vtrumque est.Quia hæc quatuor sacramenta sunt inductiua cuiusdam formæ non exigentis imprimis tantam dispositionem, quantam exigit gratia , ideóque communicabilis subiecto , quin communicetur gratia ; ac deindè ordinantis permanenter, & intrinsecè ad finem, ad quem ex natura rei est necessaria gratia , ideoque inducentis gratiam ex natura rei,si non adsit impedimentum , quatenùs ordinatio diuina ad finem, cum sit essentialiter sapiens, ex natura rei est subministratiua mediorum ad finem, si non adsit impedimentum ex parte ipsius ordinati ad finem.Probatur facile assumptum per sufficientem partium enumerationem , & per designationem talis formæ respectu vniuscuiusque ex dictis quatuor sacramentis.

Art.3. Primum enim eiusmodi forma , respectu sacramenti Matrimonij, est obligatio vitæ socialis ordinans coniugatos ad mutuum iuuamen spirituale, tum pro fine cuiusque vltimo,tum pro bono communi, & augmento reipublicæ,& Ecclesiæ per dignos Ciues & Filios. In reliquis deindè tribus sacramentis eadem forma est character ordinans;qui est Baptismi,ad opera digna filij Ecclesiæ;qui est Confirmationis,ad militiam spiritualem pro fide fortiter gerendam ; qui est Ordinis ad ducatum spiritualem cæteris vtiliter præstandum. Patet enim verò istas formas esse minoris perfectionis, quàm sit gratia habitualis , ideóque non requiri,ad eas dispositionem tam perfectam, ac requiritur ad gratiam habitualem.Patet similiter ad prædictos fines esse necessariam gratiam habitualem , mediante qua, & non aliter proueniunt ex sacramentis auxilia actualia specialia gratiæ , de quibus dictum est suprà quæst. 27.

Art.4.Possunt igitur quatuor ista sacrmenta valere ad conferendum aliquem suum effectum proprium subiecto indisposito ad gratiam, ideóque quin conferant gratiam. Eáque propter valida simul, & informia esse possint. Quia verò talis effectus est forma intrinsecè permanens,& exigitiua gratiæ ex sua natura,vt liquet ex modo prælatis, ea certissimè inducetur, ex vi eiusdem sacramenti , ex quo idem effectus processit quandocunque ablatum fuerit impedimentum ex subiecto.Quo argumento vtitur D.Thom in hanc eandem rem circa sacramentum Baptismi q.69.art.10.Ergò eadem quatuor sacramenta fictè susceptа conferunt gratiam recedente fictione.

Art.5. Reliqua tria sacramenta Eucharistiæ confessionis , & Extremæ-vnctionis directè , & immediatè significant gratiam respectu suscipientis , nec habent vllum effectum priorem gratia , quem illi seorsim communicare possint: Quare hæc tria sacramenta collata subiecto indisposito ad gratiam , nihil prorsus illi conferunt , nihilque efficiunt. Quia verò significatio eorum est de præsenti , & absoluta , ac practica ; dum nihil efficit , eo ipso redditur falsa. Quod autem significationem sacramenti reddit falsam , eo ipso eam reddit non sacramentalem re ipsa , & sa-

cramentum reddit nullum. Quia sacramentum essentialiter est loquutio Dei. Loquutio autem falsa non potest esse loquutio Dei. Igitur hæc tria sacramenta valida, & simul informia esse nullatenùs possunt; & consequenter nec gratiam possunt vnquam in posterum conferre si fictè suscipiantur. Verùm de his omnibus plura vberiùs adiicientur infrà agendo de singulis seorsim sacramentis, ac præsertim q. 48. circa Baptismum.

Ad 1. Baptismus, Confirmatio, & Ordo, necnon Matrimonium significant gratiam, vt conferendam mediante alia forma priori, iuxtà naturam ipsius. Natura autem eius formæ prioris est, vt exigat infusionem gratiæ sanctificantis, cùm primum ipsa existit; si tunc non adsit impedimentum; sin minus posteà, cum impedimentum sublatum fuerit, vt dictum est ratione fundata in ordinatione ad finem peculiarem, quam in se continet forma illa prior conferibilis seorsim per prædicta sacramenta. Quapropter significatio supernaturalis eorum sacramentorum non est omninò commensurata significationi naturali verborum, quibus perficiuntur. Forma enim Baptismi significat supernaturaliter ablutionem, quatenùs regenerantem, vt constat ex Euangelio; cùm tamen verba, quibus constat ea forma, naturali significatione, regenerationem nulla ex parte attingant, vel etiam insinuent. Idem euenit suo modo in reliquis prædictis tribus sacramentis. Circa alia nihilominus sacramenta, quæ supersunt exceptis istis quatuor procedit benè, & concludit obiectio.

Ad 2. Verba Eucharistica directa ad farinam, & vuas nihil tunc efficiunt, nec immittunt radicem exigitiuam conuersionis, in corpus, & sanguinem Christi, posteà futuræ; suntque proindè falsa. Non ita contingit in prædictis quatuor sacramentis collatis indispositio ad gratiam, dummodò sit nihilominùs dispositus sufficienter ad formam aliam minus perfectam, quæ hominem deuinciat obligatione peculiari, cui satisfieri non possit absque gratia sanctificante, ideóque exigat existentiam eiusdem gratiæ sanctificantis, cùm primum superaddita fuerit dispositio perfectior requisita ad susceptionem ipsius.

Ad 3. Sacramentum est opus Dei, & ideò potest esse viuum, ac viuificatiuum in mortuo; licet opus ipsius mortui, nec viuum, nec viuificabile esse possit.

Ad 4. Iam redditum est discrimen legitimum inter alia, atque alia sacramenta. Adde omnes teneri ad reddendum eiusmodi discrimen quoad sacramentum Baptismi. Quia Baptismum validum simul & informem esse posse, & fictè susceptum posse nihilominùs conferre gratiam, si recedat, & cùm primum recesserit fictio, est indubitatum apud Theologos, propter auctoritatem maximè Augustini enixè, & fusè disputantis pro ea re, tanquam pro dogmate catholico lib. 1. de baptis. contra Donatistas cap. 12. ac sæpè deceps per totum ferè illud opus, atque alibi non semel. Est autem eadem ratio de aliis tribus sacramentis, quæ adiunximus sacramento Baptismi; dispar verò de tribus aliis quæ secreuimus ab eodē, vt apparet ex dictis.

## QVÆSTIO XXXI.

### *Vtrùm character sit effectus Sacramentorum?*

VIdetur non esse. 1. Quia character est signum, atque de ratione signi est, vt ingerat speciem sensibus; id est vt sit aliquid sensibile. Nihil autem sensibile conferunt sacramenta, vt patet ex eorum definitione initio præfixa. Ergò sacramenta non conferunt characterem, sed ipsa potiùs sunt characteres gratiæ inuisibilis.

2. De charactere, cuiusmodi res sit, & cuius muneris tot sunt sententiæ Theologorum, quot capita, pro libito cuiusque prolatæ absque fundamento quidquam efficaciter persuadente. Hæc autem tanta opinionum diuisio, tantúsque defectus fundamenti, est indicium vehemens falsæ suppositionis rei, quæ assumitur exponenda. Standum igitur potiùs est sententiæ Durandi dicentis characterem esse puram denominationem extrinsecam, & non physicum vllius sacramenti effectum.

3. Nec circumcisio, nec vllum aliud ex antiquis sacramentis conferebat characterem, vt fert vnanimis omnium consensus. Non est autem maior quoad hoc ratio de sacramentis nouæ legis.

Art. 1. Respondetur *character sacramentalis est signum potestatis spiritualis in ordine ad cultum Dei*; & reducitur ad secundam speciem qualitatis, vt docet D. Thom. q. 63. art. 1. ad 2. Dicitur signum, seu signaculum latè, quatenùs propriè, ac strictè est quoddam discrimen spirituale hominis specialiter deputati ad cultum Dei; ad eum modum, quo solent insigniri signo aliquo exteriori propriè tali, qui specialiter sunt deputati ad aliquod genus operationum exteriorum, vt olim milites, & modo etiam aliqui præcipuè, vt Ierosolymitani. Dici igitur aliter, & propriè potest character, pro vt in præsenti vsurpatur; *Qualitas practicè indicatiua potestatis spiritualis ad cultum Dei.*

Art. 2. Quia verò istud munus nulla alia qualitas tam benè præstare potest, quàm species impressa nullaque alia eius muneris naturaliter, ac permanenter animæ inest; necesse verò est inesse connaturaliter cuiuis subiecto formam aliquam affinem, cuilibet formæ supernaturaliter communicabili eidem subiecto quoad munus proprium, & peculiare eiusdem formæ supernaturaliter communicabilis, vt apparet ex dictis q. 21. præsertim ad 4. Quia inquam hæc ita habent; concluditur cum Altisiodorensi, Salas, & aliis characterem sacramentalem esse speciem impressam supernaturalem infusam à Deo dependenter à sacramento, & indicatiuam destinationis ad finem peculiarem; necnon potestatis peculiaris ad cultum Dei iuxta naturam cuiusque sacramenti.

Art. 3. Potestas autem ad cultum Dei est duplex. Alia namque est passiua, quæ consistit in idoneitate, & iure quodam ad suscipienda sacramenta reliqua, quorum susceptione colitur Deus, & fit protestatio fidei. Quia verò istiusmodi potestatem præstat Baptismus, qui ea de causa dicitur ianua sacramentorum; colligitur Baptismum imprimere characterem indicatiuum potestatis eiusmodi passiuæ ad cultum Dei. Potestas alia ad cultum Dei est actiua; atque hæc rursus est duplex. Altera nimirùm ad promouendos fideles in cultu Dei per administrationem sacramentorum; quam potestatem confert sacramentum Ordinis. Altera verò ad resistendum fortiter, ac viriliter hostibus fidei diuinæ, & ad tuendum hoc modo cultum Dei; quod præstat sacramentum Confirmationis. Vndè hæc etiam duo sacramenta imprimunt characterem. Reliqua quatuor sacramenta nullam eiusmodi potestatem conferunt, ideóque nec characterem imprimunt vllum.

Art. 4. Tria igitur tantummodò sacramenta Baptismus, Confirmatio, & Ordo imprimunt characterem iuxta claram, ac expressam definitionem Concilij, tum Florentini in decreto Eugenij, tum Tridentini, session. 7. can. 9. Inest porrò indelebiliter character, bonis quidem, ac prædestinatis, ac decus; reprobis verò ad contumeliam. Quia existit auctore Deo, & inest subiecto immortali, nec habet qualitatem contrariam. Tum etiam, quia est qualitas configuratiua, & participatiua ministerialiter, ac instrumentaliter sacerdotij Christi, vtpotè primitus, sic originali

originaliter continentis in se totam plenitudinem potestatis spiritualis; atque sacerdotium Christi manet in æternum ex ps.109. 4.

Ad 1. Dictum est iam characterem esse signum solum sublata quadam significatione huius vocis, & propterea dici solet res sacramenti, & sacramentum simul, quatenùs significatur propriè, & significat latè.

Ad 2. Quia non possunt homines inducere se solis immediatè species impressas obiectorum, quæ intendunt sibi inuicem manifestare, coguntur apponere, pro signo deputatiuo alicuius in aliquod ministerium, obiectum sensibile, ex quo deindè suboriatur species impressa causariua vlterius manifestationis intentæ. At Deus potest indere, & indit immediatè per seipsum speciem obiecti, seu muneris, ac deputationis, quam vult intelligibiliter indicare. Quia verò plerique Auctores apprehenderunt Deum operantem ad modum hominum, in quod est humanum ingenium valde pronum; propterea in tot dicendi modos diuisi sunt, & non propter suppositionem characteris impressi per dicta tria sacramenta, atque inhærentis intrinsecè suscipientis illa validè. Quæ videlicet suppositio est certissima, ità vt sententia Durandi non sit amplius tuta in fide. Illa igitur alia suppositio est potiùs euellenda ex animo, quæ Deum ponit operantem sicut homines quoad eum modum, qui conuenit hominibus ratione suæ imperfectionis, & insufficientiæ.

Ad 3. Nec Circumcisio, nec alia sacramenta antiqua conferebant vi sua vllum effectum spiritualem internum; sed solam sanctitatem exteriorem, & legalem, vt dictum est q. 20. Qua de causa Hebr.9. 10. dicuntur *iustitia carnis*. Vnde & Circumcisio characterem imprimebat solum in corpore. Alia longe ratio est de sacramentis nouæ legis, quæ sunt perfectiua, & consummatiua, atque promotiua veterum sacramentorum ad genus aliud effectuum nobiliorum, vt sæpe dictum, ac ostensum est.

---

## Qvæstio XXXII.

### *Vtrùm omnes, & soli Viatores sint capaces susceptionis Sacramentorum?*

VIdentur nec omnes, nec soli viatores esse capaces sacramentorum. Quia Beata Virgo, dum esset viatrix, fuit nihilominùs incapax Baptismi, cùm non habuerit peccatum originale, ad cuius deletionem principaliter ordinatur istud sacramentum; & quia Baptismus est ianua reliquorum sacramentorum, consequenter fuit incapax eorum omnium. Ergò non omnis viator est subiectum idoneum sacramenti.

1. Non possunt sacramenta validè ministrari iis, quibus nullum eadem effectum conferre possunt, vt dictum est q.30. Sacramenta autem causant omnes suos effectus dependenter à sensione sui, & per excitationem mentis, quam inducunt mediante ea sensione, vt liquet q.24. Neutrius autem sunt capaces paruuli, aliique viatores, qui non sunt compotes rationis. Ergò iidem sunt incapaces suscipiendi validè vllum sacramentum.

2. Homines viatores, & Beati sunt eiusdem speciei, ac naturæ. Ergò eorundem omnium bonorum sunt capaces, atque adeò, & sacramentorum. Ergò non soli viatores sunt capaces eorum.

Respondetur. Certum primò est solos homines viatores esse capaces sacramentorum, vt fert communis eáque certa Theologorum omnium sententia. Primò, quia perpetua & constans Ecclesiæ traditio id semper tenuit, ac tenet. Deindè quia incapaces Baptismi, sunt eo ipso incapaces reliquorum sacramentorum, cum ille sit ianua ad reliqua. Baptismum autem pro solis viatoribus institutum esse, colligitur inter alia ex illis verbis Christi Domini apud Mathæum: *docete omnes gentes baptizantes, &c.* Solis quippè hominibus viatoribus conuenit doceri ab hominibus itidem viatoribus, quales soli esse possunt ministri sacramentorum, vt dictum est q.12. Tertiò quia sacramenta instituta sunt ad conferendam sensibiliter primam gratiam, vel augmentum gratiæ, ac proindè pro iis solis instituta sunt, quibus ratione sui status inest capacitas primæ gratiæ, vel augmenti gratiæ. Hi autem sunt soli viatores. Postremò quia pro his solis instituta sunt sacramenta, pro quibus solis expediebat, vt instituerentur; cùm Deus, qui est auctor sacramentorum, nihil nisi conuenientissimè faciat. Institutio autem sacramentorum, tantum respectu viatorum, conuenientiam habet ex sua natura, vt apparet q.11. Certum rursus est omnes vtriusque sexus viatores esse capaces per se omnium sacramentorum, dempto solo sacramento ordinis, cuius fœminæ non sunt capaces: de qua exceptione dicetur in loco. Probatur, quia sacramenta instituta sunt pro viatoribus, vti modo ostensum est, nullaque apparet vllius ex ipsis exceptio, præter exceptionem modo dictam, & cùm de capacitate remota, seu ex natura rei, æquali in omnibus viatoribus ad omnia eadem dubitari minime possit, vt patet ex rationibus præcedentis assertionis; concluditur planè omnes esse æquè capaces per se ex vi institutionis, dum nulla per ipsam fit exceptio. Dicitur autem *per se*; quia multipliciter contingit plures homines viatores impediri per accidens, quominus validè suscipere valeant sacramenta; de quibus tamen impedimentis dicetur commodius infrà circa singula seorsim sacramenta; quippè impedimenta sunt diuersa pro diuersis sacramentis.

Ad 1. Nonnulli dixere Beatam Virginem fuisse incapacem omnium sacramentorum saltem post conceptionem filij sui, quia ex tunc eandem putauerunt incapacem augmenti gratiæ. Quæ tamen opinio quoad istum fundamentum est improbabilis, vt rectè pronunciat Suar. in præsenti disput.14. sect.1. paulò post initium, monens ibidem iuxtà eandem nihilominùs sententiam, defendi posse capacem sacramentorum Beatam Virginem. Quia ratione sui status non erat incapax effectus eius sacramentalis, sed aliundè, & per accidens. Quod tamen videtur subsistere minimè posse quia impedito omni prorsùs effectu sacramenti, impeditur valor eiusdem sacramenti, vndecunque impedimentum proueniat, vt liquet ex quæst.30. præsertim art.5. Defendatur igitur capacitas augmenti gratiæ in Beata Virgine, dum fuit viatrix, vt pariter defendatur capax sacramentorum. Difficultatem aliam eiusdem in eade[illegible] capaciratis, quam tangit ratio dubitandi desumpta ex baptismo, & peccato originali opportunius discutiunt Theologi in propria materia de baptismo, & à nobis ibidem dissoluetur q. 45. Interim sat est dicere ad valorem sacramenti solum requiri, vt conferat gratiam sufficientem ex sua natura ad delendum peccatum, tametsi nullum de facto deleatur peccatum, vt patet in quouis adulto iustificato prius per contritionem, & deindè baptizato. Hac de re videri multa possunt apud Cardinalem de Lugo in præsenti disp.2. sect.2.

Ad 2. Sacramenta semper ingerunt speciem sui, reddúntque proindè sensibilem, quantum est de se, collationem gratiæ; idque sufficit, vt gratia conuenienter conferatur hominibus lapsis dependenter à sacramentis; tametsi contingat aliquos esse impeditos, quominùs actualiter sentiant ipsa sacramenta, atque excitentur per sensionem eorum ad erigendum spiritualiter, ac intelligibiliter animum circa

effectus internos spirituales. Quia hoc euenit accidentaliter, atque in institutionibus vniuersalibus non habetur ratio de iis, quæ accidentaliter intercurrunt, dummodò subsistat finis principaliter intentus quoad substantiam, qui respectu sacramentorum est subuenire indigentibus per infusionem gratiæ. Deindè pueri cùm peruenerint ad vsum rationis, & amentes, si quando liberati fuerunt ab amentia, possunt vtiliter instrui de significatione sacramenti, quod prius suscepere; siquidem fieri non potest vt ministretur sacramentum ab vllo ministro idoneo, qui non sit capax percipiendi significationem sacramentalem, & per consequens instruendi de eadem eum, cui illud ministrat.

Ad 3. Homines viatores, & Beati sunt capaces eorundem omnium propter identitatem speciei, sed tantum remotè, propter diuersitatem specificam accidentium, quibus redduntur inhabiles proximè tum viatores ad plura, quæ insunt beatis, tum beati ad nonnulla viatorum propria bona, id est propria indigentium, qualia bona sunt sacramenta, vt constat ex omnibus huc vsque dictis circa ipsa.

## QVÆSTIO XXXIII.

*Vtrùm ad Sacramenta validè, & fructuosè suscipienda requiratur consensus, aut dispositio aliqua ex parte suscipientis?*

VIdetur non requiri. 1. Quia aliqua sacramenta conferuntur validè, & cum fructu carentibus vsu rationis, vt patet ex vsu Ecclesiæ conferentis illis Baptismum, & non collaturæ infructuosè, & multò minus inualidè. Quapropter valorem, & vtilitatem Baptismi paruulis collati tuentur vnanimi consensu omnes Theologi cum D. Thoma q. 68. art. 9. & Hæreticos id negantes impugnat fusè Bellarminus tom. 2. lib. 1. de Baptismo c. 8. Paruuli autem sunt incapaces naturaliter adhibendi consensum, & concipiendi dispositionem aliquam salutarem, neque constat de miraculo, quod nonnulli hæretici perperam comminiscuntur. Ergò non est de conceptu sacramenti validi, & fructuosi, seu formati, vt præsupponat, aut inueniat in suscipiente consensum vllum respectu ipsius sacramenti, aut dispositionem aliquam peculiarem respectu effectus eius.

2. Immò sacramentum potest esse validum, tametsi conferatur inuito. Quia Concil. Tolet. 4. cap. 55. relatum cap. *de Iudæis* 45. dist. atque eatenùs approbatum ab Innocentio III. in cap. *maiores de Baptismo*, definit Baptismum collatum inuito esse validum. Certè valere Baptismum, dummodò non adsit contraria voluntas, seu dissensus positiuus, videtur clarissimè doceri ab Innocentio in illo capite his verbis: *Tunc ergo characterem sacramentalis imprimit operatio, cum obicem voluntatis contrariæ non inuenit obsistentem.* Et ibidem glossa affirmat validitatem Baptismi, necnon eius efficaciam in actu secundo; tametsi suscipiens corde dissentiat, dummodò consentiat ore. Consentit ex parte Caietanus dicta q. 68. art. 7. negans ad validitatem sacramenti requiri consensum positiuum suscipientis, atque affirmans sufficere, si contraria in eo voluntas non adsit; atque ideò Gentilem, qui nihil vnquam de Baptismo cogitauit, validè baptizati dormientem.

3. Omnia nouæ legis sacramenta conferunt gratiam ex opere operato, id est independenter ab omni opere exhibito, seu à ministro, seu à suscipiente, dum perficitur sacramentum, atque adeò dependenter à solis operibus iam antèa exhibitis, seu vt communiter dicitur operatis à Christo Domino, prout stabilitum est q. 19. Nullum igitur opus requiritur ex parte suscipientis sacramentum, vt ipsum euadat validum, & fructuosum; atque vt requireretur consensus ad valorem; nulla tamen præterea necessaria est dispositio moralis positiua ad fructum, totúmque effectum sacramenti.

4. Si ex defectu consensus, aut dispositionis ex parte suscipientis sacramenta euaderent nulla, aut infructuosa; talis consensus, aut dispositio pertinerent ad constitutionem intrinsecam sacramentorum, & essent pars essentialis ipsorum, vt patet ex discursu facto in re simili quæstione 6. circa intentionem ministri, de qua, & de consensu, seu dispositione suscipientis est eadem prorsus ratio, si eadem est vtriusque necessitas, vt sacramentum sit validum. Sequela autem est absurda, vtpotè contradicens apertè doctrinæ Concilij Florentini in decreto Eugenij à quo, vt supra memoratum est quæst. 3. definitur tribus sacramenta perfici, materia, forma, & persona ministri cum intentione. Non ergò perficiuntur præterea consensu etiam, aut dispositione suscipientis, quod esset quartum, aduersus mentem Concilij.

5. Ex antiqua consuetudine Ecclesiæ confertur sacramentum Extremæ-vnctionis omnibus in vltimo vitæ periculo constitutis, tametsi petendo illud non sint, ob vsum rationis impeditum vi morbi; nec vllum anteà signum dederint; dareue potuerint sacramenti desiderati; immò quin vllum illius desiderium conceperint, aut præsumi possit eos concepisse ob inopinatum morbi euentum. Videtur ergò esse communis Ecclesiæ sensus non requiri ad valorem sacramenti consensum vllum suscipientis, aut eiusdem dispositionem aliquam pro fructu eiusdem percipiendo.

Art. 1. Respondetur. Præsens controuersia non instituitur de paruulis, aliisque perpetuò amentibus, de quibus videlicet certum apud omnes est, ob ea, quæ præmissa sunt in prima ratione dubitandi, validè, & fructuosè ipsis impendi sacramentum saltem Baptismi; tametsi nullum per se consensum, aut dispositionem exhibeant. De adultis verò habentibus vsum rationis communis, & certa Theologorum sententia est, requiri consensum ipsorum positiuum actualem, vel habitualem; seu aliquando habitum, saltem virtualiter, & implicitè; & nunquam deindè retractatum. Ita docent, vno dempto Caiet. necnon Ledesma qui illi conniuet, omnes Theologi cum Magistr. dist. 4. & cum D. Th. q. 68. art. 7. Colligitur clarè ex cit. cap. *maiores* §. *item quæritur*, vbi Pontifex decernit sic: *Ille verò, qui nunquam consentit, sed penitus contradicit, nec rem, nec characterem recipit sacramenti. Quia plus est expressè contradicere, quam minimè consentire.* Quod est argumentum à fortiori, quasi diceret; Qui nunquam consentit, nec rem, nec effectum sacramenti recipit. Ergò multò minus ea recipit, qui receptioni eorum contradicit. Idem colligitur ex Concilio Carthag. 3. cap. 34 & ex Arausic. 1. can. 12. & docetur fusè, ac frequenter ab Augustino, vt refertur in cap. *cum paruulis de consecrat.* dist. 4.

Art. 2. Ratio est; quia sacramenta omnia nouæ legis duplici summo genere continentur vt apparet ex dictis suprà, præsertim quæstione 30. Alia namque sunt, quæ imprimunt characterem, & constituunt hominem permanenter in peculiari quodam statu, eidemque consequenter imponunt onera, & obligationes peculiares permansuras toto vitæ decursu. Huiusmodi sunt Baptismus, Confirmatio, & Ordo; eodemque, licet alio titulo, reuocatur sacramentum Matrimonij, quod similiter constituit permanenter in statu peculiari, & imponit onera, & obligationes peculiares proprias ipsius. Alia sacramenta solam impertiuntur gratiam sanctificantem, atque mutuam

cum

cum Deo amicitiam, vel simpliciter, vel quoad augmentum, eadémque mediante, & non aliter, impertiuntur insuper auxilia actualis gratiæ vnumquodque peculiaria in ordine ad finem suum. Huiusmodi sunt reliqua tria sacramenta, Eucharistia, Pœnitentia, & Extrema-vnctio.

Art. 3. Connaturale autem est substantiæ compoti rationis, quatenùs præditæ libero arbitrio, eiusdémque liberi arbitrij vsu, vt neque inducatur in peculiarem aliquem statum, atque in obligationes, & onera propria ipsius, nisi dependenter à suo libero consensu; necnon vt ineat amicitiam cum dispositione animi sui congruente officiis mutuis amicabilibus, ipsique amicitiæ. Deus autem mouet vnumquodque mobile iuxtà naturam, & exigentiam intrinsecam ipsius mobilis. Ergò Deus non impertitur homini iam compoti rationis effectus priorum illorum quatuor sacramentorum independenter ab eius consensu libero; nec effectus posteriorum trium sacramentorum independenter à præuia dispositione peculiari libera eiusdem. De qua ratiocinatione videri plura possunt q. 10. de iustificat. necnon q. 8. de virtut. Theolog. & q. 6. de act. hum.

Art. 4. Quia verò sacramenta, quæ nullum, cùm perficiuntur, inducunt effectum suum in susципientem, eo ipso euadunt nulla: concluditur Baptismum, Confirmationem, Ordinem, & Matrimonium collata homini adulto compoti rationis euadere nulla, si non adsit in susципiente consensus absolutè liber respectu ipsorum; similitérque euadere nulla respectu eiusdem sacramenta Pœnitentiæ, & Extremæ-vnctionis; si vltra consensum non superaddatur dispositio peculiaris congruens receptioni gratiæ sanctificantis. Excluditur autem ab ista illatione sacramentum Eucharistiæ, quia hoc sacramentum non consistit in vsu, sicut cætera sacramenta, ideóque perfici valide potest, nullo vllius susципientis præexistente, aut consensu, aut dispositione peculiari. Cæterum huius quoque sacramenti susceptio euadit suo modo nulla, si non adsit in susципiente dispositio eiusmodi peculiaris. Quia perinde nullum fructum parit, atque si non susciperetur reipsa; dum susципitur ab indisposito, aut non disposito positiuè.

Art. 5. Sufficit autem ex communi Theologorum sententia, eiusmodi, seu consensum, seu dispositionem extitisse aliquando, & nunquam deindè retractatum fuisse vsque ad instans susceptionis sacramenti inclusiuè; nec necesse est adesse actualiter in susципiente aliquem actum, in quo virtualiter contineatur prædictus, seu consensus, seu dispositio; sicut necesse est, vt in ministro perficiente sacramentum adsit actualiter aliquis actus, in quo saltem virtualiter contineatur intentio legitima illud perficiendi, prout stabilitum est supra q. 15. Ratio discriminis est, quia minister est causa efficiens, & necesse est, vt intentio legitima ipsius sit causa vere influens in actionem, vel actiones exteriores, quibus perficitur ipsum sacramentum. Quod fieri non potest, quin actualiter adsit pro tunc, vel formaliter illa ipsa intentio, vel actus alius, in quo eadem implicitè saltem, & virtualiter contineatur, vti ostensum est in illo loco. At susципiens sacramentum se habet purè passiue, neque quidquam exequi debet, in quod influat consensus, aut peculiaris dispositio ipsius; ideóque sufficit, vt habitualiter tantùm vterlibet actus perseueret.

Art. 6. Sufficit similiter, vt consensus quem diximus requiri; sit virtualis tantùm, & implicitus, quod itidem docet communis Theologorum omnium sententia. Quia videlicet præexistente vtcunque consensu, licet sit solum virtualis, & implicitus, aut etiam inuoluntarius, aut coactus secundum quid, non inducetur in nouum statum, nouásque obligationes, & onera, independenter omninò à libera sua cooperatione, atque electione; idque solum necessarium esse conuincit ratio nuper à nobis proposita de necessitate dicti consensus. De dispositione autem præterea peculiari requisita, ratione gratiæ sanctificantis; propterea nihil necesse est dicere seorsim in præsenti, quia est dispar quoad alia, atque alia sacramenta; ideóque opportunius exponetur, dum dicetur de singulis sacramentis.

Ad 1. Conceditur Baptismum collatum paruulis valere, & operari perfectè totum suum effectum. Sed negatur paritas ex ipsis ad adultos compotes rationis. Quia compos rationis libera sua voluntate prouidere sibi potest; nec decet sapientiam, & suauem prouidentiam Dei, vt agat cum illo, permittátque alios agere nomine suo, tanquam cum substantia rationis experte, propterea que penitus exposita liberæ dispositioni, ac directioni alterius cuiusquam. Cuius oppositum, propter directionis & electionis propriæ defectum, dicendum est de carentibus vsu rationis, ideóque substantibus vtiliter, ac necessariò voluntati, ac liberæ determinationi aliorum, quoad ea, quæ minimè nocent, sed prosunt, vti prosunt plurimum sacramenta.

Ad 2. Inuitus, & coactus dicitur dupliciter. Primò simpliciter, quasi nullo modo volens, aut omninò retinens; atque, qui hoc modo est inuitus, seu coactus respectu sacramenti, non recipit illud validè, quodcunque demum sacramentum sit: secundo dicitur inuitus, & coactus solùm secundum quid, quatenùs vult simpliciter, & secundum quid non vult, quia vult compulsus metu cadente in constantem virum, ideóque cum quadam quasi coactione; atque qui hoc modo est inuitus validè susципit sacramentum, si nihil obstet aliud, vt dictum est suprà; siquidem absolute consentit. De hoc secundo solùm coactionis genere intelligendi sunt textus, quibus nititur obiectio. Certè Innocentius, cuius illa sententia videtur difficilior, iam priùs dixerat ibidem solum defectum consensus irritare sacramentum. Vnde cùm posteà statuit valorem sacramenti, dummodò non adsit obex voluntatis contrariæ obsistentis nomine contrariæ voluntatis intelligit etiam purum defectum consensus. Vel dicatur in casu, ad quem respondet ibi Pontifex non dari medium inter consensum, & dissensum cum æquali vtriusque defectu, ac præcisione. Quæsitum namque fuerat à Pontifice de valore baptismi collati inuito; qui proindè supponitur, vel habuisse verum, ac realem consensum, licet metu extortum, vel totaliter dissensisse. Quapropter non erat è re, vt Pontifex decerneret etiam de casu, in quo nec dissensus, nec assensus adesset vllus. Illa itaque opinatio Glossæ, & Caietani, nec probabilis est, nec tolerabilis.

Ad 3. Patet ex eadem illa quæst. 19. Dictum nimirum est, ideò sacramenta conferre gratiam ex opere operato, non quia nullum requiritur opus ex parte recipientis adulti: sed quia illam conferunt, vel nulla existente vi meritoria in opere eiusdem recipientis, vel certè vltra mensuram virtutis meritoriæ, quæ illi inest.

Ad 4. Non quidquid requiritur ad valorem sacramenti, vtcumque ad illum requiratur, pertinet ad constitutionem intrinsecam ipsius sacramenti, sed quod requiritur directè, & immediatè ratione sui, vti obseruatum est in illa quæstion. 6. Consensus autem, atque dispositio susципientis sacramentum requiritur ad valorem eius solum ratione effectus communicandi per sacramentum ipsi susципienti, vt apparet ex ratione reddita supra ab artic. 2. cùm intentio ministri non ea solùm de causa requiratur, sed directè, & immediatè ratione ipsius sacramenti secundum se. Hoc pacto in agentibus etiam purè

physicis, ac naturalibus, si quid requiratur ex parte ipsorum, vt agant, ideò ipso pertinet ad virtutem actiuam causæ, illámque constituit intrinsecè; non tamen pertinet ad constitutionem eiusdem dispositio passi congruens effectui producendo; licet deficiente ea dispositione perindè nihil efficere possit causa, quantumcumque secundum se completa. Adde intentionem ministri de perficiendo sacramento esse conditionatam saltem virtualiter, & implicitè. Quia non vult omninò absolutè conferre sacramentum, & eius effectum, sed si adsit dispositio sufficiens ex parte suscipientis. Vndè, non subsistente ista dispositione, intentio ministri euadit nulla absolutè, & perindè nihil operatur, atque si nullus omninò actus re ipsa extitisset intentiuus sacramenti, & effectus eius. Cuiusmodi nihil habet locum in agentibus purè physicis. Iam Florentinum in eo decreto solùm agit de requisitis vniuersaliter ad valorem sacramenti respectu cuiusuis indiscriminatim suscipientis, atque adeò etiam respectu paruuli, cuius nullus requiritur consensus. Præterea non intendit exponere omnia vtcumque requisita ad valorem sacramenti, alioquin expressisset, simul cum persona ministri, personam quoque suscipientis, quæ proculdubio requiritur. Solùm igitur declarare voluit causam efficientem, atque intrinsecè constituentem adæquatè. Quo persona, & consensus, atque dispositio suscipientis minimè pertinent.

Ad 5. Patet satis ex art. 6. & patebit magis infrà quæst. 100. art. 4. & q. 101.

## QVÆSTIO XXXIV.

### *Vtrùm Sacramenta nouæ legis sint septem?*

Videtur dicendum, esse plura vel pauciora. Quia si considerentur secundùm genus, vel speciem subalternam duplici differentia continentur. Diuiduntur enim adæquatè in sacramenta viuorum, & mortuorum; necnon in sacramenta, quæ consistunt in vsu, & in sacramentum, quod ex sua natura est permanens, nec consistit in vsu. Si verò considerentur secundum speciem infimam, sunt plura, quàm septem. Quia sacramentum Eucharistiæ, quod est vnum ex septem communiter enumeratis, diuiditur rursus in duas species; nempè in sacramentum corporis Christi, & in sacramentum sanguinis Christi. Quorum vtrumlibet existere, & sacramentaliter operari potest separatum ab illo. Similiter sacramentum ordinis subdiuiditur in plures ordines specie distinctos, quorum singuli sunt totidem sacramenta valentia seorsim existere, & operari sacramentaliter. Si verò considerentur secundum numerum sunt tot, quin plura, vt patet.

Art. 1. Respondetur septenarius numerus sacramentorum nouæ legis est notissimus in Ecclesia, deriuatus ex traditione Apostolica, certus ex fide, & definitus expressè in Concilio Florentino a Eugenio IV. in decreto Vnionis, necnon à Trident. sess. 7. can. 1. de sacramentis in genere qui sic habet: *Si quis dixerit sacramenta nouæ legis non fuisse omnia à Iesu Christo Domino Nostro instituta, aut esse plura, aut pauciora, quàm septem; videlicet Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam-vnctionem, Ordinem & Matrimonium; aut etiam aliquod horum non esse verè, & propriè sacramentum; anathema sit.*

Art. 2. An in istiusmodi definitionibus numerentur solæ species infimæ sacramentorum, an partim species infimæ, partim genera, seu species subalternæ, dissidetur inter Theologos, maximè modernos. Quod dissidium mirum est, quod Tannerus ausus est dicere esse mere vocale; cùm species infima, & genus, seu species subalterna differant, non solùm voce tenus, sed re ipsa, propriisque definitionibus apud omnes, notissimis distinguantur, atque discernantur inuicem, atque indè præterea fieret, vt essent irritæ, certè essent leuissimæ, nulliúsque reipsa momenti definitiones prælatæ Conciliorum vsque adeò sedulò ab eis traditæ aduersus hæreticos. Subscribendum porrò est Suarez, Cardinali de Lugo, & aliis apud ipsos dicentibus, contra Vasquez, Conink, & alios, prædictam sacramentorum diuisionem fieri secundum solas species infimas ipsorum. Quia iuxta oppositam sententiam æquè propriè, ac verè dici absolutè, & sine addito posset sacramenta à Christo Domino instituta esse duo, & non plura, nec pauciora; nempè alterum viuorum, & alterum mortuorum; vel alterum permanens, alterum transiens, & consistens in vsu. Quam sequelam meo quidem iudicio prædurè admittit Meracius. Quia qui affirmat aliqua esse septem; & nec plura, nec pauciora; eo ipso simul negat eadem esse duo, & nec plura, nec pauciora; cùm duo sint pauciora, quàm septem, & plura hæc, quàm duo; atque hæc oppositio & incompossibilitas affirmationum, & negationum est manifesta retenta vtrobique eadem numerandi ratione; vti certissimè retinetur in præsenti iuxtà oppositam sententiam. Vtrobique enim, iuxta illam, alterum numerationis extremum est species infima, alterum genus: Ne igitur contradicatur Conciliis dicendum potiùs est sacramenta nouæ legis esse septem tantùm secundum species infimas ipsorum.

Art. 3. Septenarium istum numerum sacramentorum esse conuenientissimum, adeóque obseruatum esse à Deo de facto, qui conuenientissimè omnia sua opera distribuit, persuadet optima ratione D. Thomas q. 65. art. 1. Quia videlicet sacramenta Ecclesiæ instituta sunt ad viuificandos spiritualiter homines, eosdemque promouendos in vita spirituali, vt dictum est superius; atque supernaturalia affinitate quadam conformantur naturalibus, & spiritualia corporalibus vnumquodque in proprio genere; vti colligi potest ex dictis supra q. 21. & communiter assumitur, vt certum à Theologis dicentibus passim ordinem supernaturalem imitari naturalem rerum ordinem cum mutua proportione generis ad genus. In vita autem naturali, ac corporali quinque sunt vnicuique, secundum se præcisè, ac absolutè considerato, necessaria; & duo insuper alia relatiuè ad multitudinem, seu communitatem. Vnusquisque enim indiget positiuè, & per se tribus quibusdam, vt naturaliter viuat, & benè habeat quoad vitam naturalem, ac corporalem, nempè generatione, per quam incipit esse, & viuere; augmento, per quod perducitur ad magnitudinem, & ad perfectionem virtutis actiuæ congruentem humanæ naturæ, & nutritione, per quam conseruatur vita, & vigor agendi iam præhabitus. Indiget præterea aliis duobus per accidens, & ex suppositione nocumenti superuenientis, vt hocremoueatur, nempè sanatione, quæ pristinam salutem ægrotanti restituat; & bona tractatione, quæ reliquias ægritudinis iam depulsæ penitus auferat, atque salutem restitutam finaliter perficiat. Postremò relatiuè ad communitatem duobus vnusquisque indiget principaliter; nempè potestate iurisdictionis; qua regere multitudinem possit, & exercere actus publicos; necnon virtute generatiua, per quam cooperari potest ad conseruationem communitatis, quæ quotidie atteritur, ac minuitur ratione mortalitatis humanæ.

Art. 4. Totidem igitur aliis opus habet vnusquisque secundum vitam spiritualem, ac supernaturalem; nempè Baptismo, per quem spiritualiter regeneratur iuxtà illud ad Titum 3. 5. *per lauacrum regenerationis, &c.*

Confirma

Confirmatione, per quam augetur virtus præexistens ex vi baptismi, atque inducitur robur peculiare per infusionem Spiritus sancti iuxta illud Luc. 24. 49. *Sede te in Ciuitate quoad vsque induamini virtute ex alto*, Eucharistia, per quam spiritualiter nutritur anima, atque præseruatur à peccatis iuxta illud Ioan. 6. 54. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam*; Et rursus: *In me manet, & Ego in illo*; Pœnitentia, qua pellitur ægritudo peccatorum, & restituitur salus animæ, cum deperdita fuerit per peccatum, iuxta illud psal. 405. 5. *Sana animam meam*; Extrema-vnctione qua tolluntur reliquiæ peccatorum, & finaliter perficitur spiritualis salus hominis ad vitam æternam iuxta illud Iacob. 5. 15. *Et si in peccatis sit, dimittentur ei*; Ordine, per quem accipitur potestas subueniendi multitudini iuxta illud ab Hebr. 7. 27. De sacerdotibus. *Hostias offerunt non solum pro se, sed etiam pro populo*; Matrimonio, per quod, quatenus est officium naturæ propagatur, & conseruatur genus humanum, & quatenus est sacramentum exhibentur ciues spiritualiter educati, & instructi, provt oportet. Patet itaque conuenientissimum fuisse, vt sacramenta nouæ legis, nec plura essent, nec pauciora, quam septem.

Art. 5. Istum discursum aliosque eiusmodi, qui sunt admodum frequentes tum apud Sanctos PP. tum apud Præcipuos quosque Theologos Magistrum sententiarum, Alexandrum de Ales, D. Thomam, D. Bonauenturam, aliosque eius affines contemnunt penitus nonnulli leuiores Theologi, & flocci pendunt, eoque in loco habent, in quo meritò haberi possent discursus ipsorum proprij, & pecul ares à prædictis, & Theologis, & SS. I P quos r.uereri oportet, tum vel maximè, cùm maximè latet vis rationis ipsorum; ne temerè credatur tantos viros diuino afflatos spiritu, & ingenio sublimes, ac profundos penitus desipuisse, atque iis adhæsisse, quæ reipsa essent prorsus inania, ac inutilia. Quod ad rem ipsam attinet secundum se, error eiusmodi censuræ irrepsit in eos homines ex errore alio, quo putant Deum æquè posse quidlibet ex qualibet suppositione, nec teneri vlla necessitate ad optimum in vnoquoque genere possibile ex suppositione, quod decernat exequi ipsum genus. Quam eorum existimationem pluribus efficaciter reieci quæst. 28. de Deo sequutus Augustinum dicentem. *Quidquid tibi vera ratione melius occurrit, hoc scias fecisse Deum.*

Ad rationem dubitandi, quoad secundam eius partem, quæ sola indiget responsione, dicetur infra ex professo; inter exponendum duo illa sacramenta. Interim dicatur breuiter; sicut conflatur vnum numero sacramentum ex materia, & forma inter se vnitis non physicè, sed moraliter, quasi per aggregationem propter vnicam significationem gratiæ; ita etiam sacramentum Eucharistiæ esse vnum specie infima; nec non, & ordinem; licet constent partibus inter se separabilibus. Quia accidentia panis, & vini, corpus, & sanguis Christi, licet prædita sint significationibus gratiæ specie inadæquata diuersis, vnum nihilominus specie infima completa sacramentum constituunt vnitate aggregationis, aut quasi aggregationis; quandoquidé in perfectione vnius conuiuij spiritualis includuntur, suntque partes, quasi integrantes ipsius, sicut cibus, & potus naturalis respectu conuiuij naturalis. Quo tamen non obstante cibus Eucharisticus est vnum actualiter adæquatum, & perfectum sacramentum, cùm separatur à potu Eucharistico; ad eum modum, quo pars rei materialis decisa ab aliquo toto est deinceps totum quoddam perfectum, & completum se sola. Haud aliter dicendum est de Ordine. Quia omnes ipsius gradus disponunt ad vnum, eundemque finem ministerij publici bonorum spiritualium; atque comparantur inter se, sicut gradus intensionis physicæ, qui præexistentibus superadditi ita vnam simpliciter specie infima qualitatem constituunt, vt gradus quilibet præexistentes vnam similiter qualitatem constituerent se solis. Hoc nimirum ipsum proportionaliter accedit in differentiis ordinis sacramentalis, vtpotè subordinatis inuicem simili modo. Quod subordinationis genus in reliquis sacramentis inter se collatis minimè datur, vtpotè directis ad fines inter se diuersos, nec vsque adeò inuicem subordinatos, atque connexos.

## QVÆSTIO XXXV.

### *Vtrùm detur aliquis Ordo inter Sacramenta?*

VIdetur nullum omninò ordinem existere inter sacramenta inter se collata. Quia omnia procedunt ab eodem principio, quod est Deus, & ad eundem effectum ordinantur, qui est gratia. Quæ autem sunt eiusdem rationis; tum ex parte principij, tum ex parte effectus nullum prioris, & posterioris ordinem seruant sub aliqua ratione, sed se habent ex æquo quoad omnia. Certè quoad gradum perfectionis, ex cuius ordine reliqui omnes ordines dependent, vel sunt omninò paria propter rationem propositam; vel se habent tanquam excedens, & excessum. Qua de causa Valentia, Suarez, Vasquez, alijque admodum frequenter censent nullum ordinem dignitatis, ac perfectionis certa aliqua regula firmiter constitui posse inter sacramenta, vno dempto sacramento Eucharistiæ. Quod etiam ipsum si consideretur non absolutè, & secundum se præcisè, sed relatiuè ad suspicientem, & quoad perfectionem effectus, quem illi communicat, se habet similiter tanquam excedens, & excessum comparatione baptismi, & pœnitentiæ; quatenus confert vberiorem gratiam, quàm vtraque hæc sacramenta; & non confert remissionem peccatorum, quam illa conferunt.

Art. 1. Respondetur. Quæcunque à Deo sunt, ordinata sunt; atque sacramenta sunt, vel maximè à Deo. Et præterea Concilium Tridentinum sess. illa 7. can. 3, definit: *septem sacramenta non ita esse inter se paria, vt nulla ratione aliud sit alio dignius*; atque sess. 13 cap. 1. 2. & 3. docet haud obscurè sacramentum Eucharistiæ esse dignius reliquis sacramentis, quod ipsum multiplici ratione demonstrat D. Thomas dicta q. 65. art. 3. alijque ibidem communiter. Necesse igitur est fateri aliquem ordinem inter sacramenta. Triplex autem eorum ordo considerari potest; nempè rationis, seu doctrinæ, necessitatis, & dignitatis.

Art. 2. Ordo rationis, seu doctrinæ, est ille ipse, quo eadem sacramenta numerata sunt ex Concilio Tridentino in quæst. præcedenti art. 1. Probatur, quia imprimis quilibet seorsim, & singulariter sumpti sunt priores ratione, quàm multitudo illos continens in se, & vnicuique cæteros superaddens, dicente Philosopho simplicia esse priora compositis, atque manifestantibus experientia, & terminis ipsis, priùs concipi per se id, cui fit additio, quam additamentum simul cum eo, cui additur. Quapropter, quia ordo, & matrimonium respiciunt multitudinem ex se, sunt posteriora reliquis quinque sacramentis, quæ vnumquemque seorsim, & secundum se præcisè perficiunt ex sua natura, vt notatum est in eadem quæst. præcedenti art. 3. & 4. Ordine verò posterius est matrimonium, quia istud ad filios carnales, ille ad spirituales gignendos ordinatur; atque intentio doctrinæ Theologicæ directè fertur ad spiritualia ideóque prius ad magis spiritualia cæteris paribus. Deinde, inter reliqua quinque sacramenta, priora sunt, quæ conferunt

per se, & fouent vitam spiritualem positiuè, quàm quæ medentur malo superuenienti per accidens. Quapropter Pœnitentia, & Extrema-vnctio sunt posteriores reliquis tribus; atque Pœnitentia, per quam acquiritur simpliciter sanitas deperdita, est prior, quàm Extrema-vnctio, per quam eadem perficitur magis, & reliquiæ mali pelluntur. Demum inter alia sacramenta, quæ supersunt, præit Baptismus, per quem homo regeneratur; & primum esse spirituale, cui cætera deindè superædificantur, acquiritur; sequitur mox Confirmatio, augens, ac roborans virtutem datam per Baptismum, eidemque superaddens. Succedit posteà Eucharistia, cui annexa est vltima vitæ Christianæ perfectio, & finis summæ vnionis cum Deo. Ordo itaque rationis hic est: Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Pœnitentia, Extrema-vnctio, Ordo, Matrimonium.

Art. 3. Ordine necessitatis præeunt quinque sacramenta, quæ dictum est pertinere directè, & principaliter ad perfectionem vniuscuiusque seorsim, & secundum se. Magis etenim necesse est vnumquemque esse, & perfectum esse; quàm vt suum esse, & virtutem in alios diffundat. Inter hæc quinque, magis necessaria sunt tria illa, quæ dictum est requiri per se, quàm reliqua duo requisita per accidens ratione peccati purè personalis, cuius solius existentia, & non etiam originalis est per accidens respectu institutionis sacramentorum, vt patet ex q. 11. Ex istis duobus magis necessarium est, vt per se patet, quod tollit peccata quoad substantiam, quàm quod solum tollit, saltem per se, reliquias eorum. Iam ex illis aliis tribus summa necessitas est eius sacramenti, quod dat primum esse spirituale, & sine quo cœtera haberi non possunt. Magis deindè necessarium est vnde specialiter prouenit robur fidei, quàm vnde specialiter prouenit augmentum charitatis. Quia fides est magis necessaria, quàm charitas; cùm hæc absque illa haberi minime possit; bene tamen è conuerso. Demum ex sacramentis ordinatis ad multitudinem, magis necessarium est, vnde propagantur filij carnales, quàm vnde spirituales propagantur: idque propter eandem impossibilitatem, vt dentur spirituales absque carnalibus, cum isti absque illis existere possint. Per hunc igitur discursum, iuxta notionem sacramentorum præmissam in q. præcedenti, apparet seriem necessitatis inter ipsa esse istam: Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Pœnitentia, Extrema-vnctio, Matrimonium, Ordo.

Art. 4. Ordo dignitatis inter eadem Sacramenta est idem, atque ordo necessitatis, sed inuersus. Quia sacramenta, vt sacramenta, sunt media ad sanctitatem, & vitam æternam; atque mediis magis necessariis superadduntur minùs necessaria sub eodem genere, vt accumulent maiorem perfectionem, supra perfectionem præexistentem; vtque superaddita ea maiori perfectione accedant propinquius ad finem, cui est summa perfectio. Præcellunt igitur dignitate sacramenta, quæ sunt minus necessaria; & eò magis quò minus necessaria sunt. Excipiuntur tamen Eucharistia, quæ tenet primum locum dignitatis; & Matrimonium, cuius est postremus locus. Vtrumque enim hoc sacramentum eximitur, licet opposito modo ab identitate eius rationis, secundum quam instituta à nobis est sacramentorum vniuersim omnium comparatio, quoad dignitatem ipsorum. Quia sacramentum Eucharistiæ non habet solam rationem medij, sed magis rationem finis propter realem Christi Domini inclusionem in se, qui est finis omnium aliorum tum spiritualium, tum corporalium: necnon propter vberiorem inde redundantem abundantiam gratiæ, atque maiorem vim præseruandi à peccatis iam iterùm notatam suprà. Matrimonij verò maior necessitas, quàm ordinis non est formaliter ex ratione sacramenti, & gratiæ, quam confert; sed ex ratione contractus, & generationis naturalis: Et quod ad rationem sacramenti attinet, minus gratiæ confert, quàm vllum aliud sacramentum. Quia finis specialis eius per se facilior, & essentialiter minùs dignus, quàm fines speciales cæterorum sacramentorum. Series itaque dignitatis, & perfectionis inter sacramenta est, quæ sequitur: Eucharistia, Ordo, Extrema-vnctio, Pœnitentia, Confirmatio, Baptismus, Matrimonium.

Ad rationem dubitandi. Contingit idem principium, & causam principalem vti disparibus instrumentis ad effectus similiter dispares inter se. Ostensum autem est dispares esse effectus sacramentorum disparitate, tum necessitatis, tum etiam dignitatis, nec non independentiæ quoad apprehensionem, & intelligentiam. Auctores oppositum sentientes, ideò inciderunt in illam, vt dicam syncerè, inanitatem excedentis, & excessi, quam vniuersaliter est impossibile, reperiri inter vllas duas species infimas rerum absque excessu simpliciter alterutrius ex illis, vti obiter concluſum est q. 44. de Deo ad 7. art. 2. & alibi ostenditur ex professo. Inciderunt inquam in huiusmodi inanitatem, quia confuderunt ordinem necessitatis cum ordine dignitatis; cum re ipsa sint non solùm diuersi, sed etiam oppositi ordines. Quæ eorum confusio apparet ex illa eorundem comparatione inter Eucharistiam, & Baptismum, ac Pœnitentiam; sicut appareret falsitas eius confusionis per rationes à nobis productas, quibus etiam præoccupantur multa alia, quæ leuiter mouent in præsenti Bernal, & alij nonnulli.

---

## QVÆSTIO XXXVI.

### *Vtrùm sacramentalia, seu ritus Sacramentorum operentur per se immediatè effectum aliquem spiritualem?*

VIdentur nullum eiusmodi defectum operari posse 1. Quia quod est vndequaque perfectum, qualibet additione non minùs, quàm detractione qualibet deterioratur, sacramenta autem existunt auctore Deo, cuius opera sunt vndequaque perfecta. Ergò sacramenta, quæ sunt ex institutione Dei, deteriorantur per additionem rituum sacramentalium, qui superinducti sunt institutione humana. Quod autem nocet operi Dei non potest esse inductiuum effectus vllius spiritualis, sed potiùs impeditiuum, aut diminutiuum effectus alioquin extituri.

2. Quod est signum simul, & causa effectus alicuius spiritualis, non est sacramentale tantùm, & circumstantia sacramenti; sed per seipsum præcisè est verè, ac propriè sacramentum, vt liquet ex eius definitione, & declaratione tradita quæstione 1. Repugnat igitur in terminis sacramentalia, atque ritus accidentales sacramentorum esse causatiuos per se immediatè effectus vllius sacramentalis. Sunt itaque signa tantùm eorum præcisè effectuum, quos inducunt sacramenta vi sua secundum se, nec aliud specialiter operantur, quàm vt significationem propriam sacramentorum imprimant magis animo, reddántque clariorem.

3. Ritus sacramentales ex sua natura ordinantur singuli ad singula sacramenta quibus adiacent. Ergò si quem haberent effectum peculiarem, is similiter ordinaretur ad effectum sacramentorum, tanquam quædam dispositio peculiaris ad ipsum. Quia sicut se habet causa ad causam, ita se habet effectus ad effectum earundem causarum. Sequela autem est falsa. Quia plures ritus sacramentales adhibentur post peractum

substantia

substantialiter sacramentum;ac proinde post existentiam effectus causati per ipsum sacramentum. Nequit verò habere rationem dispositionis ad aliquem effectum, quod sequitur post eundem effectum. Adde eiusdem rationis esse ritus, qui antecedunt, & comitantur substantiam sacramenti, quique superadduntur post ipsam.

Art. 1. Respondetur. Ritus sacer, seu sacra ceremonia est actio exterior,qua Deus colitur. Hinc ritus sacramentalis est duplex. Alter substantialis consistens in actionibus enunciatiuis formæ, & exhibitiuis,aut applicatiuis materiæ, quibus perficitur sacramentum; atque hic ritus est indistinctus ab ipso sacramento, & ab eius essentia; vel certè est inseparabilis per se à substantia, & essentia sacramenti. Alter ritus est accidentalis, qui definitur, ex communi Theologorum sensu; *actio exterior religiosa, conferens ad decentem, & deuotam administrationem Sacramenti.* Istiusmodi ritus, sacramentalia propriissimè dicuntur quasi sacramentis adiacentes; & qui sunt ab Ecclesia præscripti,non possunt omitti absque peccato, eoque graui ex sua natura. Quia eorum omissio est peccatum contra Religionem; sæpè tamen est veniale ex leuitate materiæ.

Art. 2. Differunt hi ritus à sacramentis non solum ex auctore institutionis, vt quidam temerè ausi sunt dicere,sed etiam,& multò magis, atque penes conceptum intrinsecum,& formalem, quæ non sunt causæ, neque proximæ,neque remotæ sanctitatis, seu gratiæ sanctificantis ex opere operato; quæ causalitas est de conceptu sacramenti, vt dictum est supra. Vnde licet Ecclesia non possit instituere sacramenta iuxta dicta in quæst. 20. sicut potest instituere, instituitque de facto ritus sacramentales,seu sacramentalia; tamen Deus, qui instituit sacramenta, potuisset instituere similiter per se immediatè sacramentalia,ritusque accidentales sacramentorum, virtutis, & efficaciæ haud quaquam maioris, quam sint ritus humana Ecclesiæ auctoritate instituti de facto. Superaddunt nihilominus ritus isti sacramentales, sacramentis ipsis secundum se consideratis,causalitatem accidentalem; quatenus significationem eorum practicam, licet non reddant, aut magis certam, aut inductiuam maioris sanctitatis ex opere operato; nihilominus reddunt manifestiorem, magisque perceptibilem, & animo imprimunt altius, ac suauius; atque inde deriuatur fructus specialis deuotionis expressus in definitione. Quatenus verò præterea conferunt ad maiorem decentiam administrationis sacramentorum, voluntas obsequiosa respectu Ecclesiæ, per quam religiosè exhibentur,est meritoria gratiæ de condigno,vel saltem de congruo, provt contigerit esse iustum, vel peccatorem eum,qui eos actus pios,ac religiosos exercet.

Art. 3. His de causis laudabiliter, ac vtiliter eiusmodi ritus instituit Ecclesia, & superaddidit substantiæ sacramentorum, vt apparet ex Concil. Trident. sess. 7. can. 13. vtique faceret, vsa est auctoritate legitima à Christo deriuata, vt tradit idem Concilium sess. 21. cap. 2. ex illo Pauli 1. ad Corinth. 4. 1. *Sic nos existimet homo, vt ministros Christi & dispensatores mysteriorum Dei*; nec non ex cap. 11. eiusdem Epistolæ v. 34. *Cætera autem,cùm venero, disponam*; videlicet ritus seruandos in dispensatione Eucharistiæ, de cuius vsu, & cultu præierat sermo. De iisdem, Augustinus Epist. 118. cap. 6. *Non præcepit Christus*, inquit, *quo deinceps ordine sumeretur, vt Apostolis, per quos Ecclesiam dispositurus erat, seruaret hunc locum.* Circa eandem Ecclesiæ potestatem ad instituendos eiusmodi ritus,& circa assertam eorum vtilitatem videri plura possunt ex Sanctis PP. apud Suarez tom. 3. in 3. par. disp. 15. sect. 3. tom. 4. disp. 12. sect. 2.

Art. 4. Quoad vtilitatem, & efficaciam istorum rituum controuertitur inter Theologos; an aliquem præterea alium effectum operentur peculiariter vi sua, vltra eos, qui iam expositi sunt, eisque conueniunt ex indubitato, ac vnanimi omnium Catholicorum auctorum consensu? Controuersia autem præcipuè est quoad tres nominatim effectus, nempè remissionem venialium; auxilium aliquod gratiæ actualis; & cohibitionem, vel expulsionem dæmonum ex opere operato. De isto postremò effectu expulsionis, seu cohibitionis dæmonum dicetur opportunius infrà quæst. 49. vbi de exorcismis. Similiter de remissione venialium agendum erit infrà quæst. 92. Nempè expulsio dæmonum non est communis ritibus omnium sacramentorum vniuersaliter; & controuersia de venialium remissione est communis,aliis præterea operationibus exterioribus, quæ sacramentalia dicuntur latè, & exhibentur seorsim absque vlla dependentia ab administratione sacramentorum. In præsenti autem agitur de ritibus sacramentorum vniuersaliter omnium indiscriminatim, déque iis solis. Quoad vim inducendi auxilium aliquod actualis gratiæ ex opere operato; tametsi eam iis ritibus attribuant Caietan. Soto, & alij; atque illis suffragari videatur D. Thom. quæst 71. art. 3. dicens, vnctionem, quæ fit in capite baptizati, conferre auxilium ad conseruandam gratiam baptismalem,& per saliuam typicam,atque actū sacerdotalem diuinam virtutem operari salutem cathecumeni. Quod ipsum docuerat ante Rabbanus lib. 1. de institutione Cleric. cap. 27. Dicendum nihilominus videtur cum Suarez,& plerisque aliis,prædictis ritibus non conuenire vniuersaliter vim conferendi ex opere operato auxilium aliquod gratiæ actualis; illudque inducere aliquos tantùm ex iisdem ritibus; & aliquando,nempè eos solùm qui exhibentur adiunctis orationibus, ac precibus ab Ecclesia præscriptis;atque in illis solis circumstantiis, in quibus aliæ etiam similes orationes solent impetrare, quod petitur iuxta documenta vniuersalia de virtute impetratoria orationis, de quibus alibi. Huiusmodi preces funduntur inter vngendum caput baptizati, & dum adhibetur saliua typica. Nec dubitari potest eas preces fusas nomine Ecclesiæ,& ex eiusdem præscripto habere vim peculiarem impetrandi à Deo, quod petitur,ideóque doctrinam Rabbani, & D. Thomæ esse eatenus verissimam, idest quoad id totum, quod vterque exprimit.

Art. 5. Cæterum nulla inde deduci potest consequentia pro virtute simili aliorum rituum sacramentalium, quibus nullæ similes preces superadduntur. Nullum namque pro iis fundamentum apparet, vt asseratur virtus inducendi auxilia aliqua gratiæ ex opere operato. Sola itaque concedenda illis est virtus excitandi deuotionem per auxilia actualia gratiæ, quæ Deus vniuersaliter subinserit omnibus, & singulis opportunitatibus benè operandi, iuxta naturam vniuscuiusque opportunitatis conflatæ ex confluxu obiectorum,& circumstantiarum omnium, quibus ille constituitur, vti pluries dictum est in qq. de gratia. Ritus autem sacramentales, quatenus instituti ad placitum ab Ecclesia ad fouendam deuotionem fidelium circa sacramentorum frequentiam,atque deinde exhibiti reuerenter cum eadem intentione implicita, vel explicita, continent in se opportunitatem peculiarem excitandi animum ad actus deuotionis peculiariter directos in eos fines,ad quos vnumquodque sacramentum ordinatur ex sua natura iuxta institutionem Christi, provt iudicatum est quæst. 28. quæst. 34.

Ad 1. Semper Deus perfectissimè præstat se solo quidquid pertinet ad solam ipsius secundum se causalitatem, nec perfici potest cooperantibus causis secundis. Sed si quid superfit, quod superaddi possit

cooperan

cooperantibus causis secundis, id peragendum, atque superaddendum relinquitur per cooperationem ipsarum, ne perperam acceperint à Deo virtutem eatenus ipsi cooperandi, atque manifestandi virtutem diuinam non solum, vt agat per se ipsam, sed etiam vt communicet aliis virtutem agendi, sibique cooperandi. Hinc fit, vt sacramenta sint vndequaque perfecta quoad substantiam, & essentiam suam ex vi solius diuinæ operationis secundum se, nec quidquam eatenus vtiliter efficere possit humana institutio, aut virtus aliqua actiua creata. Quia sacramenta eatenus respiciunt solam virtutem diuinam, nec sunt capacia cooperationis humanæ, vt superius dictum est. Cæterum ornatus alij, & circumstantiæ accidentales non prætergrediuntur limites virtutis, & institutionis humanæ, ideóque eorum ordinatio, ac institutio relicta est institutioni, & dispositioni Ecclesiæ, vti præmissum est, ex Augustino, atque ex clara insinuatione Apostoli art. 3.

Ad 2. Non solum non sufficit ad rationem sacramenti vis peculiaris excitandi deuotionem modo superius explicato, sed neque sufficeret ad eandem vis inducendi ex opere operato auxilia gratiæ actualis congruentia fini vniuscuiusque sacramenti, provt nonnulli alij contendunt. Quia ad rationem sacramenti requiritur significatio practica gratiæ habitualis, atque sanctitatis simpliciter talis, quam significationem nullus vnquam Doctor Catholicus prædictis ritibus attribuit.

Ad 3. Effectus à nobis attributus ritibus sacramentalibus non habet rationem dispositionis respectu effectus, quem conferunt sacramenta secundum se ex opere operato, sed solum iuuat, vt idem effectus vtilius percipiatur maiorique cum sensu deuotionis, & consolationis spiritualis, sine qua, & cum qua maiori vtilitate, ac deuotione perinde subsistere absolutè potest effectus sacramenti secundum se, sicut ipsum sacramentum perinde potest absolutè subsistere cum, & sine prædictis ritibus. Atque in hoc præcisè consistit, & non in eo, quod intendit obiectio correspondentiæ eiusmodi causarum, & effectuum.

*Finis Quæstionum de Sacramentis in genere.*

# INCIPIVNT QVÆSTIONES de Sacramento Baptismi.

## QVÆSTIO XXXVII.

### *Vtrùm Baptismus sit Sacramentum remissiuum omnium præcedentium peccatorum?*

VIDETVR non rectè definiri Baptismus hoc modo. 1. Quia ritum baptizandi vsurpat nunc Ecclesia ad eum modum, quo eundem olim vsurpabant multipliciter Hebræi per ablutiones illas suas cæremoniales, quæ ab Apostolo vocantur Baptismata. 9. ad Hebr. 10. Baptismata autem, seu ablutiones illæ Hebræorum non erant vera sacramenta. Certè non erant sacramenta remissiua peccatorum, vt liquet ex dictis suprà quæst. 20. Ergo neque ritus ablutionis, quo nunc vtitur Ecclesia, sub eodem baptismi nomine, habet veram rationem sacramenti remissiui peccatorum.

2. Non est præstantior, ac efficacior Baptismus, quo baptizantur cæteri post Christum Dominum, quam quo ipse Dominus Iesus Christus Matth. 3. 16. perhibetur baptizatus in Iordane à Ioanne Baptista; quandoquidem decet, quæ pertinent immediatè ad Christum Dominum, omnia præeminere potius iis, quæ pertinent ad reliquos homines, sicut ipse præeminet reliquis hominibus tanquam *Primogenitus omnis Creaturæ*, & tanquam *Caput corporis Ecclesiæ*, atque vtrobique hoc titulo, *in omnibus primatum tenens*, vt dicitur 1. ad Colossenses à vers. 15. Baptismus autem Ioannis, quo baptizatus est Christus, non fuit verum sacramentum collatiuum gratiæ, & remissiuum peccatorum vt protestatur ipse Baptista. Matth. 3. 11.

3. Baptismus habet alium effectum præter remissionem peccatorum, eumque separabilem mutuò ab eadem remissione, nempe characterem, qui, & potest conferri sine remissione peccatorum, vt accidit in baptizatis carentibus dispositione sufficienti ad iustificationem; & sine quo vicissim potest conferri ipsa peccatorum remissio, vt accidit in nondum baptizatis, & nihilominus iustificatis per contritionem, vel martyrium. Ergo nec explicitè, nec implicitè exponitur, per vim remissiuam peccatorum, conceptus adæquatus, ac vltimo discretiuus baptismi. Accedit remissionem peccatorum esse communem baptismo, cum pœnitentia; atque conceptum quidditatiuum rei, non satis manifestari per ea, quæ sunt communia cum aliis.

4. Fieri potuit, vt institueretur à Deo sacramentum remissiuum omnium præcedentium peccatorum, constans materia, & forma diuersæ speciei à materia, & forma, quibus constat noster baptismus, quodque proinde differret specie ab hoc sacramento baptismi. Non igitur innotescit satis ratio specifica vltima baptismi, per vim eam remissiuam peccatorum.

5. Eadem ratione, qua absurdum meritò reputatur mutare significationes vocum communiter receptas, absurdum itidem est, mutare definitiones rerum, communiter receptas. Vtrimque enim suboritur idem confusionis inconueniens, vt aliud loquens, aliud intelligat audiens, sub iisdem vocibus. Differt autem plurimum definitio proposita, à definitionibus baptismi communiter receptis. Quia à Mag. distinct. 3. initio, & à D. Thom. quæst. 66. art. 1. & à plerisque aliis definitur: *Ablutio corporis exterior, facta sub præscripta forma verborum*, ab Hugone de S. Victore lib. 2. de sacr. parte 6. cap. 2. & à nonnullis aliis dicitur: *Aqua diluendis criminibus sanctificata per verbum Dei*; à Suarez in comment. dicti art. 1. & ab aliis nuncupatur: *Sacramentum regenerationis*, seu *sacramentum ad spiritualem generationem fidelium institutum: In catechismo Pij V. traditur definitio continens in se indiuisim istas tres definitiones, dicitur enim baptismus esse sacramentum regenerationis per lauacrum aquæ in verbo vitæ.* Apud Damascenum lib. 4. de fide cap. 10 ad med. Baptismus est, *regeneratio, & sigillum, & custodia, & illuminatio.* Denique D. Dionysius tripliciter exponit baptismum c. 2. Eccles. Hieron. sub initium, relatiuè nimirum tum ad alia sacramenta, tum ad finem vitæ spiritualis, qui est beatitudo, tum ad initium eiusdem vitæ, quod est prima iustificatio, dicit enim primo: Baptismum esse *quoddam principium sanctissimorum mandatorum sacræ actionis ad eorum susceptiuum opportunitatem formans nostros animales habitus: Deinde, ad supercælestis quietis Anagogem, nostrum iter facere;* Demum, esse *sacræ, & diuinissimæ nostræ regenerationis traditionem.* Quos exponendi modos imitantur plures alij Patres apud Suarez nuper indicatum, maximè verò Basilius, Gregorius, tum Nissenus, tum Nazianzenus, & Augustinus, nec non Tertullianus, qui scripsere ex professo de hoc sacramento. Oportet igitur vti potius aliqua ex istiusmodi expositionibus antiqua, & sacra approbatione communitis, quam nouam aliam inducere ab illis dissidentem.

6. In omni immutatione præeminet terminus ad quem,

quem, termino à quo atque principium mutationis specificatur solum ab eodem termino ad quem. in mutatione autem, quæ fit per baptismum, terminus à quo est peccatum, quod remouetur per remissionem, & terminus ad quem, est gratia, quæ inducitur per infusionem Spiritus sancti. Ergo specifica, & quidditatiua ratio baptismi, exponenda potius est affirmatiuè, per vim inductiuam gratiæ vti fit in plerisque ex definitionibus modo propositis, quam negatiuè per remissionem, seu remotionem peccati.

Art. 1. Respondetur. Tametsi omnia sacramenta instituta sint occasione peccati originalis, nec instituenda fuissent secluso eo peccato, vt dictum est supra in communi quæst. 11. art. 3. institutio nihilominus baptismi, speciali ratione facta est dependenter ab eodem peccato. Est enim remedium directè, & principaliter ordinatum ad sanandum vulnus illud vniuersale generis humani, vt infra dicetur. Nempe veniente Filio hominis, eodemque Filio Dei *quærere, & saluum facere quod perierat*, vt dicitur Lucæ 19. 10. atque in hunc principaliter finem assumente naturam humanam cum mortalitatis defectibus, vt genus humanum sanaret à contagione peccati originalis, vt dictum est quæst. 14. de Incarnat. conueniens profecto fuit, vt adhiberet instrumentũ sensibile per quod applicaret immediatè efficaciam suorum meritorum, & pretium sanguinis sui, pro nobis effusi, atque aboleret peccatum ipsum originale, pro cuius abolitione expensæ illæ tot, ac tantæ factæ sunt. Sic enim modus adhibendi remedij congruit modo, quo inflictum fuit tantum illud malum, & vtrobique accommodata est tum astutia malignitatis diabolicæ, tum sapientia benignitatis Diuinæ, conditioni humanæ naturæ, dependentis à sensibilibus quoad intelligibilium perceptionem, ac prosecutionem. Quapropter sicut Dæmon proposito obiecto sensibili tenui quidem ex se, sed prævalido ex adiuncta fallaciter magnifica promissione similitudinis cum Deo, induxit primos homines in interitum peccati, eodemque peccato infecit posteritatem eorum totam atque omnes homines spoliauit filiatione Dei in quam Deus ipse eos genuerat per gratiam, dum primitus eosdem conderet secundum naturam. Ita mediator Dei, & hominum Iesus Christus, vsus instrumento sensibili, vili quidem ex se, sed fœcundo filiationis diuinæ ex voluntate, & promissione Dei, restituit homines in pristinam dignitatem, & regenerat in filios Dei, abolito illo peccato per gratiam adoptionis. Quia verò hæc gratia est æqualiter incompossibilis cum omni peccato lethali delet, simul cum originali omnia alia quæcunque peccata lethalia, illi antecedenter superaddita. Vnde fit hac etiam ex parte, vt *vbi abundauit peccatum superabundat & gratia* ex Rom. 5. 20. quatenus *iudicium quidem ex vno in condemnationem: gratia autem ex multis delictis in iustificationem*, vt dicitur ibidem vers. 16. Eiusmodi autem instrumentum est baptismus. Qui proinde rectè definitur: *Sacramentum remissiuum omnium præcedentium peccatorum.*

Art. 2. Et quidem baptismum esse vnum ex septem sacramentis Ecclesiæ, idque primum, & ianuam ad reliqua sacramenta; sicut peccatum originale, cui principaliter medetur, est primum peccatum, & origo cæterorum omnium peccatorum, constat ex quæst. 34. & 35. & apparebit magis ex testimoniis scripturæ, & Conciliorum, quæ producentur in decursu. Qua propter ratio sacramenti rectè ponitur in definitione, loco generis. Superadditur autem vis remissiua omnium præcedentium peccatorum tanquam ratio differentialis, & specifica vltima. Quia licet sacramentum quoque pœnitentiæ sit remissiuum peccatorum; differt nihilominus quoad hoc ipsum à baptismo, duplici ratione. Primo nimirum, ac præcipuè, quia per baptismum remittuntur omnia, omnino, & qualiacunque peccata, tum personalia, tum originale, præcedentia susceptionem eius; quia per pœnitentiam sola remittuntur peccata personalia, eaque commissa post baptismum. Deinde, quia baptismus, liberat, ex opere operato à peccato, non solum quoad culpam, sed etiam quoad totam eorum pœnam, quæ post vitam præsentem soluenda alioquin fuisset, atque adeò remittit peccata, perfectissimo modo, & absque vlla restrictione remissionis. Quod sacramento pœnitentiæ nequaquam conuenit, vt infra dicetur, cum exponentur effectus eius. Manifestius autem est, per eandem vim remissiuam peccatorum differre baptismum à reliquis quinque sacramentis, vtpote minus efficacibus ad remittenda peccata, quam sit sacramentum pœnitentiæ. Sufficienter igitur innotescit quidditas, & adæquatus conceptus essentialis, ac differentialis baptismi, per ea duo prædicata posita in definitione.

Art. 3. Suffragatur eidem definitioni non parum D. Petrus act. 2. 38. exponens baptismum primò negatiuè, per remotionem, ac remissionem peccatorum, & deinde positiuè, per infusionem Spiritus sancti, & gratiæ, dum dicit: *Baptizetur vnusquisque vestrum in nomine Iesu Christi, in remissionem peccatorum vestrum; & accipietis donum Spiritus sancti.* Posita autem à nobis est, in definitione, sola prior pars expositionis Apostoli, quæ præeminet apud ipsum, omissaque est posterior pars, quæ est conuertibilis cum priori & adiungitur ab Apostolo, tanquam quid consequens ad ipsam. Quia in definitionibus scientificis ac methodicis solus ponitur conceptus primarius, nec exprimuntur cætera prædicata, quæ consequuntur ad illum, vti fit opportunè, & vtiliter in concione ad populum, qualem ibi instituit Apostolus. Ne videlicet definitiones, quæ debent esse, quam breuissimæ euadant nimis prolixæ, atque comatæ, vt exprobrat Sotus Scoto & Gabrieli circa definitiones, quas tradunt de hoc ipso sacramento, nolentes subintelligere secundaria prædicata eius sub primariis, sed omnia minutim exprimere, quæ illi conueniunt re ipsa. Commendatur rursus nostra definiendi ratio, quia congruit præ cæteris, nomini rei definitæ, quo ea significatur communiter ex imitatione locutionis Christi Domini Matth. 28. 19. *Docete omnes gentes, baptizantes eos.* Baptismus enim, & baptizare perinde est, atque ablutio, & abluere, quibus detersio sordium, vel vnicè, vel certè præcipuè, & expressè significatur. Vnde symbolica earundem vocum in præsenti significatio, remissionem, & deletionem peccatorum potissimum exprimit. Definitionis autem virtus, & laus in hoc sita est, vt ad eundem conceptum distinctius exprimendum inseruiat, quem obscurius suggerit nomen definiti.

Art. 4. Accedit istud sacramentum instituendum minimè fuisse, vt initio notatum est, propter infusionem gratiæ secundum se præcisè, atque institutum de facto fuisse propter infusionem eiusdem formaliter quatenus est remissiua peccatorum. Potissima autem definitionis, sicut, & demonstrationis species est, quæ nititur causa finali, vtpotè causarum omnium potissima, ac prima. Ergo inter prædicata discretiua huius sacramenti ab omnibus aliis, istud potissimum exprimendum fuit quod in peculiari virtute remissiua peccatorum, situm est. Qua itidem de causa Cyrillus Hierosolymitanus imitatus Apostolicam nuper præmissum expositionem baptismi, in procœmio suarum Catecheseon, primò, ac præcipuè exprimit prædicata eius negatiua, quatenus exclusiua peccatorum, dicens: *Magnum est sanè propositum hoc baptisma; captiuitatis liberatio, peccatorum remissio; mors peccati anima, &c.* Quod caput est, in prædictionibus propheticis, per

eundem

eundem istum conceptum negatiuum deletionis; ac remissionis peccatorum, indigitatur istud sacramentum, vt Zach. 13. *Erit fons patens domui Dauid in ablutionem peccatorum.* Ezechiel 36. *Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris.* Ex his igitur apparet propositam definitionem esse legitimam, & iustam, cæterisque definiendi formulis meritò præferendam pro instituto scholæ, ac methodo scientifica, atque pro intentione instituentis.

Ad 1. Quæ gerebantur in veteri testamento, erant vmbra futurorum; atque in figura contigebant fidelibus eius temporis, nec nisi analogicè conueniunt cum iis, quæ substituit Christus Dominus in nouo testamento, vt dictum est supra quæst. 2. nec non 20. Qua propter antiquæ illæ cæremoniales ablutiones non iustificabant, sed tantum præsignabant vim verè, propriéque iustificandi, quæ inest ablutioni corporali institutæ à Christo Domino. Qua de causa superaddita est, huic nostræ sacræ ablutioni forma verborum significans eleuationem eius ad supernaturalem operationem mundationis animæ, inducibilem sola virtute diuina, vltra virtutem, & actiuitatem naturalem elementi, dum dicitur, istam ablutionem fieri *in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.*

Ad 2. Christus Dominus non suscepit Baptismum ob indigentiam eius aliquam, sicut nos suscipimus, sed solum ad exemplum. Vnde non oportuit baptismum Ioannis, ministratum Christo Domino, in quo non fuit peccatum, esse remissiuum peccatorum, sicut est remissiuus eorum, baptismus ab ipso Christo Domino institutus pro nobis, qui nascimur filij iræ. Quin imò sicut Christus Dominus venit in similitudine carnis peccati, & non item in carne peccati, ita etiam suscepit sacramentum assimilatiuum sacramenti, mundantis à peccatis, & non etiam verè mundatiuum ab illis. Istud discrimen baptismi Ioannis, quo ablutus est Christus Dominus, à baptismo Christi, quo nos abluimur, exponit idem Ioannes apud Matt. 3. 11. *Ego quidem baptizo vos in aqua in pœnitentiam. Qui autem post me venturus est, fortior me est, cuius non sum dignus calceamenta portare. Ipse vos baptizabit in Spiritu sancto, & igne, cuius ventilabrum in manu sua, & permundabit aream suam.* Neque verò ad dignitatem, & præeminentiam Christi pertinuit, vt ipsi adhiberetur sacramentum tantæ, aut maioris efficacitatis, & virtutis, atque adhibetur nobis; sed magis oppositum: sicut non ageretur conuenienter cum homine sano, si ei apponeretur cibus, & potus eius virtutis, & efficacitatis medicinalis, cuius oportet esse cibum, & potum ægrotantis.

Art. 1. Ad 3. In definitione cuiusque rei, solum exprimitur prædicatum eius præcipuum, ad quod cætera eiusdem prædicatá secundaria consequuntur ex natura rei, ideóque subintelliguntur implicitè illo explicitè posito. Eiusmodi autem est vis remissiua omnium peccatorum, comparata cum virtute imprimendi characterem. In primis enim illa vis longè præeminet huic virtuti, nempe sicut præeminet gratia habitualis, per quam formaliter remittuntur peccata, ei qualitati quæ dicitur character. Deinde sacramentum remissiuum omnium peccatorum (inter quæ includitur præcipuè peccatum originale, quod est fundamentum, & origo cæterorum peccatorum, adeóque est principaliter segregatiuum populi, & filiorum diaboli, à populo, & filiis Dei,) eo ipso est ex natura rei vnitiuum, & aggregatiuum suscipientis illud, cum Ecclesia, & populo electo Dei, tanquam membri cum corpore suo. Conueniens porrò est, vt qui vnitur, & aggregatur populo, & multitudini hominum, vsque adeò dissidenti ab omni alia multitudine, & populo, idque permanenter, ac inuariabiliter, insigniatur signo indelebiliter sibi inhærente, quale signum est character. Quia verò in ratione sacramenti, posita loco generis, includitur Deus, vt auctor specialis, prout apparet ex quæst. 1. & 10. atque Dei perfecta sunt opera vtpote exequentis in omnibus, quòd optimum, ac conuenientissimum est, & vera ratione melius occurrit, vt pluribus cum Augustino dictum est quæst. 28. de Deo, perspicitur plane, vim sacramentalem impressiuam characteris sufficienter subintelligi intellecta vi sacramentali deletiua omnium indiscriminatim peccatorum præexistentium ante ipsum sacramentum.

Art. 2. Accedit characterem esse sacramentum simul, & rem sacramenti, vt dicitur communiter cum D. Thoma quæst 66. art. 1. Quia significat interiorem iustificationem, (quæ est res sacramenti tantum, vtpote significata per sacramentum, & non vlterius significans aliquid aliud,) simulque significatur per materiam, & formam exteriorem (quæ sunt sacramentum tantum, vtpote significantes totum interiorem effectum, & non etiam significatæ aliquo alio signo) Materia autem, & forma exterior, quæ sunt sacramentum tantum, cuius solius hic intenditur definitio, solam iustificationem directè, & explicitè significant, vt infrà apparebit, & est in confesso apud omnes; characterem verò implicitè solum, & virtualiter significant. Oportet porrò definitionem sacramenti eo proportionaliter modo esse expressiuam ipsius, relatiuè ad suos effectus, quo idem sacramentum refertur ad eosdem effectus significandos Igitur virtus impressiua characteris non debuit exprimi seorsim in definitione, sed implicitè tantum subintelligi.

Art. 3. Neque verò id momenti cuiusquam est, quod de potentia Dei absoluta potuerit institui sacramentum remissiuum omnium peccatorum, & nihilominus non impressiuum characteris. Quia, quæ consequuntur ex natura rei ad aliquid, sufficienter subintelliguntur eo expresso, dum nihil aliud superadditur, tametsi separari ab eodem miraculosè possint. Qua etiam de causa non exprimitur seorsim in definitionibus sacramentorum, vis perductiua ad gloriam, quæ consequitur ex natura rei ad gratiam, eademque est ratio de pluribus aliis eiusmodi effectibus, eadem de causa non expressis seorsim: Nempè miracula sufficienter intelliguntur exclusa, dum non includuntur expresse, simul cum expressa significatione rei, quæ intrinsecè contradicit euentui miraculoso, eundemque excludit ex sua natura. Quapropter, si à Deo instituereturt sacramentum remissiuum omnium peccatorum, simulque non impressiuum characteris; tunc verò oporteret notare seorsim in definitione hunc defectum, simul cum expressione eius boni, quo compensaretur defectus characteris iuxta dicta in quæst. illa 28. de Deo. Circa distinctionem demum baptismi à pœnitentia tangeretur in fine obiectionis, nihil superaddere necesse est vltra ea, quæ dicta sunt ad quæstionem art. 2.

Ad 4. Idem ferè dicitur, quoad tertium, nempe nullam materiam, & formam sacramenti remissiui omnium peccatorum esse possibilem, quæ sit tam conueniens, ac ea est, quæ datur de facto; ideóque hanc determinatè materiam, & formam subintelligi, dum exprimitur ea ratio differentialis, simul cum ratione generica sacramenti, in qua includitur causalitas, & institutione Dei, qui semper adhibet in opere suo quidquid optimum, & congruentissimum est. Deinde sacramentum remissiuum omnium peccatorum, quod constaret aliis alterius speciei, re, aut verbis, solum materialiter differret à sacramento baptismi, quod datur de facto, non verò quoad significationem practicam effectus interioris. Quæ practica significatio, est tota ratio formalis, vltima

sacramen

sacramenti, vt dicetur paulò post. In definitionibus autem rerum, tum artificialium, vt statuæ, & imaginis, tum significantium, & operantium ad placitum vt testamenti, & priuilegij, sola intenditur expressio rationis formalis, nec pensi habetur sub stratum materiale. Demum si cui, ob istud, & præcedens argumentum placeat dicere. Baptismus est *sacramentum impressium characteris, & remissium omnium præcedentium peccatorum per ablutionem corporis sub præscripta forma verborum.* Si quis inquam, ita, dicere contendat, sicut non omnino assentior, ita non multum repugno.

Ad 5. Omnes illæ definitiones, quatenus differunt à nostra, exponunt baptismum, vel per materiam, & formam, quasi physicè, vel metaphysicè, relatiuè ad effectus secundarios. Et quidem, quæ recurrunt ad effectus secundarios, quales sunt, quæ traduntur à Damasceno, nec non primo, & secundo loco à Dionysio descriptiones potius, quam definitiones censendæ sunt. Munus siquidem definitionis est exponere quidditatem, & primum conceptum rei, in quo cætera virtualiter & implicitè continentur, vt nuper dicebatur. Vnde noster exponendi modus non discrepat, ab illis Sanctis PP. quoad doctrinam, & obiectum significatum, sed quoad scopum, & intentionem, illi enim circumducendo voluere ponere ob oculos distinctè totam vim, & omnes coniunctim proprietates huius sacramenti quo abundè, & optimè satisfecerunt intentioni, ac instituto suo. Nostræ verò intentionis fuit, methodo scientifica intimare, quàm breuissimè solam quidditatem secundum se, ex qua deinde cætera in progressu deducantur opportunè. Iam definitiones, quæ constant expressione materiæ, & formæ, manifestant formaliter, quod in sacramento se habet materialiter, & est quasi substratum, & non manifestat quod se habet formaliter in eodem sacramento, & est quasi forma eius. Nempè significatio, & vis causatiua gratiæ, ac remissionis peccatorum perinde est in sacramentis, atque anima in homine, habetque rationem supremæ formæ, comparata cum rebus, & verbis. Oportet autem, vt præmineat in definitione ea ratio formalis, vtpote præstantior, ac nobilior, ideoque magis efficax ad eleuandum, augustiusque informandum animum sub primum conspectum maximorum, Dei beneficiorum, qualia sunt sacramenta, quatenus significatiua, & operatiua effectuum supernaturalium. Optimo igitur consilio subintellectæ sunt implicitè, materia, & forma exprimendo distinctè rationem formalem vltimam, atque supremam. Demum definitiones, quæ vtuntur conceptu regenerationis, cum cæteroqui optimæ sint, hunc nihilominus defectum patiuntur quod vtuntur metaphora, cui nullum in legitima definitione locum permittunt philosophus, alijque definiendi magistri.

Ad 6. Verum est in causis, & motibus, qui dantur per se in rerum natura, seu non dependenter ex suppositione aliqua accidentali præeminere terminum ad quem, eique primum locum, & in definiendo maiorem expressionem deberi. At in causis, & operationibus, quæ adhibentur ex suppositione mali, per accidens interiecti. Maior è conuerso habetur ratio termini à quo, & consequenter expressionem eius oportet esse præcipuam. Quia adhibens eiusmodi causam, & operationem, non fertur ad terminum ad quem, formaliter ratione sui secundum se, sed quatenus est exclusiuus termini à quo. Qua de causa Medici definire solent medicamenta relatiuè ad ægritudines, quibus opponuntur, & non relatiuè ad sanitatem, quã inducunt. Dictum autem est articulo 1. ad quæstionem, sacramenta omnia, maximè verò sacramentum baptismi esse tales causas, talesque esse operationes eorum.

---

## Qvæstio XXXVIII.

### *Vtrùm baptismus fuerit institutus à Christo Domino ante mortem ipsius?*

Videtur non ante, sed post mortem fuisse institutus. 1. Quia tunc institutus est baptismus quando aquæ superaddita est virtus inducendi effectus, quos inducit baptismus. Effectus autem baptismi est aperire ianuam Regni Cœlorum vt infra dicetur quæstio. 47. Ianua autem Regni Cœlorum nemini patuit ante mortem, & resurrectionem Christi. Ergo nec baptismus institutus ante vtramque fuit.

2. Initium baptismi, & finis Circumcisionis fuerunt simul. Quia, cum primum vigere cœpit nouum testamentum, cuius basis est baptismus, euanuit testamentum vetus quod nitebatur circumcisione. Circumcisio autem profuit toto tempore ante passionem Christi, & tunc primum euanuit, cum Christus passus est. Ergo baptismus Christi, antequam ipse pateretur, nondum erat institutus.

3. Institutio baptismi continet in se præceptum de eo suscipendo. Quia baptismus ex sua natura est necessarius ad salutem necessitate medij, atque hæc necessitas continet in se necessitatem præcepti, vt dicetur infra quæst. 50. Præceptum autem de susceptione baptismi, impositum est post passionem Christi, vt habetur ex illo Matth. vlt. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos.* Ergo non ante præcessit institutio baptismi.

4. Effectus non potest præcedere causam. Passio autem Christi est causa omnium nouæ legis sacramentorum, & præsertim baptismi, qui dicitur specialiter fluxisse è latere Christi, dum ex eo exiuit sanguis, & aqua. Qua ratione tenet, & probat hanc partem Tertull. de baptism. cap. 11. Præmisso enim, discipulos Christi, ante eius Passionem, non alio baptismo baptizasse, quam baptismo Ioannis: *Vtpote subdit, nondum adimpleta gloria Domini, nec instructa efficacia lauacri per Passionem, & Resurrectionem. Quia nec mors nostra dissolui posset, nisi Domini Passione, nec vita restitui sine resurrectione ipsius.* Similiter Chrysost. Homil. 28. tradit baptisma non minus discipulorum Iesu, quam Ioannis fuisse spiritus expers, & probat ex illo Ioan. 7. 39. *Nondum enim erat Spiritus datus. Quia Iesus nondum erat glorificatus.* Idemque denique dicit S. Leo epist. 4 ad Episcopos Siciliæ cap. 2. & probat ex illo ad Rom. 6. *An ignoratis, quòd quicunque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus.*

5. Fieri non potuit, vt institueretur baptismus, antequam traderetur essentialis forma eius. Hæc autem tradita est post Resurrectionem Christi, vt apparet ex præinuicatis Christi verbis apud Matthæum post resurrectionem eius. *Euntes docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.*

Art. 1. Respondetur Christum Dominum instituisse ante Passionem suam, verum baptismi sacramentum, collatiuum gratiæ, & remissionis peccatorum ex duobus manifestè consequitur; quorum alterum est omnino certum, alterum vero efficacissimè comprobatur. Primum illud est, Christum baptizasse aliquos, ante passionem suam. Quod habetur clarè ex Ioan. 3. 22. *Post hæc venit Iesus & Discipuli eius in Iudæam terram, & ibi demorabatur cum eis, & baptizabat:* Alterum vero est, nec Christum per

se, nec Discipulos eius vsos fuisse baptismo Ioannis experti gratiæ, sed verò ipsius Christi baptismo, collatiuo gratiæ, & remissionis peccatorum. Quod efficacissimè comprobant prædictiones illæ duæ ipsius Baptistæ: *Hic est, qui baptizat in Spiritu sancto.* Ioann. 1.33. *Ego baptizo vos in aqua, qui post me venturus est, fortior me est, ipse vos baptizabit in Spiritu sancto,* Matth. 3. 11. Quod profecto non rectè diceretur, si Christus Dominus, & eius Discipuli perrexissent, & ipsi baptizare baptismo eiusdem Baptistæ egeno Spiritus, & gratiæ; Nec iure tributus Christo fuisset vnicè, tanquam characteristicus ipsius baptismus in Spiritu sancto, ideſt fœcundus gratiæ, si vsus promiscuè fuisset baptismo ipsius Ioannis, qui contraponitur baptismo in Spiritu sancto. Quinimò fefellisset Baptista auditores suos, dum impulsi prædictione, & prædicatione eius accessissent ad Christum baptizantem per se, vel per Discipulos suos, cum spe certa accipiendi Spiritum sanctum, & nihil re ipsa acciperent. Plenum proinde temeritate videtur tribuere Christo & eius Discipulis, vsum duplicis baptismi, alterius egeni, & vacui, alterius fœcundi gratiæ, cum Ioannes indigitet ipsum tanquam auctorem & collatorem solius baptismi in Spiritu sancto, & non tantum in aqua, in qua sola baptizabat ipse Ioannes.

Art. 2. Idem ex eo confirmatur efficaciter, quod Discipuli Ioannis studio æmulationis vehementer commoti sunt, audito Christum baptizare, & multo plures ad eum accurrere, quam ad Ioannẽ vt apparet ex eodem cap. 3. Ioannis 25. vbi dicitur: *Facta est autem quæstio ex Discipulis Ioannis cum Iudæis, de Purificatione. Et venerunt ad Ioannẽ & dixerunt ei: Rabbi, qui erat tecum trans Iordanem, cui tu testimonium perhibuisti, ecce hic baptizat & omnes veniunt ad eum.* Nullus autem fuisset huic illorum æmulationi, & commotioni locus, nec vlla fuisset causa maioris ad Christum baptizantem confluxus hominum, si Christus, & eius Discipuli vsi fuissent baptismo Ioannis, & non alio longè perfectiori. Quia discipuli Ioannis gaudere potius, & exultare debuissent, eo quod Christus approbaret, ac administraret baptismum magistri eorum, & reliqua multitudo confluere magis debuisset ad Ioannem, quam ad Christum, si vtriusque baptismus fuisset idem, aut baptismus Christi non fuisset præstantior, quàm is, cuius author erat Ioannes, ad quem proinde cæteris paribus accurrerent omnes facilius. Multo verò illustrius apparet ex responsione Ioannis ad Discipulos suos, in baptismo Christi aliquid adfuisse sublimius, quod hominem Deum authorem, & administratorem eius deceret. Respondet enim: *Non potest homo accipere quidquam, nisi fuerit ei datum de Cœlo: Illum oportet crescere, me autem minui: Qui de Cœlo venit, super omnes est. Pater diligit filium, & omnia dedit in manu eius.* Quæ quidem omnia non satis è re essent, si baptismo Christi, de quo erat expostulatio, seu admiratio Discipulorum Ioannis, non adfuisset virtus collatiua gratiæ desursum veniens, & propria eius, in cuius manu dederat omnia Pater, quique erat maior Ioanne, & exaltandus cum diminutione eius.

Art. 3. Suadetur præterea eadem institutio baptismi ante passionem coniectura, qua vtitur Augustinus epist. 136. Quia credibile nequaquam est, Christum dedisse Apostolis sacramentum Eucharistiæ nondum initiatis sacramento baptismi eosdemque factos esse sacerdotes cum facultate consecrandi corpus, & sanguinem suum, antequam fierent Christiani impresso sibi charactere baptismali. Constat autem Apostolos suscepisse eam consecrandi potestatem, vt definit Concilium Tridentinum in nocte cœnæ, ante passionem Christi, eademque nocte admissos fuisse ad communionem sacramentalem. Huc pertinet ex mente eiusdem Augustini epist. 108. illud Ioan. 13. 20. *Qui lotus est, non indiget, nisi vt pedes lauet.* Vbi supponitur Petrus iam Lotus, vtique per baptismum. Certè illud verbum magis præsefert iustificationem per hoc sacramentum, quod est propriè ablutiuum, quam per vllum aliud medium. Accedit huic sententiæ suffragari Augustinum ex professo locis modo indicatis, & fusius tractat. 5. 13. & 15. in Ioannem. Cyrillum lib. 2. in Ioann. cap. 57. & Nazianzenum orat. 20. sub finem, alioſque communiter interpretes ad locum indicatum Ioann. 3. suffragantur etiam eidem sententiæ D. Thomas quæst. 66. articulo 2. & quæstio. 73. art. 5. ad 4. & reliqui communiter Theologi ibidem, quorum aliqui inurunt oppositæ sententiæ censuras graues, de quibus tamen apud alios iudicium esto.

Art. 4. Porrò quo præcisè tempore die, aut hora, institutus fuerit baptismus, omnino non constat, Mag. distinct. 3. D. Thom. dicta quæst. 66. art. 2. alijque Theologi frequenter putant institutum fuisse eo ipso temporis momento, quo Christus Dominus baptizatus est à Ioanne in Iordane, dicentibus Augustino serm. 36. de temp. Ambros. lib. 2. in Luc. cap. vlt. Hieronym. in cap. 3. Matth. Beda lib. 1. in Luc. c. 10. Christum contactu suo aquas sanctificasse, fœcundasse ad regenerationem spiritualem, atque vim purgatiuam animarum eisdem contulisse. Ratio est, quia Christus Dominus vsu ipso sufficienter designauit materiam huius sacramenti, dum ipse baptizatus est in aqua. Forma verò designata itidem sufficienter est opere ipso, per expressionem trium personarum diuinarum. Dum filius baptizatur, Pater testimonium illi perhibet, & Spiritus sanctus allabitur super eum, in specie columbæ. Verum hæc ratio non concludit. Quia realis interuentio trium personarum multum differt à verbis exprimentibus easdem personas. Differunt enim tanquam res significata, & eius signum. Sacramentum autem perficitur verbis significantibus, & non rebus significatis, ac proinde institutum est, designatione verborum, & non apparitione, seu quasi apparitione personarum. Nec minus differt voluntas instituendi materiam à voluntate vtendi re, quæ futura erat materia sacramenti, vt liquet ex dictis quæstio. 9. circa voluntatem qua instituitur sacramentum. Iam Patres nuper memorati, hoc potius aliud intendere videntur, tunc indicatam, & quasi prænunciatam fuisse materiam & formam huius sacramenti, atque Baptismum Ioannis eo modo susceptum à Christo, fuisse velut arrham baptismi posteà pro nobis instituendi, tempore opportuno, qualis de facto est. Tempus istud opportunum videtur non fuisse illud, pro quo baptizatus est Christus Dominus. Quia tunc nondum habebat discipulos, per quos baptizaret, aut quos baptizaret; neque præmiserat prædicationem suam, sicut præcepit postea Apostolis, vt prædicarent, ac deinde baptizarent, dicens: *Euntes docete omnes gentes baptizantes.* Tempus itaque opportunum crediderim cum Suarez, & aliis fuisse paucos intra menses post prædictum Christi baptismum, quando præmissa iam prædicatione sua, adiunxit sibi Discipulos, vt sic coaleſceret cum fide Christi sacramentum simul baptismi, qui est sacramentum fidei, & tale nuncupatur à D. Thoma, & ab aliis communiter. Confirmatur, quia vsus baptismi Christi per Discipulos superius ponderatus, quem certè præiuit institutio, nec oportuit, vt præiret multo tempore, accidit paucos intra menses, postquam Christus baptizatus est, nempè antequam Ioannes Baptista coniiceretur in carcerem, vt apparet ex eodem loco superius ponderato, & verò Ioannes paucos post menses coniectus fuit in carcerem.

Ad

Ad 1. Baptismus, sicut est idem ante, & post Passionem Christi, ita semper habuit, & habet eandem vim aperiendi ianuam Regni Cœlorum, atque inducendi in gloriam; post Resurrectionem glorioſam Christi. Vnde differentia solum materialis est, quod protinus, vel paulò post, posset, aut possit transmittere ad gloriam, quatenus administratus post Resurrectionem,& gloriam Christi,vel paulo prius.

Ad 2. Non oportuit circumcisionem tolli, cum primum institutus est baptismus paucis existentibus conscíis eius rei; quod factum est ante Passionem Christi; sed cum Baptismus cœpit publicè & palam prædicari simul cum Euangelio, quod factum est post Passionem.

Ad 3. Licet, quæ continentur in Decalogo, sint de iure naturæ, lex nihilominus de iisdem lata est à Deo per Moysem. Similiter ergo potuit Christus Dominus ferre legem de susceptione baptismi post passionem suam, tametsi institutio baptismi, quæ præiuit ante Passionem, contineret in se legem obligantem ex natura rei ad vsum, & susceptionem eiusdem baptismi. De continentia verò ipsa talis legis in institutione, dicetur infra absolutè in quæstio. 50.

Ad 4.Passio Christi fuit causa meritoria institutionis Baptismi, & aliorum sacramentorum, merita autem Christi potuerunt inducere existentiam præmiorum pro tempore antecedenti ad existentiam suam physicam, vt dictum est quæstio.41. de Incarnat. ad 1. Quod verò fluxus aquæ ex latere Christi præfiguraverit specialiter istud sacramentum, nihil probat circa prioritatem, aut posterioritatem institutionis eius. Abundè enim sufficit, quòd ea præfiguratio antecesserit publicam, omnibusque communem prædicationem & vsum eiusdem sacramenti. Tertulliano denique, & Chrysostomo præponderant longo excessu Sancti PP. relati superius pro nostra sententia multo verò magis textus Euangelicus vsque adeò ad illam propensus, vt superius visum est. Fundamento Tertulliani satisfit notatione modò præmissa de efficacia passionis, & meritorum Christi pro tempore antecedenti. Quod addit Chrysostomus de Spiritu nondum dato, ob Iesum nondum glorificatum, nihil concludit. Quia ibi sermo est de sola missione, & datione visibili Spiritus sancti,quæ facta est in die Pentecostes. Nec magis ad rem facit,quod dicit Apostolus, quoscunque baptizatos in Christo Iesu, in morte ipsius baptizatos esse. Id enim perinde est, atque vel baptizatos configurari morti Christi, quatenus consepeliuntur eidem, vt dicit idem Apostolus, vel ex merito mortis Christi obtinere effectum baptismi. Quorum neutrum quidquam confert ad rem præsentem,vt patet ex dictis.

Ad 5. Christus Dominus non dicit in eo loco se tunc primum designare, ac instituere eam formam baptismi. Vnde potuit priùs etiam esse in vsu; ita vt tunc solum præciperetur eiusdem formæ applicatio ad omnes gentes, aliqui tamen putant, propter illud testimonium, aliam formam institutam fuisse pro tempore antecedenti passionem. Quod quidem est falsum. Dicendum tamen potius esset, quam institutionem baptismi non fuisse anteriorem Passione. Verum de hoc redibit sermo quæst.40.

***

## QVÆSTIO XXXIX.

### *Vtrum aqua elementaris sit materia remota baptismi?*

VIdetur non esse. 1. Quia Matth.3. 11. dicitur: *Ipse vos baptizabit in Spiritu sancto,& igne.* Ergo ignis potius, quam aqua dicenda est materia huius sacramenti. Confirmatur quia à Dionysio, & Damasceno locis indicatis q. præcedenti in 2. arg. tribuitur huic sacramẽto vis illuminatiua,quæ est propria ignis.

2. In multis scripturæ locis accipitur aqua metaphoricè pro gratia,vt Ezech.36. 25. *Effundam super vos aquam mundam, & Ioannis* 4. 14. *Qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei non sitiet in æternum, sed aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam*, vbi ter repetitur significatio hæc metaphorica aquæ: simili igitur modo accipi metaphoricè, & potest, & debet eadem aqua;dum agitur de baptismo,nec oppositum dici potest nisi voluntariè, & absque fundamento.

3. Quidquid habet vim abstergendi sordes corporis est æquè idoneum ad symbolicam significationem gratiæ mundantis à peccatis, & consequenter est materia æquè idonea huius sacramenti, vtpotè purè mundatiui, ac purgatiui animæ, vt dictum est supra. Sunt autem plura alia præter aquam elementarem, quæ habent vim mundandi Corpus, vt vinum, aquæ artificiales, & similia. Ergo aqua elementaris non est materia vnica, & præcisè necessaria huius sacramenti.

4. Virtutem mundandi animam à peccatis non habet proximè,ac immediatè infusio gratiæ, sed gratia ipsa, ideóque gratia, & non infusio gratiæ est res huius sacramenti, vt communiter dicitur, & verè. Aqua autem correspondet gratiæ,& infusioni gratiæ, ablutio corporis per aquam, ac proinde aqua sola significat symbolicè gratiam, & ablutio solam infusionem eiusdem gratiæ. Aqua igitur est materia proxima huius sacramenti, & non ablutio. Patet consequentia, quia materia proxima sacramenti est id solum,quod significat symbolicè rem sacramenti, eique directè, ac formaliter correspondet, & non quod solùm significat directè, ac immediatè aliquid præambulum ad rem sacramenti.

5. Aqua congelata, luttulenta, rosacea, lixiuium, & similia sunt vera aqua, & nihilominus non sunt materia sufficiens huius sacramenti. E conuerso aqua fluuiorum,& fontiũ, maximè verò aqua maris habet plurimum de admixtione terrestri,vt dicit Philos. l.2. Meteor. cap.3. & nihilominus est materia sufficiens huius sacramenti.Eandem materiam significauit aqua fluens de latere Christi in Cruce, quam constat non fuisse aquam puram elementarem, cum in corpore mixto, quale erat corpus Christi,non dentur elementa in actu. Præterea pro baptismo solemniter celebrando solet aquæ immiscerì Chrisma, cuius mixtio extrahit aquam à proprietate, & puritate aquæ elementaris. Ergo aqua elementaris,non est materia, aut sufficiens,aut necessaria huius sacramenti.

Art. 1. Respondetur. Aquam veram, & naturalem esse materiam necessariam sacramenti baptismi; constat ex Florentino in decreto Eugenij, & ex Tridentino sessione. 7. can. 2. expressè id definientibus. Idem apertè colligitur ex Ioannis,2.5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto non potest introire in Regnum Dei.*Ex Actor.8.36.*Ecce aqua,quis prohibet me baptizari?* & infra vers.38. *Descenderunt vterque in aquam Philippus,& Eunuchus,& baptizauit eum.* & ex cap.10. 4. *Nunquid aquam quis prohibere potest, vt*

*non baptizentur hi?* ex verbis denique Pauli ad Ephes. 5.26. *Mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ.* Idem etiam præsefert verbum ipsum, & nomen baptizandi, & baptismi, ideſt abluendi & ablutionis. Quia ablutio communiter peragitur aqua, eiusque vsus intelligitur determinatè voce ablutionis, & abluendi absolutè prolata, aliæque ablutiones, seu delibutiones corporis per alios liquores efferuntur communiter, ac naturaliter cum addito, vt abluere vino, abluere ad nitorem, ad sanitatem, & similia. Aqua igitur vera, & naturalis, (quæ, & elementaris communiter dicitur,) est materia determinata huius sacramenti.

Art. 2. Et quidem est materia valde conueniens. Quia aqua est in primis, & præ cæteris necessaria, & fœcundatiua cæterorum, quæ requiruntur ad generationem maximè viuentium, ideóque dicitur à nonnullis 1. Phys. rerum omnium principium. Deinde ratione suæ humiditatis, est maximè idonea ad lauandum, ac extergendum; sicut ratione suæ frigiditatis, est idonea ad refrigerandum nimium corporis calorem. Demum ratione suæ diaphaneitatis est maximè susceptiua luminis. Est igitur maximè idonea ad significandum gratiam baptismalem, per quam remittuntur omnia peccata, vt dictum est supra, ideóque mundatur anima ab omnibus suis maculis, & quia præcipuè tollit peccatum originale, ex quo prouenit fomes peccati, & concupiscentiæ adurens animam, hunc etiam fomitem præcipuè mitigat, ac minuit; ac demum illuminat animam, quatenus baptismus est sacramentum fidei, quæ est lumen animæ. Præterea quia sacramentum baptismi est præ cæteris necessarium, vt infra dicetur, oportuit materiam eius esse maximè obuiam, & facillimè parabilem, atque aqua est eiusmodi materia.

Art. 3. Quia verò aqua, nisi applicetur corpori per actionem ablutiuam, non potest iliud mundare, solamque proinde aptitudinem lauandi, ac extergendi habet ex se præcisè, quod verò actu lauet, ac extergat, prouenit ei proximè ex actione ablutiua; concluditur aquam secundum se esse materiam remotam huius sacramenti, atque materiam proximam esse actionem ablutiuam. Quia sacramentum baptismi non confert animæ solum, vt mundari possit à peccatis, sed actualiter eam mundat, remittendo actualiter peccata. Vnde effectus baptismi non tam significatur per id, quod potest mundare corpus, quale est aqua, sed per id potius, quod actualiter illud mundat, quod est actio ablutiua. Igitur aqua est materia remota huius sacramenti; Actio verò ablutiua, & applicatiua aquæ ad corpus, est materia proxima, qua immediatè constituitur sacramentum. Accedit baptismum esse vnum ex iis sacramentis, quæ consistunt in vsu, vt communiter dicitur, quatenus non permanent, sicut permanet sacramentum Eucharistiæ, post quam perfecta sunt. Sacramenta autem eiusmodi quæ consistunt in vsu, vsu ipso, tanquam materia proxima, intrinsecè constituuntur: Quod tamen non tollit, quin materia etiam, cuius est vsus, constituat itidem intrinsecè idem sacramentum, vt liquet ex dictis in communi quæst. 3. Quapropter aqua dicitur materia remota baptismi, non quia non constituit intrinsecè, ac essentialiter baptismum, tanquam pars substantialis ipsius, sed quia secundum se præcisè solum, habet aptitudinem, vt sit talis pars, vtque taliter constituat; atque per actionem, deinde, & vsum ministri baptizantis, seu per actionem ablutiuam vltimo determinatur, vt id actualiter præstet.

Art. 4. Ablutio de qua dictum est esse materiam proximam, duo includit in suo conceptu, actionem ministri abluentis, & passionem, seu quasi passionem baptizati, seu abluti. Quæritur vtra earum ad conceptum & constitutionem sacramenti formaliter pertineat. Scotus sola actione, Soto sola passione, Ricardus, & alij magis communiter vtraque constituunt. Atque hæc tertia sententia videtur omnino tenenda cum Suarez, & aliis in præsenti. Et quidem actionem ablutiuam provt exercitam à baptizante, pertinere ad constitutionem intrinsecam sacramenti, constat in primis ex dictis supra in communi quæst. 6 art. maximè 5. circa eiusmodi actiones. Constat deinde, quia secluſa actione ablutiua ministri, non verificatur vt patet forma baptismi: Ego te baptizo. Quod autem requiritur ad verificationem formæ, requiritur vtique, vt subsistat sacramentum, & sic requiratur immediatè ratione sui, & non tantum ratione alterius, quo solum pacto requiri potest actio ablutiua Ministri, cum cætera omnia existere possint absque ipsa; eo ipso pertinet ad constitutionem intrinsecam sacramenti, vti efficaciter comprobatum est quæst. illa 6. Non minus manifestum est passionem, seu quasi passionem, atque ablutionem passiuam esse partem intrinsecam huius sacramenti. Quia secluſa hac passione, seu ablutione passiua non verificatur hominem ablui, aut ablutum esse. Quod autem ratione sui pertinet ad hoc verificandum, eo ipso pertinet ad constitutionem intrinsecam sacramenti consistentis essentialiter in ipso ablui, seu ablutum esse. Verum passio, seu ablutio passiua, specialiter constitutiua baptismi non est modus de prædicamento passionis, vt notat, ac probat Suarez, sed consistit in applicatione, & contactu successiuo aquæ, respectu corporis baptizati. Aqua enim dicitur lauare corpus ratione solius eius applicationis, & contactus successiui ad corpus, & non ratione alicuius alterius passionis prædicamentalis. Sola igitur eiusmodi applicatio, seu adhæsio, & contactus aquæ, quod ad hoc punctum attinet, est pars intrinsecè constitutiua baptismi. Vnde est illud August. tractat. 80. In Ioannem. Quæ est ista tanta virtus aquæ, vt corpus tangat, & cor abluat.

Art. 5. Applicatio ista aquæ ad corpus, seu mutuus vtriusque contactus dupliciter fieri potest, nempe per immersionem corporis in aquam vel per aspersionem aquæ supra corpus. Rursus vtralibet ex his potest esse, vel simplex vel multiplex, vel secundum totũ corpus, vel secundum partem eius, eamque, vel magnam, vel paruam principalem, vel non principalem. Circa quæ certum primo est: omninò requiri immersionem, vel aspersionem; ita vt vel corpus moueatur in aqua, seu simul mota, seu manente immota, vel aqua moueatur circa corpus tangendo ipsum successiuè, siue corpus simul moueatur, siue maneat immotũ. Quia aqua manens immota circa corpus itidem itumotũ, non dicitur lauare corpus, nec verè lauare potest. Qua de causa vas plenum aqua, non ex hoc præcisè dicitur lauari. Nec enim fieri potest, vt aqua lauet, & abstergat sordes corporis, quin eas deferat secum motu suo, vel easdem sibi hærentes non retineat, recedendo inde per motum suum, parte corporis maculata, seu sordida. Certum deinde est, nec immersionem determinatè requiri, nec aspersionem, sed vtramlibet sufficere. Quia vtralibet est æquè sufficiens ad ablutionem, vt patet, atque quod sufficit, ad ablutionem, sufficit eatenus ad conceptum baptismi, eadem ratione sufficit ad conceptum essentialem, & ad valorem absolutum huius sacramenti, non minus simplex, seu vnica tantùm, vel aspersio, vel immersio. Quia vtrouis modo verificatur corpus ablui, & esse ablutum absolutè. Certum præterea est, si trina immersio, aut aspersio ita peragatur vt ad singulas eiusmodi actiones successiuè enuncientur singula nomina personarum diuinarum, nec prius absoluatur forma verborum quam exhibeatur tertia actio ablutiua: non fore

validum

validum baptismum deficiente aliqua ex prædictis tribus actionibus ablutiuis ; idque non directè ob defectum materiæ proximæ sufficientis ex se, sed indirectè ex defectu formæ cuius vltima pars supponitur totaliter omitti in casu posito. Fuit porrò mos antiquus satis frequens, ministrandi baptismum per trinam immersionem, ad maiorem expressionem Trinitatis personarum diuinarum, tum ob memoriam tridui, quo Christus mansit in sepulchro, pronunciando successiuè, & cum aliquo interuallo nomina personarum, singula adiungendo singulis immersionibus. Hinc effectum est vt obseruat Suarez cum Diuo Thoma, & aliis, non solum grauiter olim punitos fuisse omittentes trinam immersionem, quæ hoc etiam tempore communiter, & laudabiliter obseruatur, sed etiam in aliquibus magnæ auctoritatis testimoniis indicari baptismum absque trina immersione fuisse nullum. Quia videlicet eo ipso supponebatur defuisse partem formæ; vel etiam, quia id fiebat animo introducendo hæresis contradicentis mysterio Trinitatis. Certùm denique est non esse necessarium ad valorem baptismi, vt abluatur totum corpus secundum omnes, & singulas suas partes, sed sufficere, quod abluatur secundum partem aliquam, saltem si ea sit magna, aut præcipua. Hoc enim sufficit ex communi modo loquendi, vt quis absolutè dicatur ablutus; idemque docet communis Ecclesiæ vsus, atque traditio.

Art. 5. Quota verò pars corporis abluenda necessariò sit, vt baptismus sit validus, non est facilè definire sub conceptu metaphysico, seu quasi metaphysico. Quod ad praxim attinet tria obseruanda sunt. Primum est caput esse præcipuam partem corporis humani, in qua vigent omnes sensus, adeóque modum tutissimum, pro valore baptismi esse, per ablutionem capitis, quando non potest ablui totum corpus totaliter, vel non expedit, vt ita abluatur. Quia ab ea potissimùm parte homo absolutè denominatur ablutus. Alterum est, certum quoque moraliter esse, valere baptismum, si aqua contingat magnam aliquam aliam partem corporis, vt in pectore, aut scapulis. Quia hoc etiam sufficit ex communi modo loquendi, vt quis absolutè denominetur, & dicatur ablutus. Tertium est, dubium esse valorem baptismi, si abluatur pars admodum exigua corporis, imò etiam si non sit fortè exigua, sed sit absolutè parua, simulque ignobilis, vt si adhibeatur aqua ad extremos digitos manus, aut ad pedem tantùm. Vnde non licet perficere baptismum hoc postremo modo, nisi in casu extremo necessitatis, pro quo licet exhaurire totam spem boni exitus, qualiscunque demum ea sit. Eadem ratione oportet iterum baptizare, data opportunitate, eum, qui susceptit baptismum ita dubium, adhibendo postea materiam proximam, certo sufficientem modo dicto.

Art. 6. Solet hic præterea, quæri an sufficiat ad valorem baptismi immersio absque emersione, idest actio suffocatiuus. Dicendum autem potius est sufficere; Quæ est communis authorum sententia. Quia quando post immersionem sequitur re ipsa emersio, sacramentum existit adæquatè quoad suam essentiam, ante quam ponatur emersio à parte rei; quandoquidem verificatur ablutio, & corpus verè est ablutum,, antequam emergat. Essentia autem baptismi tunc incipit, cum primum datur conceptus essentialis veræ ablutionis, nisi obstet dilatio pronunciationis totius formæ. Qua etiam de causa, cum adhibetur triplex immersio iuxta solemnem Ecclesiæ ritum, sola prior immersio pertinet ad conceptum essentialem sacramenti, atque is ex tunc verè adest, si tunc simul adsit prolatio totius formæ, & reliquæ duæ immersiones sunt partes solum integrales sacramenti, sicut dicetur infra in simili quæstio. 60. circa formam Eucharistiæ. Itaque quod corpus iam verè ablutum emergat deinde, vel non emergat, sed suffocetur, materialiter se habet ad conceptum essentialem baptismi; & qui ita suffocatur, sicut moritur, tam verè ablutus, ita moritur iam verè baptizatus, si nihil desit aliud, atque emersio, quando re ipsa subsequitur ad immersionem, solum integraliter complet substantiam huius sacramenti. Per hæc igitur patet aquam elementarem, seu naturalem esse materiam remotam huius sacramenti, proximam verò esse ablutionem, & quo sensu, & quatenus vtrumque verificetur.

Ad 1. Locus ille Matth. ansam præbuit hæresi Iacobitarum dicentium materiam baptismi esse ignem, ideóque candenti ferro inurentium characterem, Crucis frontibus baptizatorum. Sed id fecere perperam, quia ille locus congruè accipitur in sensu literali de apparitione Spiritus sancti super Discipulos in linguis igneis, de qua Actor. 2. Quæ est interpretatio Hieronymi, & aliorum plurium. Quod si idem locus intelligatur de baptismo, vt intelligi probabiliter potest, ignis accipiendus est metaphoricè, vt mox dicetur pro ardore charitatis, quam excitat Spiritus sanctus datus in baptismo per gratiam, aliisque modis explicari & applicari potest vox illa ignis, vt videre est apud modernos interpretes ibi. Iam illuminatio attributa baptismo, non ea est, quæ igni conuenit, sed magis, qualis conuenit aquæ. Quia illuminatio conuenit igni actiuè, aquæ verò passiuè, quatenus ignis est maximè illuminatiuus, seu actiuus illuminationis; aqua verò est maximè illuminabilis, seu receptiua illuminationis. Baptizatus autem non tam efficitur illuminans, quam illuminatus passiuè per fidem, quam accipit, & cui incorporatur quodammodo vi baptismi.

Ad 2. Omnes voces sunt ex se capaces significationis, tum propriæ, tum metaphoricæ. Vtri verò subsint determinatè in vnaquaque propositione, deprehenditur ex contextu. Sicut autem ex contextu locorum obiectionis apparet clarè, ibi subesse sensum metaphoricum, ita apparet clarissimè ex contextu testimoniorum, quæ producta sunt art. 1. ad quæst. aquam sumi in sensu proprio, & non metaphorico respectu baptismi; atque ex iisdem testimoniis similiter colligitur, ignem, de quo nuper apud Matth. supponere, metaphoricè siquidem locus ille accipiatur de baptismo. Nempe, quæ sunt minus clara trahenda sunt ad eum sensum, quem compatiuntur & exigunt determinatè quæ sunt alibi clarissima qualia sunt, quæ adducta sunt pro aqua propriè tali in baptismo.

Ad 3. Ostensum iam est supra articulo 1. ad quæstionem, aquam esse materiam præ cæteris liquoribus idoneam, tum pro significatione symbolica effectuum baptismi, tum pro necessitate huius sacramenti.

Ad 4. Sicut gratia non emundat animam à peccatis secundum se præcisè considerata, seu in abstracto, sed provt vnita, & in concreto; ita aqua non mundat corpus nisi vt ea applicata per ablutionem; rectè igitur dictum est, aquam secundum se esse materiam remotam baptismi, & quod ipsum proximè, & actualiter constituat, haberi vi ablutionis actiuè simul, & passiuè sumptæ, quæ proinde dicitur & est materia proxima, sensu supra explicato, atque hoc modo tota ea correspondentia optimè saluatur.

Ad 5. Circa qualitatem, & conditiones aquæ sufficientis, & necessariæ ad baptismum, vix quidquam necesse est superaddere vltra ea, quæ hic præmissa sunt, & quæ dicta sunt supra in communi quæst. 5.

circa mutationem, & variabilitatem materiæ requisitæ ad vnumquodque sacramentum. Quia ex iis, quæ hic præmissa sunt, constat ad baptismum requiri ex institutione Christi aquam simpliciter talem iuxta communem sensum eius vocis, & iuxta vsum itidem communem rei significatæ pro opere ablutionis, adeóque requiri, & sufficere aquam naturalem, seu elementarem, fluminum, fontium, & maris, nec non collectam ex pluuia; non vero sufficere aquas artificiales, eductam per sublimationem ex rosis, vel aliis quibuscunque corporibus, aut etiam aquam naturalem congelatam, dum manet congelata, ac proinde inidonea ad abluendum. Constat similiter ex dictis in quæst. illa 5. materiam ex se idoneam ad aliquod sacramentum non reddi ineptam ex qualibet admixtione alterius materiæ, sed solum quando prævalet materia, quæ admiscetur, vel non prævalet quæ secundum se est idonea ad sacramentum. Vnde quia aquæ ordinariæ fluminum, fontium, maris, & pluuiatili parum inest de materia terrestri, aut alia extranea materia, atque prævalet manifestè ratio aquæ, procul dubio omnis eiusmodi aqua est sufficiens ad validum baptismum. Similiter est sufficiens aqua, cui admiscetur parum olei, aut vini, aut aliorum huiusmodi; nec non ea, quæ licet patiatur aliquam alterationem, vt accidit in aquis sulphureorum balneorum, & in lixiuio, retinet nihilominus substantiam aquæ, & est absolutè idonea ad abluendum. Quod si mixtio vel alteratio sit vsque adeò magna, vt prævaleat absolutè materia extranea, aut corrumpatur substantia aquæ propriè dictæ, non poterit inde validè confici baptismus. Consequenter valor baptismi erit dubius, si adhibeatur materia, circa quam de alterutro eorum prudenter dubitabitur; idque plus, aut minus iuxta qualitatem posteriotis huius dubij. Qua propter non licet perficere baptismum cum tali materia, & siquidem perficiatur, est iterandus sub conditione. Atque per hæc patet ad obiecta. Quod ibi dicitur de aqua, quæ fluxit ex latere Christi, communiter reputatur falsum, & meritò. Quia miraculosè fluxit aqua pura, & propriè talis, ad ostendendam, aduersus Manichæos veritatem corporis Christi, verè compositi ex quatuor elementis. Deinde vt fuisset humor phlegmaticus, potuisset nihilominus sufficere ad præfigurationem baptismi, constantis determinatè ex vera aqua naturali. Quia inter figuram, & figuratum, non requiritur omnimoda conuenientia.

## QVÆSTIO XL.

*Vtrum forma consueta baptismi: Ego te baptizo, &c. sit sufficiens, determinatè necessaria, & conueniens?*

VIdetur non esse. 1. Quia non est sufficiens ea forma verborum, quæ non exprimit cæteta omnia requisita ad valorem sacramenti, forma autem ordinaria baptismi, non exprimit intentionem baptizantis, nec consensum, & dispositionem baptizati, nec determinationem indiuidualem personæ baptizandæ sine quibus tamen sacramentum euadit nullum. Ergo prædicta forma est insufficiens.

2. Christus est, à quo potius baptizatur, quicumque verè baptizatur, quam à ministro Christi, iuxta illud Ioan. 1. 33. *Super quem videris Spiritum descendentem, & manentem, hic est qui baptizat.* Ergo nó verè dicitur, & legitimè à ministro: *Ego te baptizo.* Forma autẽ, quæ non verificatur, nec est legitima, non est sufficiens.

3. Valet baptismus datus in nomine Christi tantum, vt apparet ex act. 23. 10. 11. & 19. vbi dicuntur baptizati ab Apostolis, & viri & fœminæ in nomine Christi. Nicolaus etiam Papa cap. *quodam Iudæo* de consecrat. distinct. 4. declarat baptismum datum in nomine Trinitatis, vel in nomine Christi, fuisse validum. Idem docet Ambrosius, quem in hac re secutus est Nicolaus, redditque rationem lib. de Spiritu sancto cap. 3. Quia videlicet in nomine Christi tota Trinitas, aliquo modo continetur. *Qui benedicitur*, ait, *in Christo in Patre, & Spiritu sancto benedicitur. Quia vnum est nomen, vna potestas.* Et iterum infrà: *Qui Christum nominat, & dicit filium, qui vnctus est, & Patrem à quo vnctus est, & Spiritum sanctum, quo vnctus est.* Similiter Bed. in cap. 10. act. circa illa verba: *Iussit illis baptizari in nomine Domini Iesu* approbat ex doctrina Ambrosij eandem formam, dummodo expresso nomine Iesu Christi retineatur interius vera fides trium personarum. Eidem sententiæ subscribunt Bernardus epist. 340. Hugo de S. Victore lib. 2. de sacram part. 6. cap. 2. Mag. in 4. dist. 3. Adrian. quæst. 2. de baptism. Caietanus in hac quæst. 66. art. 5. cum Gloss. in dict. cap. *quodam Iudæo*, & cap. *multi sunt de* consecrat. dist. 4. & cap. *si quis puerum* extra de bapt. Ergo non est præcisè necessarium dicere *in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.*

4. Christus Dominus simul eodemque modo iussit Apostolis, vt docerent, & baptizarent. Non autem necesse fuit, vt docerent, præmonito, *Ego te doceo.* Ergo nec necesse fuit, & consequenter nec modo necesse est baptizare dicendo, *Ego te baptizo.* Immò ineptit planè, qui verbis ita exprimit, quod opere ipso exhibet palam, ac sensibiliter. Ergò hæc forma non est conueniens.

5. Nomina personarum diuinarum sunt plura, vt apparet ex quæst. 39. de Deo art. 5. & ad 3. Ergo non conuenienter dicitur *in nomine*, sed deberet dici *in nominibus.*

6. Stultum est dirigere sermonem ad surdum, aut non intelligentem, iuxta illud Eccles. 32. 6. *Vbi non est auditus, non effundas sermonem.* Ergo, dum baptizatur surdus, aut puer, non dicitur conuenienter; Ego te baptizo.

Art. 1. Respondetur: Materia, & forma sacramentorum habent determinationem ex institutione Christi; Christus autem instituit formam consuetam Ecclesiæ, dicens Matth. vlt *Docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* Forma igitur sufficiens, & necessaria huius sacramenti, ac proinde, & omninò conueniens, est hæc: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij & Spiritus sancti.* Sufficit autem eo ipso, quod ad valorem sacramenti attinet, quælibet alia forma verborũ perfectè æquiualens formæ prædictæ, vt liquet ex dictis supra in communi quæst. 5.

Art. 2. Sufficientiam huiusmodi æquiualentiæ tradit determinatè de forma, qua vtitur Ecclesia Græca, Concilium Florentinum in decreto Eugenij. §. *materia huius sacramenti*, vbi sic definit. *Forma est, Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti: Non tamen negamus quin, & per illa verba baptizetur N. seruus Christi in nomine Patris & Filij, & Spiritus sancti:* vel *baptizatur manibus meis N. in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, verum baptisma perficiatur.* Eadem autem est ratio de qualibet alia forma similiter æquiualente, vt si dicatur (quod nonnulli putant, sed est incertum sufficere) *in nomine genitoris, geniti, & spirati* seu *generãtis, geniti, spirantis, & spirati*, vel loco verbi baptizo substituatur, lauo, intingo, &c. Certè ratio quam suæ definitioni adiungit Concilium, æquè viget pro quauis eiusmodi æquiualentia, subiungit enim immediatè. *Quoniam cum principalis causa, ex quo baptismus virtutẽ habet, sit sancta Trinitas, instrumen*

*instrumentalis autem sit minister, qui tradit exterius sacramentum; si exprimatur actus, qui per ipsum ministrum exercetur cum sanctæ Trinitatis inuocatione perficitur sacramentum.*

Art. 3. Ex quibus præterea apparet ratio conuenientiæ huius formæ, quatenùs per posteriorem eius partem exprimitur causa principalis Baptismi, & effectus baptismalis, quæ est Deus. Exprimitur verò modo conuenientissimo respectu hominis initiandi in fide, & inducendi in gremium Ecclesiæ, dum manifestatur vnitas Dei, & diuinæ authoritatis, potentiæ, ac virtutis, per particulam *in nomine*, simúlque Trinitas personarum cum proprietatibus ipsarum, per particulas, *Patris, & Filij, & Spiritus sancti*. Quod videlicet est mysterium nostræ fidei, præcipuum, & maximè arduum, atque cæterorum fundamentum mysteriorum omnium, sicut Baptismus est fundamentum cæterorum sacramentorum. Similiter exprimitur causa instrumentalis, qui est minister, per priorem partem. Ego te baptizo, seu baptizo te, vel iuxta Græcos baptizetur, N. seu baptizatur manibus meis. N. Exprimitur verò tanquam purus minister, dum exprimitur tanquam operans in nomine alterius, eiúsque Dei, supremi sui, & omnium Domini. Patet igitur prædictam formam esse conuenientissimam, & non solùm sufficientem vtcunque, ac necessariam.

Ad 1. Sufficienter subintelligitur intentio ministri, & consensus, dispositio, ac indiuiduatio baptizati, dum vterque ostenditur sponte conferens, & suscipiens Baptismum, atque natura ipsius rei, quæ peragitur, ac exprimitur peragi, exigit de se eos actus internos. Materia etiam satis significatur, dum significatur actus baptizandi, seu lauandi. Omnia igitur manifestantur quantum sat est.

Ad 2. Ex notatione nuper præmissa, patet clarè ministrum facere expressionem sui, tanquam causæ purè ministerialis, atque causalitatem principalem attribui Deo. Quod, quoad vtramque partem, est valdè conueniens. Non autem tribuitur seorsim Christo Domino causalitas principalis. Quia Christus non baptizat sine Patre, & Spiritu sancto, totáque eius authoritas, & virtus ad institutionem sacramentorum, & ad impertiendos eorum effectus est indiuisa à virtute, & authoritate Patris, & Spiritus sancti. In forma Græcorum non exprimitur minister, sed subintelligitur in actu exercito, dum dicitur baptizetur, vel baptizatur manibus meis talis seruus Christi. Quod creditur inductum ad præcauendum magis schisma reprehensum ab Apostolo 1. Corinth. 1. 12. *Ego sum Pauli, ego verò Apollo.* Sed neque in forma Latina particula *ego*, est de substantia sacramenti, quia subintelligitur in verbo baptizo, solúmque ponitur ad exprimendam magis intentionem ministri, atque seriam animi explicationem.

Art. 1. Ad 3. D. Thomas in hac q. 66. art. 6. & alij plures Theologi permoti illis auctoritatibus ex Act. Apost. credunt, Apostolos in primitiua Ecclesia ex speciali reuelatione, ac dispensatione Dei baptizasse in nomine Christi tantùm. Verùm id ex illis locis non videtur efficaciter colligi. Quia ibi non dicitur Apostolus baptizasse in nomine Christi tantùm, seu tantum in nomine Domini Iesu. Quare dici potest narrari de Apostolis, quod baptizauerint in nomine Christi, vel quia baptizabant baptismo instituto à Christo Domino, & qui vigeret eius ex meritis, & per quem baptizati aggregabantur Christo specialiter, tanquam capiti, & authori religionis, quam profitebantur, vel potiùs, quia in forma expressiua seorsim trium personarum addebatur, Patris, & Filij Iesu Christi, vt hoc nomen, quod tunc plerisque, & Iudæis & Gentilibus probrosum videbatur, redderetur illustrius, & efficacius commendaretur fidelibus. Suadetur deindè positiuè Apostolos vsos fuisse in Baptismo expressione trium personarum. Quia act. 19. dicitur Paulum inuenisse quosdam, qui dicebant se esse baptizatos, eósque interrogasse: *Si Spiritum sanctum accepistis credentes*: illisque respondentibus: *sed neque si Spiritus sanctus est audiuimus*; iterum interrogasse Paulum: *In quo ergo baptizati estis?* quæ interrogatio aperte supponit nonpotuisse illos ritè baptizari, quin audiret nomen Spiritus Sancti, vti omninò potuissent, si potuisset Baptismus dari in nomine Christi tantum, non etiam expressis simul Patre, & Spiritu sancto. Vnde Apost. iussit eos homines iterùm baptizari; ita videlicet vt in Baptismo audirent nomen Spiritus sancti, simul cum Patre, & Filio. Quo quidem pacto retinetur, magis propriè vt sonat, sententia Apostoli ad Ephesios 4. 5. *vna fides, vnum baptisma*, quam dicendo Apostolos adhibuisse ex dispensatione, aliam formam quam iam adhibeat Ecclesia, adeóque duos esse baptismos substantialiter inter se diuersos, alium pro tempore Apostolorum, alium pro tempore præsenti.

Art. 2. Verum vt propter auctoritatem D. Thomæ, aliquorúmque Theologorum probabile sit, vti reipsa, Apostolos ex speciali dispensatione baptizasse in nomine Christi tantùm, probabile tamen nequaquam est eam dispensationem, seu qualemcumque dispensationem diuinam postea perseuerasse, aut Baptismum validum iam esse posse, absque expressione trium personarum diuinarum. Quod præter testimonium & institutionem Christi superius productam ex Matth. vlt. probatur concludenter definitione Zachariæ Papæ definientis can. *in synodo* de consecrat. dist. 4. *Si Lotus in fonte baptismatis fuerit, sine inuocatione Trinitatis, perfectus Christianus non est, nisi in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, fuerit baptizatus.* Similiter Pelagius Papa can. *Si reuera*, & can. *Multi sunt* eadem dist. definit de plano Baptismum datum in nomine Christi, vel in nomine Domini tantùm, esse nullum. Quibus sanè tam claris Pontificum definitionibus, simul cum textu Euangelico supra memorato, perperam insidiantur per voluntarias interpretationes Adrianus, & Caietanus, vti demonstrat inter alios Valentia in præsenti.

Art. 3. Ad authoritatem Nicolai adductam in obiectione communiter respondetur Nicolaum in eo loco directè determinasse auctoritate Pontificia Baptismum, quamuis datum à Iudæo retinente professionem Iudaïcam, fuisse validum, de quo videlicet solo consultus à Bulgaris fuerat; deindè verò superaddidisse, vt priuatum Doctorem, ex authoritate Ambrosij, qua vtitur, valere Baptismum datum in nomine Christi tantùm. Vndè ea authoritas non tanti habenda eatenùs est. Huius generis autem sunt plura exempla sine nota, & Conciliorum, & Pontificum definientium id tantùm, de quo præcipuè, ac directè quærebatur, non verò alia de quibus obiter incidit sermo. Ambrosium interpretatur benignè D. Thom. quasi solùm intenderit reddere rationem, ob quam Apostoli congruenter vti potuerint solo Christi nomine, idémque dici forte posset ad reliqua testimonia obiectionis. Sed vtcumque intelligantur illi Sancti PP. atque Theologi illis annumerati, retinenda firmiter est, tanquam omninò certa, propter auctoritates Euangelij, Florentini, & Pontificum pro nobis adductas, necessitas expressionis formalis, & non tantum æquiualentis, aut virtualis trium personarum.

Ad 4. Qui docet, illis ipsis verbis, quibus docet; manifestat satis, se docere, & quid doceat; non autem similiter manifestat, quid principaliter faciat, qui facit aliquid, quod propter multa indifferenter fieri potest. Huiusmodi autem est ablutio hominis in

aqua. Potest enim mergi in aquam ; propter diuersos fines. Conuenienter igitur adduntur actioni verba: *Ego te baptizo*, quibus ostenditur finem, & effectum determinatum eius actionis, esse ablutionem, & mundationem hominis. Quod manifestare oportet,& non manifestaretur seclusis verbis.

Ad 5. Admittit Caietanus ad dictum art. 5. aliique nonnulli valere Baptismum datum *in nomine Patris,& Filij, & Spiritus sancti*. Sed melius', ac tutius negatur cum D. Thoma ibidem ad 6. cúmque aliis communiter: tum quia in Euangelio determinatè dicitur *in nomine*: tum quia licet nomina personalia sint plura, illis tamen non significatur authoritas, & virtus Diuina, quæ operatur in sacramento, vt constat ex q 40. de Deo. Vna namque est authoritas, & virtus, totáque perfectio trium personarum, atque ad eam significandam ponitur in forma 70 *in nomine*.

Ad 6. Forma Baptismi non dicitur Concionatorie, aut doctrinaliter tantùm, aut purè deprecatiuè, sed est sermo operatorius, & inductiuus effectus,quem significat per veram causalitatem, vt dictum est suprà, in communi. Quapropter rectè diriguntur, etiam ad surdum, & non intelligentem, quia nihilominùs est inducendus in illis effectus significatus, & non potest induci, nisi significetur per verba.

## QVÆSTIO XLI.

### *Vtrùm detur triplex Baptismus, fluminis, flaminis, & sanguinis?*

VIdetur non dari. 1. Quia ad Ephes. 4. 5. dicitur *Vnus Dominus, vna fides, vnum baptisma, vnus Deus*. Non igitur triplex baptisma, sicut non triplex fides, sed vna tantùm, & vnus Deus.

2. Damascenus lib. 4. fid. Orthod. cap. 10. ponit multo plura baptismata, quàm tria, idque ex testimoniis scripturæ. Ergò non rectè ponitur solus numerus ternarius Baptismorum.

3. Baptismus est verum sacramentum,vt dictum est suprà. Nullum autem est sacramentum sanguinis, aut solius flaminis, seu dilectionis solius. Ergò nec Baptismus datur vllus, aut sanguinis, aut flaminis.

4. De conceptu Baptismi est vis deletiua peccatorum, vt dictum est in eius definitione;Martyrium autem eam vim non habet. Quia si quis subeat martyrium absque actu charitatis, & dilectione Dei super omnia, non propterea consequitur remissionem peccatorum, vt patet ex illo ad Corinth. 1. 13. *Si tradidero corpus meum, itavt ardeam, charitatem autem non habuero nihil mihi prodest*. Vnde D. Thomas in hac quæst. 66. art. 12, ad 2. *Effusio sanguinis*, ait, *non habet rationem baptismi, si sit sine charitate*; idémque colligitur ex eodem 1. 2. quæst. 114. art. 4. ad 3. & 2. 2. q. 124. art. 2. ad 2. Videri prætereà possunt apud Vasquez plura in eandem rem testimonia sanctorum PP. præsertim Augustini, pluréque graues Theologi. Si autem quis subeat martyrium cum præuio actu charitatis, & dilectionis Dei super omnia, ex vi huius actus consequitur remissionem omnium peccatorum ante consummationem martyrij. Ergò martyrium pro nullo euentu operatur remissionem, ac deletionem peccatorum. Ergò non rectè dicitur baptismus sanguinis.

5. Si Martyrium esset baptismus,esset vtique baptismus nobilior, quàm sit baptismus aquæ. Quia maioris longè perfectionis est pati martyrium,quàm tingi aqua. Ergò Baptismus absolutè prolatus, supponeret pro martyrio, tanquam pro famosiori. Non autem ita supponit, vt patet ex communi modo loquendi, ac intelligendi. Ergò martyrium nullatenùs est dicendus Baptismus.

Art. 1. Respondetur: Virtus vniuersaliter deletiua peccatorum præeminet reliquis prædicatis sacramenti Baptismi, & ab eadem virtute principaliter denominatur talis, vt liquet ex quæst. 37. Propterea idem nomen communicatum est aliis, etiam, quibus communis est virtus deletiua omnium præcedentium peccatorum. Hæc autem virtus est communis actui charitatis, qui dicitur flamen, propter suum ardorem, & impetum ad superiora, atque ad ipsum Deum, supremum omnium; necnon martyrio, quod sanguinis appellatur, quia plerunque euenit cum sanguinis effusione; Nihilque prætereà supereſt, cui insit eadem virtus. Vnde iis duobus tantum est commune nomen Baptismi cum Sacramento deletiuo peccatorum.

Art. 2. Actum charitatis, & dilectionis Dei super omnia esse deletiuum omnium, & quorumlibet peccatorum præcedentium ante ipsum, constat ex multis scripturæ locis, Prouerb. 10. 12. *Vniuersa delicta operit charitas* & 13. 17. *Ego diligentes me diligo*. Ioan. 14. 24. *Qui diligit me diligetur à Patre meo, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus*. Lucæ 7. 47. *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum*. 1. Pet. 4. 8. *Charitas operit multitudinem peccatorum*. Idem apertè colligitur ex Concilio Tridentino definiente sess. 14. cap. 4. de sacrament. pœnitent. contritionem charitate perfectam hominem Deo reconciliare, priusquam sacramentum actu suscipiat, idémque apparet ex Ezech. 18. Isaiæ 55. 7. & alibi sæpè. Contritio enim verò charitate perfecta non differt à simplici dilectione Dei super omnia, penes speciem, & perfectionem, atque vim coniungendi amicabiliter cum Deo, sed solum quasi accidentaliter, ex parte obiecti materialis. Quia motiuum formale adæquatum vtriusque est prorsus idem vt dicetur infrà agendo de pœnitentia, tum virtute, tum sacramento, maximè quæst. 89. An verò dilectio Dei inducat remissionem peccatorum formaliter, & immediatè, vel dispositiuè tantùm, ac mediatè, de quo dictum est quæst. 12. de iustif. parum refert pro re præsenti.

Art. 3. Idem effectus remissionis omnium præcedentium peccatorum tribuitur martyrio Matth. 10. 32. & Lucæ 12. 8. *Omnis ergò, qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo*. Marc. 8. 35. *Qui perdiderit animam suam propter me, & Euangelium, saluam faciet eam*, Lucæ 4. 24. *Quicunque perdiderit animam suam propter me, viuificabit eam*. Vim istam viuificandi, & saluandi animam, & quod perindè est obtinendi confessionem Christi coram Patre, conuenire martyrio ex opere operato respectu infantium omnes iam Catholici Doctores vnanimiter consentiunt, Sanctis Patribus vsque adeò propensis eodem, vt opposita nonnullorum olim sententia sit vt minimum temeraria. Et videtur reddi innegabile exemplo Innocentium, quos occidit Herodes, & Ecclesia omnes indiscriminatim colit, vt Sanctos; tametsi gratiam, & gloriam consequi non potuerint per vllum suum actum, cuius nimirum eliciendi erant prorsus incapaces, propter defectum vsus rationis.

Art. 4. Idem autem dicendum est cum Suarez, disputat. 29. section. 2. & 3. & pluribus aliis apud ipsum, aduersus Vasquez disput. 153. cap. 3. & plures alios apud ipsum, respectu etiam adultorum, licet diuerso modo, seruata proportione. Diuersitas modi, & ratio proportionis consistit in hoc, quod adultus compos rationis, non potest in vllo euentu, per vllum medium, iustificari independenter à dispositione propria sibi libera, & supernaturali, vt dictum est quæstion. 10. de iustif. & dicetur iterùm infrà quæstion. 46.

stion. 46. & 88. Cæterum dispositionem istam requisitam, vt adultus iustificetur per martyrium, non esse præcisè, ac necessariò actum dilectionis Dei super omnia, seu contritionem perfectam, sed sufficere actus alios minus perfectos, atque insufficientes ad inducendam se solis remissionem peccatorum, nempè sufficere pro martyrio actus, qui sufficiunt pro sacramento Baptismi, & exponentur dicta quæst. 46. atque adeò martyrium iustificare posse etiam adultos ex opere operato; id est virtute martyrij supplente, atque vltimò complente insufficientiam adid actuum internorum secundum se, præcisè probatur in primis efficaciter ex testimoniis nuper inductis ex Euangelio.

Art. 5. Quia promissio contenta in illis testimoniis de saluatione, & iustificatione animæ, atque de retributione confessionis Christi coram Patre, est amplissimæ formæ, & complectitur adultos non minus, quàm paruulos, imò apparet clarè quod dirigatur, præcipuè ad adultos. Est enim promissio exhortatoria, atque soli adulti sunt capaces exhortationis, & qui erigantur, atque roborentur ea spe ad arduum agonem martyrij. Ergò siquidem certum est ibi contineri promissionem viuificationis, seu iustificationis, & vitæ æternæ ex opere operato respectu infantium, omniúmque carentium perpetuo vsu rationis; certum quoque id ipsum esse debet, quasi à fortiori respectu adultorum ratione vtentium. Accedit easdem diuinas promissiones exinaniri penitus, omnique plane soliditate reddi prorsus vacuas respectu effectus promissi, quod ad adultos attinet, si martyrium quatenus executioni mandatum non inducit gratiam & gloriam ex opere operato. Quia vis inductiua gratiæ, & gloriæ ex opere operantis tota est penes actus internos, vt dictum est quæstion. 38. art. 2. de act. hum. Vnde siue subsequeretur re ipsa; siue non subsequeretur martyrium post actus internos disponentes ad ipsum, eadem, & nec maior, nec minor esset retributio gratiæ, & gloriæ. Certè si actus charitatis diligentis Deum super omnia esset præcisè necessarius, vt martyr consequeretur remissionem peccatorum: nunquam illam consequi posset ex vi passionis martyrij. Quia ante ipsam præsupponerentur iam remissa peccata, ex vi actus charitatis, passione eatenùs se habente purè materialiter, & consequenter, seu purè concomitanter, & per accidens. Quod tamen videtur; non nisi prædurè dici posse. Quia eo ipso accipienda essent in sensu purè materiali respectu adultorum magnifica illa Christi promissa. *Omnis qui confitebitur me coram hominibus*, (quod fit per realem perpessionem martyrij) *confitebor & ego eum coram Patre meo: Qui perdiderit animam suam propter me*, quod planè aliud est, quam esse paratum vtcunque perfectè ad perdendum *saluam faciet, viuificabit eam.* Et tamen hæ formulæ loquendi vehementer contradicunt eiusmodi sensui purè materiali, nec rectè cohæret cum sinceritate repromissionis connexio purè materialis, inter conditionem, & conditionatum.

Art. 6. Confirmatur paritate vis huius ponderationis. Quia vis Baptismi ad iustificandum ex opere operato, tum paruulos, tum adultos, rectè colligitur ex illo Ioann. 3. 5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non potest introire in Regnum Dei*, vt est in confesso apud omnes. Ergò idem rectè colligitur ex verbis ponderatis; *Qui me confessus fuerit, &c.* patet consequentia. Quia quod ad affirmatiuam partem attinet, eadem vtrobique apparet vis promissionis. Quapropter ex ista istorum duorum testimoniorum comparatione mutua, optimè comprobat Augustinus lib. 13. de Ciuitat. cap. 7. illustrem hanc suam sententiam, quæ nostram exprimit egregiè. *Quid pretiosius, quàm mors, per quàm fit, vt delicta omnia dimittantur?* Confirmatur rursus, quia retributio promissa alicui exteriori, seu actioni, seu passioni, semper intelligitur implenda, dummodò non desit actus internus virtutis, sufficientis ex sua natura ad talem executionem exteriorem, & cui insit ea perfectio, quæ haberi potest relatiuè ad solam eandem executionem exteriorem, tanquam motiuum formale actus interni, de quo nemovnquam dubitauit. Executio autem exterior martyrij, seu mortis propter Christum potest existere ex vi actuum ignobiliorum actu perfecto charitatis, nec martyrium, seu honestas propriè peculiaris, moriendi propter Christum, & Euangelium, atque confitendi Christum coram hominibus potest esse motiuum formale specificatiuum dilectionis Dei super omnia. Ergò prædictæ promissiones factæ martyrio, seu morti Christum confitenti, necessariò intelliguntur implendæ, tametsi desit formalis dilectio super omnia, solique adsint actus aliarum virtutum sufficientes ad honestam, veréque Christianam perpessionem martyrij, & ad faciendam veram, sincerámque Christi confessionem coram hominibus. Adde promissiones istas factas morientibus pro Christo, non esse capaces, quæ accipiantur in eo sensu, quo accipi possunt similes promissiones factæ pauperibus spiritu, pacificis, misericordibus. Nempè posteriores istæ promissiones; tametsi adsit impedimentum peccati, dum exhibentur ea opera, possunt nihilominùs impleri, posteà, inducentibus aliquo modo iisdem operibus, auxilia actualia gratiæ, quibus deindè tempore opportuno inducatur dispositio proxima ad iustificationem, & consecutionem vitæ æternæ. At martyrium est vltima vitæ clausula, acproindè promissio salutis, & viuificationis illi adiuncta, debet adimpleri immediatè ex vi ipsius, nec aliter potest intelligi infallibiliter, atque vniuersaliter adimplenda, sicut effertur omninò vniuersaliter ab eo, qui est infallibilis.

Art. 7. Plurimum roboris, ac splendoris accedit huic sententiæ, ex frequenti apud Sanctos Patres comparatione martyrij cum sacramento Baptismi, quoad vim vtriusque vniformem remittendi peccata, & perducendi ad vitam æternam. De Augustino iam nuper id apparuit clarè. Audiatur post ipsum chariſſimus eidem, atque ab eodem celebratissimus Cyprianus epist. 37. *Nunquid potest vis Baptismi esse maior, aut potior, quam confessio? quam passio? vt quis coram hominibus Christum confiteatur, & suo sanguine baptizetur.* Et rursus in expositione orationis Domini. *Quale delictum est, quod nec baptismo sanguinis potest ablui? Quale crimen est, quod nec martyrio potest expiari?* Diuus Prosper in lib. sententiarum, quæ sunt è ad verbum sunt depromptæ ex Augustino, sent. 149. *Qui non percepto*, ait, *regenerationis lauacro, pro Christi confessione moriuntur, tantum eis valet ad abluenda peccata, quantum si abluerentur fonte baptismatis.* His tam manifestis assertionibus æquiualet omnino, exceptio martyrij, dum agitur de necessitate Baptismi, quam facit, inter alios Cyrill. Hierosol. Catheç. 3. *Si quis non baptizatur, salutem non habet, præter solos martyres.* Similiter excipit Fulgentius de fide ad Petrum cap. 3. *Absque sacramento baptismatis, præter eos, qui in Ecclesia Catholica sine baptismate pro Christo sanguinem fundunt, nec Regnum Cœlorum potest quisquam accipere, nec vitam æternam.* Quod si hæc, aliáque similia, quam plura, quæ videri possunt apud Suarez vbi suprà, non subintelligantur cæteris paribus ex parte dispositionis præuiæ, sed subintelligenda insuper necessariò esset dilectio Dei super omnia, ex parte martyrij; eneruantur penitus, atque alienãtur à sincero, ac germano suo sensu omnes

eiusmodi

eiusmodi Sanctorum Patrum locutiones, vt patet consideranti.

Art. 8. Accedit postremò huic sententiæ ingens probationis pondus ex infallibili Ecclesiæ auctoritate, quæ agnoscit, & colit vt Sanctos, non minùs adultos, quàm paruulos, qui mortui sunt pro Christo, pro Euangelio, pro his, quæ, seu practicè, seu speculatiuè docemur in Euangelio, & certissimè tenet, fortes eiusmodi athletas Christi eo ipso instanti, quo sic moriuntur, euolare ad Cœlos absque vlla mora in Purgatorio, eosdémque refert in album Sanctorum, sola præeunte legitima legitimi martyrij probatione, tametsi nulla priùs speciali nituerint probitate, & commendatione morum, ad id sufficienti. Quod quidem fieri nullatenus posset, si realis passio martyrij iustificare perfectè, & remittere peccata minime posset ex opere operato, & independenter à dilectione perfecta Dei super omnia, tum quoad culpam, tum quoad totam pœnam. Quia ex notitia mortis honestè, ac laudabiliter toleratæ propter Christum, sola certò deducitur notitia eorum actuum internorum, qui sufficiunt, simúlque sunt præcisè necessarij ad tale opus externum. Dictum autem est non includi, inter eiusmodi actus, actum perfectæ dilectionis Dei super omnia, Deindè, vt includeretur, non sufficit hic actus, ex suo conceptu vniuersali, ad remissionem totius pœnæ, quantacunque martyri deberetur antecedenter. Sed neque passio ipsa mortis sufficit ad eum effectum ex opere operantis, vniuersaliter, & pro omni euentu; quandoquidem fieri potest vt mors non sit valdè acerba, vtque pœna antecedenter debita, esset maxima. Necesse igitur specialiter est ex reuerentia debita authoritati Ecclesiæ, vt concedatur martyrio, vis ex opere operato remissiua saltem totius pœnæ: eadem autem est ratio de vi eodem modo remissiua, etiam quoad culpam, cùm neque in Euangelicis, hac de re testimoniis, neque in documentis Sanctorum Patrum, neque in praxi Ecclesiæ vllum appareat fundamentum distinctionis quoad vim remissiuam culpæ, & pœnæ. Concluditur itaque legitimam esse in sensu initio explicato, diuisionem Baptismi in Baptismum fluminis, flaminis, & sanguinis.

Ad 1. Dominus, qui gubernat Ecclesiam, est vnus numero Christus Iesus; & similiter est vnus eius finis, Deus optimus maximus; fides verò est vna, solùm quoad speciem infimam, & similiter est vnus Baptismus, quoad suam rationem vniuocam. Quia actus charitatis, & martyrium dicuntur baptismus analogicè tantùm, propter conuenientiam inadæquatam cum sacramento Baptismi, quoad solum prædicatum præcipuum ipsius.

Ad 2. Baptismata illa plura, quæ enumerat Damascenus, nempe diluuium, transitus maris Rubri, variæ Hebræorum ablutiones, & Baptismus Ioannis, fuere purè præfiguratiua nostri baptismi, nec conuenunt cum sacramento baptismi proprio Noui Testamenti, quoad prædicatum eius præcipuum, remissionis peccatorum, sicut conueniunt cum eodem dilectio Dei, & martyrium; ideóque non sunt digna, vt illi connumerentur, sicut dilectio Dei, & martyrium.

Ad 3. Illa ratio solùm probat, quod spontè conceditur, conceptum Baptismi non esse vniuocè communem aquæ, flamini, & sanguini. Cœterum id non tollit conuenientiam analogam, penes prædicatum præcipuum, præcipui analogati, vt visum est; eáque communitas abundè sufficit ad communitatem nominis.

Art. 1. Ad 4. Negandum est vt patet ex præmissis, non posse remitti peccata vniuersim omnia, per martyrium, tametsi non adsit dilectio perfecta Dei super omnia circa locum, qui adducitur in contrarium ex 1. ad Corinth. 13. audiendus in primis est Diuus Thomas ibi, qui post illa verba: *charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest*; sic immediatè subiungit; *vel quia simul cum prædictis operibus adest voluntas peccandi mortaliter, vel quia fiunt propter inanem Gloriam.* Possunt autem excludi per alios actus bonos minoris perfectionis. Ergo ex mente Diui Thomæ, sola vi eorundem actuum minoris perfectionis, quam sit dilectio Dei, fieri potest vt prosit martyrium. Deinde non minus verificatur; *si fuscepero Baptismum, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest*; *quam verificetur, si tradidero, &c.* Quia videlicet verissimum est non habenti charitatem, dum eam non habet, seu in sensu composito eam non habendi, nihil prodesse posse ad salutem, & vitam æternam, siue ex opere operantis, siue ex opere operato. Ergo sicut nihilominus prodesse potest Baptismus non præhabenti charitatem; dummodò præexistat sufficienter dispositus per alios actus ad habendam eandem ex vi Baptismi; ita & martyrium prodesse potest, similiter dispositio, vt ex vi martyrij charitatem habeat. Nempè Apostolus non dicit nihil prodesse traditionem corporis, itavt ardeat, si non præhabetur charitas, sed tantum si non habeatur; habetur autem absolutè, si ipsum martyrium eam inducit.

Art. 2. Quoad loca Diui Thomæ, & quoad testimonia sanctorum Patrum, & quoad causales illas Euangelicas, *qui perdiderit animam suam propter me*, meminisse oportet doctrinæ traditæ cum Diuo Thoma, & aliis communiter, tum quæst. 41. de virt. Theolog. tum quæst. 1. de act. hum. circa imperium vniuersale charitatis super omnes alias virtutes, & circa causalitatem itidem vniuersalem vltimi finis respectu omnium actuum voluntatis. Ibi enim dictum est omnes, & qualescunque actus aliarum virtutum, esse intrinsecè participes perfectionis quæ est propria charitatis, licet modo minus perfecto, omnésque essentialiter pendere aliquo modo ab imperio eiusdem charitatis; & similiter omnes actus bonos, ac laudabiles esse aliquomodo propter verum vltimum finem nostrum, qui est summum bonum, seu Deus optimus maximus. Hinc fit, ad verificandum, quod quis perdat animam suam propter Deum, non esse necesse, vt eam perdat per actum perfectæ, & formalis dilectionis Dei super omnia, sed sufficere vt eam perdat per actum supernaturalem cuiuscunque virtutis, siue, vt nuper dicebatur ex Diuo Thoma, vt non tradat corpus, nec perdat animam, per actum peccaminosum, ac vitiosum. Quia videlicet fieri non potest, iuxta doctrinam præmissam, vt quis perdat animam, seu vitam corporalem per aliquem actum bonum proprium hominis Christiani, quin eo ipso eam perdat propter Deum, & propter summam eius bonitatem, quæ est vltimus finis noster. Indidem consequenter apparet, effusionem sanguinis, quæ procedit ex actu alicuius virtutis, quæcunque demùm ea sit, eo ipso procedere aliquo modo à charitate, nec effundi sanguinem omninò omnibúsque modis sine charitate. Quia videlicet eo ipso procedit aliquo modo ab imperio charitatis, atque motiuum formale charitatis, verè eo ipso exercet aliquo modo suam causalitatem, & motionem respectu effusionis sanguinis, & amissionis vitæ. His autem ita iam constitutis, nihil necesse est ad singula seorsim testimonia respondere, quæ opponuntur in contrarium. Quiuis enim cuiuis illorum facilè, ac legitimè poterit accommodare doctrinam nuper datam, nec nisi per eius accommodationem possunt redigi in concordiam cum testimoniis aliis superius propositis pro nostra sententia. Certè Diuus Thomas non aliter conciliari cum seipso potest, siquidem nostram sententiam apertissimè docet in 4. dist. 4. quæst. 3. art. 3. quæstiunc. 4. his verbis: *gratia in bap-*

*tismo*

*tismo sanguinis magis augetur habenti, & amplior datur non habenti, si impedimentum non adsit, & remissio peccatorum, quamuis non sit plenior, quia vterque baptismus omnem culpam, & pœnam tollit, tamen in baptismo sanguinis, efficacior est, & fructuosior, qui secundis maculis non inquinatur, vt Damascenus dicit.* Idem docet in hac 3. p. quæst. 87. art. 1. ad 2. Vnde quod dicit effusionem sanguinis sine charitate non habere rationem Baptismi, perindè est, atque effusionem sanguinis, nullo modo procedentem ab imperio charitatis, id est procedentem ab actu vitioso, vt paulò priùs ex eodem prænotatum est, nihil prodesse, nec habere vim baptismi. Illa duo loca, quæ indicantur ex 1. & 2. non sunt è re. Quia vtrobique agit de actu meritorio, & quidem meritorio de condigno, sub qua ratione certum est prærequiri habitum charitatis, & statum gratiæ, vt dictum est quæst. 32. art. 11. & 12. de act. hum. sed nunc non de hoc agitur, siquidem agitur de solo opere operato.

Ad 5. Baptismus aquæ præeminet secundum quid baptismo sanguinis, propter impressionem characteris, & habilitatem ad reliqua sacramenta, & propter vniuersalitatem eius coniunctam cum facilitate ad consequendam remissionem peccatorum, & vitam æternam. Sed Baptismus sanguinis, licet non sit sacramentum, quatenus non est signum symbolicum ex institutione significans gratiam, præeminet nihilominùs simpliciter, & absolutè. Quia confert vberiorem gratiæ cumulum, & inamissibilem coniunctionem cum Deo, per renunciationem, ac dimissionem intrinsecè reuocabilem, & æternam omnium bonorum temporalium, potentium auertere à Deo, & inducere in peccatum. Qui profectò modus accedendi ad Deum, & adhærendi Deo est summè arduus, & maximæ perfectionis ex genere suo. Qua de causa dicitur Ioan. 15. 13. *Maiorem hac dilectionem nemo habet, vt animam suam ponat quis pro amicis suis.* Eadem de causa assimilatur purus homo Christo patienti, per Baptismum quidem aquæ, figuraliter solum, & per Baptismum flaminis, seu pœnitentiæ perfectæ, solum effectiuè; per Baptismum verò sanguinis effectiuè, atque perfecta, & consummata operis imitatione intrinsecè coniunctiua cum Deo, vinculo æternum indissolubili. Istam comparationem exprimit egregiè Augustinus lib. de Eccles. dog. cap. 74. *Baptizatus confitetur fidem suam coram sacerdote, martyr coram persecutore. Ille post confessionem aspergitur aqua, hic sanguine. Ille per impositionem manus Pontificis recipit Spiritum sanctum, hic templum efficitur Spiritus sancti* incorruptibile vtique, ac indissolubile, & æternum, ex natura ipsa operis. Ob hæc igitur congruum, ac rationabile omninò fuit, vt Deus adiungeret martyrio priuilegium remissionis omnium peccatorum, quoad culpam, & totam pœnam, cum vberiori gratia, quam quæ confertur per baptismum aquæ, aut flaminis, atque ita baptismus sanguinis euaderet vtroque eo baptismo absolutè, & simpliciter præstantior. Nomen nihilominùs baptismi absolutè prolatum supponit determinatè pro sacramento, quia hoc est baptismus vniuersalior, & notior.

---

## QVÆSTIO XLII.

### *Vtrùm quilibet viator sit minister idoneus Baptismi?*

VIdetur non quilibet esse idoneus, etiam quoad valorem. 1. Quia ad eos omnes, & solos pertinet baptizare, ad quos pertinet docere, & acceptare in corpus Ecclesiæ, atque annumerare populo Christiano. Ablutio enim sacramentalis commissa est à Christo Domino Matth. vlt. 19. simul, ac indiuisim cum Doctrina, seu cum munere docendi, ac proindè eisdem omnibus, & solis vtraque commissa est, & præterea per baptismum incorporatur quis Ecclesiæ, & annumeratur populo Christiano. Docere autem mysteria fidei, pertinet ad Episcopos, vt docet Dionysius cap. 5. ad 6. Eccles. Hierarch. Nec nisi ad eosdem pertinere potest aggregatio ad corpus Ecclesiæ, & annumeratio inter populum Christianum. Quia hoc est opus solius principis; Atque Episcopi sunt Principes Ecclesiæ, tenentque locum Apostolorum, quibus conuenit illud psalm. 44. 17. *Constitues eos Principes super omnem Terram.* Ergò soli Episcopi baptizare possunt.

2. Qui non potest perficere quod minus est, multo minus perficere potest, quod est maius intra idem genus. Nemo autem inferior Episcopo potest consecrare Ecclesiam, aut altare, aut conficere Chrisma, & sic de aliis similibus, quæ sunt inferiora Baptismo. Ergò multò minus potest perficere Baptismum, quisquam inferior Episcopo.

3. Sicut Cœlestium ordinum proprietates officia, & facultates innotescunt ex eorum nominibus, vt habetur ex Dionys. cap. 7. de Cœlest. Hierarc. ita etiam ex nominibus ordinum, seu graduum Ecclesiasticorum innotescit, quid ad vniuscuiusque Ecclesiasticæ personæ officium, & facultatem pertineat. Nomen autem Diaconi, id est ministri solam in eo denotat facultatem inseruiendi ministerialiter sacerdoti, in perficiendis, & administrandis sacramentis, instruendo catechumenos, eósque disponendo ad dignam susceptionem sacramenti & repellendo immundos, ac indignos. Ergò Diaconi non sunt idonei ad baptizandum, & multo minus, qui sunt illis inferiores, sed soli sacerdotes.

4. Laïci non possunt perficere sacramentalia, quæ sunt quid incomparabiliter minus, quam sacramentum Baptismi, nec possunt sacramentum Pœnitentiæ administrare, quod tamen ipsum est minoris virtutis, & efficaciæ, quam baptismus, vt infra dicetur. Ergò à fortiori sunt incapaces ad perficiendum sacramentum Baptismi.

5. Potestas baptizandi est coniuncta cum potestate docendi, vt præmissum est in 1. & similiter est coniuncta cum potestate, & authoritate iurisdictionali, vti ibidem præmissum est. Sed mulier est prorsus expers vtriusque eius potestatis, vt pater quoad primum ex 1. ad Corinth. 14. 35. *Turpe est mulieri loqui in Ecclesia*, & quoad vtrumque ex 1. Tim. 2. *Docere mulieri non permitto, nec dominari in virum, sed subditam esse in silentio.* Ergò mulier est prorsus expers potestatis ad baptizandum.

6. Nemo dat, quod non habet, nec potest ministrare, quod est alicuius, qui non est minister eius, nec potest sacramentum perficere, quod plus est, qui non potest suscipere sacramentum quod minus est. Qui autem nondum est baptizatus, non habet characterem, & gratiam baptismalem, nec est minister Ecclesiæ, vtpote adhuc existens extra corpus Ecclesiæ, nec est capax suscipiendi alia sacramenta, præter ipsum baptismum. Ergò qui nondum est baptizatus, non potest baptizare. Non ergò omnis viator est minister idoneus baptismi, sed soli Episcopi, vel ad summum etiam Parochi possunt illum perficere, ac ministrare.

Art. 1. Respondetur. Eo modo; quo quis vult finem, oportet, vt velit media necessaria ad consecutionem finis, vtque velit absolutè hæc media, qui vult absolutè finem. Deus autem vult omnibus salutem, & vitam æternam, iuxta illud. 1. Tim. 2. 41. *Vult omnes homines saluos fieri*, atque ita vult, vt omnibus eam reddat consequibilem, & in manu cuiusque relinquat consequi

consequi illam, vel non consequi iuxta illud Eccles. 15. 18. *Ante hominem vita, & mors*, & Ioannis 1. 12. *Dedit eis potestatem filios Dei fieri.* Atqui baptismus est medium maximè necessitatis ad salutem, & vitam æternam, eiúsque necessitas est maior, quàm necessitas cuiusuis alterius sacramenti, vt infrà dicetur. Eadem igitur ratione, qua Deus eligit pro materia huius sacramenti rem maximæ obuiam, & quæ vbilibet facilius reperitur, quam materia cuiuslibet alterius sacramenti, oportuit etiam, vt vellet, voluitque de facto ministrum, pro casu necessitatis, idoneum ad perficiendum, & ad ministrandum validè hoc sacramentum, esse facilè obuium magis, quàm ministrum alicuius alterius sacramenti; quapropter, quilibet viator, seu vir, seu fœmina, seu baptizatus, potest validè perficere, & ministrare hoc sacramentum. Ita definit Florentinum in decreto Eugenij, vbi sic habetur. *In casu autem necessitatis non sacerdos tantum, aut Diaconus, sed etiam laicus, & mulier, paganus, ac hæreticus validè baptizare potest, modo formam Ecclesiæ seruet, & facere intendat, quod facit Ecclesia.* De qua postrema particula, déque exclusione eorum, qui non sunt viatores dictum iam suprà est in communi quæstione 12. 13.

Art. 2. Verum ita prouidit Deus per suam misericordiam necessitati, ac indigentiæ mortalium, constituta ea latitudine ministrorum huius sacramenti, vt tamen prouiderit etiam simul per iustam, & æquissimam prouidentiam suam decenti administrationi tanti mysterij. Quapropter licet minister necessitatis, seu minister pro casu necessitatis sufficiens ad baptizandum, & validè, & licitè sit quilibet promiscuè viator; minister tamen necessitatis, seu qui secluſa necessitate graui potest solemniter baptizare & licitè, & validè, tanquam minister ordinarius, est solus Parochus, vel alius sacerdos ex eius commissione. Quod colligitur ex Florentino ibidem. Præmittit enim immediatè ante verba præindicata: *Minister huius sacramenti* (Baptismi) *ordinarius est sacerdos, cui ex officio* (nempe Pastorali, seu Parochiali) *competit baptizare*, & Gelasius 1. in epist. ad Episc. per Lucaniam cap. 9. vt habetur in Decret. 93. dist. *Diaconos propriam constituimus obseruare mensuram.* Et infrà; *Absque Episcopo, vel Presbytero baptizare non audeant, nisi prædictis ordinibus fortasse longius constitutis necessitas extrema compellat.*

Art. 3. De solo porrò Parocho dicitur, quod sit minister ordinarius huius sacramenti, seu vt loquitur Florentinum, cui ex officio competit baptizare, non quod Episcopis ad ipsum non liceat, sed quia in Republica benè ordinata, quæ pertinent ad infimum populum, adscribuntur iure ordinario minoribus eius ministris in magistratu constitutis, reseruata summis Principibus administratione eorum, quæ pertinent ad maiores Ciuitatis iuxta illud Exod. 18. *Quidquid maius fuerit, referant ad te, & ipsi tantummodo minora iudicent.* Episcopi autem sunt summi Ecclesiæ Principes, minores verò sunt Parochi; atque per baptismum solus obtinetur infimus gradus in populo Christiano. Ergò solis Parochis competit potestas, & iurisdictio ordinaria admittendi quempiam ad Ecclesiam, nec alius præstare id licitè potest, nisi vel Episcopus dignetur exercere hoc ministerium per seipsum immediatè, vel alius sacerdos de eorum consensu ipsis substituatur, vel casus vrgentis necessitatis aliud postulet. Immò in casu etiam necessitatis, ideſt periculi grauis, vt quis moriatur sine baptismo, neve eodem diutius dilato fraudetur magna aliqua spirituali vtilitate, consulendum est, quantum fieri potest, decentiæ tanti sacramenti. Quapropter etiam pro eo casu hic ordo seruari debet, vt Parochus præferatur simplici sacerdoti, hic aliis Clericis, & inter istos, superior inferiori: Clericus Laïco: baptizatus, non baptizato: non præcisus, præciso per censuram: fidelis infideli, atque inter istos respectiuè, vir fœminæ, neque hic ordo prætermitti potest absque peccato. Ratio porrò validitatis huius sacramenti, tametsi illicitè ministretur extra casum necessitatis à ministro solius necessitatis, vel inuerso ordine ministrorum in casu necessitatis reddetur commodius infra quæstione 50.

Ad 1. Formula verborum, quibus Christus Dominus commisit officium docendi, & baptizandi, est eadem, & indiuisa, sed sumitur discrimen, & ratio diuersæ intelligentiæ ex parte materiæ, quatenus in opere baptizandi, nihil confert sapientia baptizantis, aut sufficientia aliqua peculiaris, sicut confert in opere docendi consummata sapientia docētis. Qua decausa dicunt Apostoli Actorum 6. 2. *non est æquum nos relinquere verbum Dei, & ministrare mensis.* & Apostolus 1. ad Corinth. 1. & 17. *Non misit me Christus*, inquit, *baptizare, sed euangelizare.* Hac igitur ratione pertinet ad Episcopos principaliter officium illuminandi totaliter, atque docendi per doctrinam consummatam, atque pastoribus inferioribus attribuitur ordinaria facultas baptizandi. Quibus videlicet competit iurisdictio inferior, vt dictum est, necnon facultas docendi, quæ omnibus vniuersaliter nota esse oportet sub initium vitæ Christianæ.

Ad 2. Licet sacramentum Baptismi sit primum omnium ordine necessitatis, ordine tamen perfectionis est posterius reliquis sacramentis præter Matrimonium, vt dictum est quæst. 35. Vnde hæc alia sacramenta postulant ministros digniores. Quod ad sacramentalia attinet, quæ tanguntur in argumento, obseruandum est, in illis interuenire vniuersalitatem, tum ex parte precum, & orationum, quæ funduntur, & applicantur, tum ex parte vsus rerum, quæ consecrantur. Hæc autem vniuersalitas in effectu, postulat similem vniuersalitatem in principio, quoad auctoritatem, & potestatem, quæ est propria Episcopi. At Baptismus confertur vni ab vno. Vnde non tenet paritas, vel dicatur argumentum esse de genere ad genus, quatenus non comparatur vsus Ecclesiæ consecratæ, & similium, cum vsu Baptismi, sed comparatur consecratio Ecclesiæ, quæ præcedit vsum eius, cum actione perficiendi Baptismum, quæ non distinguitur ab vsu eius. Vnde est manifestius non tenere paritatem.

Ad 3. Illa ratio probat, Diaconos non posse baptizare solemniter; vt dictum iam est. Sed non probat, non posse baptizare in casu necessitatis, & absque solemnitate. Quia nomen vnicuique imponitur ex ministerio, quo fungitur per se, & non ex eo quod facere potest per accidens pro aliquo casu.

Ad 4. Baptismus est magis necessarius, non solùm quam sacramentalia, quòd per se patet, sed etiam, quam sacramentum Pœnitentiæ. Quia pueri non indigent sacramento Pœnitentiæ, & adulti possunt supplere ipsum, quoad totum eius effectum, per contritionem. Baptismus autem est necessarius, & paruulis, & adultis, & quoad effectum remissionis totius pœnæ, non potest suppleri per contritionem, aut per aliquod aliud medium præter martyrium. Quapropter oportuit ministrum baptismi esse magis obuium, quàm ministrum, vel sacramentalium, vel etiam Pœnitentiæ.

Ad 5. Esto non permittatur mulieri docere publicè in Ecclesia, permittitur tamen instructio, & monitio priuata. Ergò similiter permittitur eidem, vt baptizet priuatim in casu necessitatis, esto baptizare nunquam possit solemniter. Similiter non potest exercere actum publicum, & solemnem acceptandi aliquem in corpus Ecclesiæ, potest tamen acceptare purè ministerialiter,

rialiter absque solemnitate; quia in re ea non operatur virtute propria, sed virtute Christi, qui quoad hoc non alligauit suam potestatem vsui illius determinatæ personæ, sed voluit indiscriminatim vti quauis persona cuiusuis status, & sexus, tanquam instrumento suo, vt determinat Vrbanus Papa scribens, ad Vitalem, & habetur in Decr. 30.q.30.

Ad 6. Baptizans non dat, quod habet, nec operatur tanquam causa principalis, sed quod habet Christus, & tanquam minister, seu instrumentum eius, qui potest vti quibus voluerit, ad quodcunque voluerit. Nempè Baptismus, vt dicit Nicolaus Papa can. *quodam Iudæo* de consec. d.4. *non est illorum*, nempè baptizantium, *sed eius*, nempè Christi. Deinde, licet qui non est baptizatus non possit esse minister Ecclesiæ, tanquam pars eius, aut quasi domesticus existens, potest tamen esse minister eius, tanquam gerens intentionem ipsius, & adhibens formam eiusdem, ideóque potest esse minister Christi, qui potest vti quibuslibet promiscuè, vt instrumentis suis, & vult vti quoad hoc opus; denique non est tam necessarium, vt qui non est baptizatus suscipiat alia sacramenta, quàm vt baptizetur, qui non est baptizatus, & vult baptizari, atqui Deus dat vniuersaliorem facultatem, pro iis, quæ sunt magis necessaria, vt supra dictum est. Nihil igitur obstat, quominus non baptizatus, baptizare valide possit. Idem dicitur de hæretico etiam, & de excommunicato, siue tolerato; siue non tolerato.

## QVÆSTIO XLIII.

### *Vtrùm plures simul possint vni, & eidem conferre validè Baptismum?*

VIdentur non posse. 1. Quia non possunt dari plures causæ adæquatæ respectu eiusdem effectus, vt dictum est suprà, quæst. 23. Sed quilibet baptizans est causa adæquata Baptismi. Ergò non possunt plures simul eundem baptizare.

2. Istud sacramentum non potest iterari, vt dicetur quæst. 45. Iteraretur autem si plures eundem baptizarent, certè esset saltem moraliter impossibile, vt non iteraretur. Quia est saltem moraliter impossibile, vt duo absoluant pro eodem instanti metaphysico formam, & actionem ablutiuam, qui verò posterius absolueret, iteraret Baptismum, siquidem prior illum perficeret adæquatè. Ergò si plures eundem baptizare possent, sequeretur morali saltem necessitate, vt id fieret, quod fieri minimè potest.

3. Sacramentum cuius nullus est effectus, est nullum, vt dictum est suprà quæst. 30. Nullus autem esset effectus Baptismi, quatenus collati ab aliis præter vnum aliquem. Quia vno validè baptizante, confertur baptizato omnis effectus conferibilis absolutè per istud sacramentum. Ergò vno aliquo validè illud perficiente nullus alius posset inducere aliquem effectum huius sacramenti, ac proindè nec baptizare.

Sed contra est, quia duo possunt præstare quidquid præstare potest vterlibet eorum se solo; siquidem neutrius sufficientia, & virtus tollitur, aut minuitur accessione alterius. Nempè fieri nullatenùs potest, vt aliquid tollatur, aut minuatur sola additione eiusdem generis, vt ne desit sufficientia ad aliquid, præcisè quia adest multiplex ad idem sufficientia. Ergo fieri non potest, vt vnus sufficiat, & plures non sufficiant ad perficiendum Baptismum.

2. Vnus potest simul baptizare plures. Ergò multò magis possunt plures baptizare vnum. Patet consequentia, quia difficilius est, vt vnum agens sufficiat ad plura, & agat in plura simul, quàm quod plura agentia sufficiant ad vnum & agant in vnum simul.

Alia sacramenta possunt perfici à duobus sibi inuicem cooperantibus, vt patet in matrimonio præsertim, & in sacramento Pœnitentiæ. Ergò istud sacramentum potest similiter perfici, saltem à duobus, sibi inuicem cooperantibus, exempli gratia ipso baptizato se abluente, ideóque exhibente materiam, & alio proferente formam; sicut materiam sacramenti Pœnitentiæ, ipse pœnitens adhibet totam, & sacerdos solum deinde superaddit formam.

4. Quia sacramentum Baptismi est maximè necessarium, concessum est à Deo, vt quilibet istud ministrare possit in casu necessitatis. Ergo eadem ratione credendum est, concessum esse, vt duo possint idem sacramentum perficere in casu necessitatis; exempli gratia, si adsint moribundo nondum baptizato, duo quorum alter esset mutus, & alter carens manibus, & brachiis, ac proindè, alter solùm posset proferre verba, & alter solùm posset lauare, & adhibere materiam.

Art. 1. Respondetur. Tripliciter contingere potest, vt plures vnum, eundémque simultaneè baptizent; Primò vnoquoque seorsim, & singulariter proferente totam formam, atque abluente, & concipiente intentionem absolutam baptizandi independenter ab aliis. Secundò vnoquolibet tantùm partialiter concurrente, nempè vno proferente verba, & alio abluente, vel vtrolibet proferente partialiter verba, aut partialiter abluendo, vel vnoquolibet concipiente intentionem baptizandi dependenter ab alio, nempè si alius baptizet; si minùs non baptizandi. Tertiò concurrentibus pluribus per modum vnius; itavt vnus quilibet, vel vnus aliquis, nomine, & suo, & cæterorum dicat *Nos te baptizamus*; & similiter, vel immergant, vel aspergant simultaneè, sicut quando plures simultaneè trahunt, aut tenent idem corpus, vel alterutrum horum tantùm exhibentibus omnibus per modum vnius, & reliquum exhibente vnoquolibet, seorsim, ac singulariter.

Art. 2. Certum est vnoquolibet ex pluribus seorsim, & singulariter proferente formam, atque abluente cum intentione baptizandi independenter à quolibet alio, non obstare valori Baptismi, concursum cæterorum, idem exequentium eodem modo. Quia in hoc casu, respectu vniuscuiusque concursus cæterorum, se habet per accidens, & vnusquisque exhibet quidquid est necessarium ad valorem sacramenti, & supponitur ex parte baptizandi, nullum esse impedimentum annullatiuum respectu omnium baptizantium. Ergo fieri non potest, vt in hoc casu non perficiatur verum, & validum sacramentum. Si enim omnes, vel aliqui duo simul absoluant totam operationem pro instanti omninò, ac metaphysicè eodem, licet futurum sit sacramentum materialiter multiplex, erit nihilominus formaliter vnum. Nempè existente materia multiplici, & forma sensibili verborum pariter multiplici, forma nihilominus characteris, & gratia, inducenda interius à Christo, foret vna. Si autem vnus aliquis totam operationem absolueret, priusquam cæteri, ipse solus perficeret sacramentum quoad essentiam, vt patet, & operationes reliquorum consequenter pertinerent ad constitutionem eius moraliter tantum, seu integraliter, vti distinctius, & fusius exponetur infrà in re simili quæstion. 68. Quapropter in hoc casu dari validum Baptismum consentiunt indubitanter Theologi cum D. Thoma, quæstione 67. art. 7.

Art. 3. Certum rursus est ex communi consensu Theologorum cum D. Thom. ibidem, Baptismum euadere nullum pluribus eundem baptizantibus partialiter,

liter, quomodocunque contingat, eos inter se partiri operationes exteriores, pertinentes ad substantiam sacramenti. Quia valor sacramenti dependet essentialiter à veritate verborum formæ, atque ab eorundem conformitate cum institutione Christi; hæc autem duo subsistere nequaquam possunt in eo casu. Quia forma verborum instituta à Christo Domino, iuxta perpetuam Ecclesiæ traditionem, & definitiones Conciliorum, est hæc: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*, vel quæ huic perfectè æquialet, vt dictum est supra quæst. 40. Hæc autem formá subsistere nullo pacto potest in prædicto casu. Si enim vnus proferat formam, & alius abluat, seu totaliter, seu partialiter, itavt qui profert formam, non exequatur actionem ablutiuam sufficientem se sola, vt is, circa quem exercetur, verè dicatur ablutus ex vi illius præcisè, non verificatur; *Ego te baptizo*, siquidem ipse non abluit simpliciter, sed vel omninò non abluit, vel non nisi secundum quid, ideóque, est falsum omninò, quod ipse baptizet, seu abluat, vel certè non verificatur ad ipsum propriè, sed tantum per Synecdochen, & impropriè. Nec magis verificatur pro eodem casu forma Græcorum, baptizetur seruus Christi talis, seu baptizetur manibus meis seruus Christi talis. Quia in posteriori isto modo exprimitur identitas proferentis verba, & lauantis, eadémque subintelligitur in priori modo, vt obseruatú est in dict. q. 40. ac proindè est eadem quoad hoc ratio de forma Latina. Eadem de causa deficit veritas formæ, si vnus dicat *Ego te baptizo*, & alius addat, *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*, & sic de quauis alia partitione prolationis. Quia licet verificetur, eundem, qui profert verbum abluendi, abluere, non tamen verificatur eundem abluere sensibiliter, & practicè, In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti; siquidem hæc posteriora verba, aut partialiter, aut totaliter proferat alius exterius, ac sensibiliter, & non idem, qui profert verbum abluendi.

Art. 4. Si verò vnusquilibet, vel vnus aliquis nomine sui, & cæterorum dicant, *Nos te baptizamus*, cum apparentia exteriori intentionis internæ de conuentione plurium ad perficiendum vnum Baptismum; variatur quoad substantiam forma à Christo instituta. Quia tunc particula *nos*, perindè est, atque, *Ego, & tu*, aut *Ego & ille*. Quod patet substantialiter differre quoad modum significandi à significatione particulæ, *Ego*, à Christo institutæ. Ergò nullo pacto fieri potest, vt in dicto casu subsistat forma legitima, eiúsque verificatio in sensu proprio, & plano. Dictum autem est, non valere Baptismum, si τὸ *Nos baptizamus*, proferatur ita, vt appareat exterius intentio de conuentione plurium ad perficiendum vnum Baptismum. Quia si hoc non appareat exterius, sed appareat ex circumstantiis eam formulam vsurpari solum ad denotandum peculiarem authoritatem, & dignitatem baptizantis, & pro retinenda formula loquendi sibi familiari, vt si summus Pontifex, aut alius Prælatus eximiæ dignitatis, ita loqueretur; proculdubio subsistit Baptismus. Quia realis significatio verborum minimè variatur. Idem eadem ratione dicitur, si baptizans Regem, aut alium eximium Principem, dicat: *Ego vos baptizo*. Quia ex Circumstantiis apparet, *vos, & te* perinde valere, hic, & nunc, vt obseruant Suarez, & alij.

Art. 5. Quòd si in eiusmodi plurium concursu, ad vnum, eundémque baptizandum; omnia exteriora benè habeant iuxta dicta, soláque interior intentio exorbitet à communi, & quasi connaturali intendendi modo, quatenus vnusquilibet, vel aliquis ex pluribus, intendit baptizare, si alius baptizet, & non aliter, distinguendum est. Vel enim intentio vniuscuiusque ita fertur directè, ac immediatè ad intentionem alterius, vt simul directè, ac mediatè reflectatur supra se ipsam, dum vterlibet vult perficere sacramentum; dummodò alter velit perficere; vel ita fertur directè intentio vnius ad intentionem alterius, vt neque indirectè, & mediatè reflectatur supra se ipsam, quatenus vnus vult perficere, si alter etiam velit perficere, sed voluntate perficiendi omninò absoluta, vel certè habente aliam conditionem distinctam, & independentem à voluntate, & intentione alterius prioris ministri. Prior ille modus mutuæ dependentiæ intentionum in duobus ministris sacramenti, est ita ineptus, vt nemini in mentem venire possit, volenti serio, vel etiam nugatoriè aliquid agere. Quia giro illo redacto in lineam rectam, perindè illud est, atque vnumquemque ministrorum, velle perficere sacramentum, si idem ipse perficere velit, quandoquidem dependentia à voluntate alterius dependente rursus à priori voluntate, re ipsa est dependentia eiusdem prioris voluntatis à se ipsa. Vnde in tali casu nullum poterit perfici sacramentum. Quia intentiones vtriusque ministri, sunt veluti propositiones falsificantes seipsas, & de subiecto non supponente; ideóque sunt tam ineptæ ad inducendum aliquem effectum, atque si nulla prorsus voluntas existeret. At in posteriori casu ob rationem contrariam ab vtroque ministro perficietur validè sacramentum, si nihil obstet aliud. Videatur si placet circa has tricas Pater Suarez disp. 23. sect. 3. ad 3. qui prædictas intentiones proponit modo negatiuo, sed perindè est; atque mihi non placet vlterius immorari in discutienda tali inanitate prorsus inutili. Dixi nihilominùs aliquid supra in communi obiter, sed sufficienter quæstione 16. art. 2.

Ex dictis facile est respondere ad rationes dubitandi pro vtraque parte, quatenùs pugnare videntur aduersus alterutram ex conclusionibus positis. Ad 1. partis negatiuæ. Minister Baptismi, & sacramentum ipsum Baptismi, non attingunt immediatè virtute propria characterem, aliáque dona supernaturalia, quæ conferuntur baptizato, quæ nimirùm producuntur, & infunduntur immediatè à solo Deo, ipsius virtute sola, eatenùs immediatè agente. Itaque minister solùm attingit immediatè, virtute propria, prolationem verborum, & actionem ablutiuam; atque vtraque hæc actio, & earum termini multiplicantur, vt patet pro multiplicitate ministrorum singulariter agentium. Rursus verba sacramentalia, & sacramentalis ablutio, solas producunt virtute propria immediatè species impressas excitatiuas intellectus ad cogitandum de rebus significatis ex vi institutionis supernaturalis, atque huiusmodi species multiplicantur similiter pro mulriplicitate verborum, & ablutionum. Non autem repugnat, vt causa principalis ad producendum virtute propria immediatè, vtatur pluribus, & ministris, & instrumentis, producentibus virtute propria immediatè totidem suos effectus, qui aliquatenus conferant vt effectus causæ principalis conuenienter existat; quia hinc non sequitur dari aliquas duas causas adæquatas respectu eiusdem effectus producti, virtute ipsarum immediatè, quo solum sensu excluse à nobis fuere in illa quæst. 23. duæ causæ adæquatæ respectu eiusdem effectus.

Ad 2. Quando plures concurrunt ad baptizandum vnum, & vnusquisque singulariter operatur modo explicato in priori nostra conclusione, & cum intentione absoluendi totum opus eodem, quantum fieri potest tempore, ac instanti, quo alius vel alij absoluent, nullus eorum dicitur iterare Baptismum, tametsi non absoluant omnes pro eodem instanti metaphysicè. Quia nihilominùs absoluunt omnes simultaneè, loquendo moraliter, ob distantiam imperceptibilem, aut vix perceptibilem, ac propterea perficiunt

perficiunt sacramentum formaliter vnum, licet sit materialiter multiplex, vt dictum est. In quo nullum est inconueniens.

Ad 3. Dicitur similiter effectus Baptismi prouenientes re ipsa ex prolatione verborum, & ablutione, primùm omnium absolutis, prouenire etiam moraliter ex posteriori, seu posterioribus prolatione, & ablutione, propter prædictam identitatem moralem, seu formalem omnium. Vndè omnes validè baptizant, si aliud non obstet præter multitudinem ministrorum, seorsim, & singulariter agentium.

Ad 1. Partis affirmatiuæ verba illa Christi Domini, *euntes baptizate*; *docete baptizantes eos*, semper accepit Ecclesia in sensu distributiuo, non in sensu copulatiuo, aut cum indifferentia ad sensum distributiuum, & copulatiuum. Itavt Christus Dominus vnicuilibet seorsim dederit potestatem baptizandi, & delendi peccata nomine ipsius, suique eatenùs repræsentationem concesserit, non verò quibussuis inuicem coniunctis, & partialiter agentibus. Quia collectio multorum non est ita idonea ad repræsentandum vnum hominem Deum, sicut sunt idonei singuli seorsim. Qui autem habent nominationem procuratoriam singulariter, eandémque non habent insimul, si contrahant omnes nomine principalis, eodem quidem tempore, & eadem de re, & cum eodem, sed singuli independenter à consensu cæterorum, seu cæteris purè concomitanter se habentibus, contractus valet. Si verò contrahant omnes coniunctim, & cum mutua dependentia singulorum à consensu reliquorum, contractus erit nullus; vtpote celebratus à non habentibus talem commissionem. Eadem igitur ratione sacramentum Baptismi erit nullum, si à pluribus copulatiuè perficiatur; validum verò si à singulis seorsim, eodem licet tempore perficiatur. Quapropter assumptum obiectionis de sufficientia plurium ad id, ad quod sufficit vnusquilibet eorum, tenet quoad ea, quæ aguntur authoritate, seu virtute propria; sed non tenet vniuersaliter quoad ea, quæ aguntur nomine alterius, atque dependenter à libera alterius voluntate, ac deputatione.

Ad 2. Vno plures baptizante simultaneè, non mutatur substantialiter modus significandi formæ institutæ à Christo Domino. Quia, *Ego vos baptizo*, perinde est, ac *Ego te, & te baptizo*, quæ est variatio purè materialis, per solam singularis geminationem. Oppositum ostensum est accidere, pluribus simultaneè baptizantibus eundem. Ideò non tenet paritas, & potest in casu necessitatis vnus plures simul baptizare, non solùm validè, sed etiam licitè, tametsi nunquam sit validus Baptismus, collatus vni à pluribus agentibus per modum vnius.

Ad 3. Nonnulli respondent in iis, quæ dependent à libera alicuius voluntate, & lege, vti dependent sacramenta à libera Christi voluntate, ac lege, non valere paritatem ab vno ad aliud, tametsi eadem omninò sit ratio ex parte rerum secundum se. Quia nimirum voluntas legislatoris, potest nihilominùs esse diuersa, provt libuerit. Verùm hic respondendi modus, vtcunque accommodabilis sit iis rebus, quæ dependent à voluntate, & lege purè humana; accommodari tamen nullatenus debet iis, quæ à sola diuina voluntate, & lege dependent. Quia Deus omnia disponit ordinatissimè, nec dispariter vnquam disponit, non existente in rebus ratione dispari. Semper enim disponit quod optimum est, & modo optimo, iuxta illud celebre Augustini, lib. 3. de lib. arb. cap. 5. *Quidquid tibi vera ratione melius occurrit hoc sciat, feciſſe Deum.* Dicendum itaque est, quando Matrimonium celebratur, dari duos, qui sacramentum suscipiant; ideóque oportet duos itidem esse ministros sacramenti. Accedit hoc sacramentum simul esse contractum mutuum, de cuius conceptu sunt duo contrahentes, similiter est de conceptu sacramenti Pœnitentiæ, vt dentur Iudex, & reus voluntarius, qui proindè accusatione sui cooperari Iudici debeat. Nihil tale datur in sacramento Baptismi, sed magis oppositum: Quia solus Christus est qui interius baptizat, remittit peccata, & infundit dona supernaturalia, ideóque oportet, vt minister Christi ipsum repræsentans sit vnus homo, vtque singulariter agat, nec fit dispensabilis pro vllo euentu, defectus huius repræsentationis. Ex quo etiam, & ex dictis superius circa hanc partem, patet sufficienter ad quartum.

---

## QVÆSTIO XLIV.

### *Vtrùm baptizatus debeat consignari pædagogo fidei, qui illum teneat, ac suscipiat in Baptismo?*

VIdetur non debere. 1. Quia ordo supernaturalis imitatur ordinem naturalem. In generatione autem naturali, soli interueniunt Pater, & Mater. Ergò in regeneratione supernaturali, quæ fit per Baptismum, solùm interuenire debet baptizans, qui obtinet locum Patris, & aqua, quæ est loco matris, vt dicit Augustinus, serm. 1. Dominicæ infrà oct. Epiph. nullúsque alius debet aliquod ministerium exhibere.

2. Baptismus cæterorum est imitatiuus Baptismi Christi, & conformatiuus cum eodem; Christo autem nullus adstitit pædagogus, qui eum teneret in Baptismo, atque susciperet. Ergò nec respectu reliquorum, quisquam eo munere fungi debet.

3. Pater naturalis iure naturali est pædagogus filij, eúmque tenetur instruere de omnibus, quæ filius scire debet. Ergò nulli alij oportet committere hoc ministerium.

4. Si ad eum, qui tenet in sacro fonte, & ex eo suscipit baptizatum, pertineret pædagogia instruendi illum in rebus fidei, deberet eligi ad id muneris, qui esset benè instructus in tota Doctrina fidei. Quia non potest instruere, qui non est instructus. Id autem non obseruatur communiter. Ergò pædagogia instruendi in rebus fidei, non pertinet ad eum, qui leuat baptizatum de sacro fonte.

5. Ad eum pertinet docere qui baptizat, iuxta illud *Docete omnes gentes baptizantes eos.* Ergò non oportet, vt parochus baptizans hanc curam, cuiquam alij committat.

6. Eiusdem rationis est Baptismus solemniter collatus, & qui sine solemnitate confertur propter vrgentem necessitatem. Sed in Baptismo priuatim ministrato non adhibetur pædagogus. Ergò nec in Baptismo solemni adhibendus est.

7. Melius instruere possunt, magisque ad instruendum sufficiunt plures, quàm vnus. Ergò, si alij, quam baptizanti hæc cura demandanda esset, pluribus vtique demandanda esset, & non vni tantum, aut solis duobus, quod tamen non fit. Ergò nulli necesse est illud ministerium committere

Art. 1. Respondetur. Qui baptizatur eo ipso renascitur spiritualiter, atque regeneratur, iuxta illud: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto.* Vndè sicut, qui nascitur generatione naturali, indiget nutrice, & pædagogo, ad perfectionem vitæ naturalis, & ciuilis; ita etiam qui per Baptismum spiritualiter generatur, ideóque constituitur in infantia vitæ spiritualis, indiget aliquo, qui fungatur vice nutricis, & pædagogi, cuius directione, & documentis proficiat in vita spirituali, & adolescat vt dignus

Ecclesiæ Catholicæ filius, iuxta illud 1. Petri 2.2. *Sicut modo geniti infantes rationabiles sine dolo, lac concupiscite.* Hac igitur de causa semper Ecclesia tenuit, ac tenet hunc morem, vt adhibeat in Baptismo aliquem, vel aliquos, qui baptizatum de sacro fonte suscipiat, eúmque inibi teneat, atque ea actione quasi spondeat se illum in suam curam suscipere in ordine ad educationem spiritualem.

Art. 2. Huius moris, ac finis meminit inter alios plures Patres, Diuus Dionysius cap. 2. de Eccles. Hierarch. part. 2. fine, vbi sic habet: *Diuinis nostris ducibus* Apostolis *ad mentem venit, & visum est suscipere infantes secundum istum sanctum modum, quo naturales pueri parentes traderent puerum cuidam docto in diuinis pædagogo, & reliquum sub ipso puer ageret, sicut sub diuino Patre, & saluationis sanctæ susceptore.* Apparet itaque conuenienter adhiberi in Baptismo pædagogum baptizati, qui illum instruere teneatur, quantum, & quando oportuerit: Qui proindè pædagogi, ratione eiusmodi obligationis, dici consueuere fideiussores, & sponsores, atque offerentes. Sed vulgò dicuntur, Patrini, & Compatres, exemplo Canonis *in Catbechismo*, de consecrat. dist. 4. & Synodi Moguntinæ can. 47.

Ad 1. Sicut in generatione naturali sufficiunt absolutè Pater, & Mater, & tamen congruit, vt adhibeantur obstetrix, & nutrix, & pædagogus vitæ ciuilis: ita in regeneratione spirituali, sufficit simpliciter ad valorem Baptismi solus minister cum aqua, & tamen ad perfectam eius administrationem, requiritur pædagogus vitæ spiritualis; atque ita retinetur perfectè iusta correspondentia ordinis naturalis, & supernaturalis.

Ad 2. Baptismus Christi non fuit ordinatus ad regenerationem eius, sed vt alij regenerarentur per ipsum. Vnde non opus fuit vt Christo daretur pædagogus, sed ipse potiùs est pædagogus cæterorum omnium, ideóque, quoad hoc non est locus imitationi.

Ad 3. Sæpè contingit patrem naturalem esse inidoneum ad erudiendum filium baptizatum, vt cum baptizatur filius Hæretici, aut Gentilis: Fieri etiam potest, vt parentes naturales intenti ad prouidentiam eorum, quæ sunt ordinis naturalis attendant minus ad spiritualem educationem filij. Quapropter Ecclesia, optimo consilio in omnem euentum, assignat aliquem, qui teneatur ad spiritualem educationem baptizati.

Ad 4. Filij Catholicorum, existentes in locis itidem Catholicorum, vt plurimum instruuntur sufficienter à parentibus, aliisque consanguineis, eáque propter communiter necesse non est magnam curam adhibere in eligendis eiusmodi pædagogis, seu patrinis, & compatribus. Cæterum semper eligi debent, qui sufficiant ad docendum, quæ sunt necessaria vniuersaliter ad vitam spiritualem iuxta normam religionis Catholicæ, & vbi adesset speciale periculum, malæ, aut non bonæ educationis, specialis circa id adhibenda esset diligentia.

Ad 5. Prælati, & Parochi, Ecclesiarum, intenti curæ totius populi, non possunt adhibere erga baptizatos eam omnem assiduitatem instructionis, qua indigent recenter ad Ecclesiam, & ad mysteria nostræ fidei aggregati, ideóque expedit, vt aliquis specialiter singulis deputetur.

Ad 6. Congruentius, ac rationabilius est, vt in re tanti momenti, quanti est bona educatio, & instructio sufficiens baptizati, interueniat iudicium, & electio Ministrorum Ordinariorum Ecclesiæ, ipsisque reseruetur electio personæ idoneæ. Quòd tamen non tollit, quo minus baptizati absque solemnitate commendentur priuata baptizantis solicitudine, alicui personæ idoneæ, præsertim si desit spes solemnitatum deinde Baptismi. Verum Patrinis, seu quasi Patrinis priuatim nominatis non incumbunt ea onera, quæ Ecclesiasticis legibus inducta sunt respectu eorum Patrinorum, qui adhibentur in Baptismo solemni, de quibus tamen legibus cognationis spiritualis, & similium alius est dicendi locus.

Ad 7. Magis quisque solicitus esse solet de iis, quæ sibi soli, vel omninò, vel principaliter commendantur, quàm si cura ad plures promiscuè pertineat. Solet præterea suboriri confusio, vbi non est vnus aliquis, ad quem vnicè, vel saltem principaliter pertineat cura de vnaquaque re. Optima igitur ratione cautum est in Conc. Trid. sess. 24. c. 2. de refor. Matr. vt vnus tantum, siue vir, siue mulier, vel ad summum, vnus, & vna, baptizatum, de Baptismo suscipiant. Quod tamen non tollit, quo minus plures deinde secundario admitti possint, quasi coadiutores, & Honorarij.

## QVÆSTIO XLV.

### *Vtrùm omnis, & solus viator nondum baptizatus, sit subiectum idoneum Baptismi?*

VIdetur, quòd nec omnis, nec solus. Quia pueri aliique perpetuò carentes vsu rationis sunt viatores, & nihilominùs sunt incapaces Baptismi. Primum enim sunt incapaces intentionis suscipiendi Baptismum, quæ tamen vniuersaliter requiritur pro quolibet sacramento ex parte suscipientis illud. Deinde similiter sunt incapaces fidei, quæ tamen præcisè requiritur ad hoc sacramentum suscipiendum. Quod nimirum dicitur, & est sacramentum fidei. Rursus. 1. Petri 3. 21. dicitur; *Quòd & vos nunc similis formæ saluos facit baptisma, non carnis depositio sordium, sed conscientiæ bonæ interrogatio in Deum.* Pueri autem, neque conscientiam habent vllam, cùm hæc consistat in actu rationis, neque sunt capaces vllius interrogationis; Demum homo excedit bruta, præcisè quatenus rationem habet, atque ob istum solum excessum est capax Baptismi, potius, quàm bruta. Ratio autem pueris deest actu, furiosis verò, & perpetuò amentibus, etiam quoad spem. Ergò vtrique sunt incapaces Baptismi. Confirmatur, quia adultus compos rationis nulliter baptizatur cum dormit. In pueris autem, & amentibus, dormit multò magis ratio, quàm in dormiente alioquin compote rationis.

2. Pueri existentes in vteris maternis, sunt, & ipsi viatores, & tamen sunt incapaces Baptismi. Quia sunt incapaces, qui abluantur, & similiter sunt adhuc incapaces commercij humani, vtque subiiciantur humanæ actioni, in quibus administratio sacramentorum consistit.

3. Filij Hæreticorum, aliorúmque Infidelium sunt incapaces Baptismi, dum sunt sub patria potestate: tum quia, neque per seipsos formaliter, nec æquiualenter per voluntatem Parentum consentire possunt susceptioni Baptismi; de cuius tamen ratione est vt sit voluntaria: tum quia si relinquantur in patria potestate, exponuntur manifestè periculo Apostasiæ; si verò subtrahantur ab illa violenter læditur ius naturale; atque vtrumuis est intrinsecè turpe. Baptismus autem perfici non potest per actionem intrinsecè turpem.

4. Beata Virgo fuit aliquando viatrix, & tamen nunquam fuit capax recipiendi Baptismi. Quia nulli peccato obnoxia fuit, & consequenter neque capax vnquá fuit ablutionis Spiritualis, seu remissionis peccatorum, in quibus ratio formalis Baptismi consistit, vt patet ex dictis suprà. Ergò status viatoris etiam non baptizati non conuertitur cum capacitate Baptismi.

5. Quoties

5. Quoties redit capacitas proxima percipiendi effectus sacramenti, toties redit capacitas proxima suscipiendi sacramenti, quod ad talem effectum ordinatur; sæpè autem contingit, vt homo baptizatus incidat denuo in peccata, ratione quorum redditur denuo proximè capax remissionis peccatorum, ad quam ordinatur Baptismus, tanquam ad effectum suum principalem. Ergò, non solus viator non baptizatus, sed etiam baptizatus potest esse proximè capax Baptismi.

6. In Concilio Nicæno 1. can. 19. statuitur, vt rebaptizentur confugientes ad Ecclesiam Catholicam, qui priùs fuere Paulianistæ & Cataphrygæ. Ergo rebaptizatio, non solum valida, sed etiam licita esse potest.

7. Deus neminem relinquit absque remedio salutis, Baptismus autem est remedium necessarium salutis, eodémque carerent nonnulli baptizati, si non possent iterùm baptizari; vel quia non perceperunt fructum eius, ob defectum dispositionis, vel quia non sunt validè baptizati; tametsi existiment se esse validè baptizatos, qua existimatione impedirentur, quo minus verè baptizarentur, si non liceret rebaptizari.

Art. 1. Respondetur, supponitur in præsenti ex dictis supra in communi: Omnes promiscuè viatores cuiusuis sexus, ætatis, & conditionis, esse capaces suscipiendi validè baptismum, dummodò priùs baptizati semel non fuerint, & ex eo apparet clarè. Quia, quicunque est capax effectus sacramenti, est etiam capax ipsius sacramenti. Omnes autem viatores sunt capaces percipiendi fructum Baptismi, quia omnes sunt peccatores, & concipiuntur, atque nascuntur in peccato; atque adeò omnes sunt capaces remissionis peccati, quæ est effectus Baptismi præcipuus, vt dictum est supra quæstione 37. Ergo omnes, dum sunt in via, sunt capaces Baptismi. Quod argumentum nititur authoritate Apostoli 5. ad Rom. 17. *Si vnius delicto mors regnauit per vnum, multo magis abundantiam gratiæ, & donationis, & iustitiæ accipientes, in vita regnabunt per vnum Iesum Christum*, & 1. ad Corinth. 16. 22. *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur.* Vnde Concilium Tridentinum, session. 5. can. 3. definit. *ipsum Christi Iesu meritum, per Baptismi sacramentum in forma Ecclesiæ ritè collatum, tam adultis, quam paruulis applicari.* Omnes igitur, tam adulti, quàm paruuli, dummodo non sint prius baptizati, sunt capaces baptismi validè percipiendi.

Art. 2. Exceptio iam baptizatorum, quominus iterum baptizari validè possint, habetur ex Concilio Florentino in decreto Eugenij. & ex Trid. sess. 7. can. 9. definientibus apertè sacramentum Baptismi iterari minimè posse. Idem colligit Diuus Thomas, quæst. 66. art. 9. ex illo ad Ephes. 4. 5. *Vnus Dominus, vna fides, vnum baptisma*, atque in eadem huius loci intelligentia, & applicatione præiuere D. Thomæ, Leo Papa, epist. 37. ad Leonem, cap. 1. & epist. 79. ad Nicetam cap. 7. atque Ambros. lib. 2. Verum circa eius loci intelligentiam, & applicationem occurrit ratio dubitandi non leuis. Quia fides, cuius vnitati æquiparatur ibi vnitas Baptismi, est tantùm specifica, & non numerica; quandoquidem fides, non necessariò est vna numero in vnoquoque, atque deperdita per hæresim, potest iterum redire, hæretico ad fidem denuo conuerso, ac proinde consequente nouum habitum fidei numero distinctum à priori habitu. Ad quod tamen dici fortè posset, sicut ratione materiæ, legitimè intelligitur ex parte Domini vnitas numerica, non solum respectu vniuscuiusque, sed etiam respectu omnium, ita ex parte fidei legitimè intelligi eadem de causa, solam vnitatem specificam, coniunctam cum multiplicitate numerica, etiam respectu vniuscuiusque propter prædictam habitus fidei amissibilitatem; & reparabilitatem; ex parte verò Baptismi, ob rationem contrariam intelligi, æquè legitimè vnitatem non modo specificam, sed & numericam respectu vniuscuiusque, nempè propter inamissibilitatem, & immultiplicabilitatem characteris, qui imprimitur per Baptismum. Clarius colligitur hæc veritas ex illo ad Hebræos 6. 4. *Impossibile est eos, qui semel illuminati sunt, gustauerunt, &c. & prolapsi sunt, iterum renouari ad pœnitentiam, rursus crucifigentes sibimetipsis filium Dei.* Hic enim nomine illuminatorum intelliguntur ex communi Patrum, aliorúmque Interpretum consensu, baptizati, quatenus Baptismus est sacramentum fidei, vtpote continens in se solemnem fidei professionem, & aggregans baptizatum populo fidelium, vnde Baptismus *illuminatio*, & baptizati *illuminati*, meritò vocantur. De his igitur dicitur impossibile esse, vt prolapsi iterum renouentur ad pœnitentiam, vtique baptismalem, de qua sola poterat Apostolus loqui, & non de pœnitentia confessionis, ne contradiceret sibiipsi docenti. 1. ad Corint. 5. condonationem peccatorum per pœnitentiam, respectu etiam fidelium, & iam ante baptizatorum.

Art. 3. Addit verò Apostolus, volentes iterum baptizari, rursus crucifigere sibimetipsis filium Dei. Quia Baptismus est configuratio baptizati cum Christo patiente, mortuo, & sepulto, iuxta illud ad Rom. 6. 4. *Consepulti enim sumus cum illo per Baptismum, in mortem.* Et iterum. *Quicunque baptizati sumus in Christo Iesu, in mortem ipsius baptizati sumus*, & paulò inferius. *Si enim complantati facti sumus similitudini mortis eius, ita & Resurrectionis erimus, scientes quia vetus homo noster simul crucifixus est Cruci.* Similiter ad Colossen. 2. dicitur. *Consepulti ei in Baptismo, in quo, & consurrexistis.* Ob istam igitur repræsentationem practicam passionis, & mortis Christi conuenientem Baptismo, ratione cuius baptizatus, quodammodò Christo pro nobis mortuo commoritur, relinquendo veterem hominem, vt nouam vitam spiritualem incipiat, infert Apostolus in prædicto loco ad Hebræos, tanquam rem absurdissimam, repetentes Baptismum, eo ipso rursus crucifigere sibimetipsis Filium Dei. Absurdum nimirùm est, & repugnans dispositioni diuinæ prouidentiæ, vt repetatur symbolum, & repræsentatio practica passionis, mortis, & sepulturæ Christi, quæ fuit vnica. Qua in re obseruare oportet differentiam repræsentationis eius mysterij, quæ est propria Eucharistiæ ab ea, quæ est propria Baptismi. In Eucharistia enim renouatur memoria, & fit repræsentatio Passionis, & mortis Christi; non quasi commoriatur Christo, qui consecrat, aut sumit Eucharistiam, sed magis, vt indè pascatur, & conseruet, ac foueat vitam spiritualem, qua præsupponitur iam potiri, qui consecrat, aut sumit Eucharistiam. At in Baptismo fit eadem commemoratio, & repræsentatio per quandam commoritionem ipsius baptizati. Vnde Eucharistia sæpiùs repeti potest, quia cibus, & cibatio sæpius repetuntur, & Christus sæpius exercet causalitatem conseruatiuam, & perfectiuam vitæ nostræ spiritualis. Baptismus verò repeti non potest, quia Christus semel mortuus est pro nobis, & mors ex sua natura vna tantùm vnicuique accidit, neque bis vlli euenire potest, atque in Baptismo repræsentatur mors Christi per quandam mortem baptizati, quatenùs deponentis veterem hominem, veterémque vitam, quæ trahitur ex Adamo. Neque verò ratio ista repræsentationis, & significationis symbolicæ parui momenti, existimari debet in sacramentis, quorum videlicet totum esse in eo repræsentandi, & significandi modum consistit, eadémque repræsentatio, & significatio est longe

maximi momenti, maximæque vtilitatis, vt apparet ex dictis supra in communi, tum quæst. 1. tum præcipuè quæst. 11. Mirum igitur non est, quod sacramentum baptismi iterari non possit, & quod nulliter repetitio eius tentetur, siquidem in repetitione eius necessariò deficit significatio, & representatio propria ipsius.

Art. 4. Eodem ferè recidit, quod per Baptismum regeneratur baptizatus, atque renascitur iuxta illud, *Nisi quis renatus fuerit, &c.* Generatio autem vna tantum vnius esse potest. Quo argumento vtitur Augustinus tract. 11. in Ioann. ad illud Nicodemi. *Nunquid potest homo in ventrem Matris suæ iterato introire, & renasci?* Subiungit enim, *Sic tu intelligè natiuitatem Spiritus quomodo intellexit Nicodemus natiuitatem carnis.* Et paulo post: *Quomodo vterus non potest repeti, sic nec Baptismus.* Accedit Baptismo imprimi characterem indelebilem, atque sacramentum repeti non posse, cuius effectus est inamissibilis, ideóque irrepetibilis, nec obstat alios effectus Baptismi amitti, ac repeti posse: Quia ad hos alios effectus datur aliud sacramétum, ideóque possunt iterato haberi, quin iteretur Baptismus, & congruentius, ac rationabilius habentur per aliud sacramentum eo fine specialiter institutum. Demum sacramentum Baptismi specialiter, ac principaliter est institutum aduersus peccatum originale, quod semel deletum, redire deinde nunquam potest. Ergò nec Baptismus illi tollendo institutus, repeti vnquam potest. Ex his igitur patet omnem, & solum viatorem nondum baptizatum, esse subiectum capax Baptismi.

Ad 1. Sicut pueri absque vsu rationis, & absque vllo proprio actu voluntatis, nascuntur peccatores, & filij iræ, atque inimici Dei, propter peccatum alterius hominis sibi imputatum, ita etiam absque vllo actu suo, disponente ad iustificationem iustificantur, & pat est vt ita iustificentur, & fiant hæredes vitæ æternæ, atque amici Dei, propter merita Christi Domini ipsis applicata per Baptismum. De cuius proinde ratione non est, vt detur ex parte subiecti recipientis dispositio aliqua voluntaria, sed sufficit rationalitas substantialis, quæ aliquando prodire poterit in actum secundum, & vel in vita præsenti, vel certè in futura, elicere actus, & reddere fructus dignos eorum donorum, quibus remittitur peccatum originale. Qua aptitudine, & non solo exercitio actuali intellectus, & voluntatis, differt homo à brutis, & ratione eius habet capacitatem, quam illa non habent, vt adoptetur in filium Dei, & consequatur remissionem peccati. Quapropter dispositiones intentionis fidei, & bonæ conscientiæ, quæ exiguntur in obiectione sunt necessariæ in adulto compote rationis, vt infrà dicetur, non verò in experte rationis.

Ad 2. Pueri existentes in vteris maternis ea[illegible]nus præcisè non sunt proximè capaces Baptismi quatenus, dum ibi latent non possunt tangi aqua, nec actionem ablutiuam terminare. Cæterum si vterus maternus violenter referetur, siue iustè, vt si mater [illegible] legitimè damnata ad mortem, & talem mortem pro eo tempore determinato, siue iniustè; puer, tametsi adhuc immaturus ad natiuitatem, potest validè, & fructuosè baptizari, dummodò iam sit animatus. Quia ex tunc est iam peccator, ideóque capax misericordiæ Dei, parcentis peccatum per contactum aquæ, & applicationem meritorum Christi. Immò id etiam videtur non esse omninò improbabile, quod dicunt Martinon. & alij grauidè gerenti fœtum animatum, iam moribundæ posse cum intentione baptizandi fœtum, ingeri aquam, & proferri verba sacramentalia sub conditione, dum bibitur aqua, si fortè ea prolem pertingat, antequam amittat formam aquæ. Nempe in tanto discrimine omnes tanti remedij aditus prudenter, ac religiosè tentari, cum spe etiam leuissima boni exitus.

Ad 3. Certum est, filios paruulos hæreticorum, aliorúmque quorumlibet; siquidem baptizentur, nihilque desit eorum, quæ requiruntur ex parte baptizantis, validè baptizari, vtcunque parentes renitantur. Quia dum filij sunt paruuli, proprius eorum consensus non requiritur, vt nuper dicebatur, consensus verò aliorum nunquam requiritur ad valorem, & effectum sacramenti; sufficit enim sola diuina voluntas volens misericorditer subuenire indigentiæ paruuli, & nolens eatenus dependere à voluntate cuiusquam alterius, præterquam ministri sui applicantis instrumentum institutum ab ipso Deo; ex quo patet ad priorem probationem in contrarium. Ad posteriorem ab inconuenienti ex periculo Apostasiæ, vel læsione iuris naturalis, dicitur non licere quidem baptizare filios paruulos parentum Infidelium, non consentientium Baptismo, & existentium extra seruitutem. Ne videlicet subsequatur alterutrum ex illis duobus incommodis, nolente Deo nocere iuri naturali constituto ab ipso per institutionem sacramentorum, & periculo Apostasiæ, vitando ex sua ipsa natura. Cæterùm aduersus valorem Baptismi, nihil inde probatur, vt patet ex dictis.

Art. 1. Ad 4. Nonnulli dicunt Beatam Virginem baptizatam fuisse solo Baptismo Ioannis, quo etiam solo baptizatus fuit Christus Dominus, filius eius. Quia videlicet non indiguit alio Baptismo efficacioti. Verum hoc contradicit communi Doctorum consensui, & huic præterea rationi. Quod nimirum expediebat Beatam Virginem ingredi in Ecclesiam visibilem per Baptismum Christi, qui est vnicus ad illam aditus, atque per hunc ingressum fieri capacem reliquorum sacramentorum, quorum ianua est idem Baptismus, ac demum recipere augmentum gratiæ, cuius percipiendæ erat certissime capax, nec decebat vt Mater Christi destitueretur medio huius tantæ indulgentiæ, quod cæteris omnibus esset commune.

Art. 2. Probabilius itaque respondetur distinguendo duplicem ablutionem, aliam absterstuam sordium, aliam purè augmentatiuam nitoris. Beata Virgo non fuit capax prioris ablutionis spiritualis, cùm nullum haberet peccatum; erat tamen capax posterioris ablutionis. Quia non habuit plenitudinem totius gratiæ, sicut Christus, ideóque potuit recipere augmentum eius, id est augmentum nitoris spiritualis, non minus per sacramentum ablutiuum, quàm per actus suos meritorios. Nempè Baptismus ita mundat animam per remissionem peccatorum, si eam inueniat ream peccati, aut pœnæ peccati, in quem finem, & non solum ob augendam gratiam est institutus primariò, & per se, vt mundet etiam per augmentum gratiæ, & nitoris, tametsi nullum insit peccatum baptizato, vel quia is nunquam habuit peccatum, vel quia perfectè deleuit per actum contritionis. Vnde in vtrouis euentu vtiliter suscipitur Baptismus, cùm habeatur alteruter ex illis effectibus inducibilibus, & significabilibus per Baptismum; siquidem vterlibet est appetibilis, debétque ab omnibus quæri, quantum fieri potest, iuxta illud Apocalyps. 22. 12. *Qui in sordibus est, sordescat adhuc, & qui iustus est, iustificetur adhuc, & sanctus sanctificetur adhuc.*

Art. 3. Neque verò hinc sequitur non esse bonam, aut non esse efficacissimam probationem peccati originalis ex Baptismo paruulorum qua vtitur Aug. aduersus Pelagianos c. 34. de peccat. meritis, & remiss. atque alibi frequenter, cui probationi suffragatur Conc. Mileuit. definiens can. 2. qui negant paruulos trahere ex Adamo peccatum originale, efficere formam Baptismi falsam. Quod ipsum iisdem ferè verbis habetur; apud

Concil.

Concil.Trident. sess.5. can.4. Cum enim prætulisset errorem eorum, qui negant paruulos esse baptizandos, eo quod nihil originalis peccati trahant ex Adam; *Vnde fit consequens* subiungit, *vt in eis forma baptismatis in remissionem peccatorum, non vera, sed falsa intelligitur.* Non inquam sequitur istud inconueniens, sed prædictum Conciliorum, & Augustini argumentum perstat omnino efficax, & concludit legitimè. Quia præmissum est supra quæst.37. initio ex dictis prius in communi, nullum sacramentum, sed minimè omnium sacramentum baptismi instituendum fuisse, si humanum genus non fuisset lapsum in peccatum. Quia in hac hypothesi gratia Dei data fuisset; quibuscunque daretur, independenter à signo symbolico ablutionis exterioris. Nempe ad conferendum purum nitorem spiritualem, aut solum ipsius augmentum omnibus vniuersaliter, vel plerisque, non oportuisset instituere, nec conuenienter institueretur signum symbolicum ablutionis exterioris. Posita autem institutione eiusmodi signi exterioris, inducentis gratiam, & conferentis habilitatem ad alia sacramenta, propter indigentiam vniuersalem generis humani, vt iuuaretur tali instrumento ad consequendos eos effectus, non debuerunt impediri ab eius vsu, & fructu, qui essent iam mundi à sordibus peccatorum, vel ex sola Dei misericordia eximente ab illis primordialiter, vel per dilectionem Dei super omnia, perfectamque contritionem. Ne videlicet excluderet innocentia, & status iustitiæ à communione beneficij communis, licet inducti occasione peccati. Quo sanè pacto, certum ex vna parte est inter Theologos passionem Christi Domini non fuisse futuram, si Adam non peccasset, & nihilominus ex alia parte, est valdè probabile, & à pluribus, magnisque Theologis merito docetur eandem Christi passionem fuisse de facto vtilem, & causatiuam donorum gratiæ, respectu Adami, etiam in statu innocentiæ, & respectu Angelorum, ac Beatæ Virginis, licet ibi nullum fuerit peccatum. Similiter ergo forma baptismi, licet ex se sit sufficienter significatiua, & efficaciter causatiua remissionis peccatorum, vbi ea inuenit, nec verificanda foret iuxta intentionem institutionis diuinæ nisi ea inueniret, iuxta legem ordinariam, in iis, quibus applicatur; potest nihilominus absque falsitate, & cum vera causalitate gratiæ, iis etiam applicari, quibus nullæ insunt sordes peccatorum; nempe significando, respectu illorum posteriorum, vim mundatiuam, ipsamque mundationem sordium, quasi conditionaliter, & quoad sufficientiam, absolutè verò, & efficaciter augmentum nitoris, propter peculiarem, ad hoc solum, dispositionem proximam subiecti.

Art.4. Nonnulli, vt soluant hoc ipsum argumentum dicunt, Augustinum, & consequenter Concilium Mileuitanum non induxisse peccatum originale paruulorum ex veritate formæ baptismalis, requisitæ ad valorem baptismi, secundum se præcisè, sed ex formulis verborum accidentaliter superadditis ab Ecclesia in exorcismo, & exsufflatione, quæ nomine formæ ab Augustino, & in Conciliis comprehenduntur. Verùm hæc euasio, licet, accommodari possit nonnullis periodis D.Augustini, toti tamen eius contextui, & præcipuis, hac in re conatibus eiusdem, aduersùs Pelagianos accommodari minimè potest, vt mihi quidem videtur, & legenti, atque consideranti Augustinum facilè apparebit, & clarè. Eo vel maximè, quia vbique argumentum ducit ex baptismo, & forma baptismi, quibus sibi non adhibitis, qui decedit puer, non potest ingredi in regnum cœlorum, vti etiam apparebit ex testimoniis eius, quæ producentur quæstio.50. art.4. & ad 2. articulo 1. Cum tamen certum sit, fieri posse, vt adhibita sola forma substantiali consequatur quis vitam æternam.

Ad 5. Capacitas ad percipiendum effectum baptismi, est capacitas percipiendi remissionem non qualiumcumque peccatorum, vtcunque præexistentium; sed peccati originalis solius, vel aliorum etiam peccatorum, sed quatenus coniunctorum cum originali. Hoc autem peccatum nunquam redit, ac proinde, nec alia peccata vnquam redeunt, pro vt coniuncta cum illo. Qua propter in baptizato, & consecuto semel effectum baptismi, sola possunt redire peccata, quæ, possunt esse materia remota sacramenti pœnitentiæ non verò baptismi.

Ad 6. Pauliani, & Cataphrygæ baptizabant nulliter, quia non baptizabant in nomine Trinitatis, quam nec agnoscebant, vt habetur, ex Gregor. lib.9. regist. epistol.61. Quando autem præcessit baptismus hoc modo nullus, tametsi postea idem homo baptizetur, non iteratur sacramentum, sed sola ceremonia exterior, eaque inadæquatè tantùm.

Ad 7. Qui validè baptizatus fuit, & tamen non percepit effectum ipsius, propter defectus dispositionis, potest postea illum consequi ex vi eiusdem numero baptismi, remoto postea obice, seu superaddita postea dispositione, vt infra dicetur. Qui verò nulliter baptizatus fuit reipsa, & putat se fuisse validè baptizatum, neque de hoc prudenter dubitare potest, saluari nihilominus absolutè potest; esto ei non liceat susceptio baptismi, quia potest iustificari per actum contritionis absque sacramento; quod si prudenter dubitetur de validitate baptismi, qui re ipsa fuit validus, potest repeti baptismus, debetque repeti sub conditione, vt dictum est supra in communi. Nec propterea absolutè dicitur reiterari baptismus. Quia adhibetur denuo sub existimatione, licet dubia, quod prior baptismus fuerit nullus; hoc est, quod re ipsa non præcesserit baptismus.

## QVÆSTIO XLVI.

### *Vtrùm requiratur aliqua dispositio ex parte baptizati?*

VIdetur non requiri. 1. Eadem potestas, eodemque modo collata est à Christo Domino ministris suis ad docendum, & baptizandum, dum dicit, Matth. vlt.19. *Docete, baptizantes.* Sed ad docendum nulla requiritur moralis dispositio ex parte audientis. Ergo neque ad baptizandum ex parte baptizati.

2. Causa, quæ non requirit dispositionem in aliquo subiecto ad inducendum aliquem suum effectum, in nullo subiecto eiusdem speciei illam requirit ad inducendum eundem effectum. Baptismus autem nullam requirit dispositionem ad inducendum omnes suos effectus in paruulis; atque adulti sunt eiusdem speciei cum illis. Ergo neque in adultis vllam dispositionem requirit.

3. Dispositio, quæ sufficit ad suscipiendum validè aliquod sacramentum, sufficit etiam ad percipiendos omnes effectus ipsius, vt patet in sacramento Pœnitentiæ, de quo dictum est supra quæstio.30. validum simul & informe esse non posse: ad suscipiendum autem validè baptismum nulla requiritur peculiaris dispositio præter solum consensum; ergo neque ad percipiendos omnes eius effectus.

4. Si requireretur ad baptismum peculiaris aliqua dispositio ratione remissionis peccatorum tanta vtique requireretur, quanta requiritur ad sacramentum Pœnitentiæ. Quod videlicet non est magis remissiuum peccatorum, quam baptismus, sed minus, vt infra dicetur. Sequela autem est absurda, vtpote

contradicens doctrinæ Concilij Tridentini sess. 14. cap. 2. vbi agit de hac ipsa comparatione vtriusque huius sacramenti, & præmisso per baptismum nos consequi plenam, & integram peccatorum omnium remissionem. *Ad quam tamen*, subiungit immediatè, *nouitatem, & integritatem, per sacramentum Pœnitentiæ sine magnis nostris fletibus, & laboribus, diuina id exigente iustitia, peruenire nequaquam possumus: vt meritò Pœnitentia laboriosus quidam baptismus à Sanctis Patribus dictus fuerit.* Ergo pro sacramento baptismi nulla peculiaris dispositio requiritur ratione remissionis peccatorum, siue personalium, siue originalis, de quibus omnibus promiscuè ibi loquitur Concilium.

5. Vt aliqua dispositio agnoscatur necessaria in adultis pro pleno effectu huius sacramenti, certè nulla alia requisita esse dici potest, præter finem, dicente Christo Domino, Matth. vlt. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit.* Quò etiam pertinere videtur illud Ambros. ad Rom. 11. *Gratia Dei in baptismo gratis omnia condonat nullumque luctum requirit.*

Art. 1. Respondetur. Non repugnat baptismo vniuersaliter ex conceptu suo, vt validè, & fructuosè conferatur nullo præeunte actu dispositiuo ex parte intellectus, & voluntatis ex parte baptizati. Quia non repugnat, vt validè, & fructuosè conferatur infantibus, aliisque rationis expertibus, vt liquet ex quæst. præcedenti, in quibus tamen nullus talis actus dari potest citra miraculum, quod ineptè confingeretur, & absque fundamento.

Art. 2. At in adultis præditis vsu rationis requiritur in primis consensus absolutè liber, vt baptismus ipsis collatus sit validus. Quia nullum sacramentum validè confertur vlli subiecto prædito libertate independenter à libero eius consensu, vt liquet ex dictis suprà in communi quæst. 33. Atque ratio vniuersalis ibi tradita, conuincit efficacius, & apertius, respectu baptismi. Quia per baptismum efficitur baptizatus membrum Ecclesiæ, subiicitur potestati, & clauibus eius, & contrahit obligationem specialem adhærendi immobiliter mysteriis, & articulis fidei. Est autem contra naturam agentis liberi, vt subeat talem mutationem status, vtque ei imponantur talia onera independenter à suo libero consensu. Cæterum necesse nequaquam est, vt is consensus sit supernaturalis, aut etiam honestus. Quia vtcunque consentiat, satisfit iuri, ac exigentiæ agentis liberi, atque Deus postulat ex parte nostra, quam minimum fieri potest, pro conferendis beneficiis suis, quantum fert natura cuiusque beneficij, ac doni sui. Mutua autem coniunctio inter Ecclesiam, & baptizatum, atque huius subiectio respectu illius, quas includit in se character baptismalis, solum postulant mutuum vtriusque partis consensum liberum, vtcunque se habeant relqua. Immò sufficit, consensus simpliciter voluntarius, tametsi inuoluntarius sit, & coactus secundum quid, vt colligitur ex Concilio Arausicano. 1. can. 11. ex cap. *Maiores*, de baptismo ex Concilio Toletano. 4. can. 55. relato cap. *de Iudæis*, dist. 45. Quia videlicet, quæcunque volumus, magis volumus, quam nolumus, atque ad valorem contractus, & quasi contractus qualis ratione baptismi interuenit inter Ecclesiam, & baptizatum, sufficit ex natura rei, quod præualeat voluntarietas, quantum attinet ad rationem vniuersalem contractus, & quasi contractus, cui conceptui nihil peculiare superaddit, quoad hoc punctum, baptismalis iste quasi contractus.

Art. 3. Cæterum, vt baptismus licitè suscipiatur ab adulto compote rationis, & cum fructu remissionis peccatorum, atque iustificationis, requiritur insuper dispositio bona moralis, per quam subiectum reddatur idoneum ad susceptionem, & infusionem gratiæ sanctificantis. Quia ad coniunctionem amicabilem cum Deo, quæ fit per gratiam habitualem, & sine qua non fit, nec fieri potest remissio peccatorum, requiritur ex natura rei inchoatio quædam, & bona animi dispositio congruens permanenter amicabili coniunctioni cum alio, eiusdemque inductiua, vti demonstratum est quæst. 8. de virt. Theol. & magis ex professo quæst. 10. de iust. Ex quibus locis constat præterea istiusmodi dispositionem debere esse intrinsecè supernaturalem. Quia actus intrinsecè naturales, nec disponere, nec quidquam conferre positiuè possunt ad præceptionem, & consecutionem donorum supernaturalium, aut aliquid, seu proximè, seu remotè conferens ad vitam æternam, vti pluribus efficaciter ostensum est quæst. 7. & 8. de gratia.

Art. 4. Verum hæc dispositio non requiritur eodem modo, nec est eadem adæquatè in eo, qui soli subest peccato originali, atque in eo, qui personalium insuper peccatorum reus existit; quia, qui soli subest peccato originali non indiget vllo dolore, aut actu proprio pœnitentiæ per actum contritionis aut attritionis, aut per propositum emendationis imposterum. Quia peccatum originale contrahitur per priuationem gratiæ habitualis, & committitur per actum voluntatis alienæ. Vnde, vt destruatur non requiritur actus proprius retractans actum, quo illud peccatum commissum fuit, cum retractatio ex suo conceptu sit solum de facto vniuscuiusque proprio, & propria vniuscuiusque voluntate patrato. Quapropter, si quis solum habeat peccatum originale, sufficienter erit dispositus ad omnes effectus baptismi, per eos solos actus, qui prærequiruntur ex natura rei ad infusionem, & perceptionem habituum fidei, & spei, & charitatis, qua perficitur sanctificatio hominis, præscindendo ab statu peccati, qui actus sufficienter expositi sunt in quæstione prædicta de virt. Theol. 8. Et quidem actus fidei, & spei requiruntur formaliter & propriè tales. Quia hæ duæ virtutes consistunt in indiuisibili, nec sunt vlla ex parte supplebiles per actus vlterius speciei, etiam in ordine ad sacramentum, vnde quod dicitur Matth. 16. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit saluus erit*, perinde est, ac si diceretur, *Qui baptizatus fuerit, quin crediderit, non propterea saluus erit*, atque in hoc sensu accipitur ab omnibus in præsenti. Eadem autem est ratio de actu spei, licet de necessitate fidei sint expressiora & plura testimonia, quatenus est ipsa prima radix; & fundamentum totius iustificationis, vt dicit Concil. Trident. iuxta illud ad Hebræos, 11. 6. *sine fide est impossibile placere Deo*, & illud ibid. *accedentem ad Deum, oportet credere, quia est, & quia remunerator est.* Spei quoque necessitas apparet sufficienter ex illo ad Rom. 8. 24. *Spe salui facti sumus*, quod accipitur vniuersaliter, de omnibus, qui saluantur dependenter à propria libera electione, & vsu liberi arbitrij adiuti gratia Dei, sicut, & illud. 1. Ioann. 3. 3. *Omnis, qui habet hanc spem in eo, sanctificat se.*

Art. 5. Cæterum dilectio Dei non ita consistit in indiuisibili, sed potest esse magis, & minus perfecta conuersio ad Deum, atque coniunctio effectiua cum Deo; nempe vel formalis, pertinens formaliter ad virtutem charitatis, vel solum virtualis, pertinens ad quamlibet aliam virtutem supernaturalem, quatenus quælibet alia virtus supernaturalis ex suo conceptu est participatiua charitatis, & per quemlibet actum suum adhæret aliquomodo efficaciter vltimo fini, & summo bono hominis, quod est obiectum formale charitatis. Non autem requiritur ad sacramentum baptismi actus charitatis perfectus, & formalis, sed sufficit inchoatiuus, & imperfectus, quod à fortiori colligitur ex iis, quæ infra dicentur quæst. 89. circa sacramentum Pœnitentiæ. Ibi enim ostenditur ad hoc

sacramen

ſacramentum ſufficere actum charitatis imperfectum, diſtinctum ſpecie ab actu formali charitatis, & indiſtinctum à pura attritione. Ad ſacramentum autem baptiſmi non plus requiritur, ſed minus quam ad ſacramentum Pœnitentiæ,vt innoteſcit clarè ex verbis Concilij Tridentini indicati paulo prius,in quarta ratione dubitandi. Non tamen ſufficit quilibet indiſcriminatim actus bonus,ſed eſt præcisè neceſſarius actus aliquis motiui vniuerſalis, continens in ſe formaliter, aut virtualiter, propoſitum vniuerſale de obſeruantia totius legis Dei impoſterum. Quia hoc propoſitum requiritur pro ſacramento pœnitentiæ, & non requiritur ratione præcedentium peccatorum perſonalium, atque adeò requiritur ratione iuſtificationis, ſecundum ſe præcisè, tanquam diſpoſitio requiſita ad coniunctionem amicabilem cum Deo, vtcumque ea contingat. Requiritur ergo aliquis huiuſmodi actus ad ſacramentum etiam baptiſmi fructuosè ſuſcipiendum; idemque ad hoc ipſum omnino ſufficit, ſimul cum prædictis actibus fidei,& ſpei ſi baptizatus nullo alio infectus ſit peccato,præterquam originali.

Art.6. Si vero baptizatus, præter peccatum originale, habet etiam peccata perſonalia lethalia, requiritur prærerea dolor de iis peccatis, atque actus pœnitentiæ, nempè contritionis, vel attritionis. Quia verò rarò contingit,& eſt moraliter vt minimum impoſſibile,vt compos rationis, nec deleuerit peccatum originale perfecta ad Deum conuerſione per actum dilectionis ſuper omnia, nec inciderit in peccatum lethale perſonale, ideóque omnes,vel certè ferè omnes adulti,qui per baptiſmum conſequuntur remiſſionem peccati originalis, ſimul etiam conſequuntur remiſſionem alicuius, vel aliquorum peccatorum perſonalium. Propterea vniuerſaliter dicitur neceſſariam eſſe pœnitentiam, ad obtinendam iuſtificationem, etiam per baptiſmum vt apparet ex Lucæ,13.3.*Si non habueritis pœnitentiam,omnes ſimiliter peribitis*,& clarius Act.2 38. *Pœnitemini, & baptizetur vnuſquiſque veſtrum.* Vnde Auguſtinus lib.de vera, & falſa pœnitentia cap.18. *Baptiſmus* ait, *ſine pœnitentia nunquam profuit ei, qui peccauit ſpontaneè.* Et diſtinctius lib. de pœnitentiæ medicina cap 2. *Omnis qui voluntatis ſuæ, factus eſt arbiter,cum accedit ad ſacramenta fidelium, niſi eum veteris vitæ pœniteat, nouam inchoare non poteſt.* Et iterum. *Ab hac pœnitentia ſoli, qui baptizantur pueri immunes ſunt.* Manifeſtum porrò eſt in iis, & ſimilibus aliis teſtimoniis, eodem prorſus modo exigi pœnitentiam pro ſacramento baptiſmi, quo eadem exigitur pro ſacramento pœnitentiæ. Quia videlicet eadem eſt vtrobique natura peccatorum perſonalium ratione quorum exigitur pœnitentia pro obtinenda eorum remiſſione. Idem igitur pœnirentiæ genus, prærequiritur ad vtrumque ſacramentum. Vnde nihil neceſſe eſt in præſenti ſuperaddere circa illam, vltra ea, quæ dicentur infra ex profeſſo, quæſt.88. & 89. circa ſacramentum pœnitentiæ, cui potiſſimum connectunt omnes Theologi doctrinam de dolore, & pœnitentia requiſita ad iuſtificationem obtinendam ex ſacramento. Apparet itaque ex dictis ſufficienter, quæ,& qualis diſpoſitio,& quando requiratur ad hoc ſacramentum.

Ad 1.Doctrina non inducit ex ſua natura effectū aliquem in audiente,qui præcisè requirat diſpoſitionem aliquam moralem præuiam ex parte ſubiecti, ſed magis eſt inductiua diſpoſitionum ad alia dona Dei; baptiſmus verò inducit effectum, qui ex ſua natura poſtulat ex parte ſubiecti diſpoſitionem moralem, ſiquidem inducit gratiam, & reconciliationem cum Deo, vt dictum eſt. Vnde Apoſtoli acceperunt ſimul, & æqualiter poteſtatem ad docendum, & baptizandum, ſed ſimul neceſſario acceperunt poteſtatem, vt vtrumque exequerentur iuxta propriam cuiuſque naturam, ideoque cum diſparibus requiſitis ex parte ſubiecti.

Ad 2. Eadem cauſa pro eodem effectu, iiſdem omnibus & ſolis indiget, ex parte ſubiectorum eiuſdem naturæ, & conditionis,ſi eodem modo ſint affecta; non vero ſi diuerſimodè affecta ſint. Patet autem hominem compotem rationis, & libero prædictum arbitrio, atque carentem vſu rationis, diuerſimodè affectos eſſe. Non igitur mirum eſt, diuerſam in eis requiri diſpoſitionem pro eodem effectu, & reſpectu eiuſdem cauſæ.

Ad 3. In quibuſdam ſacramentis diſpoſitio, quæ ſufficit ad valorem eorum, ſufficit etiam ad omnes eorum effectus; in aliis verò pro effectibus requiritur peculiaris inſuper diſpoſitio; atque baptiſmus pertinet ad iſtam poſteriorem claſſem vt dictum eſt quæſt. illa 30. vbi etiam reddita eſt ratio eius diſcriminis, eademque applicata eſt baptiſmo.

Ad 4. Dictum iam eſt, baptiſmum non poſtulare ex ſuo conceptu vniuerſaliter vllam diſpoſitionem moralem, ſed fieri abſolutè poſſe,vt conferat omnes ſuos effectus independenter ab omni eiuſmodi diſpoſitione, vt accidit in paruulis. Quod nunquam accidere poteſt in ſacramento pœnitentiæ. Dictum itidem eſt fieri poſſe, vt baptiſmus conferat adulto etiã, & compoti rationis remiſſionem peccati originalis, independenter ab omni actu pœnitentiæ, & doloris. Quod tamen ſacramentum pœnitentiæ præſtare nunquam poteſt.Demum baptiſmus confert remiſſionem peccatorum,etiam perſonalium independenter à confeſſione peccatorum in particulari, nec non à propoſito ſatisfaciendi pro peccatis per opera pœnalia. Quod ſimiliter præſtari non poteſt per ſacramentum pœnitentiæ. Per hæc igitur patet diſcrimen intentum à Concilio Trident. inter duo hæc ſacramenta omnino ſubſiſtere, tametſi requiratur in baptiſmo, verus actus pœnitentiæ,& doloris atque retractationis pro remiſſione peccatorum perſonalium.

Ad 5.Per illa verba Chriſti Domini: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſaluus erit*,non excluditur neceſſitas aliorum actuum diſponentium,vltra actum fidei, ſed ſolum exprimitur fides, tum quia eſt magis neceſſaria, tanquam radix,& fundamentum cæterorum, tum quia ſub ea expreſſione ſubintelliguntur implicitè reliqui actus de quorum neceſſitate docemur per ipſam fidem. Nec enim credere videtur, certè non perfectè & practicè credit,qui non præſtat,quod ipſa fides iniungit, vt præſtetur. Fides autem præſcribit alios actus præter ipſam, pro remiſſione peccatorum perſonalium,vt patet ex dictis, & apparet etiam ſatis ex illo eodem Matth. vlt. cap. Quia poſt illa verba, *Baptizantes eos*,ſubiungitur,*docentes eos ſeruare omnia quæcunque mandaui vobis.* Quod ad Ambroſium attinet,ſolam ipſe excludit à baptiſmo neceſſitatem confeſſionis, & pœnitentiæ, intentiuæ operum pœnalium,quibus ſatisfiat pro peccatis, præterquam quod meritò dubitat Suarez,an ea verba ſint Ambroſij propter contextum, minimè congruentem doctrinæ, & intelligentiæ D. Ambroſij, quanquam huic ſuſpicioni non admodum firmiter ego aſſentior.

## QVÆSTIO XLVII.

### *Vtrùm per Baptiſmum remittantur omnia peccata,& omnis pœna peccatorum,atque conferantur omnes virtutum habitus?*

VIdetur neutrum præſtari per baptiſmum. 1.Quia ridiculum videtur, vt ex duobus omnino cætera paribus alter ſit amicus Dei,hæres vitæ æternæ, æternumque

numque felix, alter inimicus Dei, exors hæreditatis æternæ, æternumque infelix, præcisè, quia alterum attingit gutta aquæ cum breui periodo, ad ipsum etiam non sentientem directa, alterum non attingit, idque sæpe, quia sors ita tulit, aut homo nequam, etiam hæreticus, etiam idololatra, ita voluit. Hoc autem eueniret, si baptismo inesset vis remittendi peccata quoad culpam, & pœnam. Ergo ridiculum est agnoscere hanc tantam virtutem in baptismo. Nihil autem est ridiculum in operibus Dei, neque quidquam ridiculè ipse instituere potest.

2. Suam cuiusque felicitatem, ac miseriam æternam, proprio cuiusque, & non alterius arbitrio commisit Deus, iuxta illa Eccles. 15. 14. *Reliquit illum in manu consilij sui. Ad quod volueris porrige manum tuam. Quod placuerit ei, dabitur illi.* Quod autem, quis baptizetur, vel non baptizetur, dependet magis à voluntate, & libero alterius arbitrio. Ergo non dependet à baptismo, quod quisquam sequatur, vel consequatur remissionem peccatorum, & consequenter vitam æternam.

3. *Diuinam Clementiam decet, ne ita nobis absque vlla satisfactione peccata dimittantur, vt occasione acceptæ peccata leuiora putantes, velut iniurij, & contumelioſi Spiritui sancto, in grauiora labamur, thesaurizantes nobis iram in die iræ*, vt docet Concilium Tridentinum sess. 14. cap. 8. Deus autem nihil vnquam facit, quod suam clementiam non deceat, sed ea solum facere potest, quæ illam maximè decent, vt ostensum q. 35. de Deo: Ergo nunquam, per vllum medium, dimittit peccata purè gratiosè quoad totam pœnã, dum sumus in periculo relapsus; sed semper relinquit locum satisfactioni, eiusdemque satisfactionis necessitati pro parte pœnæ, nondum, condonatæ, vt sic efficacius retrahamur à peccatis, quæ adhuc imminent.

4. Repugnat iustitiæ diuinæ, ratione cuius *cuncta, quæ fiunt adducet Deus in iudicium*, ex vltimo Ecclesiastici, vt aliquod peccatum prorsus impunitum relinquatur. Congruit verò è conuerso prouidentiæ Dei, vt peccatores præsertim recens conuersi ad Deum, idcóque magis expositi periculo peccandi de nouo, arceantur ab operibus malis per punitionem præcedentium peccatorum, & per occupationem operum pœnalium. Atque oppositum horum duorum repugnat recto rerum ordini contra quem, aut præter quem, nihil vnquam Deus facit, iuxta illud, Rom. 13. 1. *Quæ à Deo sunt, ordinata sunt.* Ergo Deus non liberat baptizatos ob onere satisfaciendi, per remissionem totius pœnæ.

5. Baptismus non est efficacior post passionem Christi, quam ante ipsam. Quia semper est eiusdem rationis, atque indidem semper viget. Non autem conferebat remissionem totius pœnæ ante passionem, & resurrectionem Christi. Quia si quis baptizatus, moreretur ante passionem, & resurrectionem Christi, non transmitteretur eius anima, protinus in Regnum Cœlorum, sed detineretur in Lymbo, in pœnam vtique peccati, quod solum impedire potest aditum Regni Cœlorum. Ergo neque modo baptismus remittit totam pœnam, neque confert potestatem transeundi protinus in Regnum Cœlorum.

6. Post baptismum manent fomes peccati, & violenta concupiscentiæ resistentia, nec non fames, sitis, aliæque similes pœnalitates, ac demum mors, quæ sunt pœnæ peccati originalis. Rursus iuste punitur post baptismum qui prius fuerit latro, aut homicida. Ergo neque peccatum originale, neque peccata personalia remittuntur per baptismum, quoad totam ipsorum pœnam.

7. Sacramenta non plus operantur, quàm significant. Ablutio autem baptismalis, solam significat emundationem animæ à culpa, quæ sola deturpat animam. Ergo non tollit peccata quoad pœnam eorum, sed solum quoad culpam, nec inducit positiuam pulchritudinem gratiæ, & virtutum.

8. Qui habet gratiam, & virtutes, eo ipso habet facilitatem delectabilem operandi honestè, & laudabiliter in omni genere, atque adhæsionem ad omne genus honesti permanentem, ac difficile mobilem. Baptizati autem non habent felicem istiusmodi dispositionem animi, vt experientia docet manifestè. Ergo baptismus non confert gratiam, & virtutes.

9. Quod quis iam præhabet, non potest deinde accipere ab aliqua causa. Sed aliqui ante baptismum consequuntur remissionem peccatorum, & gratiam, omniumque virtutum perfectionem, per actum dilectionis Dei super omnia, & per exercitium frequens cæterarum virtutum, vt apparet ex illo Actor. 10. 7. *Vir quidam erat in Cæsarea nomine Cornelius Centurio cohortis, quæ dicitur Italica, Religiosus, & timens Deum*; De quo tamen deinde dicitur, quod fuerit baptizatus ab Apostolo Petro. Ergo baptismus non confert baptizatis, saltem omnibus remissionem peccatorum, gratiam, & virtutes.

Art. 1. Respondetur. Præcipui effectus baptismi sunt tres, character, remissio peccatorum quoad culpam, & totam pœnam, & infusio gratiæ, atque virtutum. Character baptismalis (quippe de natura characteris sacramentalis in genere, dictum est satis supra quæst. 31.) tribuit tres effectus formales præcipuos. Primus est baptizatum constituere domesticum Dei & ciuem Christi, & membrum Ecclesiæ, iuxta illud ad Ephes. 2. 19. *Iam* (nempe post baptismum) *non estis hospites, & aduenæ, sed estis ciues Sanctorum & domestici Dei*: secundus, & tertius effectus formalis sunt subiicere consequenter baptizatum potestati, & iurisdictioni Ecclesiæ, eidemque tribuere ius, & facultatem ad reliqua sacramenta suscipienda, & ad participationem cæterorum bonorum communium Ecclesiæ. De priori parte subiectionis respectu Ecclesiæ, Trident. session. 14. cap. 2. definit in hunc modum: *Constat baptismi ministrum iudicem esse non oportere, cum Ecclesia in neminem iudicium exerceat, qui non prius in ipsam per baptismi ianuam, fuerit ingressus. Quid enim mihi, dicit Apostolus, de iis, qui foris sunt iudicare? Secus est de domesticis fidei quos Christus Dominus, lauacro baptismi, sui corporis membra semel effecit.* Altera pars de habilitate, & iure ad reliqua sacramenta colligitur indidem, ex c. 1. & 3. Ex his porrò tribus effectibus formalibus communicatis per baptismum cuicumque verè, ac validè baptizato, apparet vicissim ratio, ob quam oportuit, vt per baptismum imprimeretur character indelebilis; Character enim nihil est aliud, quam signum, seu insigne personæ quatenus destinatæ specialiter, ad aliquod munus, seu adscriptæ in specialem aliquam communitatem. Cum ergo baptizatus deputetur ex vi baptismi ad militiam Christi, atque adscribitur populo Christi æternum mansuro, omnino oportuit, vt ei imprimeretur character pariter æternus, ac indelebilis deputationis eius, & ascriptionis, iuxta illud 2. ad Corinth. 1. 21. *Qui vnxit nos, Deus est, & qui signauit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus nostris.*

Art. 2. Secundus effectus principalis remissionis peccatorum significatur expressius per materiam, & formam baptismi, ideoque est manifestius eam remissionem causari per hoc sacramentum, quàm quod alij effectus causentur per ipsum. Constat præterea de hoc effectu baptismi, ex illo ad Rom 64. *consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem, vt quomodo Christus surrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus.* Hinc enim clarè apparet baptizatum ex vi baptismi, mori vetustati peccati, & incipere vitam nouam, nouitate gratiæ.

Omne

Omne autem peccatum, siue originale, siue personale pertinet ad vetustatem peccati, nec potest inchoari noua vita spiritualis per gratiam, nisi excluso omni peccato. Ergo omne peccatum præcedens ante baptismum, excluditur per ipsum, atque remittitur perfectè. Eodem pertinent testimonia alia supra indicata quæst.37. Quia verò, aqua habet vim ita mundandi corpus à sordibus, vt simul etiam habeat vim auferendi omnia simul earum vestigia, fit vt gratia baptismalis, ita auferat peccata, quæ sunt sordes animæ, vt simul auferat etiam totam pœnam peccatorum, quæ est quoddam eorum vestigium. Aufert verò pœnas spirituales pertinentes ad aliam vitam, & non etiam pœnas temporales, quæ directè afficiunt corpus, & indirectè aggrauant animam. Quia peccata, quorum delendorum causa præcipuè institutum est hoc sacramentum, inficiunt directè animam, atque in ipsa immediatè resident, à qua, & proficiscuntur immediatè, & formaliter. Hic effectus colligitur ex eodem loco ad Romanos, quatenus consepeliri Christo, & ambulare deinde in nouitate vitæ, simili resurrectioni Christi, per gloriam Patris, importat totalem extinctionem peccati, quoad vim impeditiuam gloriæ, non solum æternam, sed etiam ad tempus. Eodem pertinet, quod renascimur, & regeneramur per baptismum ex Ioan.3.3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto*, & tit.3.5. *Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis.* Nempe in eo qui nascitur, & generatur de nouo, nihil manet de forma veteri, simulque cum ipsa pellitur omnis eius proprietas, & effectus, secundum eam rationem, secundum quam ipsa pellitur. Hoc autem modo comparatur pœna peccati, cum ipso peccato. Vnde remissionem peccatorum omnium lethalium, quoad totam ipsorum pœnam, in sensu explicato, definit semel, atque iterum Concil. Trident. sess. 5. can.5. & sess.14. cap.8. Ad hunc effectum baptismi consequuntur alij duo conuertibiles cum ipso, alter est liberatio ab onere satisfaciendi, & satispatiendi imposterum, alter est apertio Regni Cœlorum, vt protinus in illud ingrediatur baptizatus, absque vlla mora, si contingat eum mori, antequam peccet de nouo, & nisi opposuerit impedimentum remissioni alicuius, vel aliquorum venialium, dum iustificaretur per baptismum. Hæc omnia complectitur distinctè Concil. Florentin. in Decreto Eugenij circa naturam, & effectus baptismi, dicens: *Huius sacramenti effectus est remissio omnis culpæ originalis, & actualis; Omnis quoque pœnæ, quæ pro ipsa culpa debetur, propterea baptizatis nulla pro peccatis præteritis iniungenda est satisfactio, sed morientes, antequam culpam aliquam committant, statim ad Regnum Cœlorum, & Dei visionem perueniunt.*

Art. 3. Tertius principalis effectus infusionis gratiæ, & virtutum omnium, est inseparabilis à secundo iam explicato remissionis peccatorum. Quia remissio peccatorum non potest fieri, nisi per infusionem gratiæ sanctificantis, vt ostensum est quæst.8. de iustific. Gratia autem sanctificans est principium, & radix cæterarum omnium virtutum. Necesse igitur est, vt baptismus simul cum remissione peccatorum conferat gratiam, omniumque virtutum habitus. Idem colligitur ex testimonio nuper indicato Epistolæ ad Tit.3.5. *saluos nos fecit per lauacrum regenerationis, & renouationis Spiritus sancti, quem effudit in nos abundè.* Nec enim effunderetur abundè Spiritus sanctus si non darentur abundè omnes virtutes simul cum gratia, sed neque regeneraretur spiritualiter homo, nisi ei daretur principium, & substantia vitæ spiritualis, quæ est gratia, nec regeneratio esset perfecta, si simul cum hac forma non darentur consequentia ad ipsam formam. Certè non regeneraretur homo, vt in nouitate vitæ ambulet, provt nuper dicebat Apostolus, nisi acciperet omnia principia permanentia ambulationis in nouitate vitæ. Præterea neque id verificaretur, quod habetur ad Galat.3.27. *Quicunque in Christo baptizati estis, Christum induistis.* Quia non induit Christum, qui non habet inclinationes, & habitus ad operandum cum perfecta Christi imitatione in omni genere. Confert igitur baptismus gratiam, omniumque virtutum habitus, cuicunque iustificato per ipsum.

Art. 4. Necesse porrò non est monere baptismum conferre gratiam, & virtutes æqualiter, seu in eodem gradu intensionis omnibus æqualiter dispositis, seu nullam habentibus inæqualitatem ex parte animæ; inæqualiter verò, inæqualiter dispositis, dispositione propriè tali, seu morali, ac supernaturali; atque adeò omnibus infantibus aliisque rationis expertibus conferre intentionem prorsus æqualem. Adultis verò æqualem, vel inæqualem, provt contigerit ipsos esse æqualiter, vel inæqualiter dispositos; ita vt melius disposito plus conferatur, & minus non vsque adeò bene dispositis. Nihil inquam circa hoc dicere necesse est, quia ita rem habere vniuersaliter in omnibus sacramentis, dictum est supra in communi quæst.37. Illud admittendum nequaquam est circa hoc punctum, quod nonnulli dicunt insinuante, sed absolutè repugnante Suarez, fieri posse, vt melius, seu per actus meliores, vel intensiores dispositus ad baptismum, minus nihilominus, aut non plus gratiæ recipiat, quam dispositus per actus minus bonos, vel minus intensos. Quia videlicet fieri potest vt melior eiusmodi dispositio, sit coniuncta cum maioribus, vel pluribus peccatis: Quæ proinde magis resistant agenti, atque impediant, quominus influat plus, aut tantundem, atque in subiectum minus bene dispositum positiuè, sed non vsque adeò impeditum peccatis. Duo autem præcipuè sunt, ob quæ hæc doctrina admitti nequaquam debet. Alterum est inde quod peccata præcedentia baptizati puniri à Deo grauiter, punirique pro eo ipso instanti, pro quo illa remittuntur non solum quoad culpam, sed etiam quoad totam pœnam. Nec enim dici potest, quod non habeat rationem pœnæ, & quidem valdè grauis, priuatio augmenti gratiæ, & consequenter gloriæ æternæ, alioquin concedendæ inductam per solam vim præcedentium peccatorum. Absurdum autem est, ac planè implicatorium tum infligi pœnam eamque grauem pro aliquo peccato, cum idem peccatum remittitur quoad totam pœnam; vti est certum ex fide remitti per baptismum, quandocunque remittitur per ipsum, quoad culpam. Alterum inconueniens est, tunc aliquid resistere alicui agenti, cum iam non est, atque manere adxuc in ratione resistentis, atque actualiter impedientis influxum, causæ quando desinit esse secundum se totum. Quod quidem ex terminis satis apparet repugnare, & præterea quidquid resistit contrario, eo præcisè fine, eaque sola intentione resistit, vt ipsum conseruetur, quantum fieri potest, nec penitus desinat esse. Vnde cum primum aliquid totaliter desinit esse, eo ipso totaliter decidit à conatu resistendi, nec amplius vllo modo resistit, aut impedire valet causam productiuam qualitatis contrariæ, quominus exerat omnes suas vires alioquin impendendas. Cum ergo omnia præcedentia baptizati peccata, desinant esse totaliter in instanti, pro quo is iustificatur per baptismum, consequens est, vt pro eodem instanti nihil resistant, nihilque impediant, aut remorentur influxum diuinum. Dicendum itaque est perinde distribui vnicuique baptizato maiorem, vel minorem intensionem gratiæ, & virtutum iuxta maiorem, vel minorem vniuscuiusque dispositionem positiuam, siue

plura,

plura,siue pauciora,grauiora,aut minus grauia peccata præcesserint.

Art. 5. Solet præterea quæri in præsenti, an baptismus cæteris paribus conferat plus gratiæ, vel minus, quàm alia sacramenta? & communis responsio est nihil certi, hac in re determinari posse. Quia istud sacramentum, & sacramenta cætera, saltem pleraque comparantur inter se tanquam excedens, & excessum. Verum authores modernos induxit in istam indeterminationem defectus rationis, qua absolutè ostenderetur, ac concluderetur, quem locum perfectionis, & dignitatis teneat vnumquodque sacramentum comparatum cum reliquis. Ea tamen ratio reddita à nobis est supra in communi quæst.35. atque ibidem concluſum est baptismum esse minoris absolutè perfectionis, & dignitatis, quàm reliqua sacramenta, præter matrimonium. Quapropter baptismus cæteris paribus minus gratiæ habitualis confert, quàm vllum aliud sacramentum, præter matrimonium,idque maximè locum habet respectu eorum, quibus iuxta dicta supra confert gratiam indepenter ab omni morali dispositione præuia, quod nulli alij sacramento conuenit.

Ad 1. Iis, qui continent intellectum intra angustos limites rationis purè naturalis, atque rebus sensibilibus secundum se, & superficiem tenus immerguntur penitus, totus ordo supernaturalis, maximè verò passio, & mors hominis Dei; & quæ inde consequuntur omnia, videntur stulta, ac ridicula, cum magis ipsi sint pusilli, miserabiliter ridiculi, hac eadem vilissima, & degeneri considerationis tenuitate, per infima quæque superbè repentis, iuxta illud, *Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam.* Cæterum animo altius instructo, ac illuminato per diuinas reuelationes, atque consideranti, per fidem, ordinem diuinæ prouidentiæ supernaturalis eadem omnia sapientissimè dispositа, sibique suauissimè consonantia, clarè apparent. Profecto quoad præsens attinet, manifestum in primis est; per fidem omnes homines nasci filios iræ, ratione peccati originalis, & consequenter iustissimè derelinqui absque remedio, quicumque derelinquuntur. Manifestum rursus est ex dictis supra quæstio. 11. conuenientissimum fuisse supposito peccato originali, vt hominibus distribuerentur dona gratiæ, vtque aperiretur ianua regni Cœlorum per signa sensibilia, quibus mediantibus operarentur in nobis interius merita Christi Domini, & passionis eius. Manifestum denique est ex dictis quæst.24. de Deo art. 1. & 2. humanas voluntates subesse in omnibus, & quoad omnia diuinæ potestati, ac liberè electioni, ac proinde cuicumque adest,qui baptizare eum possit,& velit ex diuina præelectione, ac præordinatione tale, ac tantum beneficium primitus indulgeri, & quibuscunque deest ex diuina similiter aut permissione, aut iusta vindicta, deesse. His autem positis,quæ sunt certissima, cessat omnis ratio derisionis, & apparet iustissima ratio prouidentiæ in eo, qui saluatur per contactum guttæ aquæ informatæ paucis verbis, sed eleuatis diuinitus, simul cum ipsa aqua, ad mirabilem eum effectum humano ministerio exhibendum, sed arcano diuinæ prouidentiæ consilio singulis præordinatum.

Ad 2. Testimonia, quæ consecutionem gratiæ, & vitæ æternæ libero cuiusque committunt arbitrio, accipiuntur necessariò de solis adultus ratione vtentibus. Hi autem semper habent in potestate, vt cum gratia Dei, quæ semper adest, consequantur gratiam, & vitam æternam,siue adsit,qui possit, & velit baptizare, siue desit. Quia semper possunt conuerti ad Deum cum gratia Dei, eumque diligere super omnia, & sic liberari à peccatis,atque saluari. Paruulis autem, qui non possunt propria libertate sibi, aut prodesse, aut obesse,congruenter prouisum est,vt aliena voluntate, subiacente diuinæ præordinationi, subueniri posset; sicut aliena voluntate, permittente Deo,illatum est vulnus peccati excludentis à Regno Cœlorum.

Ad 3. & 4. Vis meritoria, & satisfactoria passionis Christi,qua nituntur Sacramenta, est infinita ex se,& sufficit ad remissionem quorumuis peccatorum quoad culpam,& totam pœnam, sed applicatur singulis pro vnaquaque opportunitate plus minus, provt nostra interest,vt dictum est q.11.de Incarnatione; similiter Deus cuncta clementer simul, ac iustè disponit, sed aliquando clementiæ largitatem, aliquando iustitiæ seueritatem,magis manifestat in operibus suis, provt iudicat expedire ad optimam hominum gubernationem, & directionem in finem suum vltimum, vt dictum est quæst.35.de Deo. Vnde clementiæ diuinæ opus est,non minus, per Baptismum ita peccata remittere, vt liberet ab omni onere satisfactionis, quàm vt imposito eodem onere, eadem remittat per Pœnitentiæ Sacramentum; neque iniurius est sufficientiæ meritorum Christi, qui imponit,quique exequitur opera satisfactoria pro peccatis per pœnitentiam remissis, sicut est iniurius eidem,qui eadem necessaria putat,aut exigit post Baptismum pro peccatis ante commissis. Quia nostræ vtilitatis prouidentia, vtrumque ita disposuit meritis Christi eatenus applicatis,& non plus,neque minus,per ea diuinæ largitatis instrumenta. Ratio huius discriminis est, ex parte quidem Baptismi. Quia recens baptizati sunt adhuc teneri,ac debiles,ideoque oportet illos exercere,atque pertrahere ad perfectionem totius iustitiæ per opera facilia, & quæ suauiter exhiberi possint,& non defatigare imposita operum pœnalium arduitate; iuxta illud 1.Petri 2.2. *Sicut modo geniti infantes, Lac concupiscite*; idque exemplo Christi Domini excusantis à ieiunio Discipulos suos recens conuersos, vt habetur Matth.9. Accedit baptizatum ex vi huius Sacramenti amplecti fidem mysteriorum, admodum difficilium, captiuando,quod est valdè arduum,intellectum in obsequium eius, eundem subiici Ecclesiasticæ. Potestati cum iure exigendi mores ad normam religionis Catholicæ,& institutionis eiusdem Ecclesiæ,quod similiter est valdè arduum; destinari demum eundem nouæ vitæ agendæ deinceps cum Christo, & sub Cruce Christi,renunciando mundo, & pompis eius, quatenus illi repugnant, quod in se inuoluit omnes difficultates repugnandi concupiscentiæ. Hæc autem omnia apparet congruentissimè acceptari loco satisfactionis adæquatæ suffragantibus Christi meritis. Indidem vlterius apparet, nec peccata baptizati impunita relinqui, nec nimis facilem aperiri aditum peccandi de nouo, tametsi nulla imponatur, aut necessaria sit satisfactio post Baptismum. Quia quod ad primum attinet, nostra peccata, vtcumque remittantur,sufficienter punita sunt per passionem Christi,qui *verè languores nostros tulit, & dolores nostros portauit*, vt dicitur Isaiæ 53.3.Quod verò ad secundum attinet, semel tantum vnicuique hæc indulgentiæ plenitudo in vita conceditur, idque cum tanta compensatione, quanta nuper expressa est, ideoque non potest inde suboriri nimia peccandi facilitas, & licentia in reliquo vitæ progressu. At Sacramentum Pœnitentiæ est remedium peccatorum ordinarium, & quotidianum, atque iterabile quotiescunque libet. Vnde si per ipsum simul cum peccatis auferretur totaliter pœna peccatorum, nullaque superesset necessitas operum pœnalium, qua terreretur, quo minus peccaret de nouo, sequeretur proculdubio prædictũ inconueniens nimiæ facilitatis, & licentiæ in peccando per totum vitæ progressum, ac proinde inclementer, certè non vsque adeo clementer egisset nobiscum Deus,

Deus, si per Sacramentum Pœnitentiæ voluisset remittere peccata quoad totam eorum pœnam, sicut voluit remittere per Baptismum. Quia videlicet ita liberasset nos à minori malo, quale est pœna peccatorum, vt simul induxisset nos occasionaliter in malum longè maius, quale est peccatum. Apparet itaque rationabiliter, & clementer vtrumque hoc dispositum esse, vt meritum passionis Christi applicaretur plenariè per Baptismum, quoad remissionem pœnæ, vtque non ita plenariè applicaretur per Sacramentum Pœnitentiæ sub eadem ratione.

Ad 5. Baptismus nunquam habuit, aut habet vim transmittendi aliquem ad gloriam ante gloriosam Christi resurrectionem; sempérque habuit, & habet vim transmittendi in gloriam immediatè, posita gloriosa Christi resurrectione, si nullum aliunde superueniat impedimentum de nouo. Quapropter quod Baptismus aliquando fuerit collatus ante passionem, & resurrectionem Christi; deinde verò conferatur post ipsam; atque inde sortiatur exitum diuersum, est differentia purè materialis, quod ad vim, & efficaciam Baptismi attinet, vt dictum est iterum supra, & omnes dicant necesse est de contritione perfecta elicita in articulo mortis, & elicita longè ante istum articulum, déque aliis similibus.

Ad 6. Per Baptismum remittitur totaliter sola ea pœna peccatorum, quæ est pura pœna coram Deo, seu quæ solum ordinatur ad compensationem peccati secundùm se præcisè, quatenus peccatum excedit limites iustitiæ diuinæ per nimiam adhæsionem ad bona temporalia. Non sunt autem huius generis effrenitas concupiscentiæ, & proprietates corporis passibilis, & pœnæ peccatorum infligibiles per humanam potestatem. Quia priores illæ pœnalitates sunt vtiles ad augmentum coronæ gloriæ, quod rependetur vberius, certantibus legitimè exemplo Christi sui capitis ea de causa passibilis, dum egit vitam mortalem. Vnde eiusmodi pœnalitatibus permanentibus per Baptismum rectè accommodatur à D. Thoma quæst. 69. art. 5. illud Iudic. 3. 2. *Hæ sunt gentes, quas Dominus dereliquit, vt erudiret in eis Israëlem, & postea discerent filij eorum certare cum hostibus, & habere consuetudinem præliandi.* Pœnalitates verò posteriores, quarum inflictio pertinet ad potestatem humanam, sunt necessariæ ad ædificationem eorum, qui scandalizati fuerant per peccata, atque ad bonam gubernationem, & tranquillitatem reipublicæ, ideoque non oportuit, vt remitterentur per Baptismum. Verùm ab his omnibus pœnalitatibus liberabit tandem aliquando idem Baptismus, cum destruetur corpus peccati, vt dicitur ad Rom. 6. Quia tunc vi Baptismi transferetur baptizatus, si aliunde ipse non impedierit, in gloriam, quæ est exclusiua omnis pœnalitatis.

Ad 7. Aqua non solum abstergit sordes corporis, sed etiam habet vim refrigerandi illud. Vnde non minùs est apta ad significandam remissionem pœnæ, qua remissione subleuatur anima, quam remissionem culpæ, qua mundatur.

Ad 8. Virtutes infusæ non conferunt immediatè per se ipsas, præcisè pronitatem & inclinationem præuiam ad actus bonos, vt alibi dictum est, sed solum conferunt, vt siquidem quis bene operetur, operetur cæteris paribus, & facilius, & intensiùs, & quod inde consequens est, vt deinde progrediatur cum maiori procliuitate, & inclinatione præuia, ad repetendos actus similes bonos. Hoc autem virtutum infusarum beneficium, non deest baptizatis, qui determinantur ad bene operandum, & inchoandam vitam nouam, licet experientia huius eorum differentiæ à non baptizatis non sit admodum perceptibilis, propter repugnantiam concupiscentiæ, quam dictum est manere post Baptismum, & propter exiguam intensionem gratiæ, & virtutum, qualem dictum est prouenire per se ex Baptismo.

Ad 9. Sicut per ablutionem corporalem auferuntur sordes corporis, si insint corpori, sin minus solum augetur eiusdem per eandem nitor: ita etiam per Baptismum auferuntur peccata, & inducitur nitor animæ per gratiam, & virtutes, si adsint peccata, sin minus solum augetur præexistens animæ nitor, per augmentum gratiæ, & virtutum præexistentium. Correspondet itaque iustè pro omni euentu effectus spiritualis Baptismi analogiæ ablutionis corporalis, atque forma verborum consequitur, provt, & significat implicitè, & virtualiter effectum significatum, iuxta indigentiam, & capacitatem proximam obiecti.

---

## QVÆSTIO XLVIII.

### *Vtrùm Baptismus fictè susceptus perinde operetur recedente fictione, atque si ritè susceptus fuisset?*

VIdetur non perinde operari. 1. Quia Baptismus sine fictione susceptus operatur remissionem omnium præcedentium peccatorum. Nequit autem eam vnquam operari Baptismus sic susceptus. Quia peccatum ipsum fictionis, quod semel impediuit Baptismum, semper impedit, quousque auferatur aliquo alio remedio. Remedium autem, quod auferet peccatum fictionis, simul necesse est, vt auferat etiam peccata præcedentia Baptismum; siquidem peccatum fictionis auferri minimè potest, nisi per infusionem gratiæ sanctificantis, quæ est essentialiter incompossibilis cum omnibus indiscriminatim peccatis lethalibus, ideoque omnia simul, ac indiuisim auferat necesse est.

2. Baptismus sine fictione susceptus sufficit ad remissionem peccatorum cum sola attritione ex parte baptizati; Hoc autem præstare non potest, si fictè semel suscipiatur. Quia peccatum fictionis non potest tolli cum sola attritione, ex parte peccatoris. Solum namque Sacramentum Pœnitentiæ supereſt præter Baptismum, quod cum sola attritione possit remittere peccata lethalia, saltem per se. Sacramentum autem Pœnitentiæ nequit remittere peccatum fictionis, quod impediuit effectum Baptismi. Quia Sacramentum Pœnitentiæ, solum habet vim remittendi peccata commissa post Baptismum, vt traditur à Concilio Tridentino sessione 14. cap. 1. Patet verò peccatum fictionis impeditiuum Baptismi non esse commissum post Baptismum. Nulla siquidem causa impeditur, quominus operetur, per aliquid consequens post applicationem eiusdem causæ ad subiectum alioquin aptum. Quod si peccatum fictionis auferri nunquam potest cum sola attritione ex parte peccatoris, certum est, neque cætera peccata præexistentia ad Baptismum cum eadem sola auferri vnquam posse. Quia forma remissiua, ac deletiua omnium indiuisim peccatorum est vna tantum, & indiuisibilis.

3. Dispositio necessaria, vt peccatum fictionis auferatur per Sacramentum Pœnitentiæ, eadem simul inseruit Sacramento, quasi rediuiuo, Baptismi. Necesse autem est vt diuisis, seu quasi diuisis viribus eiusdem dispositionis inter duo Sacramenta, minus sufficiat pro singulis, minúsque cooperetur vnicuique eorum. Ergo Baptismus non operatur tantundem, sed aliquanto minus, cum recedit fictio, saltem si recedat per Sacramentum Pœnitentiæ,

quam fuisset operatus initio, si non fuisset fictè susceptus.

Art.1. Respondetur. Aliqua Sacramenta possunt, fictè simúlque validè suscipi, atque recedente fictione inducere eos effectus, quos induxissent initio si non intercessisset fictionis obex; Inter quæ Sacramenta primum, & de quo est multo certior ea doctrina, quam de vllo alio Sacramento, est Baptismus, vt dictum est supra in communi tota quæstione 30. Quapropter nihil eatenus necesse est superaddere in præsenti. Videri tamen potest Augustinus sæpius, & enixè id docens, specialiter de Baptismo, lib.1. de Baptismo à cap.11. & lib.3. cap.13. & lib.6. cap.5. & alibi, atque refertur in cap. *Tunc valere* de consecr. dist.4. Idem tradit Cyprianus serm. de passione Domini, vbi loquens de Baptismo subdit sic: *Et licet indigni sint, qui accipiunt Sacramentum, tamen reuerentia, & propinquiorem ad Deum parat accessum, & vbi redierint ad cor constat ablutionis donum, & redit effectus munerum, nec alias quæri aut repeti necesse est salutiferum Sacramentum.* Idem tenent vnanimi consensu omnes Theologi cum D. Thoma quæst.69. art.9. & 10. Videndum superest, quanta, & qualis dispositio requiratur vt Baptismus initio impeditus per fictionem, quo minus remitteret peccata, atque induceret gratiam, & virtutes, reuiuiscat; eosque effectu postliminio largiatur.

Art.2. Tripliciter contingere potest, vt quis fictè, seu cum obice Sacramentum suscipiat. Primò itavt nullum peccatum sacrilegij accrescat ex indigna susceptione Sacramenti propter bonam fidem suscipientis, vel propter ignorantiam, aut iuris, aut facti, quatenus putauit nullam fuisse necessitatem alterius melioris dispositionis, quam iam habuerit, tametsi reipsa non sit sufficiens, quam ipse sufficientem putauerat; vel putauit sibi adesse dispositionem, quæ reipsa fuisset sufficiens, & tamen non adfuit reipsa. Secundò ita, vt baptizatus peccauerit specialiter indigna susceptione Sacramenti, propter oppositam legitimam notitiam, & iuris, & facti, sed nullum præterea adiecerit peccatum lethale post susceptum Baptismum. Tertiò, itavt superadditum sit aliquod peccatum post susceptum Baptismum. Vtcunque autem res habuerit, hoc in primis præferendum est ex omnium consensu Theologorum, & ex certa doctrina Concilij Tridentini nullum esse peccatum, quod per aliquod Sacramentum tolli non possit, aut quod lethale sit, tolli possit absque aliquo Sacramento, vel in re, vel in voto.

Art.3. Dicendum iam est, cum Baptismus fictè susceptus fuit, quin suscipiens peccaret indigna susceptione, & quin vllum posteà superadditum sit peccatum lethale sufficere eandem illam dispositionem, quæ initio suffecisset. Nempe nullo superaddito impedimento peculiari, effectus Baptismi, nulla potest succreuisse peculiaris necessitas maioris dispositionis, seu actus disponentis, aut perfectioris, aut intensioris. Neque quoad hoc discrepant inter se Theologi. Verùm hoc etiam aliud vnanimi consensu amplectuntur; si superaddatur aliquod peccatum lethale, noua libertate commissum, post instans Baptismi, necessariam esse maiorem dispositionem, quam quæ initio sufficisset, neque posse per Baptismum remitti, peccata ipsum præcedentia, quin subinducatur, vel contritio perfecta, vel attritio coniuncta cum Sacramento Pœnitentiæ, vel vt aliqui putant cum aliquo alio Sacramento, saltem per accidens remissiuo peccatorum lethalium. Nempe vi, & causalitate Baptismi deleri minimè potest peccatum post eius susceptionem superadditum, cum nullum Sacramentum vllam vim habeat directè, respectu peccatorum temporis sequentis, nec ad ipsum extendatur significatio formæ, aut symbolica proportio materiæ vllius Sacramenti. Necessaria igitur est, vel contritio perfecta, vel attritio coniuncta cum alio Sacramento.

Art.4. Dicendum rursus est, quando Baptismus fictè susceptus fuit fictione lethaliter peccaminosa, necessariam in primis esse ad remissionem eius peccati, vel contritionem perfectam, vel attritionem simul cum Sacramento Pœnitentiæ, deinde vtramlibet ex his sufficere, ac demum consequenter Baptismum prius expeditum, cum vtrahibet indiuisim inducere remissionem omnium peccatorum; ita tamen vt remissio peccatorum præcedentium Baptismum formaliter ipsi correspondeat, remissio verò reliquorum peccatorum correspondeat formaliter contritioni perfectæ, vel attritioni simul cum Sacramento Pœnitentiæ. Necessitas alterutrius ex dictis dispositionibus, iisdémque remotionibus fictionis, ex eo efficaciter conuincitur. Quia peccatum, cui est intrinsecum, & essentiale impedire efficaciam Baptismi, nunquam remitti potest per Baptismum; quandoquidem vim impeditiuam secum identificatam semper retineat eandem necesse est, dum aliunde non tollitur per aliam causam eatenus efficaciorem. Peccatum autem fictionis, seu voluntariæ susceptionis indignæ, intrinsecè, ac essentialiter, & non extrinsecè tantùm, & per accidens, sicut alia quæcunque peccata præcedentia Baptismum, est impeditiuum ipsius. Ergo ad abolitionem talis peccati necessaria est alia causa præter Baptismum, quæ sufficiat se sola ad illius remissionem. Quod autem ad hoc sufficiat contritio perfecta, quæ est deletiua omnium, & qualiumcunque peccatorum, nemo est qui dubitet. Quod verò sufficiat etiam attritio simul cum Sacramento Pœnitentiæ dupliciter suaderi potest. Primum quia nullum est peccatum, quod non possit deleri per aliquod Sacramentum, vt nuper præmissum fuit art.2. fine. Eiusmodi autem peccatum fictionis non potest tolli per Baptismum, vt ostensum est, nec superest aliud Sacramentum deletiuum peccatorum lethalium præter Sacramentum Pœnitentiæ, certè nullum est efficacius pro hoc effectu. Ergo tale peccatum est auferibile per Sacramentum Pœnitentiæ. Non autem esset auferibile per ipsum, si ipsum non sufficeret ad id, cum sola attritione. Quia si esset necessaria determinatè contritio perfecta, ipsa contritio tolleret peccatum, antequam accederet Sacramentum reipsa, ac proinde non tolleret Sacramentum.

Art.5. Idem rursus suadetur. Quia Sacramentum Pœnitentiæ sufficit cum sola attritione ad delendum peccatum sacrilegij commissum indigna susceptione cuiuslibet alterius Sacramenti. Ergo sufficit etiam ad delendum peccatum sacrilegij commissum indigna susceptione Baptismi. Patet consequentia. Quia in primis peccatum sacrilegij aduersus Baptismum, non est maius, quam peccatum sacrilegij aduersus alia Sacramenta, cum Baptismus ipse, non sit maioris perfectionis, & præstantiæ, sed minoris, quam cætera Sacramenta præter matrimonium, vt dictum est supra. Dici deinde minimè potest idem peccatum sacrilegij non subesse clauibus, seu iurisdictioni, potestatis Ecclesiæ, quasi commissum ante Baptismum, ac proinde antequam auctor peccati subesset iurisdictioni Ecclesiæ. Hoc inquam dici non potest, quia baptizatus non incipit subesse iurisdictioni Ecclesiæ in instanti sequenti ad instans, pro quo perficitur Sacramentum, sed in illo ipso instanti, pro quo perficitur. Nempe hoc Sacramentum confertur ab Ecclesia voluntate cooptandi baptizatum in membrum suum, non de futuro, sed de præsenti, eadémque proportionali voluntate suscipitur à baptizato. Vnde nihil est, quod remoretur ad instans sequens, effectum subiectionis baptizati, & iurisdictionis Ecclesiæ

erga

erga ipsum ; potéstque confirmari exemplo omnium aliorum huiusmodi mutuorum contractuum,& quasi contractuum obtinentium suum effectum eo modo intentum pro eo ipso instanti, pro quo perficiuntur, & non solum pro sequenti.

Art.6.Confirmatur præterea,quia character baptismalis imprimitur baptizato, pro illo ipso instanti pro quo validè perficitur Baptismus, vt liquet ex dictis supra in communi quæst.29.circa inceptionem effectuum sacramentalium. Character autem est insigne, & forma subiectionis respectu iurisdictionis Ecclesiasticæ, & eum, cui inest constituit per se ipsum,in genere causæ formalis, in ratione hominis substantis eidem iurisdictioni, sicut constituit in ratione participis bonorum communium Ecclesiæ, & reddit capacem, vt incipiat illa effectiuè participare pro illo ipso instanti, pro quo primum incipit inesse idem character.Ergo peccatum commissum ab homine baptizato pro eo instanti pro quo intrinsecè incipit esse baptizatus, quale profecto est peccatum fictionis actualiter impediens plenum effectum Baptismi,verè subest clauibus Ecclesiæ. Quia est peccatum commissum ab homine subiecto Ecclesiæ, & quando iam illi subiectus est.Neque verò pro exercitio iurisdictionis erga aliquem consideratur prioritas, vel posterioritas naturæ,vel pura concomitantia inter peccatum, & iurisdictionem, vel subiectionem, peccantis,respectu iurisdictionis;sufficit enim hominem esse subiectum iurisdictioni alicuius, vt omnes eius actiones ab eo exercitæ ex quo est subiectus, subsint eidem iurisdictioni. Sufficit verò id multo magis respectu iurisdictionis, quæ exercenda est nomine Dei, vti exercetur iurisdictio clauium ab Ecclesia.Quia iurisdictio Dei,cui substituitur iurisdictio Ecclesiæ de qua agitur, respectu baptizati, adest pro priori naturæ, ad omne peccatum vetando ipsum antecedenter, cum comminatione pœnarum. Idem rursus sufficit specialiter respectu iurisdictionis fauorabilis, qua fauorabilis est. Cui videlicet subiicitur, quicunque subiicitur cum omni latitudine possibili. Iurisdictio autem, quam exercet Ecclesia in Sacramento Pœnitentiæ circa peccata, est absolutè fauorabilis,vt per se patet; siquidem plus mali incomparabiliter aufert quam imponat oneris. Itaque Baptismus validè, & fictè susceptus fictione peccaminosa, sortitur suum effectum remissionis peccatorum præcedentium ipsum, & infusionis gratiæ, atque virtutum,cum primum existit,vel contritio perfecta, vel attritio coniuncta cum Sacramento Pœnitentiæ.Inducit verò gratiam, & virtutes, cum maiori vel minori intensione, iuxta maiorem, vel minorem intensionem dispositionis, existentis in pœnitente, cum primum iustificatur. Quia quod tollit vim obicis quoad substantiam effectus, tollit etiam eadem ratione quoad intensionem, & modum eius,ideoque Baptismus operatur eodem prorsus modo, quo fuisset operatus,si adfuisset eadem dispositio pro primo instanti.

Ad 1. Baptismus fictè susceptus inducit gratiam, cum primum remouetur obex, se quidem solo, si obex sufficienter remoueatur per solam attritionem, quæ est sufficiens se sola, ad inducendam gratiam & remissionem peccatorum; sin minus simul cum contritione perfecta, aut cum Sacramento Pœnitentiæ; ita tamen, vt gratia quatenus remittens peccata præcedentia Baptismum, correspondeat formaliter ipsi Baptismo, soli quidem, si cooperante Sacramento Pœnitentiæ inducat primam gratiam; eidem verò & simul contritioni perfectæ, si ipsa cooperante illam inducat. Neque verò est vllum inconueniens, eundem effectum secundum eandem rationem, procedere à duplici causa adæquata, si altera, vel vtraque sit purè instrumentalis, qualis certè est Baptismus, vti explicatum supra est quæstione 43. ad 1. Ratio porrò ob quam attribuenda semper sit Baptismo remissio peccatorum præcedentium ipsum, & gratia quatenus remissiua eorum est, quia eatenus vnusquisque effectus attribuitur vnicuique causæ exercenti totam suam actiuitatem, quantum potest, quatenus in eadem actiuitate continetur. Remissio autem peccatorum præcedentium Baptismum, continetur formaliter in actiuitate Baptismi, atque hic operatur quantum potest quandocunque operatur.

Ad 2. Negatur peccatum fictionis, seu sit formaliter, seu materialiter tantum tale, dummodo sit commissum libertate exercita immediatè in eodem instanti, in quo vltimo perficitur Baptismus,atque completur eius essentia, non posse tolli per Sacramentum Pœnitentiæ; Quia tale peccatum verè subest potestati, & iurisdictioni clauium Ecclesiæ, vt patet ex dictis supra ab art.4. Circa authoritatem Concilij Tridentini, quæ adducitur in contrarium, multa mouet subtiliter Suarez,sed quæ satisfacere intellectui minimè possunt, vt ostendit inter alios P.Martinon. Quia recurrit ad distinctiones Logicas formalitatum, & ad prioritates tum rationis,tum naturæ, quibus non esse opus, nec esse idoneas pro re præsenti,constat ex eodem nostro superiori discursu. Dicendum itaque est sub ea designatione peccatorum post Baptismum comprehendi à Concilio, omnia peccata baptizati, quæ non fuerunt ab eo commissa tempore, seu instanti aliquo antecedenti, ad instans vltimum perfectionis Baptismi. Quia videlicet reliqua omnia peccata, vel committuntur pro tempore sequenti ad instans vltimum perfectionis Baptismi: Atque hæc, est indubitabile pertinere ad Sacramentum Pœnitentiæ; vel committuntur in ipso illo instanti perfectionis Baptismi libertate,tunc immediatè exercita peccaminosè; Atque hæc etiam meritò dicuntur peccata post Baptismum, idque duplici ratione. Prior ratio est, quia τὸ *post* non rarò accipitur positiuè simul,& negatiuè, ita vt complectatur omne tempus, & instans, quod non antecedit instans pro quo primum incipit esse res, cui adiungitur ipsum *post*. Hoc sensu dicitur, neminem posse consecrare Corpus, & Sanguinem Christi, nisi post susceptum ordinem Sacerdotalem; omne peccatum personale committi post vsum rationis, soláque peccata, quæ dantur in vnoquoque de nouo post vsum rationis, esse materiam contritionis, & attritionis, & sic de similibus. Altera ratio,eáque potior est,quia peccata quatenus commissa in instanti, pro quo vltimo perficitur Baptismus, necessariò supersunt post Baptismum,certe deleri non possunt,nisi pro aliquo instanti subsequenti ad instans perfectionis Baptismi, idque ipsis conuenit,non per accidens,sed per se,facta comparatione instantis,pro quo committuntur, seu noua libertate immediata continuantur, cum instanti pro quo primùm existit Baptismus.Quapropter moraliter loquendo, immò etiam physicè,& metaphysicè, relatiuè ad vim, & causam deletiuam eorum sunt peccata post Baptismum,& propria hominis baptizati, postquam baptizatus est, quandoquidem attenta duratione, tum ea pro qua committuntur, tum ea pro qua primum incipit esse Baptismus, necessariò supersunt post Baptismum, nec sunt delebilia, nisi per causam operantem per existentiam Baptismi.

Ad 3. Dispositio passi respectu alicuius agentis, quatenus dispositio præcisè est, non cooperatur positiuè ipsi agenti,sed tantum remouet prohibens. Alioquin non se teneret præcisè ex parte passi, sed magis ex parte agentis. Remoto autem prohibenti respectu alicuius causæ agentis,necesse est, vt eo ipso sit æquè remotum

remotum idem prohibens, respectu omnium,& quarumlibet aliarum causarum,in quouis numero habentium eandem virtutem, ad eundem effectum. Vnde causæ numero plures simul applicatæ eidem subiecto, perinde agere possunt sub vna numero dispositione, atque si adessent totidem numero dispositiones,vel si vnaquæque causa applicaretur seorsim, sub vna numero dispositione,peculiariter ipsi soli correspondente.Quapropter Baptismus ficte susceptus,cum primum coniungitur, vel cum contritione, vel cum attritione, & Sacramento Pœnitentiæ, inducit simul cum vtralibet,pro posteriori naturæ tantumdem gratiæ vi sua, quantum initio induxisset seorsim, si non fuisset ficte susceptus, sed extitisset, tunc eadem illa dispositio, vt patet ex dictis supra; ex quibus, etiam patet de distinctione, & correspondentia formali quoad remissionem peccatorum. De vi Baptismi ad remittendum peccata venialia nihil specialiter, obseruandum hic occurrit, præter ea,quæ dicentur ex professo, quæst. 91.& 92.

## QVÆSTIO XLIX.

### *Vtrùm præparatoria ad Baptismum conuenienter instituta sint?*

VIdentur non esse conuenienter instituta. 1.Quia communiter dicitur Circumcisionem fuisse præparatoriam,& figuratiuam Baptismi. Circumcisio autem non fuit conuenienter instituta. Quia cum instituta fuerit in remedium peccati originalis,debuisset esse communis omnibus, quibus est commune illud peccatum, atque adeo debuisset in primis institui immediatè post peccatum Adæ, & non vsque adeo longo posteà tempore, quando vixit Abraham. Debuisset etiam esse communis vtrique sexui masculino, & fœminino, totique generi humano, & non solis masculis, solique populo Hebræorum concedi. Debuisset denique applicari infantibus immediatè post natiuitatem,& non differri vsque ad octauum diem saltem pro casu quo pueri prius constituerentur in periculo mortis. Ne videlicet morientes ante octauum diem, decederent cum peccato originali, atque impedirentur æternum, ab ingressu Regni Cœlorum. Rursus eadem circumcisio continebat in se professionem quandam fidei,& obseruantiæ totius veteris legis,iuxta illud ad Rom.4.11. *Abraham accepit circumcisionem tanquam signaculum fidei*,& illud ad Galat.5.3. *Testificor omni homini circumcidenti se,quoniam debitor est vniuersæ legis faciendæ.* Vis autem apprehensiua fidei, residet in capite, atque obseruantia legis pertinet ad omnes corporis partes,præcipuè verò ad caput, & cor. Ergo circumcisio non fiebat conuenienter præcisione præputij. Ob hæc igitur omnia non fuit conuenienter instituta circumcisio. Apparet præterea ex iisdem eandem circumcisionem, non solùm nullam habuisse similitudinem cum Baptismo, quinimo fuisse per omnia dissimilem eidem, ergo non conuenienter fuit instituta,saltem quatenus præparatoria,& præfiguratiua Baptismi.

2.Baptismus Ioannis fuit præparatorius,& præfiguratiuus Baptismi Christi. Eiusdem etiam fuerunt figuræ protectio Hebræorum per columnam nubis, & transitus maris Rubri, vt apparet ex prima ad Corinthios 10.2.vbi dicitur quod *omnes* (antiqui Patres) *in nube, & in mari baptizati sunt.* Superfluè autem,& inconuenienter instituuntur multæ figuræ, & præparationes eiusdem rei; Ergo vel alterutrum horum, vel vtrumque, vel circumcisio superfluè, & inconuenienter instituta sunt.

3. Catechumenus præparatur ad Baptismum per Catechismum, & Exorcismum. Neuter autem conuenienter adhibetur.Non quidem Catechismus: tum quia puer non potest profiteri fidem, neque per se, vt patet, neque per alium,quia nemo potest obligare alium, ad aliquod, independenter ab omni eius consensu; & tamen in Catechismo continetur professio fidei de præsenti, & in futurum: tum quia prius est viuere,quam operari; atque per Baptismum habetur vita spiritualis,& fides,eiúsque professio est operatio quædam, quæ proinde ineptè præmittitur Baptismo. Sed nec exorcismus conuenienter præmittitur. Quia est ordinatus ad pellendos dæmones, & ad frænandam eorum potestatem. Neutrum autem horum obtineri potest ante Baptismum; cum per Baptismum tollatur peccatum, quo permanente in aliquo, non possunt ab eo pelli dæmones, aut eorum potestas cohiberi. Quia homo est seruus dæmonis ratione peccati,ideoque non potest ad ea seruitute liberari, antequam liberetur ab ipso peccato.

4. Inter præparatoria Baptismi adhibentur gustus salis, & linitio aurium, ac narium ingesta in eas saliua. Hæc autem sunt inania, ridicula,parúmque decentia. Ergo præparatio ad Baptismum,&c.

5. Omnia, quæ nuper commemorata sunt, sunt inutilia, nulliúsque prorsus effectus, cum totum effectum salutarem conferat Baptismus, solúsque conferat.Quæ autem nihil efficiunt, ideoque sunt inutilia, non sunt conuenienter instituta.

6. Omnia eadem sunt inuenta hominum superaddita operi Dei, & institutioni Diuinæ. Quæ autem sunt eiusmodi,eo ipso sunt,non solum contemnenda, & nihili prorsus facienda,sed etiam mala, & omninò fugienda; vtpote repugnantia legi Dei, vt apparet ex illo Deuter.4.2. *Non addetis ad verbum,quod vobis loquor, nec auferetis ex eo. Custodite mandata Domini Dei vestri, quæ præcipio vobis*, & cap.12. fine. *Quod præcipio tibi, hoc tantum facite Domino;nec addas quidquam;nec minuas.*Similiter Prouerb.30.6.iubetur: *Ne addas quicquam verbis illius, ne arguaris, inueniarisque mendax.* Eodem pertinet quod Isaiæ 29. 13. & Matth.15.9. reprehenduntur à Deo,qui frustra,& sine causa ipsum colunt, docentes doctrinas, & mandata hominum. Eodem etiam pertinent exempla eorum, qui grauiter à Deo puniti sunt præcisè, quia induxerunt nouas cæremonias, & circumstantias nouas, in cultu Dei, vltra ea, quæ Deus ipse instituerat. Huius generis sunt leones immissi in quosdam incolentes Samariam, vt habetur 4.Reg.17.26. quia ignorabant ritum Dei terræ, propterèaque eum colebant ritu alio ab eo, quem Deus instituerat. Reprehensio Regis Achaz 4 Regum 16.10.Quia erexit altare nouum in templo; & punitio Regis Manasse 4.Reg.21.4. ob causam similem. Ergo cæremoniæ, & ritus præparatorij respectu Baptismi inducti ab Ecclesia, atque humana authoritate constituti,& superadditi institutioni Diuinæ, hac ipsa de causa sunt vitandi, atque omninò reprobandi.

7. Nunquam licet ministrare vllum Sacramentum, nisi decenter, & modo maximè decenti. Sæpè autem licitè,& honestè perficitur Baptismus absque eiusmodi ritibus, & præparatoriis, nempe quoties non perficitur solemniter à Sacerdote. Ergo eiusmodi ritus, non pertinent ad decentiam Baptismi,aut ad modum conuenientem ministrandi ipsum.

Art. 1. Respondetur præparatoria Baptismi, alia sunt proxima,alia remota: Alia namque sunt anteriora,non solum vsu, sed etiam institutione Baptismi; alia verò, quæ adhibentur immediatè in ipso opere baptizandi. Præparatoria remota duo sunt præcipua, circumcisio, & Baptismus Ioannis. Præparatoria proxima duo itidem sunt præcipua,Catechismus,

continens

continens instructionem de rebus fidei, & morum, & Exorcismus, quo abiguntur Spiritus immundi adiuncta exsufflatione in signum depulsionis eorum. His additur circumstantia loci, vt Baptismus perficiatur in Ecclesia consecrata, & in eius parte ad hoc destinata, quæ dicitur baptisterium; circumstantia item materiæ, vt aqua baptismalis sit consecrata admixto oleo; necnon circumstantia temporis, olim obseruata, vt Baptismus conferretur solum in Paschate, & Pentecoste; præterea ex parte ipsius baptizandi adhibetur Sal, qui in os eius immittitur, & saliua, qua eiusdem aures, & nares liniuntur, cum verbo, *Ephata*, id est, adaperire; inunctio olei Catechumenorum inter pectus, & scapulas ante Baptismum, & post ipsum inunctio chrismatis; ac demum susceptores, seu Patrini, ac Pædagogi, & nominis impositio facta ad arbitrium eorum, si baptizatus ipse non sit capax ad illud eligendum, quæ cum aliis nonnullis prosequitur fusè, ac diligenter P. Vasquez tota disp. vlt. de Baptismo.

Art.2. Hæc porrò omnia fuerunt iam olim conuenientissimè instituta, & quæ pertinent immediatè ad ipsum opus, laudabiliter religiosè, & vtiliter exhibentur à ministris. Quod quidem fusè, ac diligenter demonstrant pluribus, & authoritatibus Dionysij, aliorúmque Sanctorum Patrum, & rationibus mysticæ significationis, Bellarminus, Suarez, & Vasquez in præsenti materia, & Durant. lib.1. de ritibus Ecclesiæ, cap.19. aliique communiter cum D. Thoma tota quæst.70. & 71. Conuincitur verò omnium efficacissimè quoad præparatoria quidem remota, quia ea fuerunt instituta à Deo, aut ex reuelatione Dei, cuius perfecta sunt opera, ideoque conuenientissima; quoad proxima verò præparatoria, quia inducta ea sunt authoritate Ecclesiæ, cui Deus specialiter assistit, nec permittit errare in vniuersali directione fidelium, præsertim quoad modum peragendi res sacras, & colendi Deum.

Art. 3. Idem facilè, & efficaciter suaderi potest considerando breuiter singula. Primum Circumcisio conuenienter est instituta, tum secundum se, tum quatenus figuratiua Baptismi. Quia aliquod peccati originalis remedium fuit omni tempore necessarium: Oportuit verò, ne illud esset idem semper, & vniforme, sed procedente tempore succederet magis perfectum minùs perfecto, provt contigisset indigentiam hominum notabiliter fuisse maiorem. Quæ notabilis differentia accidit potissimum tempore Abrahæ prima, & deinde tempore aduentus Christi Domini. Quæ apparent ex discursu præmisso supra in communi, quæst.11. Oportuit rursus, vt populus, ex quo, & in quo futurum erat, vt Christus nasceretur, segregaretur, atque speciali aliquo signo distingueretur à reliquis populis. Vt ergo vtrique huic fini simul prouideretur, opportunè instituta est circumcisio, cuius interuentu deleretur peccatum originale, & quæ esset signum peculiare populi à Deo electi, vt ex eo, & in eo filius Dei, & hominis nasceretur. Datum porrò est istud originalis remedium, & signum populi electi, in organo generationis, quia in eo maximè præualet vis concupiscentiæ solutæ per peccatum originale, idémque peccatum, indidem propagatur, atque indidem series generationis Christi, ipsaque eius generatio deducenda erat. Similiter fuit conuenienter instituta Circumcisio, quatenus præfiguratiua Baptismi Christi. Et quidem hoc fine institutam esse circumcisionem, quo tempore instituta est, vt repræsentaret Baptismum posteà futurum, & affirmat asseuerantissimè, & efficacissimè probat Augustinus lib.6. contra Iulian. cap.3. dicens: *Sacramentum circumcisionis in figura præcessisse baptismatis, quis vel mediocriter sacris litteris eruditus ignoret? cum apertissimè de Christo dicat Apostolus. Qui est caput omnis Principatus in quo, & circumcisio estis circumcisione non manu facta in expoliatione corporis carnis; sed in circumcisione Christi consepulti ei in Baptismo*, vbi clarissimè Baptismus Christi appellatur circumcisio Christi, nomine vtique figuræ in rem figuratã translato. Ratio autem analogiæ inter vtrumque præcipaliter consistit in tribus. Primò nimirum, quia sicut per Baptismum aggregatur quis populo fidelium, & accipit signum huius aggregationis, vt dictum est quæst.47. ita per circumcisionem aggregabatur quis populo electo Dei, & manebat designatus vt talis. Deinde, quia sicut Baptismus continet in se professionem fidei, vt ibidem dictum est, ita circumcisio eandem continebat, qua de causa dicitur ab Apostolo ad Roman.4. signaculum iustitiæ fidei. Tertiò, quia sicut per Baptismum exuit baptizatus veterem hominem, vt Christum induat, atque ambulet in nouitate vitæ per obseruantiam legis Christi, vt pariter dictum ibidem est, ita etiam circumcisio fiebat per abscissionem eius partis, in qua vel maximè est prædominium veteris hominis. Qua de causa dixit Irenæus l.4.contra hæres. c.30. *secundum carnem circumcisio, circumcisionem præfigurabat spiritualem*; & significantius Augustl.lib.6.contra Faust.c.3. *In quo membro congruentius expoliatio carnalis, & mortalis concupiscentiæ figuratur, quam vnde carnalis, & mortalis fœtus exoritur.* Patet itaque ex his cõuenientia circumcisionis, & secundum se, & in ratione figuræ Baptismi. De Baptismo Ioannis, quod fuit alterum præparatorium remotum Baptismi Christi, nihil necesse est specialiter dicere, cum sit satis ex se manifesta analogia inter vtrumque, nec sit obscura ratio necessitatis, vt rei perfectissimæ præmitteretur aliquid eiusdem generis minùs perfectum; per quod proximè disponerentur animi ad intelligentiam, & assensum altissimi mysterij, atque ex sua natura maximè ardui.

Art.4. Facilior est intellectu conuenientia eorum, quæ proximè præparant ad Baptismum, & simul concurrunt, ac peragantur cum ipso. Primum enim, cum Baptismus sit Sacramentum fidei, & incorporatiuum baptizati in populum fidelem, congruenter præmittitur Catechismus, qui instruit de articulis fidei, vt propositi, atque inspirati authoritate Ecclesiæ, in vsu solemni, & vsque adeo sacrosancto, altius imprimantur, & firmius adhærescant baptizato, vel immediatè si sit adultus, vel mediatè, si sit paruulus, & edocendus posteà ab aliis, qui adsunt iuxta dicta suprà quæstione 44. Deinde cum idem Baptismus sit causatiuus remissionis peccatorum, & salutis animæ, cuius impeditioni totis conatibus semper incumbit Dæmon, conuenienter omnino præfertur Exorcismus continens orationes, & preces Ecclesiæ, quibus potestas Dæmonis coërcetur, & vis eius omnis figuratur, in cuius rei signum visibile, congruenter adiungitur exsufflatio corporalis, quatenus dictis precibus, quasi flatu quodam disiicitur dæmon. Mysticæ significationis conuenientia in cæteris, quæ præterea adhibentur, est clara, & conspicua, sal enim, qui ori ingeritur cœlestem indicat sapientiam, quæ cum fide confertur per Baptismum, & veteris corruptionis sanationem, ac præseruationem, quæ similiter prouenit ex Baptismo. Saliua liniẽs aures, & nares continet imitationẽ similiter linitionis, qua Christus mutum sanauit, Marci 7. & illuminauit cæcum, Ioannis 9. & significat vim percipiendi fidem, quæ confertur per Baptismum, & habetur per auditum, vt dicit Apostolus; necnon vim percipiendi odorem vnguentorum diuinorum, seu donorum Dei, quæ dictum est vniuersaliter conferri per Baptismum. Similis est applicatio cæterorum, quæ superiùs commemorata sunt. Circunstantia loci sacri ad hoc specialiter deputati

putati non est typicè significatiua, sed exigitur sola ratione conducentiæ respectu actionis vsque adeo sacrosanctæ, ac mysteriosæ. Circunstantiæ temporis determinati, iam non obseruantur, saltem vt plurimum, sicut olim obseruabantur propter multitudinem baptizandorum, nimis iam magnam, vt tota duobus solis anni temporibus reseruetur, cum termino paucorum dierum. De susceptoribus dictum est satis, quæst. illa 44. Circa impositionem nominis, cautum est in Concilio Nicæno can. 30. *Ne fideles imponant filiis nomina Gentilium, sed potius omnis natio Christianorum suis nominibus vtatur, imponanturque nomina Christianorum in Baptismo.* Nempe nomen ingerit vnicuique memoriam originis suæ, & inde habet vim quandam incitandi ad imitationem eorum, à quibus trahitur. Constat ergo omnia præparatoria Baptismi conuenienter, ac rationabiliter instituta esse.

Ad 1. Circumcisio non fuit vnicum remedium peccati originalis, pro omni tempore, & pro omnibus hominibus, sed ante ipsam viguit remedium, quod dicitur legis naturæ, cum pari vtilitate, cum qua, & permansit post institutam etiam circumcisionem, pro iis, qui circumcidi non poterant, aut non debebant. Vnde necesse non fuit, vt circumcisio, aut institueretur ante tempus quo instituta de facto est, aut pro fœminis etiam, & non pro masculis tantum, aut vt masculis ipsis permitteretur eius vsus, & applicatio ante octauum diem. Quinimo, fuere in oppositum rationes conuenientiæ superius ponderatæ. Quibus, quoad circumstantiam octauæ diei, addit D. Thomas; tum correspondentiam magno plenam mysterio respectu aduentus Christi Domini, qui venit in octaua ætate, & induxit circumcisionem spiritualem deletiuam peccatorum quoad culpam, & pœnam; tum teneritudinem infantium ante octauum diem, ob quam expediebat, ne prius cæderentur cum periculo vitæ. Qua etiam de causa cauetur Leuitici 22. ne animalia vlla offerrentur Domino ante octauum diem, sed interim essent sub vbere matris suæ. Ratio ob quã oportuit circumcisionis institutionem, & vsum præmitti promulgationi legis Mosaicæ, sicut præmissa de facto est ante annos vt minimum quadringentos, desumitur ex eo, quod oporret, vt ante promulgationem legis specialiter obligantis aliquem populum, detur iam ipse populus segregatus à reliquis populis; cum lex ex sua natura feratur in communitatem. Populus autem Dei electus segregatus fuit à reliquis populis, & in se ipso coaluit per signum circumcisionis, neque id fieri potuit breui tempore. Oportuit ergo, vt circumcisio tanto tempore præcederet legem, cuius, postquam lata est, & non prius, professionem continebat. Quod autem oportuerit, vt Sacramentum circumcisionis adhiberetur potissimùm in organo generationis, licet esset illi deuincta obseruantia totius legis, quæ pertinet ad totum corpus iam superiùs apparuit admodum congruenter factum esse. Addit præterea D. Thomas art. illo 3. ad 1. Circumcisionem fuisse signum fidei, qua Abraham credidit Christum ex suo semine nasciturum, atque in præmium eiusdem fidei, eidem primitus concessum, ac reuelatum esse, eiusmodi Sacramentum. Congruenter igitur addicta fuit ratio eius Sacramenti, illi corporis parti, cuius erat præcipua operatio in obiecto eius fidei. Adde præterea Sacramentum, cuicunque demum corporis parti applicatum, atque perfectum in qualibet parte, operari in totum hominem æqualiter. Postremo, licet circumcisio differret à Baptismo tot eiusmodi differentiis; habuit nihilominus conuenientiam cum eodem, quoad effectum remissionis peccatorum, aggregationis ad populum Dei, & segregationis ab aliis populis. In Sacramentis autem præcipuè consideratur effectus ipsorum. Vnde Circumcisio prætulit figuram Baptismi præ aliis veteribus symbolis eius.

Ad 2. Nullum est inconueniens, vt præcedant plures figuræ eiusdem rei, si sint diuersæ rationis, sitque manifestior, quæ propinquius accedit ad rem figuratam. Imò id est maximè conueniens, ac necessarium, quando res figurata est præstantissima, cuius propterea, nulla vna figura reperitur adæquata, seque sola sufficiens. Huiusmodi autem figuratum est Baptismus Christi, atque Baptismus Ioannis fuit magis similis Baptismo Christi eidémque propinquior, quam circumcisio. Iam protectio columnæ nubis, & transitus maris rubri, fuerunt similiores Baptismo nostro, quam circumcisio, quoad aquam baptismalem, ex qua renascimur, cui est homogeneum mare rubrum, & quoad Spiritum sanctum, quo gignente renascimur, significatum per columnam nubis, sed quoad effectum, de quo maior habetur ratio, præeminebat similitudo circumcisionis, vti nuper dicebatur.

Ad 3. Dictum est. Catechismum vtiliter præmitti in Baptismo etiam pueri. Quia licet ipse non possit tunc percipere fidem, possunt tamen eam percipere ij, à quibus est postea edocendus, iidémque possunt obligari ad eum docendum, licet sua voluntate obligare illum specialiter non possint, vt discat. Adultus verò tametsi non habeat vitam spiritualem ante Baptismum, habet tamen ante ipsum vitam naturalem, ratione cuius est iam capax ad operationem inchoatiuam vitæ spiritualis. Similiter per exorcismum potest impediri potestas dæmonis, quoad exteriorem impeditionem Baptismi, tametsi interior eius dominatio circa animam non tollatur substantialiter ante iustificationem, cuius inducendæ vim habet Baptismus.

Ad 4. Gustus Salis, & linitio, quæ sit saliua obtinent decentiam, & solidam, ac seriam vtilitatem ratione mysticæ significationis, cum qua, & propter quam adhibentur ab Ecclesia, vt dictum est. Vnde apud eos, apud quos, & à quibus, & circa quos adhibentur, conuenientissimè adhibentur, esto iis, qui sunt foris, stulta videantur, quibus, & passio Christi & vita eorum, qui illum legitimè sequuntur, stulta videtur, quia stulti ipsi sunt.

Ad 5. Circa vtilitatem, & efficaciam istorum sacramentalium partim dictum est supra in communi quæst. 56. & eadem de re dicetur iterum infra vberius quæst. 91. atque ex dictis in hac quæstione innotescit satis circa rem præsentem in particulari.

Ad 6. Sicut Princeps temporales laudabiliter inducunt leges particulares, vltra eas quas Deus, & natura immediatè condidere, provt ipsis videtur opportunum pro politico regimine Reipublicæ; ita etiam Principes Ecclesiæ laudabiliter constituunt leges particulares, tum pro aliis rebus; tum maximè pro rebus sacris quam decentissimè, & quam vtilissimè administrandis, provt opportunum ipsis videtur pro regimine spirituali populi Christiani, atque neutri propterea peccant in legem Dei, quæ obiicitur ex Deuteronomio, & ex Prouerbiis, nihil addendi verbis Dei nihilque minuendi. Quia videlicet sensus eius legis est, ne quid addatur legi Dei, quòd eidem contradicat directè, vel indirectè, neve intrudatur, tanquam à Deo immediatè sancitum, quod humana cooperante voluntate, stabilitum fuerit. De cætero sicut Deus in genere causæ efficientis ea sola se solo producit, in quibus causæ secundæ cooperari nihil possunt, eos verò effectus omnes ad quos eædem cooperari aliquatenus possunt, non nisi iisdem eatenus cooperantibus operatur; Ita etiam in genere causæ moralis; eas tantum leges, ac institutiones sibi

sibi soli reseruat; ad quas capacitas rationis humanæ, mentisque creatæ est insufficiens, eas verò ad quas eadem aliquatenus sufficit, nisi ipsa interueniente minimè constituit, atque determinat. Hinc passim in scriptura laudantur non minùs boni legislatores, ac institutores reipublicæ tum temporalis, tum spiritualis, quam laudatur fœcunditas causarum secundarum superaddens plures effectus effectibus à solo Deo immediatè productis. Ne videlicet fruſtraneam, ac laudabilem contulerit Deus creaturis suis, aut actiuitatem ad agendum, aut prudentiam, ac sapientiam ad regendum. Hunc esse legitimum sensum legis illius Diuinæ de non addendo, nec minuendo, interpretes Catholici apertè in illis locis demonstrant ex contextu, & ex mente sanctorum Patrum, atque ratio proposita efficaciter concludit: Hinc igitur effectum est, vt Deus per se ipsum immediatè instituerit Sacramenta quoad substantiam, & propterea Ecclesia nunquam quidquam immutauerit, immo declarauerit, immutare se minimè posse quoad substantiam, vt patet ex dictis supra communi quæst. 4. & 10. accidentales verò ritus eidem Ecclesiæ commiserit instituendos vtiliter ex ipsius instinctu pro temporum & locorum opportunitate. Eos porrò, quos de facto constituit, constat ex dictis, nihil continere institutionibus diuinis contrarium, sed potius ad finem earum conferre plurimum. Vnde, qui illos obseruant sunt propterea omnino laudandi, nec vlla ex parte comparandi cum iis, quorum punitionis exempla producuntur ex scriptura, quos videlicet certissimè constat fuisse deditos idololatriæ, aut nouitates alias induxisse contrarias legi Dei.

Ad 7. Iam iterum dictum est supra in simili, decere in casu necessitatis, quod secluſa necessitate non decet, aut non vsque adeo decet. Nullum igitur est argumentum, quod dicitur ad decentem administrationem Baptismi absque consuetis solemnitatibus Ecclesiæ extra casum necessitatis ab omissione eorundem minimè dedecenti, quando vrget necessitas. Iam verò circa ministrum legitimum eiusmodi cæremoniarum eiusque administros, nihil addere necesse est vltra ea, quæ obiter dicta sunt quæst. 42.

## QVÆSTIO L.

### *Vtrùm Baptismus sit omnibus necessarius ad salutem.*

VIdetur non omnibus necessarius. 1. Quia non indigent remedio peccatorum, qui rationis vsu, & libero carent arbitrio. Nempe hi peccare non possunt, & nemo potest esse peccator, aut indigere remedio peccatorum, quin peccet. Ergo pueri, aliique carentes vsu rationis non indigent Baptismo, qui est remedium peccatorum.

2. Paruuli non sunt deterioris conditionis in nouo, quam in veteri testamento, neque vnquam fuerunt, aut sunt deterioris proportionaliter conditionis, quam adulti. In veteri testamento, pueri, qui circumcidi non poterant, poterant nihilominus consequi vitam æternam per remedium legis naturæ; atque adulti possunt ad illam peruenire: cum solo voto Bapismi, absque reali eius susceptione. Ergo Paruulis non est ita necessarius Baptismus, vt non possit illis subueniri per remedium legis naturæ, seu per fidem alicuius adulti, vtcumque illis applicatam actione aliqua exteriori, nec non per desiderium eos baptizandi, conceptum efficaciter à parentibus, aut ab aliquo aliquando baptizari non possunt.

3. Nemo in alium transmittere potest, quod sibi non inest. Ergo genitores baptizati vel aliter iustificati, antequam gignant, quibus proinde non inest peccatum originale cum generant, non possunt illud transmittere in prolem. Ergo pueri orti ex Parentibus mundatis prius à peccato originali, non contrahunt peccatum originale, & consequenter, nec indigent Baptismo. Confirmatur ex illo Pauli 1. ad Corinth. 7. *Sanctificatus est vir infidelis per mulierem fidelem & sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem. Alioquin filij vestri immundi essent, nunc autem sancti sunt*; ac proiude non indigent Baptismo, quia orti sunt à Parentibus sanctificatis.

4. Non est necessarium ad salutem id, sine quo potest obtineri salus. Potest autem obtineri salus absque Baptismo aquæ per dilectionem Dei super omnia, necnon per martyrium, vt dictum est supra.

5. Baptismus non est sufficiens ad salutem vitæ æternæ. Quæ videlicet non obtinetur, si post Baptismum desit perseuerantia in accepta iustitia. Ergo Baptismus non est necessarius ad salutem vitæ æternæ. Patet consequentia. Quia institutio Baptismi, non fuisset beneficia erga nos, nec præmiatiua meritorum Christi, si imposuisset onus quærendi aliquid, tanquam necessarium ad consecutionem vitæ æternæ, quin induxisset sufficientiam eiusdem vitæ æternæ consequendæ. Nec enim prodest præsentia rei insufficientis quantum nocet defectus rei necessariæ, quando vtraque est æquè contingens, vt accidit in re præsenti.

6. Quicumque est prædestinatus, certissimè saluatur, & æquè certò perit, quicumque non est prædestinatus, siue baptizetur, siue non baptizetur. Ergo Baptismus non est necessarius, neque quidquam interest pro consecutione vitæ æternæ.

Art. 1. Respondetur. Id, & eo modo est necessarium ad salutem, & consecutionem vitæ æternæ, quòd, & quo modo est necessarium ad delenda peccata iam commissa, aut contracta, & ad vitanda peccata nondum commissa. Quia peccatum est vnicum impedimentum vitæ æternæ, eamque Deus dat omnibus non habentibus in se vllum illius impedimentum; siquidem vult, quantum est de se, omnes homines saluos fieri. Baptismus autem est necessarius ad delenda peccata præcedentia, & ad vitanda peccata futura. Quia confert gratiam sanctificantem, quæ est incompossibilis cum peccatis præcedentibus, eaque proinde delet formaliter per se ipsa, & similiter cum eadem gratia omnes virtutes, quibus vitari possunt peccata in futurum. Ergo Baptismus est duplici titulo necessarius ad salutem vitæ æternæ quatenus, & tollit impedimenta illius, quæ iam insunt, & confert, vnde vitentur, quæ nondum insunt.

Art. 2. Inter vtrumque hunc titulum intercedit magnum quoddam discrimen. Nempe ratione deletionis peccatorum præcedentium, ita est necessarius Baptismus, vt siue culpabiliter, siue inculpabiliter desit, alicui, perinde eidem desit salus animæ, & vita æterna, certè fieri potest, vt ea præcisè de causa, vtraque desit. Quia vtcunque contingat deesse Baptismum, perinde permanere possunt eo ipso peccata præcedentia, quæ absque nouo peccato sufficiunt ad occludendum aditum Regni Cœlorum. Quapropter Baptismus ex hoc capite dicitur, & est necessarius ad salutem animæ, necessitate medij, seu est necessarius, sicut est necessarium medium ad consecutionem finis, de cuius ratione est, vt non obtineatur prætermisso medio, siue culpabiliter, siue inculpabiliter prætermittatur. At idem Baptismus, quatenus conferens ad vitanda peccata in futurum, non est ita necessarius, vt si inculpabiliter prætermittatur, perinde obsit eiusdem defectus. Si enim inculpabiliter prætermittatur non ob id præcisè necesse erit, vt

subsequatur peccatum aliquod nouum; quod videlicet implicat in terminis, vt inculpabiliter subsequatur. Quapropter Baptismus ex hoc capite dicitur & est necessarius ad salutem animæ, sola necessitate præcepti, siue est necessarius præcisè, sicut est necessaria alia quælibet res præcepta, quatenus præcepta, quæ si prætermittatur inculpabiliter, ob impotentiam, aut ignorantiam, nullum propterea sequitur impedimentum vitæ æternæ. Itaque Baptismus est necessarius ad salutem necessitate, tum medij, tum præcepti. Dicendum verò prius est de necessitate medij, quam de necessitate præcepti, quia necessitas medij, est maior necessitas, eadémque est magis propria Baptismi vtpote cum paucioribus aliis rebus sibi communis.

Art. 3. Baptismum esse necessarium ad salutem necessitate medij, apparet in primis clarè ex verbis Christi Domini. Ioan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non potest introire in Regnum Dei.* Qui modus loquendi clarè indicat Baptismum ita esse necessarium ad vitam spiritualem, & ad introitum in Regnum Dei, sicut est necessaria natiuitas naturalis ad vitam naturalem, & ad introitum in hunc mundum. Alioquin enim ineptè induceretur verbum renascendi, pro exprimenda necessitate Baptismi ad introitum in Regnum Cœlorum. Inducitur autem id verbum, etiam iterum ibidem, dum dicitur. *Oportet vos nasci denuo.* Eodem pertinet, quod Apostolus ad Titum 3. Baptismum vocat generationem, nempe ad indicandum, istam secundam generationem, ita esse necessariam ad reditum in gratiam, sicut est; necessaria prior generatio ex Adam ad contrahendum peccatum originale. Hinc ista veritas est sæpius definita in hoc sensu ab Ecclesia, vt apparet ex epist. 26. Innocentij 1. ad Concil. Mileu. contra Pelagianos, ex Concil. Florent. in decreto Eugenij, §. *Hæc omnia*, & ex Tridentino sess. 7. can. 5. de Baptismo.

Art. 4. Dispari autem modo est necessarius Baptismus paruulis, & adultis. Paruulis enim est necessarius determinatè prout in re susceptus. Quia ex vna parte est illis omninò necessarius, vt patet ex testimoniis inductis. Ex alia parte, sunt incapaces, qui effectum, & fructum Baptismi consequi aliter, possint, quam ipsa eius susceptione reali. Vnde Augustinus lib. 2. de anima, & eius orig. cap. 12. *Noli*, inquit, *credere noli dicere, noli docere, infantes antequam baptizentur morte præuentos, posse peruenire ad indulgentiam originalium peccatorum, si vis esse Catholicus.* Idem constat inter alia, ex Concil. Trid. sess. 5. can. 4. & 5. de peccato originali. At adulti possunt iustificari non solum per Baptismum pro vt in re susceptum, sed etiam per eundem solum in voto. Possunt enim iustificari, ante Baptismum re ipsa susceptum, per dilectionem Dei super omnia, vt dictum est supra quæst. 41. atque hæc dilectio continet in se votum, seu propositum Baptismi, re ipsa suscipiendi, siquidem continet votum, ac propositum totius legis adimplendæ; & quia præterea per seipsam formaliter est dispositio sufficiens, eáque optima ad realem susceptionem Baptismi. Quia hæc omnia coniunctim habet dilectio Dei super omnia, meritò dicitur Baptismus in voto. Vnde respectu adultorum, Baptismus est necessarius solùm disiunctiuè, nempe vel in re, vel in voto; paruulis verò determinatè prout in re. Quod tamen respectu vtrorumque verificatur solùm iuxta ordinarium cursum, ac dispositionem rerum. Constat nimirum ex doctrina tradita in dicta quæst. 41. occurrente casu extraordinario martyrij vtrolibet per ipsum iustificari, & saluari posse.

Art. 5. Alia adhuc ratio peculiaris supereſt præterea, respectu adultorum, ob quam est ipsis necessarius Baptismus prout in re susceptus. Quia videlicet susceptio realis Baptismi est necessaria ad realem susceptionem reliquorum sacramentorum, ac proinde, & Sacramenti pœnitentiæ, quod esse ad salutem necessarium necessitate medij, specialiter ostendetur infra ex professo, quæst. 86. Vnde quæ ibi dicentur à fortiori probabunt similem necessitatem Baptismi. Licèt autem reliquá Ecclesiæ Sacramenta non sint vsque adeò necessaria; habilitas tamen ad illa susciepienda, maximè ad susciepiendam Eucharistiam, & ad participanda cætera bona communia Ecclesiæ est vsque adeo necessaria, vt contemni, aut diu differri, non nisi imprudentissimè possit, & cum magno periculo amittendæ vitæ æternæ, ob defectum tot tantorúmque subsidiorum spiritualium. Ex hoc igitur etiam capite apparet specialiter necessariam esse realem susceptionem Baptismi, necessitate medij, saltem indeterminatè, modo dicto. Indidem obiter colligi potest, quam congruenter dispositum sit, non solum, vt quilibet viator licitè ministret hoc Sacramentum in casu vrgentis necessitatis, tanquam idoneus ipsius pro eo casu minister, sed etiam, vt quilibet quandolibet, & cuilibet nondum baptizato validè illum conferat, tametsi conferat illicitè vt dictum est quæst. 42. Quia videlicet quilibet, quandolibet; ex quo natus est, constituitur in necessitate absolutè magna susciepiendi huius Sacramenti, propter rationem modo propositam, ideóque oportuit vt quandolibet, & à quolibet collatum valeret. Ne videlicet ex oppósita prouidentiæ ratione, ac legis dispositione suboriri facilè possent scrupuli de valore Sacramenti, & initerabilis, & vsque adeò necessarij, multiplici ex capite, necessitate medij, vt obseruat optimè Suarez disp. 23. sect. 1. §. congruentia verò.

Art. 6. Necessitas præcepti naturalis Diuini est inseparabilis, immo, & indistincta realiter à necessitate medij; quandoquidem voluntas præcipiendi aliquid, nihil est aliud, quam voluntas constituendi illud in ratione medij necessarij ad consecutionem vitæ æternæ; vt dictum, & expositum est quæst. 20. & 21. de act. hum. Vnde quicunque libere omittit aliquid necessarium necessitate medij ad salutem vrgente tempore pro quo est ita necessarium, eo ipso peccat contra præceptum naturale diuinum. Quapropter cum distinguitur necessitas præcepti à necessitate medij ad salutem, sermo est de præcepto Diuino positiuo, ratione cuius constituitur aliquid in ratione medij necessarij ad salutem, cum ex sua natura non esset ita necessarium, aut absolutè, aut pro aliquo determinato tempore, aut pro aliqua alia circumstantia particulari. Communis autem, eadémque vera Theologorum sententia est cum D. Thoma, quæst. 68. art. 1. & in 4. dist. 4. quæst. 3. art. 3. quæstiunc. 2. Baptismum esse necessarium necessitate etiam præcepti positiui Diuini, atque hoc præceptum obligare grauiter adultos ad susciepiendum Baptismum, cum primum dignè, & commodè susciepi potest, & ad eundem seruata proportione administrandum pueris non aliundè impeditis ex conditione, aut voluntate Parentum, aliáque simili de causa, iuxta notata supra, quæst. 45. Colligitur hoc præceptum communiter ex præindicatis verbis Ioan. 3. *Nisi quis renatus fuerit &c.* Colligitur insuper indirectè ex illis aliis Matth. vlt. *Docete omnes gentes baptizantes eos.* Colligitur denique ex Concil. Trid. sess. 7. can. 5. de Baptismo vbi damnantur dicentes Baptismum liberum esse, ideſt non obligari homines ad ipsum susciepiendum, præcepto vtique Diuino, cum humanum, & Ecclesiasticum obligare non possit nondum baptizatos, ideoque nondum subiectos Ecclesiæ. Idem suadetur efficaciter ratione æquitatis vt tale præceptum imponeretur, fundata in summa huius

huius Sacramenti vtilitate, ac necessitate ad plurima, & maxima subsidia vitæ spiritualis perducentia ad vitam æternam.

Art 7. Præceptum Diuinum naturale, & positiuum non cœperunt obligare pro eodem tempore, nec obligant eodem semper modo; præceptum namque naturale Diuinum cæpit cum primum institutus est Baptismus, & ex vi ipsius institutionis, atque adeo cœpit obligare ante passionem Christi, vt apparet ex dictis quæst. 38. circa tempus institutionis. Quia videlicet ex quo institutus est, ex sua ipsa natura, cœpit esse necessarius ad salutem vitæ æternæ, sicut cœpit esse necessarius ad remissionem peccatorum, vti ponderatum est supra art. 2. Verùm hæc necessitas, & obligatio fuit disiunctiua ante passionem Christi, & vsque ad promulgationem vniuersalem Euangelij. Quia eo vsque viguere circumcisio, & remedium legis naturæ, sicut ante aduentum Christi, vti fert communis Theologorum opinio. Vnde eo vsque fuit vnicuique liberum, vt vteretur, vel Baptismo Christi vel circumcisione vel remedio legis naturæ respectiuè, iuxta dicta supra. At post vniuersalem promulgationem Euangelij, cœpit obligare determinatè, non solum præceptum naturale Diuinum ad vsum Baptismi Christi præ circumcisione, & remedio legis naturæ; quæ videlicet ex tunc euanuere, sed etiam præceptum positiuum Diuinum obligans ad susceptionem Baptismi, cùm primum commodè fieri potest, vt nuper dicebatur, eos etiam qui iam essent iustificati per dilectionem Dei super omnia. Qua de causa Cornelius, licet iustificatus prius perhibetur art. 10. Baptizatus nihilominus à Petro Claudo hæc omnia verbis Concil. Trident. sess. 14. cap. 4. *Translatio ab eo statu, in quo homo nascitur filius primi Adæ, in statum gratiæ, & adoptionis filiorum Dei, post. Euangelium promulgatum sine lauacro regenerationis, aut eius voto fieri non potest, sicut scriptum est. Nisi quis renatus fuerit &c.* In quibus apparet clarè necessitas determinata Baptismi, post eam promulgationem, præ circumcisione, & remedio legis naturæ, neque obscurè colligitur necessitas omnino determinata præcepti positiui obligantis ad realem susceptionem Baptismi eos etiam, qui aliunde iustificati prius fuerint; Siquidem aliter fieri non potest, vt in iustificatione non obtenta per Baptismum aquæ contineatur necessario votum eiusdem Baptismi. His igitur modis Baptismus est omnibus necessarius necessitate, tum medij, tum præcepti.

Ad 1. Tametsi pueri peccare propria voluntate minimè possint, possunt tamen contrahere peccatum aliena voluntate commissum, & de facto illud contrahunt, & nascuntur verè, propriéque peccatores, & filij iræ, vt dictum est quæst. 6. de iustif. & alibi pluribus dicendum est, vnde indigent Baptismo non minus quam adulti, quòd attinet ad consecutionem vitæ æternæ, vti multis, & magnis argumentis prosequitur Augustinus lib. 1. de peccat. merit. à c. 18. lib. 1. de anima, & eius origine cap. 9. & lib. 3. à c. 11. atque alibi sæpè aduersus Pelagianos, qui negabant necessitatem Baptismi, respectu paruulorum, quia negabant peccatum originale,

Art. 1. Ad 2. Malè audit apud Theologos omnes Catholicos, opinio Caietani dicentis quæst. 68. art. 2. pueris, qui baptizari non possunt, prodesse posse ad salutem, & vitam æternam fidem parentum eis applicatam religioso aliquo signo externo. Audit verò malè iure optimo. Quia sententia Saluatoris, *Nisi quis renatus fuerit*, est omnino absoluta, nec capax conditionis pro cuiusque arbitrio, qualem pro suo inducit vltro Caietanus. Vnde August. lib. de nat. & grat. cap. 8. cum egisset de paruulo nato, & mortuo, vbi baptizari non potuit, concludit sic. *Absoluat eum Pelagius, & aperiat ei, contra sententiam Domini Regnum Cœlorum.* Iterum lib. 1. de peccat. merito. & remiss. cap. 24. *Nulla præter Baptismum Christi salus promittitur infantibus. Quia infantes si per Sacramentum, quod ad hoc est diuinitus institutum in credentium numerum non transeant, in tenebris manent.* Recognoscantur verba eiusdem relata supra art. 4. Videri etiam possunt D. Thomas, tum in præsenti quæst. 73. art. 3. tum maximè 1. 2. quæst. 113. art. 3. ad 1. & in 4 dist. 4 quæst. 3. art. 3. quæst. 2. ad 3. & communiter alij ibidem negantes, in terminis propriis impossibilitatis Baptismi, vllum aliud superesse remedium respectu paruulorum.

Art. 2. Ad rationem dubitandi in contrarium negatur, paruulos propterea esse deterioris conditionis nunc, quam olim, aut quam adultos, quandocunque. Quia faciliùs fieri poterat, vt deesset, & pluries deerat in veteri testamento, qui veram fidem præhaberet, eamque ritè applicare vellet paruulo indigenti, quam deesse modo possit, ac desit aliquis, siue fidelis siue infidelis, qui possit, & velit, siue bona, siue mala voluntate baptizare, vt apparet consideranti arduitatem fidei, religiosæ applicationis eius, atque facilitatem baptizandi, modo dicto. Similiter est difficilius adultis non solum; vt concipiant dilectionem Dei super omnia, qua immediatè iustificentur, sed etiam dispositionem aliam inferiorem, qua disponantur ad iustificationem per Baptismum, vtque habeant, per quem doceantur de fide atque in eam inducantur; quàm, vt adsit paruulis, qui baptizare, & possit, & velit absque vllo suo incommodo exteriori, aut interiori animi difficultate. Melior igitur potius est absolutè conditio paruulorum post Euangelium.

Ad 3. Verissimum est neminem posse transmittere in alium, quod sibi non inest, quoad ea, quæ dependent ex actiuitate, aut voluntate cuiusque propria secundum se præcisè considerata. Idem nihilominus est falsum quoad ea, quæ ita dependent ab actiuitate, & voluntate cuiusque propria, vt simul etiam dependeant ab aliena quoque, & actiuitate, & voluntate, atque lege. Huius autem posterioris generis est transmissio peccati originalis. Vnde quoad ipsam nihil concludit principium assumptum in obiectione. Testimonium porrò illud Apostoli perabsurdè trahitur in eum scopum, tam enim absurdum est filium sanctificari formaliter sanctitate parentum; quàm absurdum est virum sanctificari formaliter sanctitate vxoris, aut hanc, sanctitate illius. Sensus igitur Apostoli est virum, & vxorem esse sanctificabiles, ac debere sanctificari, atque sanctificari nonnunquam exemplis, adhortationibus, & orationibus mutuis; & deinde voluntate, ac diligentia eorum mundari, ac sanctificari filios; nempe faciendo, vt illis ministretur Baptismus, aut etiam ministrando illum per se ipsos. Eatenus enim præcisè subiecit Deus filios paruulos voluntati paternæ; non verò ita vt sola sua voluntate possint gratiam, aut augmentum gratiæ in illos inducere, aut eisdem auferre, vel minuere, quam iam habuerint; aut peccatis suis peccatores illos pariter efficere; sicut quoad bona temporalia possunt aliquatenus efficere; è quibus tamen perperam inferitur paritas pro rebus ordinis supernaturalis, quæ dependent ex libera, & gratiosa institutione Dei.

Ad 4. Dictum iam est Sacramentum Baptismi pro vt in re susceptum, non esse determinatè necessarium ad salutem, necessitate medij, præsertim respectu adultorum; idque solum conuincit obiectio. Nempe Baptismus in voto habetur ab adultis, tum per dilectionem Dei super omnia, tum per quamlibet aliam dispositionem sufficientem ad consecutionem vitæ æternæ per martyrium.

Ad 5. Omnino sufficit Baptismus ad salutem vitæ æternæ, & gloriam, si postea non superueniat impedimentum

pedimentum noui peccati ex abusu baptizati. Confert præterea vires gratiæ sufficientes, vt vitari possit omne tale impedimentum peccati mortalis; tametsi non conferat infallibilitatem infrustrabilem, vt videtur de facto. Quod nimirum præstari non potuit saluo libero arbitrio, quod est homini connaturale. Id autem abundè sufficit pro beneficentia institutionis Baptismi, vt pote institutì pro iis, qui iam erant rei peccati, & ratione eius excluſi æternum à Regno Cœlorum. Vnde onus suscipiendi Baptismi, est valdè lucrosum, & fœlix quædam necessitas, seu obligatio commutandi peccatum, & mortem æternam cum gratia, & vita æterna.

Ad 6. Prædestinatio, est præscientia, & præparatio beneficiorum Dei, quibus certissimè liberantur, quicunque liberantur, vt fert communis ex Augustino definitio. Vnde sicut est certissimum, esse saluandum quicunque est prædestinatus: Ita etiam certissimum est eundem adhibiturum, vel obtenturum esse media ad salutem necessaria, ac proinde Baptismum, vel in re, vel in voto, aut æquiualenter in martyrio. Ineptè igitur dicitur prædestinatum esse saluandum, siue baptizetur, siue non baptizetur: sicut diceretur ineptè baptizatum, si illico moriatur, esse saluandum, siue sit prædestinatus, siue non sit prædestinatus. Nempe hæc extrema, sunt mutuo inter se connexa sensu superius explicato, ideoque conditionales eiusmodi sunt de subiecto non supponente quoad separabilitatem conditionis à conditionato.

## INCIPIVNT QVÆSTIONES de Confirmatione.

### QVÆSTIO LI.

*Vtrùm Confirmatio sit Sacramentum perfectiuum Baptismi, per augmentum virtutis, ad constantem professionem fidei.*

VIDETVR non esse 1. Quia in scripturis habetur expressio eorum omnium, quorum notitia, & fides est necessaria ad salutem, & profectum animæ, atque ad cultum legitimum Dei. Vnde quæ sunt eiusmodi, inter ea, quæ dixit, & fecit Christus Dominus, omnia expressa sunt in Euangeliis, dicente Augustino tract. 42. in Ioan. *Multa quidem Dominum, & dixisse, & fecisse, quæ scripta non sunt, electa verò esse, quæ scriberentur, quæ credentium saluti sufficerent.* Sacramentorum autem notitia, & fides est cum primis necessaria ad prædictos fines, vt patet, eademque omnia sunt instituta à Christo Domino, vt dictum est supra in communi. Cum ergo nulla reperiatur in sacris literis expressio Sacramenti Confirmationis, neque Euangelistæ quidquam dicant de institutione eius per Christum, credendum nequaquam est Confirmationem esse verum noui testamenti Sacramentum, sed esse cæremoniam quandam, inductam in Ecclesiam sola Pontificum authoritate, præsertim Melchiadis Papæ, à quo plurimum illa commendatur in Epistola ad Episcopos Hispaniarum, quæ habetur de consecrat. dist. 5. cap. 3. *De his.*

2. In ordine naturali sufficit homini iam nato cibus, & potus, vt augeatur, totámque virium perfectionem acquirat sufficientem ad omnes operationes vitæ naturalis, & ad totam ipsius perfectionem. Ergo similiter in ordine supernaturali, sufficit homini post Baptismum, per quem spiritualiter nascitur, cibus & potus spiritualis, quæ habentur per Sacramentum Eucharistiæ. Ergo perperam interseritur his duobus Sacramentis, Sacramentum aliud Confirmationis, quasi conseruatiuum, ac promotiuum perfectionis habitæ per baptismum.

3. Nullum Sacramentum institutum est specialiter ad inducendum perfectionem peculiarem; aut charitatis, aut spei quæ sunt virtutes nobiliores, quàm fides. Ergo multo minus est institutum Sacramentum peculiare, ad inducendam perfectionem fidei. Eo vel maximè, quia Baptismus est Sacramentum fidei, vt supradictum est, ideóque sufficienter stabilitur vnusquisque in fide, atque ad eius constantem professionem disponitur, per Baptismum, absque adminiculo alterius Sacramenti ad id ipsum ordinati. Quia Dei perfecta sunt opera, & consequenter, vnumquodque se solo est sufficientissimum in suo genere.

4. Sacramenta nouæ legis expressit Deus in lege veteri, per figuras, & similitudines congruentes, vt dictum est supra de Baptismo, & dicendum est infra de Eucharistia; eadémque consecrauit Christus Dominus, aliquo eorum vsu, vt esset perfectum nobis exemplar, cui conformaremur in vsu eorumdem Sacramentorum. Confirmationis autem, neque vlla figura præcessit in veteri testamento, neque eadem est vnquam vsus Christus Dominus, sicut vsus est Baptismo, & Eucharistia. Ergo Confirmatio non est Sacramentum nouæ legis.

5. Non constat, nec vllis indiciis deduci potest ex Euangelica narratione, quando Christus Dominus instituerit Sacramentum Confirmationis. Nunquam ergo illud instituit.

Art. 1. Respondetur. Dogmata, & mysteria nostræ fidei sunt in duplici genere. Alia namque sunt fundamentalia, & maximè ardua, vt mysterium Trinitatis Diuinæ, quæ est principium cæterorum omnium, mysterium Incarnationis Verbi Dei, à quo proueniunt omnia dona gratiæ, peccatum originale, à quo proueniunt causaliter omnia mala animæ, & occasionaliter omnia eadem dona gratiæ simul cum eorum authore Christo; atque hæc ipsa exorbitant vsque adeo ab ordine rerum naturali, vt sint creditu difficillima, & sic de similibus. Alia verò sunt dogmata, & mysteria, quæ ad priora illa consequuntur, nec sunt secundum se valdè difficilia creditu, sed facilè inducuntur in animum primis illis semel admissis, vt nemo, aut vix vllus fidem eis neget, prioribus illis admissus semel, atque retentis, neque ab istis recedat, præcisè ne cogatur illis assentiri. Huius generis sunt cultus, & veneratio Sanctorum Martyrum, imagines eorum, & similia. Quæ sunt prioris generis, oportuit exprimi in scriptura verbis immediatè dictatis à Deo, vt authoritas Diuinitatis magis conspicua, omnibúsque, & singulis non modo sententiis, sed etiam syllabis, & apicibus verborum suorum perfectissimè instruens intellectum, & permanentius obtutibus occurrens in Scriptura, impelleret fortius ad credendum, atque induceret perfectius ad exactam credendorum notitiam. Quæ verò sunt generis posterioris sufficit, vt innotescerent per traditionem, verbis pro libito electis ab vnoquoque tradente, & manentibus dispariter in audientibus pro captu cuiusque. Hac de causa in Sacramentis quoque diuersitas eiusmodi obseruata est, atque de Baptismo, qui est fundamentum cæterorum Sacramentorum plurimus habetur sermo in scripturis Canonicis, vt apparet ex multis illis testimoniis; quæ superiùs circa ipsum producta sunt; & similiter habentur in Euangeliis, & apud Apostolum loculentissima, & clarissima testimonia circa Sacramẽtum Eucharistiæ, quod est, & præstantissimum omnium Sacramentorum, & difficillimum, quod credatur, vt apparebit infra in eius expositione; Idémque ferè obseruare proportionaliter licebit, circa ea, quæ dicentur

dicentur de Sacramento Pœnitentiæ. Reliquorum verò Sacramentorũ notitia, quorum aut dignitas tanta non est, aut non est tanta difficultas, habetur præcipuè ex traditione, certè ea plurimum coadiuuante subsistit. Hæc igitur ratio est, ob quam, pleráque eorum, quæ spectant ad Sacramentum Confirmationis, deducenda potissimum sunt ex traditione, cuius extant indicia clara, & innegabilia in monumentis sanctorum Patrum, maximè vero in Conciliis.

Art. 2. Haud tamen obscurum eiusdem Sacramenti fundamentum desumitur ex sacris litteris. Ad ipsum namque pertinet illa sæpius repetita Christi Domini promissio de mittendo Spiritu Sancto, quæ expressius proponitur Ioan. 14. 16. *Ego rogabo patrem, & alium Paracletum dabit vobis, vt maneat vobiscum in æternum.* Nempe hæc promissio facta in primis Apostolis iam baptizatis, certè adimpleta est in die Pentecostes, idest multò postquam baptizati fuerant, vt apparet ex dictis supra quæst. 38. circa tempus institutionis Baptismi, & vsus eius, Deinde permanentia Paracliti in æternum in iis; ad quos mittendus erat, indicat promissionem non limitari personaliter ad Apostolos, sed amplecti totam seriem fidelium, & Ecclesiæ, quæ est permansura in æternum. Eadem hæc eius promissionis vniuersalitas colligitur iterum efficaciter ex indistinctione ipsius ab ea quæ fit apud Ioan. cap. 17. 7. *Paracletus non veniet ad vos. Si autem abiero, mittam eum ad vos.* Mittetur verò, & veniet cum ea sui influxus vniuersalitate respectu omnium, cum qua aderat is in cuius locum mittendus, & venturus erat, nempe in locum ipsius Christi Domini, qui venerat, & aderat pro omnibus, atque vt omnes de plenitudine eius acciperent. Demum ea promissio adimpleta est respectu Apostolorum in die Pentecostes, veniente super ipsos Spiritu sancto in linguis igneis. Quapropter eadem promissio intelligitur adimplenda sensibiliter respectu cœterorum etiam fidelium, quibus erat communis. Quod si Spiritus sanctus promittitur dandus sensibiliter fidelibus iam baptizatis, dandus vtique erat sacramentaliter fidelibus iam baptizatis nec enim Deus contulit Ecclesiæ suæ modum alium percipiendi sensibiliter Spiritum sanctum, quam sacramentalem, seu per Sacramenta. Superest igitur baptizatis post susceptionem Sacramenti, quo baptizati sunt Sacramentum aliud, cuius effectus peculiaris, sit peculiaris communicatio Spiritus sancti.

Art. 3. Promissionem Christi esse accipiendam hoc sensu, euentus ipse demonstrat satis. Quia Apostoli postquam modo dicto acceperunt Spiritum sanctum sibi promissum, perrexerunt eundem aliis, iam ante baptizatis dare; per signum sensibile, vt apparet clarè ex Act. 8. 15. vbi sic habetur: *Miserunt ad eos* (Samaritas) *Petrum, & Ioannem, qui, cum venissent, orauerunt pro ipsis, vt acciperent Spiritum sanctum. Nondum enim in quenquam illorum venerat, sed baptizati tantum erant in nomine Domini Iesu. Tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum sanctum.* Similiter, Act. 19. *cum inuenisset Apostolus quosdam baptizatos solo Baptismo Ioannis, primum iussit eos baptizari Baptismo Christi, & postquam baptizati erant, dedit eis Spiritum Sanctum per manuum impositionem.* Eadem realis datio Spiritus sancti per impositionem manuum, tanquam, per signum sensibile efficax, & practicum, apparet quodam modo dilucidius ex absurdo conatu Simonis magi, & iusta Petri reprehensione in dicto cap. 8. vbi subiicitur in hunc modum: *Cùm vidisset autem Simon, quia per impositionem manus Apostolorum daretur Spiritus sanctus, obtulit eis pecuniam, dicens: Date mihi hanc potestatem, vt impositero manus, cuicunque accipiat Spiritum sanctum.* Respondit autem Petrus reprobando oblationem pecuniæ, simúlque approbando dationem Spiritus sancti per manuum impositionem. *Pecunia, tua, inquit tecum sit in perditionem, quoniam donum Dei existimasti pecunia posse obtineri.*

Art. 4. Perabsurdè autem datio hæc Spiritus sancti acciperetur de datione eius per donum linguarum aut alias gratias datas, propter illud Act. 19. 6. *Postquam imposuit Paulus illis manus venit Spiritus sanctus super illos, loquebantúrque linguis, & prophetabant.* Hic enim effectus fuit particularis in illa particulari manuum impositione, non verò vniuersalis in vniuersali, & ordinaria manuum impositione. Alioquin enim verba illa consolatoria Christi. *Expedit vobis, vt ego vadam. Si enim non abiero, &c.* Essent omnino insufficientia pro scopo suo: Nec enim fuisset sufficiens, ad supplendam absentiam Christi ex quo proueniebat abundantia omnium gratiarum, sed maximæ gratiæ sanctificantis, missio Spiritus sancti, præcisè quatenus collaturi gratias gratis datas, quæ ad vtilitatem aliorum directè, & principaliter ordinantur. Accedit ad eandem Spiritus sancti promissionem & dationem pertinere, quod dicitur Lucæ 24. 49. *Sedete in Ciuitate, donec induamini virtute ex alto.* Virtus autem ex alto, non est profecto donum linguarum, sed abundantia gratiæ sanctificantis, coniuncta cum auxiliis actualibus adiuuantibus ad constantem fidei professionem, & propagationem. Accedit rursus, quod efficacius vrget, dationem Spiritus sancti per manuum impositionem fuisse communem omnibus baptizatis, vt constat ex locis præiudicatis. Act. 8. 9. & 19. Donum autem Linguarum & aliæ gratiæ gratis datæ, non conferuntur, nec conferebantur indiscriminatim omnibus baptizatis, vt constat ex 1. ad Corinth. 12. & Ephes. 4. Negari igitur non potest, quin Apostoli, & acceperint ipsi, & dederint aliis Spiritum sanctum sensibiliter; atque adeò institutum fuisse à Christo Domino signum aliquod sensibile, collatiuum Spiritus sancti respectu baptizatorum, eiusque collationis fuisse capaces omnes baptizatos, ex quo iam baptizati erant. Quia verò eiusmodi collatio Spiritus sancti erat manifestè diuersa à reliquis sex Sacramentis, atque signa sensibilia gratiæ adhibita vniuersaliter ab Apostolis respectu omnium baptizatorum, erant permanenter instituta pro toto deinceps tempore, pro quo permansura erat Ecclesia sensibilis, ac visibilis, atque indigentia fidelium futura erat eadem, certè nulla ex parte futura erat minor; colligitur Sacramentum specialiter collatiuum Spiritus sancti, atque diuersum à reliquis sex Ecclesiæ Sacramentis, institutum à Christo fuisse, atque viguisse ab initio nascentis Ecclesiæ, atque ita definitum est à Concilio Florent. in decreto Eugenij §. *Nouæ legis*, & à Trident. sess. 7. can. 1. tum de Sacramentis in genere, tum de Confirmatione, vltra alia plura Concilia, & vnanimem Sanctorum Patrum consensum, quæ exhibet inter alios luculenter Suar. disp. 33. sect. 1.

Art. 5. Constituta existentia huius Sacramenti, non potest in dubium reuocari, quod fuerit immediatè institutum à Christo Domino. A quo nimirum immediatè instituta esse omnia Ecclesiæ Sacramenta, est certum ex fide definiente id apertè Concilio Tridentino, iuxta dicta supra in communi quæst. 10. idémque docent in particulari de isto Confirmationis Sacramento Concil. Mogunt. cap. 17. & Conc. Senon. in decretis morum cap. 38. Dubitatur quo determinatè tempore instituerit. Dicendum autem videtur, institutionem hanc factam esse post passionem & ante Ascensionem Christi in Cœlum. Post passionem quidem, quia post ipsam collata est Apostolis à Christo Domino, potestas, & dignitas Episcopalis vt apparet ex Ioan. 20, 21. & 22. Neque verò credibile est prius vltimatè, & complete institutum fuisse istud

Sacra

Sacramentum quam instituerétur eius ordinarij ministri qui sunt soli Episcopi, vt dicetur quæst. 54. Ante Ascensionem verò quia Christus Dominus, Ante suam in Cœlos Ascensionem, iecit omnia principalia Ecclesiæ suæ fundamenta, quæ ad substantiam eius pertinent qualia procul dubio sunt omnia Sacramenta. Inter ea autem duo extrema, probabilis admodum videtur opinio Scoti, & aliorum reuocantium vltimam, & completam institutionem huius Sacramenti ad illud potissimum tempus, in quo Christus dedit Apostolis Spiritum sanctum, insufflando, & dicendo. *Accipite Spiritum sanctum*, Ioan. 20. Tunc enim cœpit potestas Apostolorum ad perficiendum, & conferendum hoc Sacramentum, atque inceptioni eius potestatis optima ratione deuincitur, inceptio ipsius Sacramenti. Dixi verò vltimam, & completam institutionem, tunc primum extitisse, quia negari non potest inchoatiuam quandam institutionem præcessisse prius in promissione Christi superius ponderata: *Si autem abiero, mittam eum ad vos*, vt aduertit D. Thomas quæst. 72. Art. 1. ad 1. vbi accipiendus proculdubio est de institutione solũ inchoatiua quanquam id non exprimat. Adumbrata itidem fuit, & quodammodo inchoata eadem institutio, vt insinuat Concilium Senonense nuper relatum, quando Matth. 19. 12. *oblati sunt ei paruuli, vt manus eis imponeret, & oraret.* Vsus autem eiusdem Sacramenti videtur cæpisse post resurrectionem, & Ascensionem Christi, & non prius, vt obseruat D. Thomas in eadem illa responsione ad 1. Quia in hoc Sacramento confertur plenitudo Spiritus sancti, quam non decebat conferri ante plenam glorificationem Christi; iuxta illud Ioan. 7. 39. *Nondum erat spiritus datus, quia Iesus nondum erat glorificatus.*

Art. 7. Quod autem hoc Sacramentum sit perfectiuum Baptismi, docet in primis expresè Dion. c. 4. de Ecclesiastica Hierarchia, vbi illud vocat *diuinæ generationis sacro sanctam perfectionem*, & præterea colligitur ex eo quod Apostoli baptizatis omnibus conferrent immediatè Sacramentum Confirmationis, vt liquet ex locis Actorum superius indicatis, vtique vt primum illud opus perficerent, & quasi complerent vltimo, per opus istud posterius. Quod autem, perfectio ista Baptismi consisteret in augmẽto virtutis, ac roboris ad fortem, & constantem professionem fidei, docetur disertè à Concilio Florentino in prædicto Eugenij decreto §. *secundum Sacramentum*, vti exponetur, & confirmabitur magis q. 56. Interim sufficiant verba Melchiadis Papæ in Epistola illa ad Hispaniarum Episcopos c. 2. *Spiritus sanctus, qui super aqua Baptismi salutifero descendit lapsu, in fonte plenitudinem tribuit ad innocentiam; in Confirmatione, augmentum præstat ad gratiam; in Baptismo, regeneramur ad vitam; post Baptismum, confirmamur ad pugnam; in Baptismo abluimur, post baptismum roboramur*; & rursus: *Confirmatio autem armat, & instruit ad agones mundi huius & prælia reseruandos.* His autem ita constitutis liquidò apparet Confirmationem rectè definiri; *Sacramentum perfectiuum Baptismi, per augmentum virtutis ad constantem professionem fidei.* Cui definitioni explicandæ, & commendandæ facilè quiuis applicare potest, quæ dicta sunt supra in simili circa ipsum Baptismum, quæst. 31.

Ad 1. Ex doctrina præmissa supra art. 1. apparet satis, quo pacto accipienda sit sententia illa Augustini. Apparet præterea ex dictis ab art. 2. ad 5. institutionẽ, & existentiã Sacramenti Confirmationis, & vtriusque fidem, inductam non esse absque magno fundamento in Sacris litteris. Illi verò errãt turpissimè, qui initium Confirmationis reuocant, vel ad Melchiadem Papam, vel ad Concilium Meldense, quando ex clarissimis testimoniis, quæ producũt Suar. & aliis in præsenti; constat hoc Sacramentum longè ante vtriusque tempora communi Ecclesiæ vsu fuisse receptum, tempore Clementis, Vrbani, Fabiani, Cornelij, Cypriani, Eusebij, & aliorum. Immo constat ex locis Actorum superius ponderatis, tempore Apostolorum idem sacramentum in vsu fuisse.

Ad 2. Etiam in ordine naturali, si quod recens nato immineat periculum peculiare amittẽdæ vitæ, indiget peculiari præsidio, vltra cibum, & potum ordinarium. Regenerato autem per Baptismum imminet multiplex periculum amittendæ vitæ spiritualis, ex multiplici occasione peccandi, maximè verò imminet periculum amittendæ fidei, quæ est fundamentum totius vitæ spiritualis, propter multiplicem difficultatem interius & exterius exurgentem aduersus ipsam. Indiget igitur ad hoc peculiari huius sacramenti præsidio, vltra cibum, & potum Eucharisticum.

Ad 3. Nulli vnquam multùm displicuit, quod verus Deus diligeretur ab aliis super omnia, quodque spes firma collocaretur in eodem, nec propterea directè ad iram, & persecutionem incensus vnquam est aliquis aduersus aliquem. Multis verò plurimum omni tempore displicuit professio fidei Christi; & horribiles aduersus ipsam persecutiones excitatæ sunt, & nunc quoque suauissimæ exercentur, oportuit ergo vt peculiari Sacramento munirentur, athletæ Christi, ad professionem potissimum fidei, vnde indirectè præmunirentur sufficienter ad veræ quoque dilectionis, & spei, aliarúmque virtutum exercitium.

Ad 4. Sacramentum Confirmationis confert perfectionem, & plenitudinem gratiæ baptismalis. *Nihil autem ad perfectum adduxit, lex vt* habetur ad Hebr. 7. 19. propterea nihil potuit aptè correspondere huic Sacramento in veteri testamento. Rursus Christus Dominus fuit ab initio plenus Spiritu sancto, ideoque non debuit Sacramentum suscipere collatiuum plenitudinis gratiæ. Immo decuit, vt eandem plenitudinem aliis etiam conferret per seipsum immediatè, independenter à Sacramenti vsu, vt pote existens author Sacramentorum omnium, eorúmque omnes effectus præhabens in se immediatè. Qua de causa solo Eucharistiæ Sacramento, propter peculiarem eius dignitatem, legitur, & meritò creditur vsus fuisse, immediatè per seipsum.

Ad 5. Patet ex dictis supra.

---

## QVÆSTIO LII.

### *Vtrùm materia Confirmationis sit Chrisma ex Oleo, & Balsamo consecratum per Episcopum.*

VIdetur non esse. 1. Quia Spiritus sanctus, cuius est collatiuum hoc Sacramentum datus est Apostolis per applicationem ignis, nempe apparentibus linguis igneis super ipsos; atque ab eisdem Apostolis datus est per manuum impositionem, vt dictum est, ac confirmatum testimonio Luc. in q. præced. Ergo hoc Sacramentum admoto igne vel sola manuum impositione, & non vnctione olei, ac balsami perfici debet.

2. Confirmatio est perfectiua Baptismi, & debet conferri omnibus baptizatis. Ergo materia eius debet esse aliquid simplex, sicut est simplex aqua, quæ est materia Baptismi, vt nimirũ perfectiuum, sit conforme perfectibili: & rursus debet esse aliquid non minùs vbique obuium; quam sit vbique obuia aqua. Chrisma, autem ex oleo, & balsamo nec est aliquid simplex, vt patet, nec oleum vbique prouenit, & multo minus balsamum, dicente Plin. *Balsamum vni terrarum Iudææ concessum est, quondam in duobus tantum hortis, vtroque Regio, altero iugerum viginti non amplius, altero pauciorum.*

3. Sacra

3. Sacramentum ex suo conceptu est signum gratiæ sensibile, ac discernibile ab omnibus. Ergo materia Sacramenti ex suo conceptu est sensibilis, ac discernibilis ab omnibus. Balsamum autem verum, est difficilè discernibile à falso, vt affirmant periti. Ergo balsamum non est materia necessaria huius Sacramenti.

Confirmatur ex cap. *Pastoralis, de Sacramentis non iterandis*, vbi Innoc. I i I. rogatus; an iterandum esset Sacramentum Confirmationis, non chrismatis, sed sola olei simplicis vnctione peractum? Respondet *nihil esse iterandum, sed cautè supplendum quod incautè fuerat omissum.* Totum autem iterandum fuisset, si balsamum quod non fuerat adhibitum, esset materia essentialis. Secundò Cypr. epist. 70. August. lib. 5. de Bapt. cap. 20. Innoc. 1. ep. 1. cap. 3. & alij, chrisma necessarium ad Confirmationem; appellant oleum benedictum; mixtum autem, non rectè significatur nomine simplicis. Ergo mixtio balsami non est de necessitate huius Sacramenti. Tertio solum oleum significat sufficienter effectum Confirmationis, nempe robur militare ad professionem fidei firmam, & constantem. Quod autem sufficit ad significandum effectum Sacramenti, eo ipso sufficit ad constitutionem, & valorem eiusdem Sacramenti. Quartò tam modica pars balsami communiter admiscetur oleo, vt non peruadat omnes eius partes, atque intra breue tempus transmutetur in ipsum, & corrumpatur. Ergo de facto perficitur istud Sacramentum solo oleo, saltem, vt plurimum. Dici verò nequit toties nulliter perfici iuxta praxim Ecclesiæ communem. Quintò Paulus I I I. vt referunt Suarez, & ali concessit priuilegium Episcopo Indico, illud petenti, vt pro confirmatione vteretur liquore inibi proueniente, de quo dubitatur, an esset verum balsamum. Nihil autem operari potuisset priuilegium, si verum balsamum esset materia necessaria huius Sacramenti. Postremò Concilium Arausicanum, 1. can 1. Statuit, vt chrismatus in Baptismo, non chrismetur iterum in comfirmatione, sed solum imponatur illi manus ab Episcopo. Ergo vnctio chrismatis non est de essentia huius Sacramenti, sed sola manus Episcopalis impositio, vt infert Syrmundus, vsus insuper testimoniis Hieronymi, Augustini, Gennasij, Hilarij vocantium confirmationem impositionem manus.

4. In Sacramento Eucharistiæ miscetur aqua vino, sicut in Confirmatione miscetur balsamum oleo. Ergo sicut nihilominus solum vinum est de substantia Eucharistiæ, ita etiam in Confirmatione, vel solùm oleum, vel solùm balsamum est de substantia eius.

5. Consecratio, seu benedictio Chrismatis est sacramentale quoddam, sicut benedictio aquæ baptismalis, nec non panis & vini Eucharistici. Posteriores autem istæ benedictiones non sunt de necessitate Sacramenti. Ergo nec prior benedictio: sed omnes vniformiter sunt de necessitate præcepti tantum.

6. Simplex Sacerdos potest consecrare Eucharistiam potestate ordinaria, & similiter potest, potestate saltem delegata à summo Pontifice perficere Sacramentum Confirmationis, vt infra dicetur. Ergo potest etiam consecrare, seu benedicere validè, & sufficienter materiam ipsius Confirmationis, saltem ex concessione summi Pontificis. Patet consequentia, quia, qui potest plus, potest etiam minus intra idem genus. Confirmatur ex Concil. Tolet. 1. can. 20. vbi præmisso in quibusdam Prouinciis Presbyteros dici Chrisma conficere subiungit: *Placuit ex hac die nullum alium nisi Episcopum Chrisma conficere*: Supponit ergo consecrationem factam à Presbytero valere, solúmque præcipit, ne id fiat. Ergo quòd Chrisma sit benedictum ab Episcopo, non est de necessitate Sacramenti; sed solùm de necessitate præcepti.

7. Non est credibile omnia ea, quæ habentur in Rituali Romano pro benedictione Chrismatis esse de essentia Sacramenti. Nullum verò est indicium, quod vna pars potius quam alia sit de essentia. Nulla igitur est de essentia. Accedit Christum Dominum nihil hac in re determinasse. Quæ autem sunt de essentia Sacramentorum omnia sunt determinata à Christo Domino, nec vlla relicta est potestas Ecclesiæ, vt circa illa aliquid disponat aut determinet, vti dictum est supra communi ex sensu, & attestatione Conc. Trid.

8. Si oleo benedicto superinfundatur oleum non benedictum, valet deinde Sacramentum, tametsi perficiatur solo oleo superinfuso. Ergo similiter valeret perfectum oleo nec benedicto, nec permixto cum benedicto. Patet consequentia, quia permixtio non facit, vt sit benedictum, quod miscetur benedicto, sicut mixtio vini non consecrati cum consecrato, non facit, vt vinum, quod superadditur, ac miscetur, sit itidem consecratum. De antecedenti constat ex praxi communi Ecclesiarum, & ex cap. *Quod in dubijs* de consecrat. Eccles. ex Pastorali Leonis X. cap. 7. & ex Rituali Romano, Pauli 5. §. *habeat* de Sacramento Extremæ-Vnctionis.

Art. 1. Respondetur. Materia proxima huius Sacramenti exponetur commodiùs simul cum forma in quæst. sequenti: Remotam exponit, ac determinat dilucidè Conc. Florent. in decreto Eugenij, his verbis: *Secundum Sacramentum est Confirmatio, cuius materia est Chrisma confectum ex oleo, quod nitorem significat conscientiæ, & balsamo, quod odorem significat bonæ famæ per Episcopum benedicto.* Cui quidem vsque adeò plenæ, ac planæ Concilij Ecumenici declarationi, ac definitioni, nullius, aut rationis, aut authoritatis prætextu, ita insidiari vlla ex parte licet, vt eximatur à necessitate Sacramenti, soliúsque præcepti necessitati adiudicetur, aut oleum, aut balsamum, aut mixtio vtriusque, aut Episcopalis benedictio, supra vtrumque sic mixtum, quando Concilium hæc omnia, sub nomine materiæ huius Sacramenti, vniformiter, comprehendit, atque ista sua vniformitate, cuiuis circa eadem diuersimodè opinandi licentiæ aditum penitus intercluserit.

Art. 2. Quod tamen intellectum volo, salua probabilitate, quæ inest ab extrinseco nonnullis plurium Theologorum opinionibus, ac interpretationibus in contrarium, vt paulo post notabitur. Verum quominus illis assentiar hoc præterea efficaciter obstat, quod idem Concilium, in exponendis reliquis omnibus Sacramentis ea solum sub nomine materiæ, & formæ comprehendit, quæ ex institutione Diuina ad substantiam eorum pertinent, vt innotuit supra circa Baptismum, & innotescet in decursu circa reliqua, dum de singulis dicetur. Certè circa Sacramentum Eucharistiæ, in quo similis mixtio vini, & aquæ adhibetur, cautè distinguit, quod est necessarium necessitate Sacramenti, ab eo, quod est necessarium sola necessitate præcepti, dicens materiam esse vinum de vite, cui modicissima aqua admisceri debet, vt obseruabitur infra quæstione 59. Quænam autem ratio suadere, aut etiam permittere potest: vt in hoc solo Sacramento secus factum esse arbitremur? Dicendum itáque est omnia ea, quæ Concilium vniformiter exprimit, vniformiter ad materiam huius Sacramenti pertinere; nempe oleum, & balsamum, mixtionem vtriusque, & Episcopalem benedictionem seu consecrationem; atque hæc omnia ita esse necessaria necessitate Sacramenti, vt quolibet eorum deficiente, Sacramentum non subsistat.

Art. 3. Rationem ob quam oportuit, vt talis institueretur materia pro isto Sacramento, reddit optimam D. Thomas, quæst. 22. art. 2. & 3. Oleum enim in primis est significatiuum abundantis gratiæ, per

quam baptizatus perducitur spiritualiter ad complementum ætatis perfectæ, & roboratur ad constantem professionem fidei. Qua de causa Christus Dominus dicitur vnctus oleo lætitiæ, propter plenitudinem Spiritus sancti, quam accepit ab initio, atque olim Athletæ vngebantur oleo ante luctam, vt obseruat Arcurius & alij. Mixtio balsami fit itidem admodum conuenienter, quia constans, ac firma professio fidei, confert plurimum ad ædificationem confortatiuam fidelium, quæ ædificatio significatur analogia peridonea per fragrantiam odoris, vel maximè inest balsamo, & redundat ad alios. Qua de causa dicit Apostolus 2.ad Corinth.2.15. *Christi bonus odor sumus.* Quod autem odor significatiuus ædificationis præseruantis à corruptione præmineat in balsamo,apparet ex illo Eccles. 24. 21. *Quasi balsamum non mixtum odor meus.* Dicitur verò non mixtum in hoc loco, per exclusionem eorum, ratione quorum languet vis odorifera propria balsami. Non est autem huiusmodi oleum oliuarum. Quia cum sit valdè calidum, ac facilè inflammabile nihil nocet odori, qui fouetur calido, & sicco. Conuenienter demum superaddita est benedictio Episcopalis. Quia expedit materias Sacramentorum antequam adhibeantur ad vsum vsque adeò Sacrum, esse discretas à rebus profanis, seu quibus ad vsus profanos, vti licet. Id enim confert plurimum ad excitandos, ac eleuandos animos, eosdémque disponendos, provt expedit esse dispositos, ad perficiendum decenter Sacramentum, vtque illi decenter adsint, quicunque adsunt.

Art. 4. Hac ratione Christus Dominus voluit per se ipsum immediatè Sanctificare materiam Baptismi, qui est fundamentum reliquorum omnium Sacramentorum, dum per contractum aquæ voluit baptizari in Iordane,quia, vt dicit Ambros. lib.2. in. Luc.cap. vltim. *Baptizatus est Dominus non mundari volens, sed mundare aquas, vt ablutæ per carnem Christi, quæ peccatum non cognouit; baptismatis ius haberent.* idem exprimit significantius August. Serm. 36. de tempore. *Filium genuit mater, & Casta est, Christum vnda lauit, & sancta est. Et rursus. Illa meruit ne pecaret:ista,vt peccata purgaret: Illi est collata Virginitas isti donata fœcunditas.* Hinc Beda lib. 1. in Luc. caput 10. pronunciat, *aquas ablutas, per carnem Christi peccati nesciam, Baptismi ius induisse, & vim regenerationis sanctificationis concepisse*; similiter pro Sacramento Eucharistiæ, quod est præstantissimum inter omnia Sacramenta,benedixit idem Christus Dominus, tum panem, tum deinde Calicem, vt habetur Matth. 26. & Luc. 22. Ex eiusmodi enim excellenti, & sanctificatione, & benedictione immediata Christi Domini,effectum est,vt cuiuslibet deinde aquæ seu panis,& vini separatione,aut adhibitione ad vsum Sacramenti, excitetur memoria prioris seu sanctificationis, seu benedictionis Christi Domini in re simili, vtque inde eleuetur, ac disponatur decenter animus ad Sacramentalem operationem. Effectum certè est, vt Christus Dominus prouiderit sufficienter,quantum est de se, prædictæ bonæ, ac decenti animæ dispositioni. In reliquis Sacramentis semper interuenit, aliquid simile. Quia in Sacramento Pœnitentiæ exterior peccatorum confessio, sanctificatur per internum dolorem supernaturalem de illis. In Sacramento ordinis,omnia quæ adhibentur præsupponuntur consecrata, seu aliqualiter benedicta, vt dicetur in loco. In Sacramento Matrimonij corpora contrahentium præsupponuntur similiter sanctificata per ablutionem baptismalem. In Sacramentis igitur Confirmationis, & Extremæ-Vnctionis, quorum materia non est aliunde benedicta, seu aliqualiter eleuata, ac discreta à materia profana, oportet,vt præmittatur benedictio, seu consecratio Episcopalis, quatenus Episcopi sunt Principes Ecclesiæ, & substituuntur Christo Domino, quoad principales functiones Ecclesiasticas,quarum vna est consecratio materiæ secundum se profanæ, vt sit idonea ad vsum sacrum. Patet igitur omnia prædicta simul esse optima ratione, determinata pro materia substantiali atque omnino necessaria huius Sacramenti.

Ad 1. Christus Dominus propter potestatem excellentiæ contulit effectus Sacramentorum absque Sacramentis. Quia videlicet miraculis, maximè verò circumstantiis, & prærogatiuis operantis, supplebat aliunde vim excitatiuam pietatis, quæ inest materiis, & formis Sacramentorum iuxta dicta supra in communi, quæst. 11. Vnde solo dignatus est vti per seipsum Sacramento Eucharistiæ, in quo solo ipse adest. Similiter Apostoli, si quando contulerunt effectum huius Sacramenti absque materia eius ordinaria, perque solam manuum impositionem, suppleuerunt defectum huius adminiculi piæ animorum excitationis, per miracula,& per visibilem illapsum Spiritus Sancti, vt tradit D.Thomas in dicto art.2.ad 1. illud Actor. 2. 11. 15. *Cum cœpisset loqui cecidit Spiritus sanctus super eos, sicut, & in nos initio.* Videtur verò probabilius, quod pluribus persuadent Bellarminus, Suarez, Valentia, Coninch, Auersa in præsenti. Apostolos nunquam contulisse effectum huius Sacramenti, absque tota eius materia superius explicata, vti colligitur ex Patribus coætaneis, vel proximè succesoribus Apostolorum Dionysio de Eccles. Hierarch. cap.4. Clemente Rom. lib.7. Const. Apost. cap.44.& 45. Fabiano Papa epist.2. id licet restringat Diuus Thomas ibidem, ad collationem prædicti effectus, quando non simul exhibebant signa miraculosa suppletiua materiæ ordinariæ.

Art. 2. Deinde, tum Apostolis à Christo Domino, tum aliis fidelibus Apostolis collatus est effectus huius Sacramenti interueniente semper aliqua re sensibili, eandem significationem præ se ferente, quæ conuenit chrismati ex oleo, & balsamo. Quia Spiritus sanctus descendit super Apostolos in specie linguarum ignis. Ignis autem, & oleum, quatenus est proximè ignibile, eodem referuntur, nisi quod in igne præualet magis vis actiua, in oleo verò, vis passiua, atque efficacia linguæ maiori vi sensum peruadit, quam odor; atque Apostolis collatus est Spiritus Sanctus cum maiori actiuitate erga alios, quam cæteris fidelibus. Dictum similiter est,si quando Apostoli contulerunt effectum huius Sacramenti absque materia eius ordinaria, adhibuisse signa visibilia illapsus Spiritus sancti, quæ procul dubio aut excitatiua, ac instructiua animarum, vt minimum, quantum est idonea materia ordinaria, ad pias excitationes, & instructiones animarum. Vnde, nec mirum,nec incredibile videri potest, quod Deus dispensauerit cum Apostolis, quoad obligationem adhibendi semper materiam ordinariam, atque pro cæteris ministris futuram vniuersaliter omnino necessariam,quandoquidem illis contulit potestatem ad alios mirabiles salutares effectus, quibus abundè supplerent defectum eius materiæ.

Ad 2. Baptismus est multo magis necessarius ad salutem, quam Confirmatio, atque ordinatur directè ad solum bonum priuatum cuiusque, & ad vitam spiritualem simpliciter, & secundum se cum Confirmatio superducat perfectionem redundantem in alios, per constantiam pugnæ spiritualis cum aduersariis fidei. Ad significandum igitur additamentum istud perfectionis, oportuit materiam Confirmationis esse mixtam, ex liquore, & confortatiuo, & odorifero, cum ob rationem contrariam oportuerit materiam Baptismi esse simplicem. Ratione verò maioris necessitatis Baptismi, oportuit materiam eius esse magis

obuiam.

obuiam. Verum, neque oleum simul, & balsamum sunt materia vsque adeò peregrina, vt adhibita diligentia moraliter possibili non possit vbique haberi in quantitate sufficienti. Quod ipsa experientia manifestè demonstrat. Quia ab initio nascentis Ecclesiæ omnibus temporibus reperire potuerunt eius ministri atque repererunt de facto, quantum absolutè sufficeret, vt constat de primo quidem Ecclesiæ sæculo, ex locis nuper indicatis Dionysij, Clementis Romani, atque Innocentij I. de reliquo verò deinde cursu Ecclesiæ, tum ex Pontificibus semper exigentibus vbique eiusmodi materiam, tum auctoribus fide dignis perhibentibus apud Suarez, Bellarminum, & alios in præsenti repertam illam fuisse semper, quanta absolutè sufficeret. Quare quod dicit Plinius, de raritate, & paucitate balsami fuerit fortassis verum pro tempore antecedenti promulgationem Euangelij, sed post ipsam maior in pluribus partibus copia succreuit, atque modo reperitur etiam in Indiis satis abundanter. Deinde balsamum commodè, & facile transfertur de aliis in alias partes, atque modica eius quantitas sufficit pro magna olei quantitate.

Art. 1. Ad 3. Balsamum est maximè sensibile propter eximiam eius fragrantiam. Neque verò est vsque adeo difficulter discernibile verum à falso, propter eandem maximam sensibilitatem qualitatum, quibus præditum est. Accedit, pro Sacramentis licitè, ac laudabiliter perficiendis sufficere discretionem materiæ legitimæ moraliter certam, ad quam obtinendam non requiritur peritia extraordinaria, sed sufficit, & diligentia, & peritia ordinaria, quæ in pluribus facilè reperitur Nulla igitur probabilis hinc ratio duci potest ad excludendum balsamum à materia necessaria huius Sacramenti.

Art. 2. Ad primam Confirmationem Innocentius 1. cautè expressit in eo loco, quod cautè fieri præscripsit. Nec enim determinauit præcisè, quidnam esset supplendum, sed solum dixit, quasi in genere, supplendum esse, quod fuisset omissum, & nihil esse iterandum. Quod verum est, siue fuisset omissum totum, seu, quod eodem recidit, fuisset omissum aliquid substantiale, siue fuisset omissum aliquid accidentale, pertinens ad solam solemnitatem Sacramenti. Quare nullum inde argumentum confici potest, circa qualitatem determinatam materiæ necessariæ necessitate Sacramenti.

Art. 3. Ad secundam Confirmationem. Dum agitur de Sacramentis, déque aliis eiusmodi rebus, quæ constant ex pluribus partibus, nominata vna aliqua earum, eo ipso intelliguntur reliquæ partes, quarum, quatenus pertinentium ad totum, de quo est sermo, datur communis omnium, & vulgaris notitia. Hac igitur ratione illi Sancti PP. expresso oleo pro Chrismate Confirmationis; subintelligunt balsamum, sicut subintelligunt formam expressa sola vnctione, vti frequenter faciunt. Eadem ratione in actis Apostolorum, & alibi dum exprimitur manuum impositio, subintelliguntur forma atque vnctio olei cum balsamo. Qui modus loquendi est omnibus admodum familiaris breuitatis gratia. Quod attinet ad tertiam Confirmationem constat ex art. 3. responsionis ad quæstionem non significari sufficienter solo oleo totum effectum huius Sacramenti. Ad quartam. Sufficit pro eadem significatione, quod odor balsami admixti oleo peruadat omnes eius partes, ideoque balsamum omnibus, & singulis eius partibus sit moraliter admixtum, licet aliquibus non admisceatur physicè; ac deinde perficiatur nonnunquam Sacramentum absque contractu physico balsami. Si verò balsamum corrumperetur quoad substantiam, non perficeretur validè Sacramentum, eaque de causa præcipitur ab Ecclesia, vt renouetur Chrisma quotannis. Nempè balsamum certissimè perseuerat per annum, tametsi exigua pars eius admixta fuerit, quia est difficilis corruptionis. Quod in quinta Confirmatione dicitur de priuilegio concesso à Paulo III. accidit quando balsamum Indicum nondum erat receptum in vsum communem Ecclesiarum pro isto Sacramento, idque solum efficit priuilegium Pontificium, nec peccaret Episcopus singularitatis vsus materiæ nondum approbatæ, vel sensu communi, vel iudicio, & assensu Sedis Apostolicæ.

Art. 4. Ad postremam Confirmationem canon ille Arausicani est valde obscurus, quia non satis constat, qualis determinatè esset abusus. Præsbyterorum vngentium baptizatos immediatè post baptismum, quem abusum prohibet Concilium imposterum. Intentio tamen Concilij colligi potest ex ordinationibus Leonis I. sub quo celebratum fuit illud Concilium, & Innocentij I. proximi, tametsi non immediati prædecessoris. Innocentius enim epist. 1. ad Decentium cap. 3. *Præsbyteris*, ait, *chrismate baptizatos vngere licet, sed quod ab Episcopo fuerit consecratum, non tamen frontem ex eodem oleo signare. Quod solis debetur Episcopis cum tradunt Spiritum sanctum Paraclitum.* Idem statuit distinctius Leo I. epist. 86. alias 88. dicens solis Episcopis non item Presbyteris licere, vt dent Spiritum sanctum per manus impositionem, & vngant chrismate in fronte. Ex his igitur coniici potest Arausicanum ex mente Pontificum prohibuisse, ne Presbyteri vngerent baptizatos in fronte, quasi daturi Spiritum sanctum, sed vngerent in vertice, vti etiam fieri modo consueuit, atque ita reseruaretur Episcopis impositio manus, subintelligendo simul vnctionem chrismatis in fronte, quam itidem exprimit Leo. Quod ipsum est subintelligendum apud eos Sanctos PP. Quorum testimoniis perperam vtitur Sirmundius pro sua Concilij Arausicani interpretatione de collatione huius Sacramenti per solam Episcopalem manus impositionem longo vtcunque post collatum Baptismum tempore, & vnctionem in fronte factam tunc à Presbytero. Nempe illi Patres, sicut, & ipsum Concilium expressa manus impositione, complectuntur tacite vnctionem in fronte, vti nuper dictum est art. 3. Non nego tamen probabilem vtcunque esse opinionem Caietani, & aliorum apud Franciscum de Lugo lib. 3. cap. 1. quæst. 1. de hoc Sacramento, dicentium ob argumenta, quibus modo satisfactum est solum oleum esse materiam essentialem, & sufficientem huius Sacramenti, atque balsamum esse necessarium sola necessitate præcepti.

Ad 4. Notatum supra est, quanta cum diuersitate tradat Concilium Florentinum mixtionem balsami pro hoc Sacramento, & mixtionem aquæ pro Sacramento Eucharistiæ. Reddita præterea est supra ratio conuenientiæ, & necessitatis balsami, pro significando effectu proprio, & peculiari huius Sacramenti, atque infra quæst. 56. reddetur ratio ob quam non sit vsque adeo eundem in finem necessaria mixtio aquæ, pro Eucharistia.

Ad 5. Patet ratio discriminis ex dictis supra ad quæst. art. 4.

Ad 6. Esto sit aliquatenus probabilis opinio Caietani dicentis, valide perfici hoc Sacramentum Chrismate benedicto per simplicem Sacerdotem, atque quorundam aliorum dicentium, summum Pontificem absolutè posse eatenus dispensare, atque delegare simplici Sacerdoti eiusmodi benedictionem, tenenda nihilominus est sententia communis contraria, quæ tradita est superius cum D. Thoma in hac q. 72. art. 3. Certè paritas ex potestate ordinaria conficiendi Eucharistiam, & delegata perficiendi hoc ipsum

Sacramentum, nihil conuincit. Quia potestas ad maius, & ad minus simul est maior, quam potestas solum ad maius. Patet autem non valere argumentum à minori ad maius affirmatiuè. Præterea consecratio præparatoria materiæ sacramentalis, habet vniuersalitatem quandam, quatenus materia inde remanet idonea vbilibet, & respectu cuiuslibet adhibetur ad perficiendum Sacramentum; ipsa verò perfectio Sacramenti est quid vndequaque indiuiduale, & restrictum; vt patet. Eiusmodi autem vniuersalitas, & amplitudo operationis, est propria Episcopalis dignitatis, vtpote vniuersalioris, ac amplioris ex sua natura, tametsi eadem operatio ex aliis titulis sit minus excellens. Iam Concilium Toletanum, vel nullam voluit superaddere nouam prohibitionem, sed solam de nouo intimare diuinam, supposito eam dari; vel loquitur, quod forte est probabilius de consecratione Chrismatis; quod soli deseruiret Baptismo. Hoc enim Chrisma potest valide consecrari à simplici Sacerdote, licet vt is illud consecret, sit contra ritum Ecclesiæ, ideoque merito potuerit prohiberi à Concilio.

Ad 7. Conceditur non esse de necessitate Sacramenti, vt in benedictione chrismatis obseruentur ea omnia, quæ habentur in rituali communi. Id quod supponunt communiter, vt certum Theologi in præsenti. Quapropter standum videtur communiori sententiæ dicenti, sufficere, quod ad valorem Sacramenti attinet, qualemcunque benedictionem Episcopi, cum inuocatione Spiritus sancti ad arbitrium ipsius, atque ritum determinatum communem Ecclesiæ esse necessarium sola necessitate præcepti. Nulla namque est sufficiens auctoritas, quæ cogat, aut iuuet ad dicendum aliud.

Ad 8. Certum est ex textibus ibi indicatis, oleum non benedictum semper infusum maiori quantitati Chrismatis benedicti, consequi eo ipso vim benedictionis, totúmque manere æquè benedictum. Quia post mixtionem omnes partes fiunt eiusdem moraliter rationis quoad ea quæ dependent ex denominatione extrinseca, & eatenus minor pars sequitur conditionem partis maioris ex intentione primitus benedicentis, vel Ecclesiæ, & Christi. Eadem porro ratio est, si repetitis sæpius additionibus, tota quantitas superaddita euadat maior, quam quantitas primitus consecrata seorsim, dummodo singulis vicibus quantitas superaddita sit minor, qua tota quantitas immediatè præexistens cum benedictione. Non autem est eadem ratio de additione vini consecrati ad accidentia vini consecrati. Quia in vino Eucharistico esse, vel non esse consecratum, non est denominatio extrinseca, & diuersitas penes aliquid purè intentionale, sed est diuersitas substantialis, & quoad esse physicum intrinsecum. Patet vero posteriorem istam diuersitatem non posse induci sola mixtione sicut potest induci prior diuersitas. Vnde nec paritas, nec ratio obiectionis concludit eius intentum.

## QVÆSTIO LIII.

### *Vtrùm forma huius Sacramenti sit instituta determinatè à Christo Domino?*

VIdetur esse non instituta immediatè à Christo Domino, sed inducta esse auctoritate, & electione libera Pontificum, aut inferiorum Episcoporum. Quia quæ sunt instituta à Christo Domino, semper, & vbique obseruantur vniformiter ab omnibus catholicis; & si secus fiat, fit nulliter; forma autem huius Sacramenti multipliciter, fuit & est varia. Primum enim in edicto Constantini dicitur ipsum Constantinum, confirmatum fuisse à Syluestro sub hac forma verborum. *Signet te Deus sigillo fidei suæ in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti in cognitione fidei.* Deinde Ambrosius lib. 2. de Sacram. cap. vlt. formam huius Sacramenti dicit esse: *Deus qui te regenerauit, omnipotens, concessitque tibi peccata tua, ipse te vngat in vitam æternam.* Rursus Dionys. cap. 4. de Eccles. Hierarchia, Augustinus lib. 15. de Trinit. cap. 16, aliique SS. PP. solam adiungunt vnctioni orationem præuiam Episcopalem, quasi sufficiat qualiscunque oratio, & petitio aduentus, seu infusionis Spiritus sancti, idque confirmat August. ex illo act. 7. 15. *Orauerunt pro ipsis, vt acciperent Spiritum sanctum* addens: *Quem morem in suis præpositis, etiam nunc seruat Ecclesia.* Præterea in Rituali antiquo, qui dicitur. Ordo Romanus, habetur hæc forma: *Signa eos Domine signo Crucis. Ego te confirmo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* Demum in Euchologio Græcorum hæc sola verba præscribuntur. *Signaculum Spiritus sancti*, eadémque sola vsurpari in Ecclesia Græca, sempérque vsurpata fuisse à Græcis omnibus catholicis constat ex Arcudio lib. 2. concordiæ cap. 6. 7. atque idem auctor, nec non Martinon, & alij in præsenti multis, & magnis argumentis ostendunt, formam istam Græcorum, sufficere pro valore Sacramenti. Hæc autem omnia differunt plurimum, tum inter se, vtpatet, tum à forma, qua modo vtitur Ecclesia latina, vt mox patebit. Nullam igitur formam huius Sacramenti instituit determinatè Christus Dominus, immediatè per se ipsum.

Art. 1 Respondetur. Eadem claritate, qua Concilium Florentinum expressit materiam remotam huius Sacramenti loco indicato in quæst. præcedenti initio exprimit etiam formam eius, dicens; forma autem est, *Signo te signo Crucis, & confirmo te Chrismate salutis in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* Et quidem istam formam esse sufficientem pro valore Sacramenti, est certum ex fide, neque de hoc quisquam vnquam dubitauit, propter testimonium Concilij vsque adeò clarum & propter vniuersalem vsum Ecclesiæ latinæ, & quia in hac forma continetur, ac exprimitur, quidquid habetur in reliquis formis, aut quasi formis nuper memoratis. Eandem quoad omnes suas partes esse necessariam necessitate Sacramenti, ita vt Sacramentum nulliter perficiatur, si nec formaliter, nec æquiualenter adsit aliqua pars prædictæ formæ, communiter est Theologorum sententia cum D. Thoma q. 22. art. 4. Quod comprobatur efficaciter auctoritate Concilij dicentis, illa omnia verba indiscriminatim esse formam huius Sacramenti. Hoc enim verificari minimè posset, si aliqua pars non pertineret ad substantiam formæ, sed esset accidentaliter superaddita, sicut plura alia, quæ superadduntur in Rituali, de quibus verificari non potest, quod sint forma huius Sacramenti. Huc etiam redit ponderatio superius facta circa materiam, quod Florentinum in recensendis materiis, & formis Sacramentorum, sola ea & omnia expresserit, quæ pertinent ad eorum substantiam.

Art. 2. Rationem sufficientiæ, & necessitatis eius formæ, reddit optimam D. Thomas. Quia ea forma verborum est sufficiens, & necessaria pro vnoquoque Sacramento, quæ exprimit ea omnia, & sola, quæ pertinent substantialiter ad idem Sacramentum. Tria autem pertinent substantialiter ad Sacramentum Confirmationis, robur spirituale, ad fortem, & constantem professionem fidei, per augmentum completiuum gratiæ baptismalis, deinde signum militiæ huius spiritualis; ac demum auctor, & causa vtriusque eius effectus. Robur spirituale significatur, dum dicitur, *Confirmo te chrismate salutis.* Signum militare, seu

characterem significant illa verba *signo te signo Crucis.* Authorem,& causam manifestant postremæ particulæ. *In nomine Patris,& Filij,& Spiritus sancti.* Omnia igitur prædicta sunt necessaria ad valorem huius Sacramenti,eadémque sola ad illud sufficiunt.

Art.3. Oportuit verò, vt in hoc Sacramento significaretur explicitè character, qui tantum implicitè significatur in Baptismo. Quia Baptismus ordinatur principaliter ad vitam spiritualem baptizati,in se ipso; ideoque in eo Sacramento vita gratiæ exprimitur distinctè, & solum implicitè significatur character, vtpote inexistens baptizato ad bonum priuatum ipsius, ideoque non manifestandus exterius seorsim, & secundum se. At character Confirmationis est ordinatus intrinsecè ex sua natura ad pugnam exteriorem, cum ædificatione aliorum ex constantia confirmati, ideoque debuit expressius significari seorsum,sicut milites militiæ temporalis solent aliquo modo insigniri insignibus ducum, tametsi pro aliis Reipublicæ muniis non soleant adhiberi insignia vlla, oportuit similiter, vt in hoc Sacramento exprimeretur distinctè materia eius, quæ in Baptismo significatur tantum implicitè. Quia videlicet in Baptismo, verbum abluendi sufficienter significat aquam,quæ præ cæteris omnibus est ablutiua,atque adhibetur ad abluendum. Confirmatio verò ex sua natura potest fieri multiplici materia indifferenter, ideoque necesse fuit vt exprimeretur chrisma salutis, continens oleum oliuarum, & balsamum, quibus insunt in perfectissimo gradu qualitates habentes analogicam proportionem cum effectu, & fine huius Sacramenti, vt dictum est supra. Oportuit etiam,vt exprimeretur Sancta Trinitas,non solum ratione nuper indicata, magisque ponderata superius circa Baptismum, sed etiam, quia præcipuum mysterium fidei,propugnandum à milite Christi,est mysterium difficillimum, & altissimum Sanctæ, ac Indiuiduæ Trinitatis. Oportuit denique, vt exprimeretur signum Crucis in quo nimirum Rex noster triumphauit, vt dicitur ad Colosſ.2.15. eiusdémque Crucis alioquin ignominiosæ debet esse propugnator,& glorificator acerrimus athleta Christi.

Art. 4. Ex prædicta forma verborum apparet, materiam proximam Confirmationis esse actionem vngendi, per quam formetur signum Crucis in Confirmato, dum vngitur Chrismate. Quia si non adhibeatur vnctio Chrismatis,non verificatur pars illa formæ,confirmo te chrismate salutis;si verò non formetur signum Crucis, ipsa vnctione,non verificatur illa altera pars formæ *signo te signo Crucis.* Necesse autem prætereà est, vt vnctio, & signum Crucis expressum ipsa vnctione, fiat in fronte confirmati, idque est necessarium necessitate Sacramenti, vt docent communiter Theologi in præsenti, suadet efficaciter praxis vniuersalis Ecclesiæ,tum Latinæ,tum Græcæ,& habetur ex Florentino id disertè docente paulo post verba superius memorata, sicut etiam docetur in c.Presbyteris de consec.dist.4.& in c.Vnico de Sacra Vnct. tametsi nonnulli cum Ledesma & Victoria dicant absque vllo sufficienti fundamento,eam circumstantiam non esse necessariam necessitate Sacramenti,sed sola necessitate præcepti. Ratio ob quam signum Crucis debet fieri potissimum in fronte per vnctionem, traditur optimè à D.Thoma, q.22.art.9. Primò nimirum,quia Crux est signum militiæ spiritualis,atque signum debet esse manifestum, atque conspicuum. Frons autem est pars corporis maximè manifesta, ac conspicua. Deinde quia hoc signum adhibetur confirmato ad liberam, & constantem confessionem fidei,& nominis Christi,cui constantiæ,ac libertati opponũtur timor, & verecundia. Frons autem est sedes vtriusque præcipua. Quia motus verecundiæ, & timoris primo, ac maiori impetu exurgit in fronte, propter maiorem propinquitatem sensus communis, & phantasiæ, ex cuius imaginibus, ac repræsentationibus proueniunt earum passionum motus, & auocatio, ac reuocatio spirituum,ex quarum priori redundat pallor,indicans metum, & ex posteriori rubor, manifestans verecundiam. Rationabiliter ergo signum Crucis, vnctione formatur in fronte,vt superatis metu, ac verecundia, defendatur fortiter gloria Crucis Christi, quæ est Iudæis quidem scandalum, Gentibus verò stultitia, vt dicitur 1.ad Corinth.1. Talis itaque est materia proxima huius Sacramenti.

Artic. 5. Inter materiam porrò tam proximam, quam remotam, & formam, hoc præter alia discrimen intercedit, quod entitatibus olei oliuarum, & balsami, nullæ aliæ entitates æquialere possunt quoad vim sacramentaliter significandi. Quia vis eorum sacramentaliter significatiua, fundatur in conceptu specifico ipsorum, & in peculiaribus proprietatibus inde resultantibus, quæ necessariò sunt diuersæ in quibuslibet aliis entitatibus diuersis. Voces verò pertinentes ad formam, quia significant ad placitum, per denominationem ipsis extrinsecam, possunt materialiter, & entitatiuè esse diuinæ, quin propterea diuersificentur formaliter quoad significationem sacramentalem. Hinc fit, quod oleum oliuarum, & balsamum, vnctio, qualis nuper descripta est, variari nullatenus possit, quin eo ipso Sacramentum reddatur nullum. At voces possunt multipliciter variari,quoad materialem ipsarum entitatem, quin necesse propterea sit, vt Sacramentum euadat nullum;Erit enim nihilominus validum, si voces aliæ substitutæ vocibus ordinariis, superius propositis, ac expensis æquialeant eisdem quoad significationem, vel ex primæua institutione, vel ex præsentibus circumstantiis, vel ex noua impositione sufficienter notificata fidelibus ante vsum sacramentalem ipsarum, vti notatum est etiam supra, circa Baptismum, iuxta doctrinam Florentini. Hac de causa merito censetur sufficiens ad valorem Sacramenti forma Græcorum superius proposita. Quia licet sit entitatiuè, & materialiter valdè diuersa a forma Ecclesiæ Latinæ, æquialet nihilominus eidem formaliter, quoad vim significandi propter determinationem, quam ad id sortitur ex actione, aliisque circumstantiis exterioribus ministri, illam pronunciantis. Idem dicitur de aliis quibusuis verborum simulis similiter æquialentibus, ideoque sufficientibus ad valorem Sacramenti, insufficientibus verò, si non ita æquialeant. Ex his apparet multiplicitatem materialem formarum huius Sacramenti nequaquam probare non fuisse à Cristo Domino institutam formam eius. Certissimè enim instituta ab ipso est forma,non minus, quam materia,quales superius declaratæ sunt. Constat enim ex definitione Concilij Tridentini præmissa supra in communi q.34. art.1. omnia nouæ legis Sacramenta, atque adeo materias,& formas ipsorum, esse instituta à Christo Domino, licet de nonnullis non constet determinatè ex sacris litteris, sed ex sola traditione, quæ tamen perinde valet iuxta obseruationem præmissam quæst.51. initio.

Art. 6. Ex his patet sufficienter ad rationem dubitandi,nisi quod circa modum,qui antiquiores PP.innuunt formam huius præsertim Sacramenti, notare oportet cum D.Thoma art.illo 4.cumque aliis ibidem communiter, veritos illos fuisse, ne proderent infidelibus mysteria nostræ fidei, ideoque obscurius, ac diminutè nonnunquam promere verba necessaria, ac sufficientia ad valorem Sacramenti, vt apparet inter alia ex verbis Dionysij, quæ refert D.Thomas vbi supra ex lib.de Eccles.Hierar.fine. *Consummatiuas inuocationes* (verba quibus perficiuntur Sacramenta) *non est iustum scripturam interpretantibus, neque*

*mysticum earum, aut in ipsis operatas ex Deo virtutes ex occulto ad commune adducere, sed nostra sacra traditio sine pompa* ( occulte ) *eas docet.* Idem indicat Innoc. I. epist. 1. ad Decentium cap. 3. vbi agens de forma huius Sacramenti, subdit. *Verba dicere non possum ne magis prodere videar, quam ad consultationem respondere.* Vtrique præiuit exemplum Apostoli 1. ad Corinth. 1. 34. vbi agens de mysterio Eucharistiæ *cætera*, inquit, *cum venero disponam.* Nempe, quæ non expediebat scripto docere palam, sed secretius tradere in colloquio priuato cum fidelibus, ac deinde propagare per traditionem.

## QVÆSTIO LIV.

### *Vtrùm solus Episcopus sit Minister idoneus Confirmationis?*

VIdetur non esse 1. Quia Gregorius Magnus monitus scandalizatos fuisse quosdam in Sardinia, propter prohibitionem ab ipso factam, nequis præter Episcopos confirmaret; respondet. *Nos quidem secundum veterem vsum nostræ Ecclesiæ fecimus, sed si omnino, hac de re aliqui contristantur vbi Episcopi desunt, vt Presbyteri etiam in frontibus baptizatos chrismate tangere debeant, concedimus.* Ita refertur cap. *Peruenit.* 95. dist. ex lib. 3. epist. D. Greg. 26. fine; non autem potuisset permitti Presbyteris hoc ministerium, si esset de necessitate Sacramenti, vt Episcopi confirmarent.

2. Effectus Confirmationis non est maior, sed longè minor, quam effectus Baptismi; quandoquidem Baptismus remittit peccata omnia quoad culpam, & totam pœnam. Confirmatio verò solam confert gratiam quam etiam confert Baptismus. Ergo minister Confirmationis non est dignior, quam minister Baptismi, cuius ministrum ordinarium esse simplicem sacerdotem constat ex dictis supra

3. Simplex Sacerdos potest, ex vi sui ordinis perficere Sacramentum Eucharistiæ quod est nobilissimum inter omnia Sacramenta; ergo multo magis perficere potest Sacramentum Confirmationis, quantum est ex natura, & dignitate ipsius; ergo quod soli confirment Episcopi non potest esse necessarium, nisi sola ad summum necessitate præcepti, vt docet Caietanus in hac q. 77. art. 9. & Actor. 8. Confirmatur ex Augustino lib. qq. noui & veteris testamenti 101. dicente. *In Alexandria, & per totam Ægyptum, si desit Episcopus consignat Presbyter*: alias *consecrat.* Similiter Hieronym. dial. contra Lucifer. affirmat, *non ad legis necessitatem, sed ad Sacerdotis honorem pertinere, quod baptizati deferantur ad Episcopos, vt illis manus imponant.* Confirmatur rursus validius ex Concil. Tolet. 1. cap. 20. *Statutum est* ait, *Diaconum non chrismare, sed Presbyterum, absente Episcopo; præsente verò non nisi ab ipso fuerit præceptum,* & ferè idem statuitur in concilio Hispalensi 2. c. 2. Igitur Episcopus est necessarius ad perficiendum hoc Sacramentum sola necessitate præcepti idque non vbique, nec omni tempore.

4. Quod conuenit ministris Ecclesiæ ex vi sui ordinis, vbique, & quandolibet, pro quibusuis circumstantiis validè præstari ab eis potest. Episcopus autem nequit validè confirmare extra suam diœcesim, sicut nec ordines Sacros validè extra illam conferre potest; Qui verò est hæreticus, nullibi validè confirmat. Quæ quidem posterior pars docetur clarè ab Ioann. I. epist. 18 cap. 3. dicente de hæreticis: *Eis solum baptisma ratum esse permittimus* Et iterum. *Nec dare Spiritus sancti plenitudinem possunt, quam per impietatis suæ perfidiam perdiderunt.* Idem docent alij duo Pontifices Leo, epist. 35. c. 2. & Eusebius epist 3. sub finem, & tanquam indubitatum supponitur à Cypriano Epist. 72. maximè verò Epist 24. Nec caret hæc doctrina fundamento in Con. Arelat. I. can. 8. & Arelat. I I. c. 17. præscribentibus, vt redeuntibus ab hæresi, ad Ecclesiam, recipiãtur per manus impositionem, qua confertur Spiritus sanctus; idémque præscribit August. lib 2. de Bap. 7. & lib 5. c. 23. Ergo Episcopus non est minister ordinarius huius Sacramenti ex vi sui ordinis,

5. Si Episcopus esset minister necessarius Confirmationis necessitate Sacramenti, seu ex institutione Christi nulli alij inferioris conditionis, etiam Presbytero posset committere summus Pontifex, vt conferret hoc Sacramentum. Sequela est legitima, quia nequit summus Pontifex substituere vllam aliam materiam aut formam, materiæ, & formæ institutis à Christo domino. Persona autem ministri requiritur ad Sacramentum, & pertinet ad eius substantiam non secus, ac materia, & forma, dicente vniformiter Concilio Florentino, Sacramentum nouæ legis tribus perfici, materia, forma, & ministro, quorum si aliquod desit non perficitur Sacramentum, vti ponderatum est supra in communi quæst. 3. & 4. ac proinde non magis potest Pontifex ministrum diuersæ conditionis, substituere ministro instituto à Christo, quam materiam materiæ, aut formam formæ. Consequens autem est absurdum, vt patet inter alia ex Gregorij exemplo nuper indicato.

Art. 1. Respondetur: Solos Episcopos esse ministros ordinarios Confirmationis definitur expressè à Concilio Florentino in §. sæpè indicato *secundum Sacramentum* nec non à Tridentino sess. 7. can. 3. *de Confirmatione*, sess. 23. cap. 4. cum præmisisset Episcopos esse Apostolorum successores, & posse Sacramentum Confirmationis conferre, ministros Ecclesiæ ordinare, aliasque plures functiones exercere, *Quorum* subdit, *potestatem reliqui inferioris ordinis nullam habent*, atque can. 7. definit similiter potestatem confirmandi non esse Episcopis cum Presbyteris communem. Certum igitur omnino est solos Episcopos esse ministros ad hoc Sacramentum perficiendum necessarios; ita vt nullus alius, validè illud perficere possit, saltem de iure ordinario. Confirmatur ex Actorum 8. & 19. vbi impositio manuum, quæ, vel erat coniuncta cum hoc Sacramẽto, vel loco eius adhibebatur, solis reseruatur Apostolis, qui erant Episcopi collatione Baptismi aliis inferioribus permissa. Quod autem hoc fieret ex solo arbitrio, seu præcepto ipsorum Apostolorum, aut ob defectum aliorum Presbyterorum, qui non essent Episcopi, nullo fundamento sufficienter suadetur, atque communis traditio semper tenuit, ac tenet Apostolos ratione Episcopatus fuisse missos ad confirmandos fideles, atque hanc functionem esse priuatiuè propriam gradus Episcopalis, vt apparet inter alios ex Dionys. cap. 2. Ecclesiasticæ Hierar. Clemente lib. 3. constitit cap. 16. & epist. 4. August. lib. 15. de Trinit. cap. 26. lib. qq. noui Testam. 42. Ratio ob quam oportuit, vt tanta dignitate ministri consuleretur dignitati huius Sacramenti, ex institutione Christi Domini desumitur ex eo, quod in quolibet opere præsertim eximio vltima eius perfectio, & consummatio reseruatur supremo Artifici, qui vltimam manum illi adiiciat; Confirmatio autem est vltima perfectio, & complementum consummatiuum Baptismi, operis proculdubio maximè eximij. Quia cum Baptismus conferat totalem remissionem omnium peccatorum, & transferat ab statu inimicitiæ ad statum amicitiæ Dei; Confirmatio superaddit plenitudinem Spiritus sancti, vt liquet ex Act. 8. Vnde Vrbanus I. in epist. ad omnes Christianos vt habetur c. omnes fideles de conf. dist. 5. *Omnes fideles* ait, *per manus impositionem Episcoporum, Spiritum sanctum post Baptismum accipere debent, vt pleni Christiani inueniantur.* Merito; ergo reseruata est Confirmatio solis Episcopis, qui

sunt

sunt supremi Dei ministri,& quorum propria est virtus perfectius fidelium vt tradit inter alios Dionysius, vbi supra, nec vlli alij permittitur, vt illam validè perficiat præcisè ex vi ordinis, & cuiuscunque gradus inferioris in Ecclesia.

Art.2.Hoc tamen non tollit,quin simplex Sacerdos validè perficere possit hoc Sacramentum,ex commissione extraordinaria Summi Pontificis, dispensantis eatenus in iure ordinario vrgenti gtaui aliqua necessitate. Id quod abundè probatur ex facto magni Gregorij producto in prima ratione dubitandi. Confirmatur efficaciter ex approbatiua eius facti relatione, quæ habetur apud Concilium Florentinum in illo §.*secundum Sacramentum*,his verbis *legitur tamen aliquando per Apostolicæ Sedis dispensationem, ex vrgenti admodum causa, simplicem Sacerdotem Chrismate per Episcopum confecto hoc administrasse Confirmationis Sacramentum*. Videtur præterea dubitari minimè posse, quin idem Concilium,& posteà Tridentinum,hac intentione notanter dixerint, Episcopum esse ministrum ordinarium huius Sacramenti,nempe,vt innuerent, extraordinarium ex commissione, Presbyterum quoque esse posse:Id quòd,tanquam indubitatum supponit Concil. Senon. in decretis morum cap.38. dicens: *Si qui sint, qui contendant sibi competere facultatem confirmandi ex priuilegio; volumus quod cum primum fuerint requisiti de priuilegiis fidem facere teneantur*.Adde Arcudium lib.2.de Sacram.cap.10.& sequentibus,& maximè cap.15. pluribus exemplis commonstrare Summos Pontifices olim, & nuper,tum tacitè, tum expressè permisisse, ac concessisse, vt simplices Sacerdotes cõferant Sacramentũ Confirmationis.Neque verò dici absque manifesta,atque omninò reprobanda temeritate, & absurditate potest, Pontifices nulliter id permisisse, ac concessisse eo, vel maximè, quia ratio æquitatis, & congruentiæ, efficacissimè persuadet, vt Summo Ecclesiæ Pastori concederetur hæc facultas à Christo Domino, eandémque esse comprehensam in amplissima, & latissimè patenti commissione ista;*Pasce oues meas*. Quid enim magis ad hanc pasturam pertinet, quam Sacramentorum administratio, & quid ad hanc ipsam administrationem magis necessarium esse potest, quàm copia ministrorum, & quid manifestius esse potest, quàm cõpiam istam, aliquando, & alicubi,defuturam fuisse pro Sacramento omnibus fidelibus communi, si nunquam vllibi substitui possent Presbyteri Episcopis, quorum copia, & adhibitio ad hoc ministerium, fieri facilè potest,vt desint in aliquibus Prouinciis Christianis, ne sine magno incommodo inducente impossibilitatem, vt minimum moralem, prouideri illis possint. Ob hæc dicitur:Sacramentum Confirmationis magna veneratione tenendum est, vt dicit Eusebius Papa in illa Epist.3. ad Episcopos Thusciæ; & Melchiades Papa in epist. ad Episcopos Hispaniæ, proptereáque irritum, & vacuum habendum est Sacramentum, si perficiatur ab alio, quam ab Episcopo,præterquam ex concessione Summi Pontificis, idque cum causa admodum vrgenti, vt dicebat nuper Florentinum. Obserua in fine Episcopum confirmare, iuxta morem antiquum totius Ecclesiæ,& iuxta Rituale Pontificium, vngendo dextero pollice in fronte,& propterea hunc ritum prætermitti non posse absque peccato graui.Cæterùm ad valorem Sacramenti sufficit, & omninò requiritur,vt vngat manu propria, siue dextera, siue sinistra, & siue pollice,siue alio digito. Requiritur quidem;quia manus impositio est essentialis huic Sacramẽto, vt appareat ex Actibus Apostolorum,aliisque testimoniis superius indicatis. Manus autem impositio intelligi non potest propriè, & absque figurata locutione, quin detur contactus immediatus inter manum confirmantis,& confirmatum. Sufficit verò, quia nullum vllibi reperitur sufficiens fundamentum ad restrictionem contrariam, siquidem per quemcunque contactum immediatum vtriusuis manus super caput confirmati, verificatur omninò impositio manus.

Ad 1. Ex facto illo Gregorij sola comprobatur potestas Pontificia, iam sponte concessa, atque aliunde vlteriùs confirmata ad dispensandum, nec est vllum inconueniens aliquem determinatum gradum ministri esse necessarium necessitate Sacramenti, nisi interueniat dispensatio legitima, eundémque non esse ita necessarium eadem interueniente.

Ad 2. Maximum malum est exclusiuum totius boni, atque adeo est incompossibile cum bono, etiam minimo. Vnde infimus gradus bonitatis est sufficiens ad excludendum maximum malum. At ad excludendas minores imperfectiones, requiritur longè maior, & absolutè maximus cumulus bonitatis. Hac de causa, quilibet ciuis mediocrium facultatum sufficit ad liberandum pauperem à suprema miseria, ne fame pereat; vt verò idem affluat deliciis non sufficit, nisi Princeps maximarum facultatum. Quapropter Confirmatio conferens plenitudinem Spiritus sancti, & & superaddens viuificationis spiritualis robur, & complementum virium ad pugnandum fortiter vsque ad mortem,deprehenditur esse perfectionis longè maioris,quàm sit Baptismus, qui solum liberat à morte animæ.Mirum igitur non est,quod reseruetur ministro longè excellentiori, sed de hac comparatione redibit iterum sermo quæst.56.

Ad 3. Minister Confirmationis subordinat sibi confirmatum dum illi manus imponit tanquam Dux militiæ spiritualis, eumque eidẽ militiæ adscribit,& donat robore ad pugnandum necessario. Minister verò Eucharistiæ, licèt præstet ministerialiter, ac instrumentaliter effectum incomparabiliter maiorem, nullam tamen eiusmodi auctoritatem exercet circa vllam personam. Hac igitur de causa necesse est, vt minister Confirmationis sit altioris gradus in Ecclesia, quàm minister consecrans Eucharistiam. Qua etiam ratione quilibet Sacerdos licitè consecrat, solus verò Parochus licitè baptizat extra causam necessitatis. Locus ille Augustini, seu quis alius Auctor est, nihil probat; quia Ægyptij non agnoscebant Sacramentum Confirmationis, sed solam adhibebant vnctionem cæremonialem in Baptismo solemni, vt notat Suarez ex Valdensi. Hieronymus non negat Confirmationem esse reseruatam Episcopis iure Diuino, sed solùm assignat rationem reseruationis ex honore sacerdotis negata necessitate ita statuendi quantum est ex natura ipsa rei secundum se. Concilium Toletanum, & Hispalense loquuntur de sola vnctione cæremoniali baptizati in vertice, quæ olim à solis Episcopis fieri solebat, ideóque ibi prohibetur Presbyteris. Quod hic nonnulli præterea opponunt Ananiam, nec Episcopum, nec Sacerdotem Christi imposuisse manus Paulo, vt impleretur Spiritu sancto, provt habetur Act.9. non est ad rem. Quia Paulus nondum erat tum baptizatus,ideoque Sacramentum Confirmationis recipere non potuit. Vnde illa manuum impositio fuit solùm curatiua ad restituendum visum Paulo, vt factum esse ibi narratur iuxta illud Marci vlt. *Super ægros manus imponent, & benè habebunt*. Quod si præterea datus illi est Spiritus sanctus cum plenitudine gratiæ dicendum est illum recepisse effectum Sacramenti absque Sacramento vti dictum est superiùs de reliquis etiam Apostolis, nisi quis credere velit Ananiam iam tunc fuisse Episcopum, quò non parum inclinat Suarez, sed non assequor fundamentum eius.

Ad 4. Quilibet Episcopus,siue Catholicus,siue hæreticus,dũmodo sit verus Episcopus,vbi libet,& quandolibet validè confirmat,eadem ratione, qua quilibet

alius vbilibet validè baptizat. Textus, qui afferuntur in contrarium, exponuntur luculenter à Suar. disp. 36. sect. 6. obseruato more antiquo reconciliandi hæreticos per Episcopalem manuum impositionem, quando ab hæresi redibant ad Ecclesiam Catholicam, siue essent prius baptizati, & confirmati, siue nec confirmati, nec baptizati prius fuissent, immò etiamsi baptizati, & confirmati inter Catholicos, & dum erant Catholici, fuissent. Itaque illa manuum impositio erat purè reconciliatiua re ipsa, licet fieret sub imagine pœnitentiæ, & inuocatione Spiritus sancti, vt loquitur Innocentius in illo eodem loco. Vnde quod idem Innocentius dicit solum baptisma rarum esse hæreticis, significat solum baptisma licitè ministrari ab hæreticis, propter specialem eius necessitatem. Quod deinde superaddit plenitudinem Spiritus sancti dari non posse ab hæretico, qui illam perdiderat non reiicit valorem Sacramenti, sed illum ipsius effectum, quem assequi non potest, qui absque necessitate confirmatur ab Episcopo hæretico, quia eo ipso grauiter peccat. Vel dicatur, quod non est improbabile: Innocentium, sicut, & Leonem loqui de hæreticis, apud quos nulli essent veri, ac legitimi Episcopi. De Cypriano dictum est iterum alicubi supra, & in hac re non agnoscitur eius auctoritas, quia negas valorem, etiam Baptismi collati ab hæretico.

Ad 5. Cum Pontifex committit Presbytero ministerium confirmandi, non substituit ministrum non institutum à Christo, loco ministri instituti ab eodem. Quia tam Episcopus, quam inferior Presbyter sunt instituti à Christo Domino, quod colligitur sufficienter, ex facto ipso Pontificum, & ex approbationibus Conciliorum superius pôderatis, licet diuersimodè instituti sint. Nempe Episcopi absolutè, & ex vi ordinis sui; Presbyteri verò inferiores conditionatè tantum, si delegentur ad id à Summo Pontifice, idque vrgenti aliqua graui necessitate. Mouere verò neminem debet, quod nulla eiusmodi exstet institutio Diuina circa materiam, aut formam vllius Sacramenti. Quia nulla Deum necessitas constringit, vt de omnibus conformiter disponat, nec rationes disponendi occurrunt eædem penitúsque similes circa omnia.

## Qvæstio LV.

### *Vtrùm omnis, & solus baptizatus sit subiectum idoneum Confirmationis?*

Videtur quod nec omnis, nec solus baptizatus sit capax Confirmationis. 1. Quia quicunque possunt, & tenentur pugnare, debent instrui armis ad pugnandum idoneis. Possunt autem, & tenentur pugnare pro fide, & Cruce Christi, etiam Neophyti nondum baptizati, atque plures ante Baptismum heroïcè pugnando, vsque ad mortem, consecuti sunt triumphum gloriæ absque Baptismo. Ergo omnes etiam nondum baptizati debent præmuniri Sacramento Confirmationis, per quod datur virtus, ac robur ad pugnandum pro fide, & Cruce Christi.

2. In die Pentecostes, quando descendit Spiritus sanctus super Discipulos, cui descensui correspondet Sacramentum Confirmationis, vt dictum est supra, omnibus habitantibus in ea domo datus est Spiritus sanctus, vt patet ex Act. 2. initio. *Et repleuit totam domum vbi erant sedentes*, atque iterum: *Et repleti sunt omnes Spiritu sancto.* Plures autem ex illis nondũ erant baptizati certè non omnes illi erant baptizati, de quibus dicitur Act. 10. 44. *Adhuc loquente Petro verba hæc, cecidit Spiritus sanctus super omnes, qui audiebant verbum*; siquidem leguntur posteà baptizati. Ergo non soli baptizati sũt capaces plenitudinis Spiritus sãcti, & consequenter Confirmationis, per quam illa datur.

3. Qui sunt inhabiles ad pugnandum, sunt etiam incapaces virtutis, & roboris ad pugnandum. Pueri autem, & amentes, & fœminæ, maximè verò moribundi sunt inhabiles ad pugnandum. Ergo iidem, tametsi baptizati sint, sunt incapaces Confirmationis, vtpote instruentis virtute ad pugnandum; dicente Melchiade Papa in Epist. ad Episcopos Hispaniæ: *Post Baptismum confirmamur ad pugnam.*

4. Idem Melchiades ibidem excludit specialiter moribundos ab hoc Sacramento, dum dicit: *Quamuis continuo transituris sufficiant regenerationis beneficia; victuris tamen Confirmationis auxilia necessaria sunt. Quia Confirmatio armat, & instruit ad agones mundi huius, & prælia reseruandos. Qui autem post Baptismum cum acquisita innocentia immaculatus peruenerit ad mortem, confirmatur morte. Quia iam non potest peccare post mortem.* Ergo moribundi, tametsi baptizati prius fuerint, confirmandi nequaquam sunt.

5. In Pontificali Romano præcipitur sic: *Nullus Christianis fidei documentis non edoctus, ingerat se ad percipiendum hoc Sacramentum Confirmationis.* Ergo ad suscipiendam Confirmationem non sufficit esse baptizatum, sed requiritur præterea hæc vt minimum dispositio peritiæ documentorum fidei, vti seriò iniungit S. Carolus Borromæus in decretis medio lib. 3. de vnct. tit. 27. cap. 31.

Respondetur. Certum est omnes, & solos baptizatos, esse capaces Sacramenti Confirmationis validè suscipiendi. Solos quidem, quia Baptismus est ianua Sacramentorum, vt dictum est supra, & quia robur ad pugnam, quod confertur per Confirmationem, necessariò præsupponit sua natura vitam, quæ datur per Baptismum, vt etiam dictum est supra. Omnes verò, quia *omnes fideles per manus impositionem Episcoporum debent Spiritum sanctum post Baptismum accipere*, vt dicitur in can. *omnes* de consecr. dist. 5. Confirmatur ex vsu perpetuo Ecclesiæ, quæ diuersis temporibus consueuit conferre hoc Sacramentum omnibus indiscriminatim baptizatis, siue paruulis, siue adultis. Confirmatur rursus, quia Confirmatio est Sacramentum perfectiuum Baptismi, vt dictum est supra. *Dei* autem *perfecta sunt opera*, vt dicitur Deuter. 32. 4. Ergo de intentione Dei est, vt quicunque per Baptismum, accepit vitam spiritualem, per Confirmationem perducatur ad plenitudinem spiritus, sicut est & de intentione naturæ, vt quicunque corporaliter nascitur, perducatur ad ætatem perfectam. Omnis igitur, & solus baptizatus, dum est in via, est subiectum capax Confirmationis.

Ad 1. Sicut, qui nondum accepit sensibiliter initium vitæ spiritualis per Baptismum potest nihilominus, cepisse spiritualiter viuere per actum dilectionis Dei supra omnia, absque vllo sensibili signo vitæ reipsa adhibito; ita potest absque vllo Sacramento accipere à Deo auxilia interiora gratiæ, quibus pugnare fortiter possit pro fide, & pro Christo, eáque Deus omnibus confert indiscriminatim, quantum absolutè sufficit data opportunitate pugnandi. Cæterùm sicut nemo potest fortiter pugnare pro Christo per auxilia interiora gratiæ, quin prius conuertatur interius ad Deum per alia priora auxilia gratiæ Dei, ita non potest sensibiliter accipere virtutem, & robur ad pugnam spiritualem quod sit per Confirmationem, quin prius acceperit sensibiliter vitam spiritualem, quod fit per Baptismum, eo itaque modo debet vnusquisque instrui ad pugnam, quo potest, & tenetur pugnare; nempe, vel sensibiliter, vel insensibiliter.

Ad 2. Dici potest illos, qui nondum erant baptizati, accepisse Spiritum sanctum cum plenitudine gratiæ

sicut

ſicut accipiunt, qui iuſtificantur ante Baptiſmum per feruentem dilectionem Dei ſuper omnia, non tamen accepiſſe effectum adæquatum Sacramenti Confirmationis,quia non acceperunt characterem,qui eſt proprius eius effectus, ideoque manſiſſe capaces huius Sacramenti, ſicut & Baptiſmi, quem poſteà ſuſceperunt,ſicut etiam fortaſſis ſuſcepere Confirmationem, licet huius ſuſceptio, non exprimatur ſeorſim, ſed ſubintelligatur tacitè ſub expreſſione ſuſceptionis Baptiſmi,quatenus confirmatio ex ſua natura eſt perfectio, & complementum Baptiſmi. Dici deinde poteſt eos,qui in die Pentecoſtes, erant ſimul cum Diſcipulis recepiſſe totum effectum huius Sacramenti, abſque ipſo Sacramento, ideoque manſiſſe incapaces illud deinde ſuſcipiendi, id tamen factum eſſe præter legem ordinariam ex priuilegio ſpeciali, volente Deo operari pro ea vice independenter ab inſtrumentis ſenſibilibus, quod iuxta prouidentiam ſuam ordinariam non operatur,niſi per eadem inſtrumenta. Quo plurimum inclinat Greg.Naz.orat.24. dicens,illo facto oſtendiſſe Spiritum ſanctum ſe eſſe Deum, & gratiæ Dominum, *qui in quos,& quando,& quantum vult, ſpirat*. Vtrumuis horum, probabiliter dicitur,& neutrum vlla ex parte contradicit concluſioni poſitæ, quæ videlicet procedit de lege ordinaria, & ſecluſo miraculo, ſeu priuilegio Dei ſpeciali. Prior tamen reſponſio videtur aliquanto probabilior, quatenus exceptiones legis vniuerſalis Diuinæ, dum efficaciter non probantur,merito reprobantur.

Ad 3. Quod ad pueros attinet, tametſi pugnare non poſſint, dum carent vſu rationis,poſſunt nihilominus armis ſpiritualibus inſtrui ante eundem vſum rationis, vt eo accedente pugnare fortiter poſſint. Nec enim neceſſe eſt, aut etiam expediens differre prouiſionem muniminis, & armorum vſque ad tempus conflictus. Deinde infantibus commune eſt cum perpetuo amentibus, necnon cum moribundis,vt ex hoc Sacramento percipiant, magnum augmentum gratiæ, & conſequenter maiorem gloriæ cumulum, ſi decedant deinde ſine nouo peccato, vtque compareant in Regno Cœlorum inſigniti,ac nobilitati charactere, & inſignibus militum Chriſti. Denique fœminæ non excluduntur à militia ſpirituali, ſicut à temporali. Quia *in Cœleſtibus, omni perſonæ, & ætati, ac ſexui indiſcreta facultate ſtadium patet*, vt dicit Chryſoſtomus Homil. de Machabæis ante medium. Omnibus igitur prædictis conuenienter confertur iſtud Sacramentum.

Ad 4. Melchiadis intentio in illis verbis eſt;moribundis non ea ratione eſſe neceſſarium Sacramentum Confirmationis, qua idem neceſſarium eſt diutius victuris. Cæterùm ſupereſt alia ratio vtriſque communis, vt patet ex modo dictis, ob quam etiam mox morituris conferri debet hoc Sacramentum, ſi commodè fieri poſſit, vt videlicet in reſurrectione appareant perfecti, & ætatis ſpiritualiter prouectæ, ac plenæ,iuxta illud ad Epheſ.4. 13. *Donec occurramus omnes in virum perfectum in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti*. Tum etiam vt moribundus fortius pugnare poſſit in illo articulo,in quo aduerſarius communis præcipuo conatu omnes ſuas vires exerit, præſertim aduerſus conſtantiam in fide,quæ eſt ſalutis fundamentum.

Ad 5. Conſuetudo antiqua aliquando fuit conferendi hoc Sacramentum, etiam pueris ante vſum rationis, immediatè poſt Baptiſmum. Deinde verò inualuit conſuetudo non conferendi ante ſeptennium. Quando incipit illuceſcere vſus rationis, atque hoc poſterius obſeruandum modo eſt, ſaltem vt plurimum, vti docent Auctores communiter in præſenti, quia hæc eſt iam conſuetudo communis Eccleſiæ, & ita præſcribitur in Rituali Romano. Quod attinet ad naturam rei ſecundum ſe, vtrumque nititur ratione valdè probabili. Quia quoad priorem conſuetudinem, pueri ante vſum rationis tutiſſimè carent fictione impediente effectum Sacramenti, quoad augmentum gratiæ, eiuſdémque fictionis periculo ſunt obnoxij, qui ſunt compotes rationis. Expedit etiam acquirere plenitudinem gratiæ, & inſigne militiæ Chriſti cum primùm fieri poteſt, maximè cum contingat plures decedere ante vſum rationis,æternúmque conſequenter carere eo augmento gloriæ ſubſtantialis, & accidentalis,ſi prius confirmati non fuerint, atque exempti à periculo tanti nocumenti. Quoad poſteriorem verò conſuetudinem maior in primis videtur eſſe reuerentia Sacramenti, ſi non admittatur ad ipſum, qui non eſt compos rationis, nec reuerenter ad ipſum accedere poteſt propria fide,ac diſpoſitione præuentus. Deinde ratione huius ipſius diſpoſitionis peculiaris maior gratiæ cumulus confertur adulto virtute Sacramenti, iuxta dicta ſupra in communi, & in particulari circa Baptiſmum. Prætereà efficacius imprimitur animo confirmati, ſi ſit adultus, quod ei dicitur ab Epiſcopo, dum alapa cæditur ſe deinceps pro nomine Ieſu contumelias libenter pati debere.Non enim ita excitat ad hilarem patiendi conſtantiam,ſi ab alio poſteà ea de re inſtruatur. Demum tutius vitatur periculum iterationis huius Sacramenti, ſi iam compos rationis illud ſuſcipiat. Nempe non ita præſumitur omnes Chriſtianorum filios eſſe confirmatos, ſicut præſumitur eſſe baptizatos,propter maiorem neceſſitatem Baptiſmi;ideoque eſt maius aliquod periculum iterandi Confirmationem,ſi ipſe confirmatus meminiſſe non poſſit de ſuſceptione huius Sacramenti. Quia verò poſteriores iſtæ rationes, ſunt ponderis aliquanto maioris,conuenienter inualuit magis conſuetudo illa poſterior, & parendum eſt ordinationibus,quæ proponuntur in obiectione ſaltem cum non adeſt ratio aliqua ſpecialis in contrarium,maximè periculum carendi Confirmatione in perpetuum.

## QVÆSTIO LVI.

### *Vtrùm Confirmatio imprimat characterem, & conferat gratiam?*

VIdetur neutrum præſtare. 1.Quia character eſt ſignum diſtinctiuum eius,cui imprimitur,ab aliis. Confirmatus autem à nullis aliis diſtinguitur,ſeu diſcernitur ex vi huius Sacramenti. Quia ab Infidelibus ſupponitur iam diſcretus per Baptiſmum; à fidelibus verò diſcerni non debet, quia Confirmatio omnibus fidelibus,debet eſſe communis,vt nuper dictum eſt.

2. In Circumciſione non imprimebatur character ſpiritualis, quia ipſa circumciſio erat character corporalis. In Confirmatione autem,imprimitur ſimiliter character corporalis,ſiquidem confirmatus ſignatur ſigno Crucis,dum vngitur chriſmate in fronte, vt dictum eſt. Ergo Confirmatio non imprimit characterem ſpiritualem.

3. Per Sacramenta non confertur ſpecialis gratia abſque ſpeciali fine, ad quem illa ordinetur. Confirmatio autem non ordinatur ad finem aliquem ſpecialem. Quia profeſſio fidei & Crucis Chriſti eſt communis omnibus baptizatis, atque ad eam ordinantur ex vi Baptiſmi. Ergo Confirmatio non confert gratiam.

Art. 1. Reſpondetur. Sacramentum Confirmationis imprimit characterem, & confert vberrimum augmentum gratiæ habitualis cum iure auxiliorum actualium gratiæ, proportionaliter efficacium, ad fortem,ac conſtantem profeſſionem fidei,& nominis Chriſti,

Christi, pro qualibet opportunitate fortiter pugnandi pro ea causa. De impressione characteris constat ex clara definitione Florentini in Decreto Eugenij §.hæc omnia,& Tridentini sessione 7.can.9.de Sacramentis in genere. Idem Sacramentum conferre gratiam, constat ex Doctrina vniuersali tradita supra in communi quæst.19. Quod Sacramenta nouæ legis omnia conferant gratiam, omnibus non ponentibus obicem. Quod verò,istud Sacramentum conferat gratiam in ordine ad pugnandum fortiter vsque ad mortem pro fide, & nomine Christi, ideoque illam conferat vberrimam, & cum prædicto auxiliorum actualium iure, colligitur imprimis ex manifesta significatione formæ huius Sacramenti: *Signo te signo Crucis, & confirmo te Chrismate salutis.* Quia Sacramenta operantur quantum significant, atque confirmatio coniuncta cum signo Crucis,apertè significat corroborationem sufficientem ad pugnam spiritualem pro Cruce,& fide Christi. Idem apparet ex Florentino in illo §. *secundum Sacramentum*, vbi definit in hoc Sacramento dari Spiritum sanctum ad robur,sicut datus fuit Apostolis in die Pentecostes,vt Christianus Christi nomen audacter confiteatur. Idem statuit Melchiades Papa in epistola ad Hispaniarũ Episcopos à medio, dicens: *In Baptismo regeneramur ad vitam, post Baptismum,confirmamur ad pugnam;in Baptismo abluimur,post Baptismum roboramur*,& iterum: *Confirmatio armat, & instruit ad agones mundi huius, & prælia referuandos.* Eodem pertinet illud Vrbani I. in epist.1. c.7.*Cum Spiritus sanctus infunditur,cor fidele ad prudentiam,& constantiam dilatatur.* Ex his prætereà colligitur abundantiam gratiæ,& auxiliorum longè maiorem prouenire, ex hoc Sacramento; quam ex Baptismo, quia opus ad quod disponimur per hoc Sacramentum, est longè difficilius, quam quod præfigitur Baptismo, tanquam finis;atque Deus adiungit vires iuxta naturam operis,ad quod vnumquemque vocat. Vnde plus gratiæ superaddit Confirmatio,loquendo per se,quam præsupponat ex Baptismo. Quod confirmari potest ex comparatione proportionali cum ordine naturali generationis, & augmentationis obseruata supra q.34. cum D.Thoma. Quia plus substantiæ superaddita augmẽtatio,quàm præsupponit ex natiuitate,cõfirmari vicissim potest ex ratione nuper data excessus perfectionis conuenientis confirmationi, supra perfectionem Baptismi assertus supra q.35. art.4. cui Confirmationis excessui, haud obscurè suffragatur Melchiades in epistola prẽindicata,dum interrogatus, quod sit maius Sacramentum, Baptismus, an Confirmatio, respondet: *Scitote vtrumque magnum esse Sacramentum, & sicut vnum à maioribus fit, id est, à Summis Pontificibus, quod à minoribus perfici non potest; ita & maiori veneratione venerandum, & tenendum est.* Eundem Confirmationis excessum agnoscit magister in 4. dist.7. & D.Thomas in hac q.72. art.11.ad 3. vterque ex Rabano lib.2.de instit.Cleric.cap.30.

Art. 2. Sacramentum Confirmationis ratione characteris, quem imprimit est initerabile, vt dictum est supra de Baptismo, & docetur à Florentino, & Tridentino,locis indicatis.Eadem ratione hoc Sacramentum validè, simúlque fictè suscipi potest, & consequenter conferre gratiam recedente posteà fictione, sicut itidem dictum est supra de Baptismo iuxta præmissa, circa vtrumque Sacramentum, supra in communi, quæst.30. Ratione verò augmenti gratiæ,quod confert hoc Sacramentum, requiritur ex parte suscipientis status gratiæ, & sanctitatis. Vnde qui ad illud accedit in statu peccati lethalis, peccat de nouo lethaliter,loquendo per se,seu secluſa ignorantia inuincibili,aut iuris,aut facti, & neque per se, neque per accidens consequitur gratiam, & remissionem peccatorum vi huius Sacramenti,vt apparet ex dictis supra in communi q.26.Eadem ratione concluditur cum communi Theologorum,ad percipiendum totum effectum huius Sacramenti, nullam dispositionem requiri,vltra consensum recipiendi, specialiter requisitum ratione characteris, vt apparet ex dictis de Baptismo, q.46. initio & vltra præ assertum statum gratiæ, vt apparebit quasi à fortiori ex dicendis infra, circa Eucharistiam,q.72.Nempe iustus ipsa sua coniunctione habituali,& amicabili cum Deo,est sufficienter dispositus, vt in eo operetur causa quælibet augmentatiua gratiæ, quoties illi applicabitur. Auxilia verò actualia gratiæ obtinentur vi huius Sacramenti durante statu gratiæ, quoties occurrit opportunitas vsus, & indigentiæ eorum.Nempe Sacramenta non conferunt auxilia peculiaria gratiæ, nisi mediante gratia habituali, vt dictum est in communi.

Ad 1. Character Confirmationis non discernit fidelem ab infideli, sed fidelem adultæ ac robustæ virtutis,iuxta illud Ioan.2.14.*Scribo vobis iuuenes,quoniam fortes estis*, à fidelibus adhuc teneris, ac imbecillibus de quibus dicitur, *sicut modo geniti infantes.*

Ad 2. Sacramenta antiqua nihil operabantur interius,quia erant iustitiæ carnis,vt dicitur ad Hebr.9. at Sacramenta nouæ legis operantur interius, quantum significant exterius,vt dictum est in communi,q.19.20. Prætereà signum exterius circumcisionis erat permanens pro permanentia corporis, cuius solius iustitia erat. At signũ exterius Confirmationis transit cito,& anima, cuius est iustitia,seu cuius iustificatiua est,iuxta illud: *Qui iustus est iustificetur adhuc*,est immortalis.

Ad 3. Perfectio quam dat Baptismus,iuuat specialiter ad superandos conflictus interiores. Confirmatio verò confert vires longè maiores ad conflictus exteriores & ad resistendum persecutoribus fidei. Vnde baptizatus, & confirmatus differunt inter se,vt dicit D.Thomas, tanquam domesticus, & miles. Ex qua comparatione eiúsque fundamento superius explicato apparet vlterius,characterem Confirmationis ita præsupponere ex sua natura characterem baptismalem, vt tamen non superaddatur illi,sicut superadditur intensio qualitatis, gradibus remissis eiusdem qualitatis, sed sicut qualitas qualitati diuersæ rationis, quæ est omnium ferè Theologorum sententia. Eodem etiam modo differunt inter se auxilia gratiæ actualis, quæ conferuntur per vtrumque Sacramentum, licet quoad gratiam habitualem talis diuersitas non detur, propter essentialem ipsi vniuersalitatem ad omnia opera salutaria, de quo alibi.

## QVÆSTIO LVII.

### *Vtrùm ritus Confirmationis sint conuenienter instituti?*

VIdentur non rectè instituti. 1. Quia ritus Sacramentorum ordinantur ad instructionem suscipientis, circa substantiam eorum. Confirmandus autem siquidem debet esse baptizatus prius iam supponitur instructus de iis, quæ pertinent ad disciplinam vitæ Christianæ, ad quam vtique pertinent Sacramenta, saltem ea, quæ sunt omnibus communia, vti est communis Confirmatio omnibus fidelibus. Perperam ergo superadduntur Sacramento Confirmationis ritus accidentales peculiares, vltra eos, qui instituti sunt pro Baptismo.

2. Inconueniens est,vt quæ sunt accidentalia alicui Sacramento, sint maioris necessitatis,& obligationis, quam ipsum Sacramentum. Sacramentum autem Confirmationis non est necessarium ad salutem, necessitate, aut medij, aut etiam præcepti, vt fert communis

munis Theologorum opinio ; atque ritus adhiberi soliti in collatione huius Sacramenti , sunt quid accidentale respectu ipsius. Inconuenienter igitur obligat Ecclesia sub præcepto , ad superaddendos ritus eiusmodi accidentales.

Respondetur plures ritus accidentales respectu huius Sacramenti obseruantur in eius administratione , qui videri possunt in Pontificali Romano ; circa honestatem,conuenientiam, & laudabilem obseruantiam eorum,nihil superaddere necesse est in præsenti: vltra ea,quæ dicta sunt tum in communi,tum in particulari circa Baptismum,q.36.44.& 49.Tria specialiter expedierit obseruare. Primum est in administratione huius Sacramenti debere adhiberi Patrinum,qui confirmatum teneat, dum confirmatur , eundémque, deinde erudiat ad pugnam spiritualem. Quod optimè institutum esse,optima ratione commonstrat D.Thomas quæst.72.art.10. Quia videlicet in bellis temporalibus constituuntur Duces , & Centuriones , per quos alij dirigantur , atque à veteranis instruuntur tyrones. Bellum autem spirituale est multo difficilius, atque inimici, contra quos pugnandum est, sunt fortiores,ac fraudulentiores,& industriæ pugnandi sunt occultiores , multo igitur magis conueniens , ac necessarium est,vt cum quis assumitur ad hanc pugnam, assignetur ipsi Pædagogus, seu Patrinus , à quo in signum suæ imposterum manutentionis , protectionis, ac directionis teneatur confirmatus , dum confirmatur,etiamsi prouectæ ætatis sit,quatenus nihilominus est iunior & tyro,quoad militiam spiritualem. Fungi vero potest hoc munere,quilibet vtriusuis sexus,dummodo sit bene instructus,quoad ea quæ pertinent ad militiam spiritualem,quia *in Christo Iesu non masculus, & fœmina*,vt dicitur ad Galat.3 28.quæ de cognatione spirituali, aliisque nonnullis dicta sunt quæstione illa 44.circa Patrinum Baptismi , eadem, hic etiam locum habent , nisi quòd Patrinus Confirmationis debet esse vnus,vel vna tantum, & rarius tenetur ad instruendum confirmatum. Secundum est,quod Episcopus leuiter alapa percutit confirmatum,tum vt melius meminerit huius Sacramenti à se susceptì , magisque vitetur periculum iterationis,quæ est sacrilega,vt dictum est;tum maximè , vt moneatur confirmatus debere se fortiter tolerare iniurias , omnésque difficultates , quæ occurrere possunt in militia Christiana. Tertium est vitta linea circumligari debere caput confirmati, ne statim vnctio diffluat. Vnde ea gestari debet,donec exsiccetur chrisma, nisi,vt moris alicubi est , frons confirmati abluatur in fonte baptismatis paulo post Confirmationem.Circa hæc,& talia eiusmodi videri plura possunt,si placet apud Soto dist.7. art.12.& apud Suarez disp.37.

Ad 1. Ritus accidentales Sacramentorum , non ad hoc solum adhibentur, vt per illos manifestetur magis susciplenti natura , finis , & effectus Sacramenti, sed etiam & multo magis, vt Sacramentum & decenter ,i ac reuerenter perficiatur , & susciplatur maiori cum deuotione , & sensu pietatis disponente ad vberiorem fructum percipiendum ex eodem Sacramento: Indidem præterea fit vt notitia præhabita de natura,& sublimitate Sacramenti, promoueatur, altiúsque imprimatur animo,per significationem mysticam sacrorum rituum,quo etiam adminiculo indiget confirmatus tanquam tyro.

Ad 2. Plura sunt , quorum faciendorum nulla est obligatio absolutè, quæ tamen, si fiant,necesse est,vt fiant determinato quodam modo, iuxta naturam eorum,vt apparet inter alia in sacrificio Missæ. Vnde licet nulla sit obligatio , saltem grauis susciplendi hoc Sacramentum,possitque omitti absque peccato,saltem graui, dummodo id fiat absque contemptu explicito, vel implicito Sacramenti,& absque aliorum scandalo, vt fert communior Theologorum sententia;quatenus nemo tenetur sub peccato ex natura rei ad augmentum gratiæ , & auxiliorum , quod solum dictum est, haberi posse vi huius Sacramenti;nullúmque reperitur præceptum, aut Diuinum, aut humanum, saltem, quod grauiter obliget ad illud aliquando susciplendum. Quamquam, inquam, hoc verum sit, verum tamen nequaquam est ex suppositione,quod susciplatur hoc Sacramentum non debere susciplì modo decenti, qui conuenienter præscribitur ab Ecclesia , tametsi ad pleraque eorum , quæ præscribit , obliget tantum sub veniali , & nonnulla pertineant ad solum consilium,solámque maiorem perfectionem, tum ex parte ministri,tum ex parte susciplentis.

## INCIPIVNT QVÆSTIONES de Venerabili Eucharistiæ Sacramento.

### QVÆSTIO LVIII.

*Vtrùm Eucharistia sit Sacramentum corporis, & sanguinis Christi, sub specie panis, & vini, cum vi conferendi augmentum gratiæ, vbertatem auxiliorum actualium, & feruorem charitatis?*

VIDETVR, istam definitionem non esse bonam. 1. Quia hoc Sacramentum non distinguitur à corpore , & sanguine Christi: Sacramentum autem distinguitur ab eo , cuius est Sacramentum, quia est signum , practicum eius : id est , est signum , & causa eius vt liquet ex quæstione 1. atque signum distinguitur ab ea re , cuius est signum , vt dicit Augustinus cap. 1. de Mag. & similiter causa distinguitur à suo effectu. Ergo non rectè dicitur Sacramentum corporis & sanguinis Christi.

2. Corpus Christi sub specie panis,& sanguis eius sub specie vini sunt duo Sacramenta. Quia vtriuis seorsim sumpto, conuenit tota definitio Sacramenti. Deinde communio sub altera tantum specie,est vera veri Sacramenti , & non tantum partis Sacramenti susceptio. Præterea Ecclesia in quadam sua oratione dicit de corpore , & sanguine Christi : *Purificent nos quæsumus Sacramenta , quæ sumpsimus*. Demum hoc eodem pluraliter loquendi modo vtuntur sæpè concilia,& PP.de corpore,& sanguine Christi,sub speciebus panis, & vini.Ergo non rectè dicitur in singulari Sacramentum corporis,& sanguinis Christi.

3.Communiter distinguunt Theologi Eucharistiam à reliquis Sacramentis, quia Eucharistia confert gratiam per modum cibi, & refectionis spiritualis,atque augmentum gratiæ quatenus augmentum est formaliter , vt contendit specialiter Cardinalis de Lugo: reliqua verò Sacramenta materialiter, quatenus augmentum est,& formaliter,quatenus deseruit ad certas quasdam operationes. Ergo illùd potius ponendum erat in definitione , quàm vbertas auxiliorum actualium,& feruor charitatis.

4. Bona definitio debet explicare naturam rei, provt subest eius nomini. Istud autem Sacramentum habet multiplex nomen , quia à Concil. Nic.1. Can.12. & à Carthagin.4. Can.77. & 78. & ab aliis dicitur Viaticum. Ab August.3. de Trinit. Cap.4. Sacramentum corporis, & sanguinis Domini ; à Chrys. Homil.1. de Cœna Domini, & ab aliis cum Apost.1. Cor.11.

Cor.11.20. Cœna Domini; & communissimè dicitur communio atque synaxis. Quarum vocum significata formalia nullatenus exponit definitio proposita.

Art.1. Respondetur. Eucharistiam esse vnum ex septem Ecclesiæ Sacramentis constat ex quæst.34. Idque fuisse institutum à Christo Domino in Cœna, colligitur ex Matth.26. Marci 14. Lucæ 22. Ioan.9.6. & 1. ad Corinth.11. vti inferius expendetur opportunè. Vnde ratio Sacramenti meritò præfertur loco generis; id est ratio signi symbolici, practici, à Deo pro hominibus instituti. Ratio differentialis est triplex.

Art.2. Prima differentia est ex parte puri signi significantis, & non significati, quod conuenit verbis & speciebus panis, ac vini. Exprimuntur verò solæ species, quia ipsæ, & non verba importantur in recto per istud Sacramentum, vt dictum est supra q.8. Secunda differentia est ex parte signi significantis simul, & significati, quod conuenit Corpori, & Sanguinis Christi: & significatis per verba, & species, simúlque consignificantibus effectus gratiæ. Quæ de causa corpus, & sanguis Christi res Sacramenti, & simul Sacramentum dici solent. Tertia differentia est quoad virtutem actiuam in ordine ad effectum extrinsecum, purè significatum, qui in hoc Sacramento est augmentum gratiæ non qualecunque, sed coniunctum cum abundantia vniuersali auxiliorum actualium, ad omnes operationes proprias vitæ spiritualis: & non tantum ad aliquam determinatam speciem ipsarum, vt euenit in reliquis Sacramentis, iuxta finem cuiusque particularem; & insuper cum feruore charitatis, qui est effectus specialissimus huius Sacramenti. In his porrò duobus virtualiter continetur, tanquam in causa, præseruatio à peccatis, quæ propterea non exprimitur seorsim, licet sit effectus non minus proprius huius Sacramenti, vt dicetur, quæst.69.

Art.3. Constat igitur definitio proposita genere, communi aliis Sacramenti, & multiplici differentia ab iisdem; & prætereà à Sacramentis possibilibus institui in speciebus panis, & vini absque corpore & sanguine Christi; vel cum corpore, & sanguine Christi sub aliis speciebus, vel cum vtrisque, in ordine tamen ad alios effectus; adeoque est definitio bona, & adæquata, nec redundans.

Ad 1. August. in illo eodem lib.cap.4. tradit quædam esse signa signorum; quæ proinde distinguuntur à signo sui non tamen ab omni signo. Ita species panis, & vini significant corpus, & sanguinem Christi; & rursus, cum ipsis Christi corpore, & sanguine, significant effectus gratiæ. Quare corpus, & sanguis Christi, distinguuntur quidem à Sacramento inadæquatè sumpto, nempe à speciebus, quæ sunt purum signum, non tamen à toto Sacramento Eucharistiæ; cuius ea pars est signum, & significatum; causa, & effectus simul, vt dictum est.

Art.1. Ad 2. Vnum dicitur, vt docet D.Thom. q.73. art.2. ex Philosopho 5. Metaphysic. text.9. non solum quod est indiuisibile, vel continuum; sed etiam quod est perfectum. Istud autem Sacramentum exhibetur ad modum conuiuij, ad cuius perfectionem spectant cibus, & potus. Vnde vtraque species cum eo simul, quod vnaquæque continet sub se, constituit vnum Sacramentum secundùm speciem infimam: vnitate formali, & perfectionis; licet sit multiplex materialiter, secundùm species panis, & vini, & secundùm verba circa ipsas. Idem porrò dicitur de definitione, atque dictum est de definito.

Art.2. Iam qui communicat sub vna specie tantum, suscipit partem Sacramenti aptitudinaliter, & in potentia, licet accipiat Sacramentum, quod actualiter non est pars, sed totum; idque perfectum perfectione continentiæ Christi, & virtutis sanctificandi, quia totus Christus subest vtrilibet speciei, & vtralibet confert gratiam se sola, vt infra dicetur; esto non sit omninò perfectum perfectione Symbolicæ significationis, seu secundum rationem formalem Sacramenti.

Art.3. Demum locutio in plurali habet sufficiens fundamentum in pluralitate materiali specierum & verborum valentium existere, & operari seorsim sicut habet fundamentum locutio in singulari, iuxta dicta, quæ est frequentior, & qua etiam vtitur Ecclesia, dum dicit: *Hoc tuum Sacramentum non sit nobis reatus ad pœnam*; & Concil.Trid. sess.13.cap.1. & alibi sæpè. Ex quibus concluditur cum D.Thom. loco cit. ad 1. *Hoc Sacramentum esse quodammodo multa, simpliciter autem vnum.* Quod ipsum dicunt Suarez; Vasquez, & alij communiter.

Art.1. Ad 3. Particula *per modum cibi, & refectionis* explicat magis rationem symboli, quam symbolizati, & symbolizatum ipsum significat ad modum alterius, & vt subest symbolo; id est explicat potius, obscurè, vt latet sub velamine, quam distinctè, vt est in se. Theologi autem munus est exponere distinctè, & detecto velamine, quoad fieri potest, quidditatem rei, vt est in se: idque præstat definitio data, vt apparebit clarius, quæst.89.

Art.2. Quod suggeritur de augmento gratiæ formaliter, vel materialiter collato, dicitur pro libito, & est falsum. Quia in quouis Sacramento conferente augmentum gratiæ, is effectus est præcipuus inter alios, ideoque intentus, & collatus formaliter vt talis est, siue vt augmentatiuus est. Deus enim semper, ac necessariò intendit magis meliora quæque qua meliora sunt, vt dictum est, quæst.25. de Deo.

Ad 4. Omnia ea nomina significant eandem rem relatiuè ad diuersos effectus, diuersáque connotata, vt liquet ex communi eorum expositione in præsenti, præsertim apud Valent. disp.6. q.1. punct.1. Confici proinde possunt totidem huius Sacramenti definitiones similiter inter se diuersæ. Verùm quia in idem omnes recíderent, delecta potissimum est quæ correspondet nomini communiori, ac celebriori, & quod magis congruit substantiæ mysterij secundum se.

## QVÆSTIO LIX.

### *Vtrùm panis triticeus, & vinum de vite sint materia remota huius Sacramenti?*

VIdetur non esse. 1. Quia materia huius Sacramenti est res maximè idonea ad significandam passionem Christi, eiusdémque corpus, & sanguinem. Ad istam autem significationem sunt magis idoneæ, caro, & sanguis animalium, quæ erant materia veterum Sacramentorum, minus vtique perfectorum, quam sit Eucharistiæ. Ergo ea caro, isque sanguis, & non panis, & vinum sunt materia huius Sacramenti.

2. Istud Sacramentum institutum est pro toto genere humano, vtque celebretur vbique gentium. Ergo materia eius est res, quæ vbique gentium reperitur. Panis autem triticeus deest in multis Prouinciis, & vinum de vite in non paucis.

3. Non est de substantia Sacramenti, quòd verba sint eius determinatè idiomatis, quo vsus est Christus Dominus, quodque erat proprium eius regionis, sed æquialentia sufficiunt. Ergo nec est de substantia, quod panis sit triticeus, & vinum sit de vite, licet ea adhibuerit Christus Dominus, quia erant communia, & vulgaria, vbi ipse tunc degebat; sed sufficiunt, pro vnaquaque regione, ea quorum est vulgaris vsus loco eius panis, & vini.

4. Non

4. Non habetur ratio quantitatis consecratæ à Christo ; cùm in quauis indiscriminatim quantitate fiat passim consecratio, & valida censeatur. Nec item obseruatur omnis qualitas panis consecrati à Christo, cum ipse consecrauerit in azymo, quandoquidem consecrauit prima die azymorum, vt constat ex Matthæo, Marco, & Luca, vbi suprà. Qua die nihil fermentatum apud Iudæos esse poterat, vt constat ex 12. Exodi. Et tamen Ecclesia Græca celebrat in fermentato, atque omnino certum est, eam consecrationem esse validam. Ergò valida similiter erit consecratio, licet panis non sit triticeus, nec vinum sit de vite, sed alterius conditionis.

5. Ex iisdem nutrimur, ex quibus sumus, vt dicitur in 2. de generat. text. 50. Sumus autem Christiani, & generamur specialiter ex aqua per baptismum. Ergò nutrimur similiter ex aqua per Eucharistiam.

6. Panis triticeus confectus cum admixtione farinæ ex granis alterius speciei, totus validè consecratur, eademque est ratio de mixtione vini. Ergò eædem partes alterius speciei, seorsim existentes, sunt materia sufficiens consecrationis validæ. Nec enim mixtio mutat naturam miscibilium. Quòd si ponatur mutare, mutabitur etiam in aliam speciem, ratione eiusdem mixtionis species panis, & vini ; & per consequens non erit materia determinatè necessaria panis triticeus, & vinum de vite in specie propria.

7. Panis Triticeus subactus aqua artificiali, aut exsiccatus calore solari, aut confectus amydo non est materia sufficiens consecrationis. Similiter omphacium, & vinum passum ; lira, & acetum ; succus adhuc in acinis inclusus, & aqua vitæ, & si quæ sunt similia, non sunt materia sufficiens, & tamen sunt liquores ex vite, ex qua nullus est liquor præter vinum. Ergò pro materia sufficienti ad consecrationem validam non sufficit panem esse triticeum, aut vinum esse de vite ; sed aliquid præterea superaddendum est pro constituenda, ac discernenda materia sufficienti.

Artic. 1. Respondetur. Certum est primò ex fide panem, & vinum esse materiam necessariam huius Sacramenti. Quia Christus instituit illud in pane, & vino, vt patet ex Matth. 26. aliisque locis suprà citatis. Certum similiter est ex fide panem triticeum communem, & vsualem, & vinum de vite communem itidem, ac vsualem, quæque his duabus vocibus absolutè, & sine addito significantur communiter, ab iis, apud quos proueniunt, aut sunt in vsu vulgari, esse materiam sufficientem. Colligitur ex eadem Christi institutione. Quia eiusmodi panis, & vinum adhibebantur in mensis Iudæorum, nec dubitatur, quin eisdem vsus fuerit Christus Dominus, maximè cum istas voces *panem*, *vinum* vsurpent Euangelistæ absque addito, pro significanda ea materia ; atque istæ voces, vel vnicè, vel maximè significent cibum, & potum, quales describuntur in conclusione. Materia autem, qua vsus est Christus in institutione, est certissimè sufficiens. Certum denique est, ita vt saltem sine temeritate, & periculo erroris in fide negari minimè possit, eundem panem triticeum, & idem vinum de vite esse materiam necessariam, non solum necessitate præcepti, vt circa panem opinantur Caietanus, & pauci alij ; sed etiam necessitate Sacramenti.

Artic. 2. Concluditur hoc vltimum clarè ex Conc. Florent. in decreto Eugenij 4. §. *Tertium est*. Ait enim. *Tertium est Eucharistiæ Sacramentum, cuius materia est panis triticeus, & vinum de vite, cui ante consecrationem aqua modicissima admiscri debet*. quibus verbis tradi materiam necessariam necessitate Sacramenti, seu sine qua Sacramentum est nullum, constat. Primò, quia scopus Pontificis, & Concilij est, tradere, quæ pertinent ad veritatem, idest ad valorem, & essentiam Sacramentorum, vt apparet ex §. *Quintò Ecclesiasticorum* in ipsis primis verbis, qui incipit: Doctrina de Sacramentis ; & rursùs ex principio totius decreti, vtpotè proponente definiendam doctrinam fidei, vbique communis, & inuariabilis ; cùm quæ sunt tantùm sub præcepto, variabilia sint, nec sint vbique necessariò communia. Secundò, quia pro reliquis omnibus Sacramentis, assignantur solæ materiæ, & formæ necessariæ, necessitate Sacramenti, de quo nemo dubitat ; nec est vlla ratio excipiendi, circa Sacramentum Eucharistiæ ; vtpotè non aliter explicatæ, quam explicentur reliqua Sacramenta. Tertiò, quia in verbis allatis, altera pars materiæ, nempè vinum de vite, accipitur sine vlla controuersia, de materia necessaria necessitate Sacramenti, atque pars altera, de pane triticeo, eodem proculdubio sensu accipienda est ; cùm simili prorsùs modò exprimatur. Quartò, quia aqua, licet sit necessaria necessitate præcepti, non tamen dicitur esse materia, sed seorsim additur eam admisceri debere. Demum admissis, seu intrusis eiusmodi distinctionibus, & limitationibus spontaneis ; definitionum Ecclesiæ, absque fundamento claro in contextu, aut in natura ipsa rei, aut ex alio aliquo textu, euacuantur facile omnes definitiones Ecclesiæ. Accedit Conc. Carth. 3. dicens cap. 24. *In Sacramento nihil aliud offerendum esse, quàm quod Christus Dominus tradidit*. Tradidit autem panem triticeum. Panis igitur triticeus, & vinum de vite, vsualia, & iuxta vulgarem acceptionem earum vocum, absolutè prolatarum sunt materia necessaria, & sufficiens huius Sacramenti ; idque est certissimè tenendum.

Artic. 3. Hinc deducitur. Primò panem ex grano, quòd certo non est triticum, aut confectum ex alia materia ; vt qui fit ex castaneis aliisvè arborum fructibus ; aut ex fabis, aliisque leguminibus ; aut ex milio, aliisque similibus frumenti speciebus, certo esse materiam insufficientem. Idem dicitur de pane triticeo quidem ; sed qui non sit decoctus calore ignis, aut non subactus aqua naturali, sed liquore alterius rationis ex artificio, aut ex sua natura, aut conditus ouis, butyro, &c. quique ex alia qualibet simili causa nomen, & naturam panis triticei communis, & vsualis certò amiserit. Deducitur rursùs, panem contrariæ certò rationis, quoad vtramque eam qualitatem, certò esse materiam sufficientem. Deducitur tertiò ; panem, inter hæc duo extrema, medium, cum dubio ad vtrum eorum determinatè pertineat, esse materiam dubiam, probabilem verò, si ex neutra qualitate fueriti mpossibile sub priori extremo comprehendi, idque magis vel minus iuxta maiorem, vel minorem, probabilitatem eiusdem comprehensionis. Idem proportionaliter dicitur de vino. Atque per hæc refelluntur multi errores mirabiliter absurdi circa materiam huius Sacramenti ; quos refert Suarez, disp. 43. sect. 1. & ex parte D. Thomas quæst. 74. art. 1.

Ad 1. Licet caro, & sanguis animalium expressius repræsentent passionem Christi, tamen panis, & vinum sunt materia absolutè conuenientior, huius Sacramenti : Quia, cum ad frequentem vsum fidelium, sint, & facilè parabiles, & tractabiles cum decentia ; atque ita reficiant corpus seorsim, vt simul sumpti, sint comites valdè necessarij, ac veluti condimentum omnis alterius refectionis, per se necessariæ, sunt præterea admodum idonei ad repræsentandam, tùm vnionem fidelium inter se, & cum Christo quatenùs vtrunque ex multis tritici, & vuæ granis in vnum confluentibus efficitur, tùm etiam passionem Christi, quatenùs species panis, & vini inuicem seiunctæ

corpori, & sanguini inuicem in passione separatis iusta, respectu vtriusque analogia correspondent. Quæ, & similia quam plura, quàm specialiter huic Sacramento, ac sacrificio, incruento congruat, per se satis patet.

Ad 2. Panis triticeus, & vinum de vite suppetunt ex proprio in plerisque regionibus & vbi desunt, conuehi aliundè commodè possunt, in quantitate sufficienti ad consecrationem. Præterea istud Sacramentum in re non est necessarium necessitate medij, sicut baptismus. Oportuit verò materiam esse eandem vbique pro vniformitate fidelium, in mysterio præcipuo; tùm quia, in nulla alia re significationes symbolicæ, quæ sunt de ratione Sacramenti adsunt satis idoneæ, vt apparet ex modo indicatis.

Ad 3. Nulla est paritatis ratio inter verba, & res. Quia in quovis alio idiomate, dantur verba idem significantia, eaque identitas significationis, est clara, ac manifesta, vtpotè venientis ex hominum placito, cum in nulla alia re dentur eædem symbolicæ proportiones, fundatæ in naturis rerum, iisque non vsque adeò peruiis humano ingenio, quoad rationem symbolizationis; tametsi ea daretur reipsa.

Artic. 1. Ad 4. Cum istud Sacramentum institutum sit pro vsu, & conuiuio spirituali fidelium, ex ipsa eius institutione deprehenditur, quantitatem materiæ debere esse maiorem, vel minorem, pro numero maiori, vel minori conuiuarum. Quia verò is numerus non est determinatus, semperque vniformis propterea nulla est vniformis, & inuariabilis determinatio quantitatis requisitæ, ad valorem consecrationis, præterquam versus minimum, vt sit quantitatis per se sensibilis naturaliter, quod est de ratione Sacramenti vt sic, & versus maximum, vt sit quantitas designabiliter præsens consecranti, vt indicant syncategoremata formæ, *hoc, & hic.*

Art. 2. Iam quod panis sit azymus, vel fermentatus, est differentia accidentalis; maximè pro significationibus symbolicis, & vtrique conuenit ratio panis, simpliciter dicti. Vndè vterlibet sufficit ad valorem Sacramenti. Verùm azymus est determinatè in præcepto pro Ecclesia Latina, idemque videtur esse absolutè conuenientior; tùm propter maiorem imitationem Christi, qui vsus est azymo; tùm propter maiorem significationem sinceritatis vitæ Christianæ, illud 1. ad Corinth. 5. 8. *Itaque epulemur, non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ, & nequitiæ; sed in azymis sinceritatis, & veritatis.*

Ad 5. Materia nutritionis applicatur per manducationem, & potum, atque alteratur, & conuertitur actiuitate propria nutriti, non verò materia generationis. Vndè oportuit retineri differentiam quoad hoc proportionalem in materia baptismi, & Eucharistiæ.

Ad 6. Non nocet valori Sacramenti quælibet mixtio, quæ est notabilis, & aufert rationem panis tritici, aut vini de vite vsualium, & simpliciter, ac absolutè talium, vt si maior, vel dimidia pars esset alterius speciei. Cœterum pars alterius speciei, siue parua, siue magna sit, dùm separatim existit, nec effectus, nec apparentiam ad sensum, ac proindè, nec vim significandi retinet eandem, atque habet, seu haberet in mixto; ideóque non est materia perindè idonea, dùm separatur, atque cum miscetur.

Ad 7. Omnia ea, quæ ibi enumerantur, propter excessum, vel defectum, desciscunt à ratione panis, & vini vsualis, quodque simpliciter, & sine addito tale communiter dicitur; ideóque non sunt materia sufficiens ad valorem Sacramenti. Verùm indè non conuincitur addendum esse aliquid, pro designanda materia sufficienti, vltra panem triticeum, & vinum de vite; sed potius nihil addendum, aut detrahendum esse.

## QVÆSTIO LX.

### *Vtrùm hæc verba: Hoc est corpus meum: Hic est calix sanguinis mei, &c. sint forma huius Sacramenti?*

VIdentur non esse. 1. Quia minister profert hæc verba purè recitatiuè, tanquã olim dicta à Christo, vt patet ex contextu canonis; ideóque non significant in ministro intentionem aliquid faciendi; neque quod aliquid fiat de præsenti, sed, quòd olim factum fuerit. Essentiale autem est formæ Sacramenti, vt significet intentionem ministri, & opus eius supernaturale, vi eiusdem formæ, positum à parte rei: iuxta significationem ipsius, & non aliter, vt dictum est qu. 14. & alibi. Ergò ea verba non habent rationem formæ.

2. Si pronunciatio eorum verborum ex vna parte sit recitatiua, iuxta naturam contextus, & ex alia parte simul sit personalis, & significatiua practicè, propter intentionem ministri, volentis exercere significationem eorum de præsenti, & vi eorundem ponere à parte rei obiectum significatum; sequitur eam intentionem non esse sinceram qui contrariatur contextui loquentis, & locutionem esse falsam, quia *Tò meum, & mei* in locutione personali, & significatiua appellant suprà corpus, & sanguinem loquentis. Quæ certè non adsunt sub speciebus.

3. Particulæ *hoc*, & *hic*, cum sint demonstratiuæ de præsenti, supponunt pro eo, quod tunc subest accidentibus, cum ipsæ proferuntur. Tunc autem subsunt illis solæ substantiæ panis, & vini. Quibus sanè subiectis, non conuenit esse corpus, & sanguinem Christi. Eodem recidit copulam *est*, exigere pro sui verificatione, vt prædicatum insit subiecto, pro eo ipso instanti, pro quo ea profertur, & non tantùm pro aliquo instanti subsequenti. Corpus autem, & sanguis Christi non insunt, nisi in fine totius pronunciationis. Ergò neutra propositio est vera; atque dici potius deberet *erit*, & non *est*.

4. Si dicatur, priora vtriusque eius propositionis verba referri, ex intentione loquentis, ad vltimum instans prolationis, atque supponere, pro re secundùm statum, quem tunc habet; sequitur significatum reale particularum, *hoc*, & *hic*, esse corpus, & sanguinem, quæ pro illo instanti subsunt accidentibus, panis, & vini. Hinc autem subsequitur vlterius, sensum vtrobique realem esse istum; *Corpus meum, est corpus meum*: *Sanguis meus, est sanguis meus.* Quæ quidem erant vera, etiam ante consecrationem. Vndè consecratio nihil operabitur, ex vi suæ verificationis: Quod est absurdum, vt apparebit ex dicendis qu. 65.

5. Forma Sacramenti debet exprimere effectum eius: Effectus autem huius Sacramenti, est conuersio panis, & vini, in corpus, & sanguinem Christi; quæ magis exprimitur per Verbum *fit*, quàm per Verbum *est*. Ergò illud potus Verbum, quàm istud poni deberet. Confirmatur, prius est rem fieri, quàm esse: fieri autem huius conuersionis sunt ipsa verba formæ. Ergò non possunt verificari, si annuncientur per Verbum *est*, quia eo ipso enunciantur, nondum existente verificatiuo ipsorum. Confirmatur rursùs, quia secundùm Ambros. lib. 4. de Sacram. c. 4. sub initium, *eo sermone Christi conficitur hoc Sacramentum, quo facta sunt omnia.* Omnia autem facta sunt per Verbum Imperatiuum, vt apparet ex 1. Genes. Magis ergò dici deberet *fit*, quam *est*.

6. Terminus ad quem istius conuersionis, exprimitur nomine proprio. Ergò etiam terminus à quo, non minus essentialis conuersioni, deberet exprimi nomine similiter proprio, vt diceretur: *Hic panis est corpus meum: Hoc vinum est sanguis meus.*

7. Hoc Sacramentum perficitur verbis Christi, vt docent

docent. Ambros. & Aug relati cap. *panis est in altari*, & cap. *verum sub figura* de consecrat. dist. 2. aliique PP. communiter apud Suarez. disp. 66. sect. 3. Christus autem, ante verba proposita circa corpus, præmisit hæc alia: *accipite & comedite*, vt habetur Matt. 26. & Corinth. 11. 24. Circa sanguinem etiam similiter, præmisit, vt narrat Matthæus ibidem. Præterea de corpore subiecit: *Quod pro vobis tradetur*, vt habetur Lucæ 22. 19. & apud Paulum loco cit. idemque similiter subiecit de sanguine apud Matth. Marcum, & ipsum Lucam. Ergò verba proposita non sufficiunt se solis, pro forma huius Sacramenti.

8. Verba illa, quæ adiiciuntur in consecratione vini: *noui & æterni testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum*; non habentur omnia coniunctim apud vllum ex Euangelistis, & apud Paulum desunt fere omnia, & nonnulla, vt *Tò æterni Tò mysterium fidei* desunt apud omnes; Quæ verò habentur, nec eadem, nec eodem ordine, ab omnibus referuntur, vt videre licet in locis modò indicatis. Præterea eadem verba desiderantur, vel omnia, vel quoad partem, in multis legitimæ, & magnæ auctoritatis liturgiis receptis vsu antiquo, & in hunc vsque diem retentis à pluribus Ecclesiis nihil reclamante Ecclesia Romana, & sede Apostolica de nullitate, vt videre licet apud Suar. disp. 60. sect. 1. Vasq. disp. 198. cap. 3. Valen. qu. 6. pun. 2. & Card. de Lugo disp. 11. sect. 4. aliosque in præsenti. Apud eosdem habentur Ambrosius, & alij. SS. PP. ac præsertim Damascenus, nec non Mag. Alens. Albert. Magn. D. Bonauent. aliique Primarij Theologi exponentes ex professo vtramque formam istius Sacramenti absque additamento talium verborum. Ergò ea verba non pertinent ad formam huius Sacramenti.

9. Eadem verba videntur non satis inter se cohærere. Primum enim nouum est, quod immediatè aut paulo ante non fuit; æternum verò, quod semper fuit. Ergò non potest vtrumque eidem rei conuenire. Secundò *Tò pro vobis, & pro multis*, neque de solis electis accipi potest, quia electi, sunt pauci, ex Matth. 20. 16. neque de quibusuis indiscriminatim accipi potest; pro quibus sanguis Christi effusus est, quia non pro multis tantùm, sed pro omnibus mortuus est Christus ex 2. ad Corint. 5. 15. Demum particula *effundetur* non verificatur de sanguine Christi, vt est in Sacramento; *Christus enim iam non moritur*, vt dicitur 6. ad Rom. 9. ac proindè sanguis eius non amplius effunditur, aut effundetur.

Art. 1. Respondetur. Certum est apud omnes Catholicos, contineri in verbis propositis formam sufficientem pro consecratione tam panis, quàm vini. Quia illis solis perfecit, ac instituit hoc Sacramentum Christus Dominus, vt liquet ex locis Euangeliorum, & Pauli nuper indicatis, & ex perpetua Ecclesiæ traditione; iisdemque solis vtuntur, & semper vsæ sunt Ecclesiæ omnes Catholicæ, vt liquet ex liturgiis, & consensu Sanctorum paulò ante indicatis apud authores eruditos; ac demum iisdem solis significantur perfectè totum esse, omnesque effectus huius Sacramenti, vt infrà patebit; atque forma adæquata Sacramenti continetur in solis verbis continentibus adæquatè eiusmodi significationem. Hoc posito ex communi, ac indubitato consensu, supereſt grauis, & difficilis controuersia: An eadem omnia verba sint de essentia Sacramenti, & formæ Sacramentalis; adeóque omnia sint omninò necessaria ad perficiendum Sacramentum.

Artic. 2. Dicendum est primò; hæc sola verba: *Hoc est corpus meum: Hic est Calix sanguinis mei; seu Hic est sanguis meus*, sufficere ad Sacramentum validum; ita vt minister idoneus ea sola proferens cum debita intentione, eo ipso perficiat validè Sacramentum. Ita docet disertè D. Thomas quæst. 78. art. 1. maximè ad 4. Vndè ea sola verba constituunt adæquatè formam huius Sacramenti quoad essentiam ipsius, vt docent vnanimi consensu authores relati in 8. argumento; aliique communiter, probant efficacissimè istam conclusionem, quæ in eodem octauo argumento producta sunt. Incredibile namque est Euangelistas, & D. Paulum in narratione huius mysterij ea, vel omisisse, vel non concorditer tradidisse, quæ pertinent ad essentiam eius. Prædicta autem solummodo verba exprimunt omnes concorditer. Neque est magis tolerabile tot Ecclesias, in vera Christi fide fundatas, eisdem solis verbis vtentes, certè in eis solis inuicem vniuersaliter conformes, nulliter per tot sæcula celebrasse, hodiéque celebrare; vel à Deo factas esse pro ipsis speciales huius Sacramenti institutiones, per instinctum purè internum. Quorum neutrum absque magna absurditate dici potest. Demum verba sacramentalia efficiunt, quod significant; idest, efficiunt, quantum necesse est, vt verificentur, provt exponetur magis quæst. 65. ex Conc. Trid. Prædicta autem verba significant se solis præsentiam corporis, & sanguinis Christi; nec verificari possunt ea non data, vt patet. Ergò efficiunt eandem. Data autem eiusmodi præsentia, datur valor, & essentia Sacramenti: Quibus profecto argumentis, quid cum aliqua satis idonea probabilitate, & apparentia responderi possit, ego prorsùs non video.

Art. 3. Dicendum rursùs est illa alia verba: *noui, & æterni testamenti, &c.* quæ sequuntur in consecratione calicis, esse nihilominùs de substantia formæ, & pertinere ad integritatem substantialem ipsius, atque conuenienter adiungi ab Ecclesia, tanquam determinationes vberius declaratiuas prædicati, cui adiacent; idest, sanguinis Christi; ita docet disertè D. Thom. qu. illa 78. à 3. & Sotus, aliique Thomistæ contradicentibus Suarez, Vasq. Valen. & multis aliis, eò quòd in Sacramentis nullo ex capite discerni possit, quod est de substantia, ab eo quod est de essentia, & partes substantiales integrales ab essentialibus.

Art. 4. Probatur nihilominùs efficaciter conclusio. Primò quia Innocentius 3. cap. cum Marthæ. extra de celebrat. Miss. omnia ea verba appellat formam huius sacramenti. In fine namque §. *Quæsiuisti. quæ sit forma*, concludit sic: *Credamus igitur, quòd formam verborum sicut in Canone reperitur, & à Christo Apostoli, & ab ipsis eorum acceperint successores.* Quæ autem purè accidentaliter se haberent respectu formæ, non rectè dicerentur forma sine addito diminuenti, nec vsque adeò curandũ fuisset, an ea ita dicta essent à Christo. Quod tamen toto illo §. diligenter persuadetur, & seriò concluditur cum ad superaddenda accidentia, Ecclesiæ non desit authoritas. Deindè omnia ea verba sunt vniformiter in se, & cum discretione à cœteris præcedentibus, & subsequentibus verbis, conscripta ex immemorabili Ecclesiæ obseruatione; eademque est obseruatio in modo reuerentiæ nequaquam interruptæ, quo ea omnia pronunciat Presbyter, quod tamen fieri non deberet, si vnitatem per se, quam indicat vtraque eiusmodi vniformitas, ea non haberent in ratione formæ sacramentalis. Tertiò Presbyter non proponit populo adorandum Calicem, quousque absoluat omnia ea verba; cum proponere protinus deberet absoluta substãtialiter forma. Quartò Concil. Florent. in decreto, & §. suprà memoratis ait: *Forma huius Sacramenti sunt verba Saluatoris, quibus hoc perficit Sacramentum.* Constat autem ex textu Innocentij nuper adducto omnia ista verba esse verba Saluatoris, non vtique ab eo prolata qualitercunque, & ad qualecunque aliud propositum, sed ad id spectantia determinatè, de quo agebat Pontifex; nempè vt eis perficeret Sacramentum. Ergò omnia ea verba spectant ad formam huius Sacramenti. Non autem ad eam spectant secundùm essentiam ipsius, vt constat ex conclusione præcedenti.

Ergò spectant ad integritatem eius substantialem.

Artic. 5. Dicendum postremò est partes substantiales purè integrales, à partibus essentialibus formæ, per hoc differre, quòd partes essentiales significant, & inducunt se solis conuersionem panis, & vini, in corpus, & sanguinem Christi secundùm se, eademque conuersio existit adæquatè, cùm primum absoluitur illarum prolatio. A partibus verò accidentalibus, & extrinsecis formæ, differunt eædem partes integrales, quia vt dicit D. Thomas l. c. sunt modificationes prædicati, quod est essentiale formæ, eiusque augent significationem, & reddunt clariorem, ac faciunt præsentiam Christi sub speciebus, idque intra idem genus significationis, & expressionis quatenùs omnia sunt verba Christi instituentis hoc Sacramentum, vt nuper habitum est ex Inno. 3. Quam in rem oportet recolere obseruationem datam in communi suprà qu. 10. articulo 2. circa authorem, & specialem indè significationem verborum sacramentalium.

Artic. 6. Eadem hac de causa Sacerdos non proponit populo adorandum Calicem, quousque absoluat prædicta verba integralia formæ; tametsi adsit Christus sub speciebus, cum primum enuntiantur, quæ essentialia sunt. Ne videlicet, vel ipse aliqualiter interrumpat verba Christi Domini, constituentia vnum per se moraliter, sed tota mentis, & corporis applicatione vniformi illis religiosè absoluendis sit intentus; neuè populus ab inchoata eorundem Christi verborum attentione diuertatur ad aliud, quousque tota propositio Christi loquentis per suum ministrum sit perfectè terminata, & exaudita. Idem præterea obseruatur, quia non est damnata opinio, dicens omnia ea verba esse de essentiæ formæ, ideóque non est certum ex fide, adesse Christum antequam omnia illa absoluantur; atque pro adoratione meritò expectatur totalis certitudo præsentis Christi: simul cum totali eiusdem significatione, & expressione. Hoc igitur pacto rectè reuocantur in concordiam, aut emendantur ex parte, sententiæ contrariæ suprà indicatæ, circa formam Calicis.

Artic. 1. ad 1. & 2. Verba consecrationis dicuntur à Ministro relatiuè, seu historicè; simulque personaliter, & practicè. Quod dicantur relatiuè; indicat inter alia, particula *enim* interposita vtrique formæ. Ea namque particula non est pars formæ neque essentialis, neque substantialis, aut integralis, vt est certum apud omnes Theologos, quia nihil facit pro significatione practica enunciationis sacramentalis; sed solùm ponitur ad connectendam vtramque enunciationem narratione præcedentis, tanquam eius complementa atque adeò indicat clarè vtramque formam dici historicè, & continuando narrationem.

Artic. 2. Quod autem eadem verba non dicantur purè recitatiuè, ac historicè; sed personaliter simul, ac practicè; indicat non solum diuersa pro tunc corporis habitudo, ac vocis tenor, & interposita morula, manifestantes diuersam esse intentionem loquentis; atque aliud eundem moliri sequentibus, quàm præcedentibus verbis; sed etiam, & multo magis id ipsum indicat reuelatio Dei præuia fidelibus, ipsique ministro iam notificata, Deum velle vt ea verba dicantur à ministro nomine Christi, cum potestate, & intentione faciendi, quod dicit, iuxta illud apud Lucam, & Paulum, vbi suprà: *Hoc facite in meam commemorationem.* Vbi certè non iubentur solùm referre, quia facere plus est, quàm purè referre. Habent igitur prædicta verba veram rationem formæ sacramentalis, licet dicantur recitatiuè, ac historicè, quia nihilominùs dicuntur personaliter simul, & practicè.

Artic. 3. Quia verò, quòd eo modo dicantur, supponitur præcognitum à fidelibus, idemque demonstrat satis ipsa loquentis habitudo nuper obseruata: nullus est defectus sinceritatis in ministro, sed est abundantia ministerij in locutione. Rursus quia minister loquitur in persona Christi, *Tò meum, & mei* appellant solùm suprà corpus, & sanguinem Christi, propterea-que nulla est falsitas locutionis: sicut nulla esset, si famulus adiret possessionem Domus; nomine sui Domini, & diceret: *Dominus meus, inposuit mihi vt reciperem pro ipso hanc domum dicens, vti recipio, & dico eius nomine: Hæc domus est mea.*

Ad 3. & 4. Particulæ *hoc*, & *hic*, referuntur simul cum copula, ex intentione ministri ad vltimum instans propositionis exterius prolatæ, vtpotè operatricis se tota, & non per partes suas seorsim sumptas, supponunt verò confusè pro eo, quòd subest accidentibus, quin determinent per se præcisè, aut quod subest, cum proferuntur; aut quod subest in fine propositionis. Quo vitatur vtrumque illud obiectionum inconueniens, Ambæ namque propositiones sunt veræ, quin sint identicæ; atque operantur denuo, quòd significant. Sensus, nimirum est. *Substans his accidentibus est corpus Christi, & sanguis Christi.* Quo ferè modo exponitur communiter à Logicis prædicatio rationis vniuersalis de particulari in indiuiduo.

Ad 5. In his, quæ fiunt in instanti, simul est fieri, & factum esse. Effectus autem Sacramenti adeoque conuersio Eucharistica fit in instanti, vt dictum est suprà in communi quæst. 29. Intentio verò consecrantis sistit vltimò in facto esse conuersionis, idque inducit significando ipsum per verba, habente rationem causæ ipsa significatione effectus, vt existentis pro posteriore naturæ ad eandem significationem. Qua propter *Tò est*, & verificatur, quia effectus existit realiter pro illo ipso instanti, & iustius correspondet intentioni operantis, atque modo operandi, quàm Verbum *fit*, *fiat*, aut *sit*; licet hoc Verbum fuerit magis accommodatum pro prima rerum creatione. Quam videlicet induxit Verbum Dei, non sacramentaliter, & significando; sed solùm applicando potentiam ad opus. Ex quibus patet ad confirmationes.

Ad 6. Terminus à quo conuersionis non existit pro instanti intrinseco consecrationis, sed solus terminus ad quem; nec illius exclusio intenditur per se, & directè, sicut intenditur positio huius. Vndè non est par ratio.

Ad 7. Hoc Sacramentum perficitur Verbis Christi non qualibuscunque, sed iis tantùm, quibus ipse illud perfecit. Ipse autem non perfecit per illa verba: *Accipite, & comedite*; seu *bibite.* Quæ videlicet solùm significant vsum, qui non est de substantia huius Sacramenti, sicut in Sacramentis cæteris, vt infrà dicetur. Iam Verbum *pro vobis, &c.* conuenientius adiungitur sanguini, quàm corpori; nec repetitur vtrobique, licet Christus vtrobique repetierit. Quia sanguis seorsim consecratus præsentat expressè passionem Christi, cuius effectus significatur ea additione. Nec opus est repetitione in Missa, quia altera consecratio vix quidquam disiungitur ab altera; cum in cæna Christi intercesserit disiunctio maior, quandoquidem panis inter cœnandum, calix post cænam consecratus est, vt habetur apud Lucam, & Paulum vbi suprà & in Canone.

Ad 8. Omnes Euangelistæ, & Apostolus, conueniunt in referendis distinctè iis, quæ sunt de essentia formæ, cætera habentur ex traditione Apostolica, vt innotuit ex Innoc. 3. iuxta illud 1. ad Corinth. 11. 23. *Ego accepi à Domino, quod & tradidi vobis.* Illa eadem ad integritatem substantialem pertinentia oportuisse, vt essent occulta in Ecclesia primitiua, obseruatio est Diui Thomæ in præallegato art. 3. ad 9. ex Dion. de Eccl. Hierarch. sub finem. Neque verò est inconueniens intolerabile, eadem verba

desiderari,

desiderari, tùm in vsu aliquarum Ecclesiarum, tùm in expositione aliquorum Doctorum. Quia defectus partium purè integralium non tantum nocet proportionaliter sacramento, quantum nocet composito naturali. In composito enim naturali præsertim viuenti,& multo magis animali defectus partium integralium impedit operationes essentiæ, quarum illæ sunt causæ instrumentales necessariæ. At in sacramento, salua essentialia, manent iidem omnes effectus gratiæ, solúmque deest maior aliqua, & expressior illorum significatio. Quæ licet sit eiusdem generis, & componens vnum per se morale, cum significatione essentiali, vt dictum est, non tamen tanti est proportionaliter, vt iam apparuit.

Art. 1. Ad 9. Nouum dicitur,quod succedit alteri,& est postremum; æternum verò, quòd nunquam deficiet; tale autem est testamentum confirmatum morte Christi Domini: quod propterea dicitur nouum ratione posterioris temporalis exhibitionis, & æternum, etiam à parte ante; ratione præordinationis diuinæ. Nempè hæc locutio est propria Christi, vt hominis Dei, adiungentis propterea opportunè temporalitatem affectam æternitate.

Art. 2. Effusio sanguinis Christi vtrouis ex illis modis dici potest *pro multis*. Pro electis quidem, quia electi ita sunt pauci comparatione omnium vocatorũ, ac reproborum, quibus contraponuntur in parabola Matthæi; vt tamen sint multi comparatione Apostolorum, aut etiam cæterorum sacerdotum, quibus contraponuntur in præsenti. Pro quibuisuis verò vtcunque contentis in intentione,& opere merentis,quia nomine multorum posito indefinitè,non incongruè, nec rarò comprehenduntur omnes, quando omnes re ipsa sunt multi. Probabile præterea est *pro vobis & pro multis* poni pro Hebræis, & Gentilibus comprehendendo vtrobique prædestinatos simul cum reprobis. Sed probabilius est nomine multorum intelligi cæteros fideles, quia hoc sacrificium offertur propriè in Ecclesia pro solis fidelibus.

Art. 3. Denique effundi perindè est in præsenti, atque libari, & offerri, quatenùs oblatio liquidorum sit cum effusione. Quo itidem sensu,ac ratione dicitur apud Paulum suprà,& indè à Græcis: *Corpus meum quod pro vobis tradetur*; seu vt est in alia versione *frangetur*; id-est *immolabitur*. Reliquæ particulæ infrà opportunius exponentur.

---

## Qvæstio LXI.

### *Vtrùm panis, & vinum possint conuerti in corpus, & sanguinem Christi?*

VIdentur non posse conuerti. 1. Quia conuersio continetur sub genere motus, vtpotè faciens aliquid aliter se habere. Est autem de ratione motus, vt præsupponat subiectum recipiens terminum eius, quia est actus existentis in potentia, vt dicitur. 3. Phys. Text. 6. At in Sacramento nullum est subiectum, quod recipere possit substantiam corporis, & sanguinis Christi, cum sit de conceptu substantiæ non esse in subiecto. Ergò eiusmodi conuersio est impossibilis.

2. De ratione conuersionis est, vt forma eius in quòd conuertitur aliquid, insit materiæ eius, quod conuertitur in ipsum; vt apparet ex conuersione aëris in ignem, alimenti in altium, & sic de similibus. Forma autem corporis & sanguinis Christi nequit inesse materiæ panis, & vini. Ergò hæc in illa conuerti nequaquam possunt.

3. Quæ sunt secundùm se adæquatè diuersa non possunt inuicem conuerti, aut vnum eorum fieri alterum; sed necesse est adesse aliquod tertium vtrique commune; Nec enim nigredo fit albedo, aut conuertitur in albedinem, sed ex nigro fit album, vt dicitur in 1. Physic. à tex. 42. Tota autem substantia panis, & vni, atque tota substantia corporis,& sanguinis Christi, sunt secundùm se adæquatè diuersa: non minus, quàm albedo, & nigredo. Quia sicut istæ qualitates sunt principia distinctionis formalis; ita illæ substantiæ ratione materiæ signatæ vtrobique contentæ, sunt principia distinctionis indiuidualis. Ergò vtrobique est eadem impossibilitas mutuæ conuersionis.

4. Non potest quidlibet conuerti in quodlibet aliud. Nec enim Deus in creaturam, spiritus in corpus, non esse in esse, & similia inuicem conuertibilia sunt, siue mutuò, siue non mutuò. Nullam autem specialem aptitudinem habent panis, & vinum, vt conuertantur in corpus, & sanguinem Christi. Ergò neque hæc sunt inuicem conuertibilia.

5. Aliquid conuerti in aliquid aliud, est ex aliquo fieri aliquid aliud. Nequit autem ex pane, & vino fieri, corpus, & sanguis Christi. Primò quia id ex quo fit aliud, dicitur fieri illud. Quia enim ex albo fit nigrum, & è conuerso; dicitur album fieri nigrum,& è conuerso. Non autem dicitur panem fieri corpus Christi,cum panis non sit subiectum huius factionis, vtpotè non existens, cum datur factio. Deindè quia fieri terminatur ad esse, seu ad factum esse. Nequit autem verificari panem esse, aut factum esse, aut fore corpus Christi. Ergò nec verificari potest ex pane fieri corpus Christi.

6. Ad conuersionem vnius in aliud requiritur, vt quod conuertitur desinat esse; vtque id in quod conuertitur, incipiat esse de nouo. Nec enim id conuertitur, quod perseuerat, sicut erat antea; neque quòd desinit esse, conuertitur in id quòd vel iam præexistebat, vel nondùm existit. Corpus autem, & sanguis Christi præexistunt antequam perficiatur hoc Sacramentum. Et quidem præexistunt per se, & non per accidens, quia hoc Sacramentum perficitur dependenter à meritis Christi, & Minister illud perficiens operatur nomine Christi, vt principalis, ac æterni Sacerdotis. Sed neque panis desinit esse ex vi actionis, quia fit idem Sacramentum. Quia hæc actio nihil, aut gignit, aut creat quod formaliter sit corruptiuum, aut annihilatiuum panis. Ergò vtraque ex parte repugnat, vt hic intercedat vera conuersio.

7. Neque actio creatiua est conuersiua alicuius in aliquid, neque actio purè adductiua de loco in locum, est conuersiua substantiæ in substantiam. Quia prior actio ponit suum terminum à parte rei nullo alio præsuppositio, quod conuertatur, & posterior actio solùm ponit mutationem secundùm accidens; oportet autem dicere actionem istam sacramentalem, vel esse creatiuam, vel esse purè adductiuam corporis, & sanguinis Christi secundùm locum. Quia pro ipsorum secundùm se productione nullum præsupponitur subiectum ex quo educi valeant; ipsis verò secundùm se non productis, sola supereſt præsentia localis, quæ producatur; atque productio solius præsentiæ localis est actio, purè adductiua in nouum locum. Ergò actio, qua perficitur hoc Sacramentum, nullo modo potest esse controuersiua.

Artic. 1. Respondetur conuersio communiter dicitur *transitus vnius rei in aliam*. Vndè apparet de conceptu conuersionis esse, vt adsit tertium quoddam commune duobus extremis; quorum alterum alteri succedat. Repugnat nimirum transitus absque transeunte. De conceptu autem transeuntis est, vt prius adsit termino, à quo transit; & deindè, adsit termino ad quem transit; ac proindè, vt sit vtrique commune successiue. Similiter est, de conceptu conuersionis, actio, vi cuius aliquid depellatur ab eo tertio communi, & simul acquiratur eidem aliquid aliud. Quia

transitus localis, ad cuius imitationem conuersio dicitur transitus, vtique physicus, & secundùm entitates, vt indicat illud adiunctum, *vnius rei in aliam.* Transitus, inquam localis est actio, vi cuius simul, ac indiuisim amittitur vnus locus, & acquiritur alius similiter; ergò conuersio est actio, vi cuius simul, ac indiuisim depellitur aliquid, & inducitur aliquid aliud manente tertio, quod sit vtrique commune. Quod perindè est atque dicere; conuersionem esse actionem inductiuam alicuius incompossibilis ex se cum aliquo alio, respectu tertij communis vtrique. Quapropter, ea quorum alterum conuertitur in alterum, partim conueniunt, inter se, partim inter se differunt, & ea penes quæ differunt, sunt inuicem incompossibilia ex natura sua, respectu reliqui. Consequenter tam terminus à quo, quàm terminus ad quem conuersionis, adæquatè sumptus necessario est concretum aliquod substantiale, vel accidentale, consurgens ex coniunctione tertij communis cum alterutro, ex terminis à quo, & ad quem.

Art. 2. In omni conseruatione exequibili per causas secundas, quatenùs agentes principaliter virtute propria necesse est adesse terminis à quo, & ad quem aliquod subiectum substantiale iuxta dicta; Quia causæ secundæ non possunt quidquam agere, nisi educendo formam ex præsupposito subiecto, quod respectu formæ substantialis, est materia prima, respectu verò formæ accidentalis, est tota substantia. Vndè per nullam eiusmodi conuersionem, conuerti potest tota aliqua substantia, in totam aliam substantiam; ita vt tertium commune conuersionis, sit solum accidens, aut accidentium collectio. At in conuersione exequibili per virtutem diuinam absolutam ab exigentia, & legibus causarum secundarum, nullo eiusmodi subiecto substantiali opus est; sed fieri potest, vt tota vna substantia, toti alteri substantiæ succedat, existente solo aliquo accidente, aut accidentium collectione vtrique communi; cum impossibilitate mutua inter vtramque substantiam, respectu eiusdem accidentis, seu collectionis accidentium. Quia, cum Deus sit auctor totius naturæ potens agere per creationem, non indiget vllo præsuppositio subiecto, ad inducendum aliquid de nouo, tam secundùm se, & simpliciter, quàm, vel quoad locum, vel quoad præsentialitatem, & coniunctionem, respectu alicuius accidentis, aut collectionis accidentium, aut quouis alio modo non repugnante ex terminis.

Artic. 3. Potest itaque fieri per diuinam potentiam, vt tota aliqua substantia conuertatur in totam aliam substantiam: altera earum succedente alteri, respectu alicuius accidentis, aut collectionis accidentium, communis vtrique successiuè, cum mutua inter vtramque substantiam incompossibilitate intrinseca, respectu eiusdem accidentis, seu collectionis. His namque positis, in quibus nulla apparet repugnantia ex terminis, & quorum possibilitas ostendi efficaciter, & facile potest, vt apparet ex modo dictis, & patebit magis infrà præsertim quæstione 63. & 65. posita erit conuersio totius substantiæ, in totam aliam substantiam, iuxta præmissam communem conuersionis in communi expositionem. Cùm igitur nulla appareat specialis repugnantia in successione corporis, & sanguinis Christi, respectu totius substantiæ panis, & vini, quoad munus sustentandi adæquatè accidentia eorum; atque, sustentatio adæquata aliquorum accidentium per vnam substantiam, sit incompossibilis ex natura sua, cum sustentatione eorumdem per aliam substantiam, saltem ratione superfluitatis, vt nihil præterea aliud, id persuaderet; concluditur: fieri posse virtute diuina, vt corpus, & sanguis Christi succedant toti substantiæ panis, & vini, sub accidentibus vtriusque, vtque sua sub ipsis præsentia, ipsorumque sustentatione depellant indidem totam substantiam panis, & vini. Dicendum itaque consequenter est: possibilem omninò esse, per absolutam Dei potentiam, conuersionem totius substantiæ panis, in corpus Christi, & totius substantiæ vini, in eius sanguinem.

Artic. 4. Istud nimirum argumentandi genus, ex non apparente repugnantia, ad absolutam assertionem possibilitatis, tametsi secundùm se præcisè sit euerue; vtpotè inferens absolutè ac determinatè assertionem vnius partis, ex solo defectu rationis in nobis, pro parte contraria; ac proindè inferens in consequenti, plus aliquid, qua contineantur in antecedenti; plus siquidem est vnam partem contradictionis, aut cõtrarietatis esse veram, quam eandem non apparere, falsam intellectui finito, cui contingit non apparere, quæ dantur reipsa. Licet inquam hæc ita se habeant in genere, de quo alibi fusius; idem nihilominùs argumentandi genus, est omninò validum, ac firmum, legitimèque concludens, quando coniungitur cum Doctrina fidei Catholicæ. Talia namque sunt, tantique ponderis argumenta Christianæ fidei, provt ostensum est qu. 18. de virt. Theol. vt non solum mens diuinitus illustrata dissentiri illis nullo pacto possit, absque magno peccato contemptiuo authoritatis diuinæ, sed neque possit nisi omninò imprudenter, ac stultè, eisdem dissentiri, intellectus etiam quatenùs sequens rationem purè naturalem: dùm coniicit se destitui argumento euidenti in contrarium. In præsenti autem, simul cum defectu argumenti euidentis in contrarium, adest doctrina fidei; definiens vltra possibilitatem, existentiam etiam conuersionis intentæ. Ita namque definitum est in decreto. Conc. Florent. suprà indicato, & & Concil. Trid. sess. 13. c. 4. *Sancta hæc Synodus* ait, *declarat, per consecrationem panis, & vini, conuersionem fieri totius substantiæ panis, in substantiam corporis Christi Domini Nostri, & totius substantiæ vini, in substantiam sanguinis eius.* Quia verò congruit, vt rei nouæ nouum nomen imponatur; atque hæc conuersio est noua respectu ordinis naturalis, vtpotè existens supra vires causarum secundarum, cursumque naturæ, vt dictum est; propterea idem Concilium subiungit immediatè; *Quæ conuersio conuenienter, & propriè à Sancta Catholica Ecclesia, Transubstantiatio est appellata.* Possibilis igitur est, & actu existens conuersio panis, & vini in corpus, & sanguinem Christi. Id quod multipliciter illustrant quoad modum etiam loquendi ex SS. PP. Suar. disp. 10. sect. 1. & alij in præsenti; atque quoad rem ipsam confirmabitur valdè ex dicendis infrà præsertim quæst. illa 63. & 65.

Ad 1. Est quidem de ratione motus naturalis, quo mouet causa secunda, vt præsupponat subiectum, ex quo educi valeat terminus ad quem, ipsius motus. At vbi operatur virtus diuina absoluta à causis secundis, & legibus naturæ, vti operatur in hoc sacramento, non est opus eiusmodi subiecti subsidio, vt patet ex dictis. Vndè subiectum huius motus est terminus per eum inductus. Idem dicitur ad 2. Quia in conuersione formali, qualis est omnis conuersio naturalis, necessariò datur subiectum priori, & posteriori formæ commune; non verò in conuersione totali substantiæ in substantiam, qualis est conuersio Eucharistica.

Ad 3. In conuersione peracta per virtutem infinitam tertium terminis à quo, & ad quem commune, potest esse solum accidens, seu sola accidentium collectio: neutrum ex illis sustentans in se; licet in conuersione inducta per causam secundam, idem tertium debeat esse substantia, eaque exercens genus causæ materialis respectu termini à quo, & ad quem; hac de causa actio conuersiua naturalis nequit denominare vnam formam conuersam in formam aliam secundùm se, sed vnum totum, in aliud totum. Quia

actio

actio generatiua naturalis non terminatur ad formas secundùm se, sed quatenùs pendentes à subiecto, ac proindè quatenùs constituentes quoddam totum, simul cum ipso subiecto. Conuersio verò diuinitus facta potest denominare vnam substantiam conuersam in substantiam aliam secundùm se, quia versari potest circa substantias secundùm se independenter à subiecto, & ab eius potentialitate; atque habente se purè concomitanter respectu virtutis actiuæ, qua fit, tàm toto præexistente, quàm toto subsequente. Philosophus autem loquitur de sola conuersione naturali, deque solis eius terminis, vtpotè supernaturalium mysteriorum prorsus ignarus.

Art. 1. Ad 4. Conceditur non posse quidlibet, vel etiam diuinitus conuerti in quodlibet aliud. Quia sunt aliqua extrema, quibus nihil vnum potest esse commune physicè, ita vt per vnionem cum illo transeant ab vno statu in statum alium, aliterque habeant in se intrinsecè, quàm prius. Nec enim omne subiectum est immutabile per quamlibet formam, aut quasi formam.

Art. 2. Huiusmodi est in primis Deus secundùm se, comparatus cum re qualibet creata. Quia Deus est immutabilis, & impertransibilis ab vno statu, in alium, ac proindè in nullam aliam rem est conuertibilis. Potest namque Deus vniri rei creatæ immutando ipsam; non tamen potest pati vllam in se mutationem. Ad conuersionem autem requiritur, vt vtrumque eius extremum immutetur acquirente altero, & altero amittente aliquid, vt liquet ex data conuersionis in communi definitione, & expositione. Multo minùs potest non esse, conuerti propriè in esse. Quia enti, & non enti; nihil est commune propriè re ipsa, sed tantùm logicè, & secundùm dici; ac proindè impropriè tantùm dici potest alterum eorum in alterum conuerti.

Art. 3. Esto denique conuerti minimè posse totam aliquam substantiam spiritualem in substantiam corporalem, aut è conuerso, quatenùs nullum accidens potest esse vtrique commune, & immutatiuum vtriusque. Inter substantiam nihilominùs panis, & corporis humani: atque vini, & sanguinis, non reperitur talis impossibilitas mutuæ conuersionis. Quia sunt substantiæ vtrimque materiales, & possunt alterutrius substantiæ accidentia sustentari per alteram, & circa ipsam exercere aliquod suum munus peculiare, vt infrà declarabitur distinctius, præsertim quæst. 63. 66. & 67. propter istam igitur mutuam aptitudinem, ac proportionem peculiarem nulla est paritas ex præmissis, aliisque similibus exemplis ad materiam controuersiæ præsentis.

Ad 5. Particula *ex* dupliciter ponitur in comparatione duorum: primò ad denotandum ordinem successionis inter illa; sicut cum dicitur, ex nocte, vel manè fieri diem. Deindè ad denotandam dependentiam vnius ab alio, tanquam à subiecto eductionis, vel tanquam à materia intrinsecè constituente; sicut cum dicitur ex aëre fieri ignem, ex albo nigrum, ex marmore statuam; primo modo corpus Christi sit ex pane: non verò posteriori modo, vt patet ex dictis. Quia licet succedat corpus Christi substantiæ panis in eodem tertio; non tamen aliquid panis, habet rationem subiecti, ex quo educatur, aut constituatur intrinsecè corpus Christi. Qua itidem ratione dici non potest propriè, sed tantùm per quandam similitudinem, vt obseruat D. Thomas q. 75. art. 8. panem fieri corpus sicut dicitur aërem fieri ignem; & magis propriè album fieri nigrum, aut frigidum fieri calidum; idem dicitur de his aliis, panem posse esse: factum esse: aut fore corpus Christi. Quia huiusmodi propositiones verificantur de extremis conuersionis naturalis, maximè accidentalis ratione subiecti eductionis, quod in toto accidentali habet rationem tecti propositionis. In conuersione autem Eucharistica non datur subiectum eductionis, respectu termini ad quem nisi similitudinariè, & secundùm quid, quatenùs eadem accidentia retinentur in termino à quo, & ad quem.

Ad 6. Non est de conceptu formali conuersionis secundùm se, vt vel terminus à quo desinat esse absolutè in rerum natura, vel terminus ad quem incipiat esse de nouo absolutè in rerum natura. Sufficit enim, si alterum desinat esse vnitum cum aliquo tertio, nec amplius vnũ quoddam totum cum ipso constituat: idque propter coniunctionem alterius extremi cum eodem tertio superueniente de nouo. Vndè nihil nocet veritati, & realitati huius conuersionis, quòd corpus, & sanguis Christi præexistant secundùm se realiter, tùm tempore, tùm natura. Sufficit enim, quod habeant de nouo præsentiam, & coniunctionem cum accidentibus panis, & vini quod verò substantiæ panis, & vini desinant esse simpliciter in rerum natura, est quid consequens ad istam conuersionem; cum ad ipsam pertineat formaliter sola desitio vnionis inter eas substantias, ipsarumque accidentia.

Art. 1. ad 7. Actio ista conuersiua, conuenit quoad aliquid, & cum creatione, & cum transmutatione naturali, vt exponit D. Thom. loco proximè citato, idemque dicitur de actione adductiua; non tamen est propriè, vel creatio, vel transmutatio naturalis, vel adductio. Non quidem est creatio, quia vt omittantur alia, præsupponit existentia absolutè, pro priori naturæ ad ipsam, corpus, & sanguinem Christi, ex vi alterius actionis adæquatæ. Dictum verò est suprà quæst. 23. repugnare eumdem effectum simul produci duplici actione, quarum altera sit adæquata. Deindè eiusmodi actionum dualitas esset miraculosa, & simul inutilis, vt consideranti facilè apparet. Quæ tamen duo prædicata nulli effectui conuenire possunt ex parte Dei; minimè verò omnium sacramentis, in quibus videlicet nihil est non ordinatum ad vtilitatem nostram, seu quod esse potius, quàm oppositum, nihil nostra interest.

Art. 2. Sed neque est transmutatiua naturaliter eadem actio. Quia nullum est subiectum eductionis, commune terminis à quo, & ad quem. Demùm non est actio propriè adductiua secundùm locum: tùm quia, quæ talis est, dimouet corpus à loco, in quo erat, & sic dimouendo transfert ad alium locum: tùm quia actio adductiua directè, ac primario, si non & vnicè, respicit locum, & præstat, vt corpus sit potius hic quam alibi. Actio autem sacramentalis, nec dimouet corpus Christi à loco, in quo erat antecedenter; nec directè, & primario respicit locum: certè non vnicè hoc præstat, vt corpus Christi sit hic potius quàm alibi, sed magis præstat, vt corpus Christi sit hic, quod antè non erat, vtque subsit nouis accidentibus faciendo vnum quoddam cum ipsis consequenter, vt sit in loco, qui est, quique deinceps erit proprius accidentium, quicunque demum ille sit. Nec enim intentio consecrantis directè curat, vt corpus Christi adsit tali loco, sed vt adsit talibus accidentibus: idque significant verba consecrationis.

Art. 3. Itaque actio consecratiua Eucharistiæ directè, & per se est præsentatiua, ac vnitiua corporis Christi ad accidentia panis, & sanguinis eius ad accidentia vini; & præstat, vt substans vtriusque accidentibus, eademque sustentans, non sit amplius substantia panis, & vini, sed sola substantia corporis, & sanguinis Christi. Quæ sanè actio verè est conuersiua, & propriissimè transubstantiatiua: eademque est media inter purè creatiuam, & purè generatiuam.

## Quæstio LXII.

### *Vtrùm Aqua immediatè conuertatur in sanguinem Christi.*

Videtur non immediatè, sed tantùm mediatè conuerti præeunte conuersione naturali in vinum. 1. Quia aqua est necessaria pro consecratione Calicis, tantùm ex præcepto Ecclesiæ, vt colligitur ex verbis Florentini relatis suprà qu. 59. art. 2. Si autem esset materia immediatè consecrabilis, & conuertibilis in sanguinem Christi, esset de necessitate sacramenti, & ex præcepto Christi, nec enim Ecclesiæ relicta est libertas, aut potestas vlla circa substantiam materiæ sacramentorum, vt dictum est supra qu. 4. & 10. Ergò aqua non est immediatè consecrabilis, & conuertibilis in sanguine.

2. Catechismus Pij V. dicit esse sententiam omnium Ecclesiasticorum scriptorum aquam non conuerti immediatè in sanguinem. Eandem sententiam dicit esse indubitatam Gabr. lect. 35. in can. & D. Thom. qu. 74. art. 8. affirmat eandem opinionem dici probabiliorem ab Innoc. 3. in decretali infrà referenda: Qua de causa ipse etiam illi adhæret. Videtur autem rem esse plenam temeritate, eam tueri sententiam, cui tanta, ac talis refragatur authoritas.

3. Eodem modo quo dicitur à Florentino, & Tridentino supra memoratis, materiam conuertibilem in corpus Christi, esse panem triticeum, dicitur etiam materiam conuertibilem in sanguinem Christi, esse vinum de vite. Ergò sicut solus panis triticeus est conuertibilis immediatè in corpus; ita solum vinum de vite, est conuertibile immediatè in sanguinem. Ergò non est conuertibilis immediatè etiam aqua. Eodem pertinet quòd definit Conc. Trid. Sess. 13. can. 2. conuersionem Eucharisticam fieri *manentibus dumtaxat speciebus panis, & vini.* Si autem aqua conuerteretur immediatè in sanguinem; manerent præterea species aquæ.

Sed contra est. Quod Christus Dominus miscuit aquam vino, & immediatè post mixtionem, ac proindè antequam posset aqua conuerti in vinum, benedixit & consecrauit. Vtrumque colligitur clare ex liturgia S. Iacobi in qua dicitur, *quod Christus accipiens Calicem, & permiscens ex aqua, & vino benedixit.* Quæ verba significant immediationem benedictionis post permixtionem. Certum autem est Christum & conuertisse in sanguinem quidquid infudit in Calicem: & nobis reliquisse potestatem idem faciendi quod ipse fecit.

2. Alan. lib. 1. de Euch. cap. 13. dicit esse certum ex fide, aquam vino mixtam, & facientem cum ipso totum quoddam vnum non specie, sed mixtione, conuerti in sanguinem Christi. Idem non obscurè significat, Baronius locis expensis, à Dicastillo in præsenti disp. 2. dubit. 9. à num. 124. Accedunt iis duobus, licet absque ea censura, duo alij Cardinales Toletus, & Lugo: cum plerisque Theologis modernis, quibus liberum fuit opinari, vti melius, ac verius videretur. Quod caput est: plures SS. PP. inter quos Ambros. Hieron. Theodor. non obscurè in eandem sententiam inclinant, vti ostendunt Lugo, Dicastillus, & alij moderni: Non autem deserenda videtur sententia tantæ authoritatis.

3. Innocentius 3. in extrauaganti, quæ habetur de Celebrat. Miss. c. cum Martha quæstionem secundam proponit sic. *Quæsiuisti etiam, Vtrùm aqua vino in sanguinem conuertatur?* Et relatis quibusdam scholasticorum opinionibus, concludit in hæc verba: *Verùm inter opiniones prædictas illa probabilior iudicatur quæ asserit aquam cum vino in sanguinem transmutari.* Adverificandum autem aquam cum vino in sanguinem trãsmutari, non sufficit solum vinum, in quod aqua prius conuersa fuerit, in sanguinem conuerti. Plus nimirum est, atque aliud omninò est, aquam cum vino, quam vinum solum, vndecunque, & qualitercunque illud subsistat, conuerti in sanguinem.

Confirmatur primò. Quia non potest dici panem cum corpore Christi, aut vinum cum eius sanguine suscipi in communione Eucharistica: licet verissimum sit suscipi corpus, & sanguinem, in quem panis, & vinum conuertantur prius. Ergò neque etiam verificatur, verificatiuè potest, aquam cum vino in sanguinem conuerti, ex quo præcisè quòd aqua prius conuertatur in vinum.

Confirmatur rursus ex Philosopho dicente 6. Topic. cap. 6. *Qui hoc cum illo assignauit: hoc & illud, aut quod ex ipsis assignauit:* idest, non alterum tantum, sed vel duo quædam separata, vel tertium quoddam, ab vtrouis diuersum, & ex vtroque consurgens assignauit. Innocentius autem intelligere non potuit tertium quoddam, quod nec vinum esset, nec aqua, sed tertium aliquod ab vtroque non diuersum: cum sit de fide vinum immediatè conuerti in sanguinem. Ergò intelligit duo quædam, aquam nimirum, & vinum in sanguinem conuerti.

Confirmatur denique principaliter. Quia concilium Ephesinum. Canone, seu anathematismo. 8. cum damnet dicentes hominem assumptum, vna cum ipso Dei verbo adorandum, glorificandum, Deum appellandum esse tanquam alterum cum altero existentem, immediatè subiungit *Hunc enim intellectum* (nempè alterius cum altero existentis seu duplicis suppositi *particula cum adiecta perpetuò, ac necessariò afferre consueuit.* Ergò in textu etiam Innocentij particula *cum* aquæ & vino interiecta, affert intellectum alterius cum altero existentis, ideſt illa significat tanquam duo suppositi sibi inuicem coëxistentia, & quorum neutrum desierit esse, aut transierit in alterum. Ergò opinio opinionibus cæteris ab Innocentio prælata aquam non minus, quàm vinum conuertit immediatè in sanguinem.

4. Philosophus 1. de generat. cap. 10. Text. 34. Plinius lib. 16. natu. hist. cap. 35. Philos. Hebræus de confusione linguarum col. penul. Medici, & Chymici communiter docent, aquam in vinum conuerti minimè posse, & adiiciunt experientiam de separatione artificiosa aquæ à vino, cui fuerat admixta. Quam sententiam multis efficaciter promouet Aresius, atque in eandem rem videri possunt Conimbricenses de generat. isti. qu. 1. artic. 2. ille qu. 52. sect. 2. Non autem licet deserere in re physica, sententiam Philosophorum, maximè experientia munitam manifesta. Quid quòd aqua vtpotè frigida, & humida in summo, & propè summum est naturæ admodum pertinacis; & vina plerumque sunt debilis actiuitatis, nec istæ duæ substantiæ sunt affines inter se, sed valdè distantes, vt apparet ex earum qualitatibus, & operationibus. Quomodo ergò dici potest, vt absolutè posset, posse etiam tam cito, & semper, aut ferè semper aquam in vinum conuerti?

Art. 1. Respondetur. Certum primò est debere aquam misceri vino, vti constat ex locis indicatis Florentini, & Triden. certum rursus est, communi Theologorum consensu eam mixtionem prætermitti nunquam posse grauissima etiam vrgente necessitate. Quia res est magni momenti, ex mysterio significato, nec istud sacramentum est necessarium in re necessitate medij. Certum nihilominùs tertiò est mixtionem istam aquæ, non esse de necessitate sacramenti. Quia esto Christus Dominus consecrauerit vinum aqua mixtum, quòd est longè probabilius ex communi PP. traditione,

traditione, quos refert Suar. disput. 45. sect. 2. eam nihilominùs circumstantiam non comprehendit institutione sacramenti, sicut nec comprehendit circumstantiam panis azymi, vt dictum est supra. Id quod efficaciter colligitur inter alia ex præindicato testimonio Tridentini, aientis præceptum esse ab Ecclesia, vt aqua vino misceatur. Nec enim cadunt, sub præceptum Ecclesiæ, materiæ & formæ sacramentorum institutæ à Christo Domino. Atque hæc est communior sententia, licet non desint graues auctores qui doceant oppositum.

Art. 2. Certum postremò est aquam mixtam vino, conuerti saltem vt plurimum, & secluso casu accidentali, siue mediatè, siue immediatè in sanguinem Christi. Primò quia innocentius Tertius declarauit inter opiniones scholasticorum hanc esse probabiliorem: & nullus Doctor Catholicus ausus est deinceps oppositum affirmare: idque meritò, quia etiam in declaratione maioris probabilitatis, assistit specialiter Spiritus sanctus Romano Pontifici publicè, & vniuersaliter docenti fideles, circa sacra mysteria. Secundò quia totum mixtum ex aqua, & vino, proponitur adorandum populo, & ad idem totum verba consecrationis indiuisim diriguntur, quod profecto fieret perabsurdè, si altera pars mixti in sua semper natura maneret, indigna adorationis, nec consecrationis capax. Tertiò quia Ecclesia, dum simul præcipit, & ieiunium naturale ante Missam, & mixtionem aquæ in Missa: & præterea plures nonnunquam Missas inducit eidem Sacerdoti pro eodem die: incompossibilia vtique præposterè disponeret, si aqua maneret post consecrationem Calicis in propria substantia per se, & extra casum quoque accidentalem. Qua propter Theologi negantes aquam immediatè conuerti in sanguinem Christi, id ipsum proculdubio affirmarent, vti etiam apparet clarè ex eorum discursu, si exploratum ipsis esset nunquam, aut raro illam conuerti in vinum.

Art. 3. Præsens itaque, quæ supereſt controuersia, physica potius, quam Theologica est. Quia conuersio aquæ in sanguinem, quæ est res immediatè Theologica est iam certa apud omnes. Quod verò conuersio sit mediata, vel immediata pendet adæquatè ex conuertibilitate, vel inconuertibilitate naturali, aquæ in vinum: quæ est res purè physica: vndè ista quæstio non est tanti momenti in Theologia, quanti à nonnullis æstimatur. Certè Alens. Alb. mag. D. Tho. D. Bonau. & alij plerique antiqui Theologi, obiter tantùm de illa sententiam tulere, id solum examinantes ex professo, quòd ex eorum consensu, & constanti doctrina licuit iam nobis præsupponere, vt indubitatum. Iam Pontificum, & Patrum testimonia, eadem ferè afferuntur pro vtraque parte, & neutri determinatè fauent re ipsa. Quia id solum clarè docent, quòd vtrique parti est commune, & iam est certum apud omnes; nempè aquam mixtam vino, conuerti in sanguinem. An verò mediatè, vel immediatè conuertatur, non reperitur ab eis distinctè, vel determinatum, vel etiam quæsitum. Porrò neutrum supponere potuere vt certum, atque sub sola insinuatione traducere, vt tale: cùm vtrumque sit, & Philosophicè, & Theologicè valdè obscurum. Expensiones proindè authoritatum, quæ hinc, & indè fiunt, subtiles magis sunt, aut contentiosæ quam neruosæ, qua propter, tam opinio affirmans immediatam conuersionem aquæ in vinum, & tantùm mediatam in sanguinem; quam quæ vtrumque negat: quam etiam quæ affirmat posse quidem, & vt plurimum de facto aquam immediatè conuerti in vinum, atque indè in sanguinem; sed conuerti nihilominùs immediatè in sanguinem, si quando, saltem per accidens, contingat non conuerti prius in vinum; sunt admodum probabiles, & probleматicè propugnabiles, vt patebit ex solutione argumentorum vtriusque partis.

Art. 4. Non nego tamen, omnibus hinc indè attentè consideratis, plusculum me inclinare ad maiorem aliquam probabilitatem sententiæ affirmantis, immediatam conuersionem aquæ mixtæ vino, in sanguinem Christi, idque non per accidens tantum sed per se, & semper. Primò quia corpora, quæ vixere, dum subsistunt formæ quæ immediatè succedit viuenti, nihil aliud apparet vnquam in se conuertere. Nec enim sanguis emissus è venis, sanguinem efficit, nec ligneſcit aliquid virtute ligni, & sic de similibus, siue miscibilibus, siue non miscibilibus. Vinum autem expressum ex vuis est eiusmodi conditionis.

Art. 5. Deindè Philos. 1. de gener. propè finem, vt guttam vini conuerteret in aquam, eam miscuit decem millibus congiis aquæ, & porrò vinum facilius corrumpitur quam aqua, vt apparet ex vtroque exposito aëri ambienti, in quantitate æquali. Pro consecratione autem aqua miscetur modico vino. Quamquam enim Florentinum statuerit modicissimam aquam, & iterum paululum aquæ misceri debere; abundantissimum nihilominùs proportionaliter vinum nunquam præscripsit Ecclesia; quo tamen non minùs opus esset pro spe conuersionis aquæ in vinum: sed vtriusque liquoris quantitatem reliquit arbitrio ministri, ex æquo, & bono sub ea abstracta instructione. Atque id arbitrium Card. de Lugo, aliique sensati Theologi, meritò consulunt, ne sit nimis scrupulosum; id est: non admodum solicitum conuersionis aquæ in vinum. Quam conuersionem reddit præterea difficilem tempus, quod multis Sacerdotibus decurrit breuissimum, à mixtione ad consecrationem. Quapropter modicitas aquæ videtur magis esse præcepta; quia cum aqua significet populos, seu multitudinem hominum, vt habetur ex Apoc. 17. 15. atque vinum referatur ad significationem Christi, oportuit, vt deteriori qualitati aquæ, quantitas etiam minor adiiceretur: ad clariorem repræsentationem vtilitatis, & exiguitatis cæterorum respectu Christi: tùm vt securius vitetur periculum corruptionis vini, quod est de necessitate sacramenti.

Art. 6. Tertiò Ecclesia præcipit, vt aqua misceatur vino immediatè, antè consecrationem, si forte prius infusa non fuerat. In quo sanè euentu aqua non potest conuerti in vinum, & tamen in hoc etiam euentu, verba consecrationis, & adoratio fidelium, feruntur exterius indiscriminatim ad totum mixtum; nec de discretione intentionis, quæ subueniat periculo falsæ, vel significationis vel adorationis, extat vllum, seu præceptum, seu documentum. Quo tamen opus fore omninò videtur; si non conuerteretur totum mistum in sanguinem Christi: quandoquidem vterque liquor adest, non per accidens, & ignoranter, vt aliqua alia non consecrabilia fortuitò, & præter opinionem nonnunquam adiuncta, sed ex lege, & cum notitia manifesta ad sensum. Quæ res digna proculdubio est, quæ attentè consideretur deposito contentionum studio.

Art. 7. Quartò, cum vinum lymphatum non minùs, quam purum sit in vsu ordinario ad mensas, & vtrumque dicatur vinum locutione vulgari, sitque proindè vinum vsuale ad mensam, non minùs, quàm sit panis vsualis, tùm azymus adhibitus in celebritate sacra apud Iudæos, tùm fermentatus, qui est in vsu vulgari, rationabiliter creditur Christum Dominum in vtraque materia æquè liberum vtriusuis circumstantiæ delectum, quod ad valorem sacramenti attinet, Ecclesiæ suæ reliquisse; & consequenter potestatem peræque fecisse, legitimis eius ministris, conuertendi non minùs vtrumlibet vinum, quàm vtrúlibet panem in suum corpus, & sanguinem absque

restrictione

restrictione ad aliquam præterea aliam circumstantiam, præsertim obscuram respectu intellectus, & penitus imperceptibilem per sensum; cùm tamen in subuentionem sensus iustitiæ sint tales determinatè materiæ sacramentorum, vt dictum est suprà in communi, maximè quæst. 11.

Artic. 8. Atque hinc desumitur postrema ratio. Consequens nimirum est ex dictis eo in loco, vt ea sensibilia per se, & ex instituto adhibita, quorum sic, vel aliter habentium nulla est discernibilitas ad sensum; nullam quoque differentiam sortiantur quoad constitutionem, effectumque Sacramenti. Ne videlicet perperam, & præter, imò, & contra finem institutionis Sacramentorum, opitulantium parti rationali, mediante sensu, dispositum esse dicatur ipsa sacramentorum institutione. Nulla autem, est discernibilitas, ad sensum, aquæ mixtæ vino: conuersæ, & non conuersæ in ipsum vinum. Nulla igitur est, vtriusque differentia quoad conuersionem in sanguinem, siue fuerit, siue non fuerit conuersa prius in vinum ipsa aqua. Quæ quidem rationes videntur non esse omninò contemnendæ atque esse ponderis aliquanto maioris. Earum nihilominùs solutio probabilis apparebit consideranti ex solutione argumentorum sententiæ affirmantis.

Ad 1. Sententia negantis immediatam conuersionem aquæ in sanguinem, materia à Christo domino determinata pro consecratione valida Calicis, est vinum de vite, cum indifferentia, vt perspicitur ex nuper dictis, ad purum, & lymphatum; seu mixtum cum aqua, perseuerante substantialiter in esse aquæ, & non perseuerante; aut non mixtum. Determinatio autem eorum, quæ instituta, quidem sunt à Christo, sed cum huiusmodi indifferentia, subest Ecclesiasticæ potestati, ac præcepto, vt ostendit, circa panem, qualitas azymi, & fermenti.

Ad 2. Authores eius Catechismi fuere pij, & docti vndè eorum opinio, & illa tanta asseueratio redditur probabilis, ipsorum auctoritate. Cæterorum constitit plures Ecclesiasticos Scriptores oppositum docere; Gabriel non adducit fundamentum quo suam sententiam reddat indubitatam, & parum interest, quòd talem eam dicat, fundamentum prætergressus. D. Thomas videtur non habuisse bonum exemplar extrauagantis Innocentij, qua sola nititur. Inducit enim Pontificem dicentem: *Aliorum opinio probabilior est, qui dicunt aquam conuerti in vinum, & vinum in sanguinem.* Pontifex autem vtrunque hoc nequaquam dicit, sed alterum tantùm de conuersione aquæ in sanguinem simul cum vino, vt liquet ex verbis eius fideliter relatis suprà in argumento tertio sententiæ affirmantis. Vndè auctoritas ipsius D. Thom: quæ alioquin maxima est, non parum debilitatur in præsenti, vtpotè supponentis, quod re ipsa non subsistit in vnico suo fundamento, propter defectum boni exemplaris. Videatur extrauagans, & conferatur.

Art. 1. Ad 3. Sicut vtrumque Concilium assignat pro materia panem triticeum, cum indifferentia ad azymum, & fermentatum: ita etiam assignat pro materia vinum de vite, cum indifferentia ad purum, & lymphatum: Vndè non excluditur aqua, dummodo sit mixta vino, & ratione mixtionis habeat speciem, seu apparentiam, & saporem vini de vite, cum prædominio eiusdem vini. Enimuero etiam si aqua conuertatur in vinum, tale vinum non est vinum de vite in summo rigore sermonis, sed est vinum de vino de vite, propter accrementum proueniens ex aqua per virtutem actiuam vini de vite. Vtrouis autem modo est vinum vsuale, & locutione communi dicitur vinum absolutè, & sine addito; nec moralis æstimatio est diuersa. Certè ad sensum nulla est diuersitas.

Artic. 2. Iam Tridentinum, dùm definit manere duntaxat species panis, & vini, eum panem, idque vinum intelligit, quæ præsupponuntur ad consecrationem, atque adeò intelligit species vini mixtas speciebus aquæ. Manent nimirum aliquæ species aquæ, tametsi prius conuertatur in vinum. Agnoscunt enim illas semper, idque indubitanter boni potores. Nec propterea aqua est consecrabilis seorsim. Quia dùm est mixta vino, habet apparentiam diuersam ad sensum, & longè diuersam vim significandi symbolicè, ideóque; & diuersam aptitudinem, vt sit materia Sacramenti, quæ proindè aptitudo deficit aquæ separatæ à vino.

Ad 1. Sententiæ affirmantis eandem immediatam conuersionem aquæ in sanguinem. Non satis constat & negari tutò potest, Christum consecrasse immediatè post mixtionem. In liturgia S. Iacobi solùm referuntur cæremonialia, reliquis prætermissis, quæ præiuere, quæque sub secuta sunt; quid ni, & quæ interiecta sunt? si quæ interiecta fuere. Neque enim immediatio verborum, quibus referuntur actiones aliquæ, indicat immediationem ipsarum actionum, maximè cùm ad finem aliquem particularem dirigitur relatio interlegens, quæ conferunt ad scopum.

Ad 2. Non deest imprimis contrariæ sententiæ negantí, aut numerus auctorum sufficiens; aut eorum fiduciæ plusquam sufficiens. Deindè Baronius, & Alanus, non determinant quæstionem in propriis terminis, nec omninò distinguunt inter ambigua. Quod dicitur de certitudine fidei circa conuersionem immediatam aquæ in vinum, quàm longissimè distat à vero, & à meritis causæ: ideóque non est multum curandum de mente eorum auctorum præterquam pro honore ipsorum, cui tuendo ego immorari in præsenti non debeo. De patribus iam suprà indicatum est, quantum sufficit; nec par est, vt vexentur à scholasticis longa, & minuta singulorum obseruatione vsque ad vltimas syllabas, ac si essent, & ipsi scholastici.

Artic. 1. Ad 3. Innocentius refert ibi duas opiniones Theologorum: Primam, *aquam mutari in aquam, quæ fluxit de latere Christi; Secundam, aquam cum vino transubstantiari in sanguinem Christi, cum in vinum transeat mixta vino:* Addit, tertiò dici posse *aquam non transire in sanguinem, sed remanere prioris vini accidentibus circumfusam.* Quare dum demum concludit *illam opinionem probabiliorem iudicari quæ asserit, aquam cum vino in sanguinem transmutari*; non improbabiliter creditur præferre cæteris secundam opinionem, non solùm quoad eam partem, quam exprimit, dùm concludit; sed etiam quo ad alteram; quam simul expressit, dùm proponeret opiniones; Quia particula relatiua ad præcedentia, solet habere vim referendi coniunctim ad omnia, quæ coniunctim præcessere, dummodo non adsit in contextu ratio excipiendi qualis nulla est satis clara in præsenti, vt dicetur circa tertiam confirmationem.

Artic. 2. Nec mouere quemquam debet in contrarium quod dicitur, aquam cum vino in sanguinem transmutari. Quia eadem locutione vsus est Pontifex, dùm referret opinionem dicentium aquam prius conuerti in vinum. Certum verò est noluisse tunc significare duas substantias adæquatè distinctas, immediatè ante conuersionem in sanguinem. Itaque particula *cum* confert aquam cum vino præexistenti ad mixtionem, & sensus est: simul cum eo vino præexistenti, conuerti aquam in sanguinem. Quod verum absolutè est, siue aqua conuertatur in sanguinem mediatè, siue conuertatur immediatè.

Art. 3. Ad 1. confirmationem. Post consecrationem nihil prorsùs manet de substantia panis, aut vini ideóq; nihil

nihil omninò supereſt, quòd aliquo pacto verificare poſſit panẽ cum corpore ſumi, aut vinum cum ſanguine. Manet autem pars altera ſubſtantialis aquæ, tametſi fiat conuerſio in vinum, & eſt frequens poſitio partis pro toto per Synecdochen.

Art. 4. Ad 2. confirmationem. Dum dicit Philoſophus *aut quod ex ipſis*, perindè eſt ad mentem eius eo in loco, ſiue intelligatur quoddam tertium ſpecie diſtinctum, ſiue diſtinctum numero tantùm ab vtroque, aut ab vtrouis ex extremis inter ſe collatis per particulam *cum*, & ex eiſdem quoquomodò conſurgens. Extat autem eiuſmodi tertium numero diſtinctum, & auctum, ſi aqua conuertatur in vinum, vt per ſe patet.

Art. 5. Ad 3. confirmationem, Cyrillus, Alexandrinus primus auctor anathematiſmorum ſeu Canonum, quos poſtea approbauit Con. Epheſinum aduerſus Neſtorianos accuſatus ab illis fuit, circa octauum eum canonem, quod ipſe etiam Cyrillus ſæpè alibi dixiſſet *Deum cum carne adorandum*. Reſpondet autem Cyrillus in Apologetico, qui habetur tom. 2. operum eius, particulam *cum*, quando aliunde non determinatur eius ſignificatio, ſemper afferre intellectũ duorum ſuppoſitorum; non verò quando determinatur per aliquid aliud adiunctum: atque ſe adiunxiſſe ſemper aliquod determinatiuum, ac reſtrictiuum quo excluderetur dualitas ſuppoſitorum. Porrò in declaratione Innocentij, adeſt particula relatiua ad opinionem dicentium, aquam conuerti prius in vinum. Quo adiuncto probabiliter determinatur, ac reſtringitur ſignificatio, & excluditur dualitas ſuppoſitorum. Non autem determinatur, ac reſtringitur, niſi probabiliter tantùm, quia aduerſus illam partem opinionis ſcholaſticorum de conuerſione aquæ in vinum oppoſuerat Pontifex experientiam Phyſicorum, de ſeparatione aquæ à vino per artificium. Neque hanc obiectionem approbauit deindè, aut reprobauit, in eam ſolam aliam partem intentus, quæ directè reſpondebat quæſtioni propoſitæ, quæque erat maioris momenti. Vndè mens Pontificis circa alteram iſtam partem de conuerſione aquæ in vinum manſit obſcura, & penitus anceps nolente Pontifice ſe immiſcère controuerſiæ illi Phyſicorum. Nihil itaque iuuat intentionem obiectionis textus ille Epheſini, quo perperam exultat Bernal ignarus originis ex Cyrillo, & contextus eius.

Art. 1. Ad 4. De mente Philoſophi in hac materia res eſt valdè incerta, vt videre licet inter alios apud Auerſ. diſ. 44. Philoſ. ſect. 3. vbi multis tuetur conuerſionem aquæ in vinum actiuitate ipſius vini. Experientiam, qua nituntur cæteri relati in obiectione de ſeparatione aquæ à vino, deridet Albert. Mag. t. 21. diſt. 3. de Euchar. tract. 2. c. 3. n. 5. & ait: ſtirpes, & ligna naturæ valdè aqueæ, vtpotè nata in aqua attrahere ad ſe propter ſimilitudinem, non ſolum aquam, ſed etiam partes vini, magis degeneres, magiſque aquoſas, & eas vi ſua actiua protinus conuertere in aquam: propter præexiſtentem pronam ad id, diſpoſitionem: atque indè incautis videri attractam eſſe aquam, cum verum vinum attractum ſit, licet imperfectum. Nempè eandem attractionem, & conuerſionem contingere, tametſi nulla præceſſerit mixtio aquæ cum vino. Idem dicitur ſuo modo de retentione aquæ elapſo vino, in vaſe ex tali ligno. Hoc ipſum reſpondent D. Bonauentura, & alij in præſenti, & eſt reſponſio probabilis.

Art. 2. Iam parum aquæ mixtum maiori quantitati vini diffunditur protinus in partes penè innumeras, & vſque adeo exiguas vix vt vllam retineant vim reſiſtendi. Minuitur namque virtus, quo plus diſſipatur; Credibile propterea eſt, poſſe vinum, tametſi debile ſit, illam aquam vſque adeo diſſipatam in ſe conuertere. Nempè forma vini iam non viuentis, parum degenerat à forma viuentis, propter imperfectionem eiuſdem, dum viueret, ideóque retinet virtutem actiuam, & conuerſiuam penè eandem.

Art. 3. Quod ſi nihilominùs aliquando contingat aquam non conuerti in vinum; & conſequenter neque in ſanguinem propter aliquam ſpecialem circumſtantiam impeditiuam conuerſionis: dicendum eſt id eſſe per accidens: ſicut ſi contingat panem, aut vinum non eſſe legitimum, atque illegitimitatem non patere ſenſui. Nec eſt inconueniens, quòd intentio conſecrantis, & adorantium aliquando per accidens deſtituatur, ſiue ex parte, ſiue ex toto, legitima materia, aut obiecto. Quia Deus prouidet hominibus iuxta naturam eorum, expoſitam eiuſmodi accidentibus, & inſtruibilem ſolum mediante ſenſu potente fallere; ex cuius tamen fallacia, non niſi materialis error redundat in partem ſuperiorem exiſtente intentione implicita, vel explicita faciendi, quod hic, & nunc fieri poteſt, ac licet. Quæ intentio, & cognitio directiua eius immediatè, atque reflexiua ſupra ſenſum ſecernunt, quæ ſunt indiſcernibilia per ſenſum ſecundùm ſe conſideratum.

---

## Quæstio LXIII.

*Vtrùm poſt conſecrationem totus, & ſolus Chriſtus ſit realiter præſens ſub ſpeciebus panis, & vini?*

VIdetur non eſſe præſens realiter, ſed tantùm ſicut in ſigno, & figuratiuè 1. Quia Auguſtinus in Pſal. 98. propè medium expoſitionis, cum prætuliſſet Chriſtum dicentem Ioan. 6. *Niſi manducaueritis carnem Filij hominis &c.* & diſcipulos opponentes; *Durus eſt hic ſermo*; atque Chriſtum reſpondentem: *Spiritus eſt qui viuificat, caro non prodeſt quidquam*; ſubiungit demum ex perſona Chriſti: *Spiritualiter intelligite, quod locutus ſum. Non hoc corpus quod videtis manducaturi eſtis: & bibituri illum ſanguinem, quem fuſuri ſunt, qui me crucifigent; ſacramentum autem quod vobis commendaui ſpiritualiter intellectum, viuificabit vos, caro autem non prodeſt quicquam.* Ergò quidquid dicitur ab Euangeliſtis de præſentia corporis, & ſanguinis Chriſti in hoc ſacramento, allegoricè, & figuratiuè tantùm accipiendum eſt; eamque acceptionem omnino ſibi vendicant verba Chriſti, quæ præmittit Auguſtinus; nec aliter exponi legitimè poſſunt, quam exponantur ab ipſo. Exponuntur autem manifeſtè de præſentia tantùm figuratiua.

2. Propoſitiones ſcripturæ, quarum extrema ſunt inuicem diſſonantia ex natura rei accipiuntur tropicè à SS. PP. ſuntque omninò falſæ in ſenſu litterali. Tales ſunt 12. Exodi 11. *Agnus eſt Phaſe, ideſt tranſitus Domini*: 1. ad Corin. 10. 4. *Petra erat Chriſtus*; & v. 16. *Panis eſt communicatio corporis Chriſti &c.* 11. 25. *Hic Calix nouum teſtamentum eſt.* Geneſ. 41. 26. *Septem boues ſunt ſeptem anni.* Apoc. 17. 9. *Septem capita ſunt ſeptem montes.* Quæ, & ſimilia permulta non niſi tropicè accipi poſſunt, & ita ab omnibus accipiuntur. Sunt autem eiuſdem generis hæc de quibus animus directa ad panem, & vinum: *Hoc eſt corpus meum, Hic eſt ſanguis meus.* Ergò ſunt ſimiliter accipienda.

3. Iſtud ſacramentum ſicut & reliqua, inſtitutum eſt propter vtilitatem fidelium. Realis autem præſentia corporis Chriſti ad nihil eſt vtilis, imò eſt nociua. Non quidem eſt vtilis. Primum quia præſentia corporalis in aliquo loco eſt vtilis præcisè propter actionem, vel paſſionem, quæ exerceri poteſt dependenter à tali præſentia; Chriſtus autem, quatenus ſacramentaliter præſens præſentia reali, nihil age-

re,

re, aut pati potest, vt dicetur quæst. 66. Deindè præsentia realis in sacramento non potest percipi, nisi per fidem. Fides autem æquè benè, eodemque modo fertur in absentia, & præsentia. Quia fides est argumentum non apparentium iuxta Paulum. Vndè respectu fidei perindè est obiectum esse propè sensum, vel esse remotum à sensu; esset autem nociua eadem præsentia corporalis. Quia, si daretur, deberet animus illi adhærere. Nocet verò adhæsio ad præsentiam corporalem Christi. Quia vt dicit D. Gregor. Homil. 28. in Euang. Regulus reprehenditur, quòd quæreret corporalem Christi præsentiam: & Apostoli impediebantur, quominùs reciperent Spiritum sanctum, propter affectum ad præsentiam corporalem Christi, vt dicit August. tract. 94. in Ioanne post medium iuxta illud *si ego non abiero, Paracletus non veniet ad vos.* Deindè quod est deceptiuum, est nociuum; esset autem deceptiuum hoc sacramentum: si Christum contineret in se realiter. Deceptio enim contingit, quando aliud est, & aliud apparet: Apparent autem in hoc sacramento panis & vinum. Quia perseuerant vtriusque accidentia, quæ ex sua natura sunt demonstratiua eorum. Ergò si realiter adesset nihilominùs Christus; aliud re ipsa esset, & aliud appareret.

4. Nihil potest distare à se ipso: aut esse dextrum, & sinistrum, sursum, & deorsum respectu sui. Quia quidlibet est essentialiter vnum, & indiuisum in se. Indiuisioni autem opponitur essentialiter diuisio; atque hanc essentialiter in se continent distantia, & diuersitas locorum. Manifestum siquidem est ea esse inter se diuisa, quibus interiacent aliqua corpora, & spatia; nec non quod est dextrum ab eo, quod est sinistrum; & quod est sursum ab eo, quod est deorsum, licet loca essent contigua. Hæc autem omnia conuenirent Christo, si adesset realiter in sacramento: vt per se satis patet. Ergò præsentia realis Christi in sacramento est quid chymericum non secus, ac præsentia realis simultanea eiusdem rei pro diuersis partibus temporis. Tùm continuis, tùm maximè discretis, atque inuicem distantibus.

5. Non potest dici, quod Christus sit realiter præsens in sacramento, aut totus, aut solus. Quia verba Sacramentalia non plus operantur, quàm significant; siquidem operantur solum significando, significant autem tantùm positiuè, tùm corpus, tùm sanguinem Christi tantùm. Ergò nec remouent substantiam panis, & vini, nec inducunt animam Christi, aut vnionem hypostaticam, aut reliquos humores. Ergò nec totus Christus, nec solus adest sub speciebus panis, & vini.

Art. 1. Respondetur, Certa fide tenendum est, post consecrationem panis, & vini totum Christum Dominum realiter, & physicè esse præsentem sub speciebus panis, & vini, & non tantùm figuratiuè, & tanquam in signo. Ita luculenter definitum est à Conc. Trid. sess. 13. cap. 1. de hoc sacramento: & Canon eius primus habet sic: *Si quis negauerit in sanctissimæ Eucharistiæ sacramento contineri verè, realiter, & substantialiter, Corpus, & sanguinem, vna cum anima & diuinitate Domini nostri, Iesu Christi: ac proindè totum Christum: sed dixerit tantummodo esse in eo, vt in signo, vel figura, aut virtute anathema sit.* Eandem veritatem, aduersus plures Hæreticos, & varias hæreses, multa priorà Concilia definiere, quæ videri possunt apud Suar. disp. 46. sect. 1. Idem apparet clarè ex verbis Christi instituentis istud sacramentum: *Hoc est Corpus meum, hic est sanguis meus*; seu *Calix sanguinis mei*, quæ habentur apud Matth. Marc. Luc. & Apostol. ll. suprà indicatis. Hæc enim accipienda esse iuxta proprietatem sermonis de vero corpore, & sanguine Christi verè præsenti, & non figuratiuè, ac per tropum de solo signo, & figura corporis, & sanguinis: multa sunt, quæ efficaciter conuincunt.

Art. 2. Primùm enim Deo loquente de opere suo, retinenda est proprietas verborum, & æquè plenè, ac planè accommodanda sincera fides, absque ambagibus figurarum; siue opus sit arduum, & humanæ rationi minimè peruium: siue sit facilè, & humana ratione comprehendi possit, Deo enim vtrumque est æquè facile: & fides æquè facilium, debet esse æquè prompta, æquè plena, æquè plana. Imò quia quo opus est magis arduum, minusque peruium humanæ rationi, eò est magis proprium Dei, magisque decens potentiam eius infinitam eiusmodi potius credendum est esse opus, de quo incidit controuersia. In hac videlicet materia, vel maximè locum habet documentum celebre August. lib. 3. de doctr. Christ. c. 7. quòd *verba scripturæ propriè intelligenda sunt & non per tropum: nisi vbi vel euidens necessitas, vel Ecclesiæ authoritas aliud docet.* In præsenti autem Ecclesia imprimis alius profectò non docet: quin ex quo nata est, proprietatem sermonis constanter retinuit, sed nec euidentem necessitatem aliud docere, partim constitit, quæst. 61. & constabit de reliquo, ex dicendis. Conuersionem verò panis, & vini, in verum corpus, & verum Christi sanguinem esse opus propriissimum Dei, atque imperuium humanæ rationi constat ex eadem quæst. 61. Ergò quæ eam conuersionem, secundùm sensum proprium, significant, sunt omninò secundùm sensum proprium accipienda.

Art. 3. Deindè licet demonstrando id, de quo notum iam est esse imaginem, non absurde de illo prædicetur exemplar: vt si dicatur de imaginibus Cæsaris, & Pompeij: *Hic est Cæsar: Hic Pompeius.* Absurdum tamen est figuratum prædicare cathegoricè, cum primum instituitur, & constituitur in ratione figuræ. Panis autem, qui apud Berengarium, Caluinistas, & alias pestes figuratè tantùm dicitur corpus Christi, non habebat rationem figuræ, & repræsentationem corporis Christi ante illa eius verba. Ergò ea fuissent absurda; si per ipsa veritas, ac realitas rei nominatæ, significata & constituta non fuisset.

Art. 4. Durius præterea multò est, atque absurdius, quòd de figura corporis, & sanguinis Christi dicatur: *Quod pro vobis tradetur: Qui pro vobis effundetur; frangitur, effunditur.* Hæc enim in figuram minimè cadunt. Et tamen hæc dicuntur à Christo, vt liquet ex locis relatis qu. 60. de corpore, & sanguine, quod manducandum, & quem bibendum discipulis dedit. Non igitur dedit illis solam figuram corporis, & sanguinis sui: sed dedit verum corpus, quod solum pro nobis traditum est, & quod fractum in Cruce minimè fuit, vt est ex fide certum, solumque frangitur in sacramento.

Art. 5. Quartò proprietas verborum nunquam magis requiritur, quam in sacramentorum institutione, & in condendo testamento. Sacramenta enim sunt fundamenta religionis; ex quibus proindè omnis ambiguitas figuratæ locutionis procul pellenda est, atque ita in reliquis sacramentis peractum est, vt patebit clarè cunti per singula. Testamentum verò est vltima, vltimæ voluntatis manifestatio, cuius proindè nulla amplius erit alia expositio profecta ab auctore locutionis. Qua de causa manifesti iuris est, & videtur esse iuris gentium, vt testamenta executioni mandentur iuxta summam proprietatem verborum. Vndè non satisfieret imagine domus, cui domus legata esset. Christus autem, dum hæc verba diceret, instituit sacramentum mansurum perpetuò in Ecclesia. Quod nec Hæretici negant, & manifestat illud præceptum: *Hoc facite* &c. Testamentum etiam condidit, quia fuit declaratio vltimæ voluntatis in postrema cæna, &

colloquio

colloquio postremo,cum Collegio Discipulorum ; vt manifestant illa verba. *Hic Calix nouum testamentum est in meo sanguine.*

Art.6. Mitto alia,& venio ad promissionem huius operis , ac donationis quæ habetur Ioann.6. 51. *Panis* inquit Christus,*quem ego dabo,caro mea est pro mundi vita*,litigantibus autem Iudæis,& refugientibus à fide sententiæ difficilis in sensu proprio , qualem illi subesse nequaquam dubitatum,sed dubitarunt esse verum, dicentes : *Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum ?* Tam longè abfuit Christus Dominus à suggerendo sensu allegorico , aut aliter improprio , quo subueniret stupidæ tarditati fluctuantium, sicut sæpè fecit , exponendo parabolas nondum satis apparentes sub primum aspectum; vt potius eandem sententiam semel , atque iterum asseuerantissimè replicauerit verbis multò etiam apertius continentibus proprietatem sermonis. *Amen amen dico vobis nisi manducaueritis carnem filij hominis,& biberitis sanguinem,non habebitis vitam in vobis; Qui manducat meam carnem,& bibit meum sanguinem,habet vitam æternam.* Et iterum. *Caro mea verè est cibus , & sanguis meus verè est potus. Qui manducat meam carnem,& bibit meu sanguinem in me manet , & ego in illo.* Ac demum opponens vmbræ , ac figuræ realitatem , ac veritatem: *Non sicut manducauerunt Patres vestri manna , & mortui sunt. Qui manducat hunc panem viuet in æternum.* Facilè est circa hæc machinari multa , pro sensu allegorico;sed impossibile profectò est quidquam inuenire in quo mens conquiescat extra sensum proprium, ac liberalem. Qui nimirum his verbis clarissimis inest manifestissimè, nullum vt aliud mysterium nostræ fidei sit clarius,si & æquè clarè est aliquod reuelatum. Quapropter nullis omnino argumentis , sperandum est,vt succumbat,qui sincerè considerationi reuelationis patentis , per se apertè , non acquieuerit spontè. Qui enim clarissimis resistit, obscurioribus nequaquam cedit;& qui nota per ignota, clara per obscura interpretatur, non tam est docendus , quam puniendus. Nempe voluntate magis peccat.

Art.7. Eadem est huius veritatis conspicuitas apud Apostolum figuratæ locutioni minimè deditum 1. ad Corinth.11. à v.23. vbi præter alia cum Euangelistis communia , obseruanda veniunt , præparatio ad istud sacramentum requisita: & comminatio aduersus indignè suscipientes ; v.28. *Probet autem se ipsum homo, & sic de pane illo edat , & de Calice bibat. Qui enim manducat , & bibit indignè iudicium sibi manducat non diiudicans corpus Domini* :ideſt,non discernens corpus Domini ab aliis cibis & perinde illud sumens , atque si esset verus,& solus panis. Quæ sanè in solam figuram corporis , & sanguinis non cadunt idoneè , cum circa verum corpus,& sanguinem Christi,non alia,aut dispositio exigi,aut comminatio fieri iustior possit.

Art.8. Accedit quòd in sacrificiis veteris legis præcesserunt plures figuræ Christi Domini. Lex autem vetus *fuit vmbram habens futurorum bonorum , non ipsam rerum imaginem*,vt dicitur 10. ad Hebr. Oportebat igitur , vt in noua lege inducente realitatem bonorum , quæ tunc adumbrata fuere , institueretur sacrificium continens ipsum Christum in rei veritate.

Art.9. Accedit rursus *sic Deum dilexisse mundum, vt filium suum vnigenitum daret &*, Ioann.3. 16. *Sine pœnitentia autem sunt dona Dei*, vt dicitur Roman.21. 29.Ergo semel nobis datus,nunquam est ablatus filius Dei,sed nobiscum est, hoc etiam modo sacramentali, vsque ad consummationem sæculi iuxta promissionem ipsius Matth.28.20. Est etiam proprium veræ,& magnæ dilectionis,qualis eminet in prædictis verbis, non discedere à dilecto. Proprium namque maximè est amicitiæ , præsertim maximæ , conuiuere amicis , vt dicitur 8. & hic c.5. & lib.9. cap.4. Dilectionis igitur eiusdem vi , qua venit ad nos , nostramque naturam assumpsit filius Dei , manet nobiscum in perpetuum cum eadem natura , post mortem etiam suam. Nec enim dilectionem moriendo deposuit , sed confirmauit,qui *pro omnibus nobis mortuus est.*

Art. 10. Congruenter denique Christus Dominus fidem nostram exercet circa suam humanitatem velatam accidentibus panis, & vini;sicut circa diuinitatem , latentem sub velamine humanitatis. Ista deinde fide erigit efficacissimè spem nostram , qua sit adducturus nos ad se videndum in specie gloriæ, cum iam non amplius hic erimus;siquidem voluit manere apud nos,dum hic sumus,sub speciebus,quas oculi peregrinantium ferre possunt , & glorioſi corporis speciem ferre non possunt. Eadem rursus fide coniuncta cum ista spe accendit vehementer nostram erga ipsum caritatem,per quam fides operatur , vt dicitur ad Galat. 5.6. vt nolimus separari ab eo , qui vult etiam corporaliter nobis semper adesse, pro vt possibile est,vt adsit glorioſus viatoribus.

Art. 11. Ac demum per hæc media gratiam auget cumulatissimè,& præterea,cum per omnia sacramenta illam nobis subministret;per hæc tamen , in quo corporaliter continetur abundantius eam effundit. Quia humanitas assumpta , est instrumentum coniunctum gratiæ conferendæ, cætera vero sunt instrumenta separata. Vnde sacramentum Eucharistiæ , deseruit ad vberiorem effectum quam sacramenta cætera; quatenus instrumentum coniunctum est nobilius,quam separatum; atque Deus vtitur vnoquoque instrumento iuxta naturam , & dignitatem ipsius. Conuenientissimum igitur fuit nobisque vtilissimum,& mysterio Incarnationis Verbi Diuini,nostræque redemptioni , ac dignitati noui testamenti, mirificè congruens , vt institueretur sacramentum , in quo Christus Dominus adesset secundum rei veritatem, perceptibilis per fidem mediante sensu,& non solum tanquam in signo, & figura.

Art.12. Adest vero Christus Dominus in hoc sacramento totus quidem,vt est in Cœlo;sed diuersimodè quoad singulas suas partes.Nempe corpus sub speciebus panis,& sanguis sub speciebus vini , adsunt ex vi verborum.Alterutrum vero sub alterutris,& sub vtrisque anima,vnio hypostatica , verbum quatenus perficiens humanitatẽ, & accidentia humanitatis propria, adsunt concomitanter. Id namque adest ex vi verborum,quod vt adsit requiritur,præcisè,& sufficit ad verificationem eorum , sub quacunque suppositione. Id vero concomitanter adest,quod vt adsit, solũ requiritur ratione coniunctionis,& connexionis, quã ipsum habet cum eo quod adest ex vi verborum , aut potius hoc cum illo ; idque siue ex natura rei secundum se, siue ex aliqua suppositione ipsis superaddita. Præsentia autem corporis sub speciebus panis , & præsentia sanguinis , sub speciebus vini,requiruntur præcise, & sufficiunt ad verificanda verba consecrationis. Quia vtrumque, & quidem vtrumque solũ,significatur per illa formalitẽ & directè.Corpus verò,& sanguis connectuntur ex natura rei,tum inuicem inter se,tum cum anima,& vnione hypostatica , & suppositо diuino ex suppositione, quòd in instanti prolationis verborum, independenter ab ipsis ea omnia existant inuicem copulata. Quia ea omnia pertinent ad complementum, & perfectionem corporis, & sanguinis. Postulat vero vnumquodque ex sua natura,vt adsit sibi , vbicumque ipsum aderit,omnis sua perfectio,& omne suum complementum , neque id negari ipsi potest absque miraculo,& dum nihil existit ex vi causarum secundarum, quòd eiusmodi coniunctionem impedire valeat.

Art. 13. Cum igitur corpus simul cum sanguine, atque sanguis simul cum corpore , & vtrumuis simul cum anima vnione hypostatica , atque verbo diuino

quatenus complente humanitatem, pertineant ad constitutionem vnius hominis, & independenter à verbis consecrationis reperiantur inuicem de facto copulata complentibus,ac perficientibus, cæteris omnibus,tum corpus,tum sanguinem; Nihilque proinde iam detur ex vi causarum secundarum impediens mutuam eorum coniunctionem: consequens est, vt hæc omnia adsint concomitanter in isto sacramento: idemque dicitur suo modo de proprietatibus, & perfectionibus accidentalibus humanitatis absolutis à loco. Inquam cum nihil iam adsit ex vi causarum secundarum, quod mutuam coniunctionem impediat. Quia si tale aliquid adesset vti adfuit in triduo mortis Christi respectu vnionis animæ cum corpore, & sanguine; verba consecrationis, non inducerent sub accidentibus panis id,cuius vnio cum corpore esset impedita; idem dicitur ex simili suppositione de sanguine.

Art. 14. Superest iam, vt ostendatur Christum ita adesse totum, vt adsit solus; nihilque proinde remanere post consecrationem de substantia panis,& vini. Quam veritatem definit aduersus Lutheranos Conc. Trident.vbi supra can.2. dicens *non remanere substantiam panis & vini, atque mirabilem illam singularem conuersionem fieri manentibus dumtaxat speciebus panis, & vini*. Ratio est quia vi verborum consecrationis, substantia panis, & vini spoliantur omnibus suis accidentibus,nec amplius sunt subiectum sustentationis eorum. Requiritur enim ad veritatem verborum corpus, & sanguinem Christi esse subiectum talium accidentium. Quia si adessent in loco accidentium quin ea sustentarent;posset quidem verificari *Hoc est corpus;hic est sanguis* τὸ *hic* aduerbialiter sumpto, non tamen: *Hoc est corpus: Hic est sanguis* particulis *hoc*,& *hic* nominaliter sumptis. Quia nominaliter sumptæ, vltra præsentiam localem significant vnitatem consurgentem ex vnione eorum accidentium cum corpore,& sanguine, tanquam cum subiecto sustentationis ipsorum. Cum ergo idem accidens nequeat simul habere duplex subiectũ sustentationis; saltem naturaliter, quandoquidem ex natura rei est determinatum ad vnicum tale subiectum, patet,vi verborum consecrationis, spoliari substantiam panis, & vini, omnibus suis accidentibus.

Art. 15. Substantia autem desinit esse ex sua natura, deficientibus sibi proprietatibus suis accidentalibus. Quia dependet ab illis à posteriori. Accidentia enim respectu substantiarum, quibus insunt, habent rationem instrumenti ad omnes operationes ipsarum, vt docet D. Thomas q.21. de verit. à 5. & alibi sæpe cum Philos. Vnde substantiam esse absque omni accidenti,est ipsam esse ineptam ad omnes suas operationes. Quia verò substantia est propter suam operationem;& quòd vtiliter existat habet ex operatione sua; concluditur substantiam,ex quo caret omni suo accidenti,carere totaliter suo fine proximo,nec posse amplius vtiliter existere, sed perperam extituram esse in rerum natura. Vnumquodque autem desicit deficiente fine,propter quem est,& Deus sicut nihil perperam, & inutiliter facit, ita nihil perperam, & inutiliter conseruat,eademque ratione tollit ex natura rerum, quòd est iam prorsus inutile, qua dicitur sal infatuatum mitti foras,vt conculcetur, & palmites non manentes in vitæ, nec ferentes fructum mitti extra vineam,& colligi in fasciculos ad comburendum. Ergo substantiæ panis,& vini necessario desinunt esse in rerum natura,vi verborum consecrationis, nec post illa possunt vlterius conseruari absque nouo miraculo; cuius tamẽ nulla apparet ratio, & conuenientia,nullaque est reuelatio,sed potius oppositа. Est igitur in sacramento Eucharist.secundũ rei veritatẽ totus,& solus Christus Dominus,cum accidentibus panis, & vini.

Art.1. Ad 1. Ex ea auctoritate sumpserunt Hæretici occasionem errandi: malè intelligentes verba Augustini, vt dicit D.Thom. q.75. à 1. ad 1. sicut & aliis hæreticis quam pluribus accidisse videmus olim & nuper, circa alia plura mysteria. Cæterum Augustinus nequaquam reprobat veram, ac realem præsentiam corporis Christi in sacramento, sed eam eius præsentiæ intelligentiam, eumque sensum verborum Christi, iuxta quem eius sermo visus fuit durus discipulis. Audiatur Augustinus illo ipso in loco ante medium enarrationis. *Durum illis visum est cum ait; nisi quis manducauerit carnem meam,non habebit vitam æternam. Acceperunt illud stultè,carnaliter illud cogitauerunt;& putauerunt quod præcisurus esset Dominus,particulas quasdam de corpore suo;& daturus illis, & dixerunt: Durus est hic sermo. Ipsi erant duri, non sermo;* Hinc apparet,cum postea subiungit, spiritualiter intelligite,&c.non velle intelligentiam allegoricam nec excludere veritatem,ac realitatem corporis,& sanguinis;sed velle,vt intelligantur caro,& sanguis, quatenus habentes modum spiritualem, ac supernaturalem existendi, provt infra exponetur quæst.66. & non eo modo existentes,quo extitere, dum corpus crucifigeretur,& effunderetur sanguis à Iudæis.

Art.2. Dum deinde subiungit, *spiritaliter intellectum viuificabit vos;caro non prodest quicquam*, tantum vult, quæ etiam fuit intentio Christi Domini instruentis discipulos, carnem non valere ad viuificandum ex se præcisè, sed ex adiuncta diuinitate, ac spiritu,vt patet ex his eiusdem Augustini verbis prælatis ibidem paulò prius *cum adoras illum, ne cogitatione remaneas in carne*,& paucis interiectis: *Quando autem hoc Dominus commendauit de carne sua locutus est*, non igitur vera, & realis caro cogitanda, & commendata negatur; sed solum cogitanda, & commendata perhibetur simul cum diuinitate,ac spiritu. Alia quam plura Augustini testimonia, quibus clarissimè docet veram, ac realem præsentiam Christi in sacramento Eucharistiæ videri possunt inter alios, apud P. Hieronymum,Torensem l.3. confess.Aug. cap.4. & 5.

Ad 2. Intelligentia determinata eorum, quæ allegoricè, ac tropicè dicuntur, pendet ab eorum cognitione, quæ dicuntur in sensu proprio absque tropo, & figuris. Vnde ita sunt admittenda aliqua per allegoriam, ac tropicè dicta in sacris litteris,vt non propterea liceat omnia distrahere à sensu proprio, ac litterali; imo propterea sit necesse accipere aliqua in sensu proprio, ac litterali. Ahoquin nihil vspiam Deus determinatè reuelasset: & liceret omnia huc, & illuc pro libito pertrahere. Discrimen autem propositionum continentium sensum figuratiuum, & proprium, non debet desumi ex facilitate, aut difficultate cohærentiæ inter subiectum, & prædicatum, respectu rationis naturalis. Quia inde fieret istas propositiones: *Verbum caro factum est. Ego & Pater vnum sumus: Omnes in Adam peccauerunt*, & similes accipiendas esse tropicè,ac impropriè; cum iuxta proprietatem sermonis non minorem, sed maiorem ingerant difficultatem rationi naturali,quam istæ: *Hoc est corpus meum: Hic est sanguis meus*. Discrimen igitur desumendum est ex contextu, & scopo, cæterisque circumstantiis locutionis maximè verò ex Ecclesiæ Catholicæ sensu,& SS. PP. intelligentia. Quæ omnia iam innotui suffragari apertè, proprietati sermonis in re nostra cum nihil eorum suffragatur, eidem, quoad propositiones quæ obiiciuntur. Vnde nulla est paritas.

Ad 3. Ostensum iam est præsentiam realem Christi in sacramento afferre multiplicem vtilitatem. Quia licet nihil possit absolutè agere, aut pati physice,dependenter à præsentia sacramentali; potest tamen præstare, & præstat multa intentionaliter, cum depen

dependentia ab eadem præsentia, mediante fide. Atque hæc ipsa fides, licet perinde feratur in Christum absentem, & præsentem quoad facilitatem, & certitudinem; non tamen perinde afficit voluntatem, sed accendit charitatem multo magis ex præsentia reali Christi in sacramento, vt dictum est. Quia verò vera charitas non adhæret corpori, & sanguini secundum se, & propter se præcisè, sed vt vnitis, & propter vnionem cum verbo, & quod ad sacramentum attinet, vt existentibus modo spirituali; propterea ea adhæsio nihil nocet; sed est, supra quam dici potest vtilis, & plena spiritualis delectationis, ac roboris. Quòd attinet ad periculum deceptionis. Hoc est commune omnibus miraculis, vt si intellectus, non sit præuentus diuina reuelatione, ac illustratione, sint perturbatiua rationis naturalis, vtpotè fundatæ in naturali rerum ordine, quem perturbant miracula. Circa istud autem sacramentum est iam præuentus intellectus volentium credere, reuelationem, & illustrationem diuinam de specie, seu apparentia panis, & vini, coniuncta cum realitate præsentiæ solius Christi. Vnde nullum est deceptionis periculum nisi nolentibus credere; hoc est nisi volentibus decipi.

Art. 1. Ad quartum. Quòd eadem entitas simul sit in spatiis inuicem distantibus, vsque adeo non repugnat metaphysice ex conceptu suo, vt de facto naturaliter contingat non solum in Deo, & Angelis, sed etiam patenter in anima rationali, quæ tota simul adest in omnibus, & singulis partibus corporis humani, distantibus inuicem quoad spatium; & quatenus est in manu dextra, habet rationẽ dextræ respectu sui, quatenus est in manu sinistra, atque è conuerso; & similiter est sursum, ac deorsum respectu sui, vt est in capite, & vt est in pedibus.

Art. 2. Quòd autem spatia simultanea eiusdem entitatis inter se distantia non possint esse naturaliter discontinua, nequaquam probat supernaturaliter, discontinua esse non posse. Quia Deus, qui æqualiter est vbique præsens, æquè facilè dare potest præsentias in diuersis locis discontinuas, atque continuas, licet agens naturale præstare id non possit, quia non potest agere in distans immediatè, nec vllibi quidquam supernaturale, aut supernaturaliter efficere. Rursus omnia creata subsunt eodem modo dispositioni voluntatis, & potentiæ diuinæ quoad ea, quæ sunt illis omnibus communia, nec dependent à determinato gradu perfectionis, vel imperfectionis vnicuique essentialis. Præsentia autem ad locum est rebus omnibus communis, & quæ superadditur vltra exigentiam vnicuique connaturalem, nullam ratione sui adiungit, aut præsupponit perfectionem, vel imperfectionem specialem ex parte subiecti. Quia est pura habitudo ad aliquid extrinsecum, quæ non determinat entitatem, cui inest, ad bonum aliquod ipsius, vel malum, sed ad vtrumque, quantum est ex se, est prorsus indifferens. Quod enim prosit, vel officiat præsentia ad aliquem locum, dependet ex dispositione extrinseca rerum circumiacentium; ac proinde neutrum eorum determinatè habet ex se præcisè. Potest igitur Deus corporalia non minus, quam spiritualia constituere in locis inuicem distantibus, siue continuis, siue discontinuis, & cum denominationibus inde resultantibus.

Art. 3. Quapropter indiuisio cuiusuis entitatis essentialis, est sola indiuisio entitatiua, quæ habetur per mutuam identitatem omnium suorum prædicatorum, coniunctam cum distinctione ab omnibus aliis prædicatis. Hæc autem duo non deficiunt vlli entitati, ratione præsentiæ simultaneæ sui, ad spatia inuicem distantia, & discontinua. Quia tam ipsa spatia, quam præsentiæ ad illa, sunt quid extrinsecum, & realiter distinctum, ideoque indiuisio quoad spatia & loca est indiuisio solum quoad extrinseca, & realiter distincta; quibus proinde vtcunque multiplicatis, ac disiunctis, non necesse est multiplicari itidem, aut à se disiungi rem cui insunt, & quam afficiunt. Deficere igitur potest eiusmodi indiuisio quoad spatia, & loca, absque repugnantia entitatis cui acciderit opposita diuisio, & absque iactura indiuisionis transcendentalis, ac conuertibilis cum ente. De duratione simultanea in partibus temporis inuicem distantibus longè alia ratio est. Quia partes ipsæ temporis essentialiter sunt successiuę, nec possunt existere simultaneè.

Ad 5. Constat ex dictis qua ratione vi verborum adsit totus Christus, sub speciebus panis, & vini, & totaliter excludatur ipsius panis, & vini substantia.

---

## Qvæstio LXIV.

*Vtrùm verba consecrationis; species panis, & vini; & Christus, pertineant ad constitutionem intrinsecam huius sacramenti?*

Videtur non pertinere. 1. Quia verba desinunt esse in rerum natura, cum primùm proferuntur; Sacramentum verò permanet diutius, vt constat inter alia ex Trid. sess. 13. c. 5. & 6. & can. 4. & 6. Quod autem permanet, non potest constitui intrinsecè per id quod non permanet. Quia præteritum respectu præsentis perinde se habet, atque si nunquam extitisset. Nec fieri potest, vt totum aliquod perseueret, cuius aliqua pars deficit; cum totũ sit ex conceptu suo indistinctum ab omnibus suis partibus simul sumptis.

2. Species panis, & vini non habent maiorem, aut aliam vim significandi post consecrationem quam ante consecrationem. Quia semper retinent eandem vim operandi, tum intentionaliter, tum physicè. Ante consecrationem autem non habet vllam vim significandi, aut præsentiam Christi, aut collationem gratiæ. Ergo neque postea illam habent; sed tota vis significandi est penes verba. Ergo sola verba constituunt adæquatè istud sacramentum.

3. De conceptu sacramenti est ratio signi; & rursus de conceptu signi est, vt sit sensibile vti dictum est sæpe ex Augustino. Corpus autem, & sanguis Christi non sunt sensibiles, provt sunt in sacramento; quandoquidem nullo sensu percipi possunt. Non igitur participant rationem sacramenti, vel adæquatè, vel etiam inadæquatè.

4. Si verba, & species constituerent intrinsecè istud sacramentũ; potiori ratione pertineret sumptio ad constitutionem intrinsecam ipsius. Quia sumptio potissimum ducit in cognitionem infusionis gratiæ; sicut enim accidenti sumptione, & non aliter infunditur gratia reipsa; ita visa eadem sumptione, & non aliter cognoscitur infundi eadem gratia.

Art. 1. Respondetur. Ea omnia, & sola pertinent ad constitutionem intrinsecam cuiusque sacramenti, quibus intrinsecè constituitur tota significatio practica ipsius, vt patet ex dictis supra in communi quæst. 1. & alibi. Significatio autem practica sacramenti Eucharistiæ constituitur in primis intrinsecè per verba consecrationis. Quæ videlicet significant clarissimè realem præsentiam corporis, & sanguinis Christi sub speciebus eandemque inducunt vi sua. Qua de causa dicuntur ab Ambrosio operatorius sermo, nempe operans, quòd dicit, ac significat. Consequenter significat mediatè, & in causa collationem gratiæ respectu suscipientis sacramentum, significando

immediatè, atque inducendo sub speciebus Christum Dominum, qui est fons gratiæ. Iam species panis, & vini habent symbolicam proportionem cum corpore, & sanguine Christi, nec non cum refectione spirituali animæ, quæ fit per gratiam, vt dictum est, quæst.58. ad 3. quæst.59. ad 1. ac proinde perficiunt, & complent sacramentalem verborum significationem, quatenus talem; ideoque pertinent ad constitutionem intrinsecam significationis sacramentalis adæquatè sumptæ. Demum corpus, & sanguis Christi Domini, tametsi non habeant rationem signi immediatè; significant nihilominus immediatè gratiam. Quia cum primùm innotescit eorum præsentia mediantibus verbis, & speciebus, eadem cum iisdem coniuncta, ducunt in cognitionem gratiæ conferendæ; quatenus ex institutione diuina, coniunctum ex his tribus habet vim conferendi gratiam. Quapropter verba, & species habent rationem puri sacramenti. Corpus vero, & sanguis Christi ita habent rationem rei significatæ, & effectus inducti per verba, ac species; vt simul habeant rationem, etiam signorum consignificantium practicè, & vera causalitate inducentium gratia, non minus, quam ipsa verba, & species. Vnde corpus, & sanguis ita habent rationem rei sacramenti, vt simul habeant rationem sacramenti, vt communiter dicitur. Hæc igitur tria pertinent ad Constitutionem intrinsecam sacramenti Eucharistiæ.

Art.2. Eadem sola vt hoc etiam obiter subiiciatur) sunt adæquatum rectum eiusdem sacramenti inclusis insuper in obliquo intentione, & legitima potestate seu charactere ministri, atque institutione diuina, vt apparet ex dictis in communi quæstio.18. Vbi etiam dictum est corpus & sanguinem Christi habere per se rationem recti, respectu specierum, & verborum & rursus species respectu verborum. Vnde effectum est, vt Ignatius, & Iustinus, Martyres, ille in Epistola ad Smirnenses, hic dial.2. Augustinus relatus canon. Hoc est de consecrat. distinct. 2. & alij plerunque dicant hoc sacramentum esse corpus, & sanguinem Christi; alij verò non infrequenter esse panem vitæ; nemo tamen similiter dicat esse verba consecrationis, nempe nomine recti idoneè significatur totum concretum; & magis idoneè nomine plus habentis de ratione recti, non verò nomine obliqui.

Ad 1. Transeunt quidem verba formaliter quoad suam physicam entitatem; manent tamen virtualiter, & æquiualenter in suo effectu; nempe in speciebus, vt coniunctis cum substantia corporis, & sanguinis Christi, nec non in sui notitia. Quia verò sacramenta, & singulæ sacramentorum partes exercent suam causalitatem instrumentalem respectu gratiæ per virtutem causatiuam cognitionis sui, vt dictum est in communi quæst.24. atque verba Eucharistica, & species, causant perseuerantiam præsentiæ Christi sub iisdem speciebus, solum ratione exigentiæ, quam habet eadem præsentia iam semel ab illis inducta, vt duret, dum durant ipsæ species; patet verba eo modo perseuerantia in suo effectu, & in notitia sui actuali, vel aptitudinali, non perinde se habere de præsenti, atque si nunquam extitissent, respectu partium sacramenti, quæ adhuc in se intrinsecè sunt actu, sed potius se habere, atque si actu permanerent formaliter secundum se; atque ideo perinde posse constituere intrinsecè sacramentum. Quod nimirum est totum quoddam morale, potens præstare de præsenti effectus suos proprios, non minus ratione partis, quæ virtualiter tantum perseuerat modo dicto de de præsenti, quam ratione cæterarum partium, quæ formaliter perseuerant. Quibus præoccupatæ manent nonnullæ paritates, quæ solet fieri in contrarium.

Ad 2. Species, ante verba consecrationis habent solam aptitudinem remotam significandi partialiter; at verò coniunctæ postea cum iisdem verbis, significant actualiter totum effectum sacramenti, propter analogiam, dependenter à qua subsunt institutioni diuinæ, vt dictum est.

Ad 3. Non est de ratione partis constituentis intrinsecè sacramentum vt sit immediatè sensibilis. Sufficit enim si saltem mediatè innotescat per sensum, vti superius notatum est non semel, & patet in actu contritionis, seu attritionis respectu sacramenti Pœnitentiæ, dictum autem est. Christo prout est in sacramento, conuenire sensibilitatem mediatam.

Ad 4. Sumptio non habet vllam symbolicam proportionem cum gratia, nec vllam vim actiuam, ratione cuius possit exerere causalitatem aliquam instrumentalem respectu eiusdem gratiæ. Vnde non est pars constitutiua sacramenti, sed est sola conditio sine qua non, & pura applicatio agentis ad passum, atque significat collationem gratiæ purè naturaliter, ex suppositione institutionis, & existentiæ sacramenti; ad eum omnino modum, quo applicationes agentium naturalium significant effectus eorum. Ex quo patet discrimen respectu cæterorum circa quæ instituta est quæstio præsens, videatur si libet expositio conditionis sine qua non quæstio.14. de Virt. Theolog.

---

## QVÆSTIO LXV.

### *Vtrùm omnia præcedentia rectè colligantur ex veritate verborum consecrationis?*

VIdentur non rectè colligi. 1. Quia verba consecrationis potuerunt dici à Christo Domino in sensu purè allegorico; qua de re dubitari minimè potest. Sunt igitur ex se indifferentia ad sensum, tum allegoricum, tum proprium; & consequenter ad veritatem vtriuis seorsim sensui correspondentem. Quod autem est indifferens ex se ad vtrumlibet ex duobus, ad neutrum eorum potest determinari, aut determinare ex se præcisè. Ergo, ex veritate verborum consecrationis secundum se nihil eorum, quæ hucusque dicta sunt, rectè colligitur, omnia namque fundata sunt in sensu proprio, ac literali determinatè sumpto. Quapropter ad ea colligenda requiritur insuper traditio, ac definitio Ecclesiæ. Quia videlicet secluſa possent ea verba, absque nota erroris, aut hæresis, exponi in sensu purè allegorico vt docet, Caiet. ad art.1. quæst.75.

2. Multæ propositiones hucusque dictæ sunt; & quidem aliquæ fundatæ in sola Conciliorum, ac Patrum authoritate; nonnullæ vero in sola ratione, partim naturali, partim Theologica. Verba autem consecrationis sunt duæ solæ propositiones immediatè reuelatæ. Ergo in eis verbis non continentur omnia, quæ hucusque dicta sunt, ac proinde ex illis secundum se præcisè inferri legitimè nequaquam possunt.

Art.1. Respondetur. Duplex significatio, & consequenter duplex veritas obseruanda est in verbis consecrationis; altera naturalis, & speculatiua, conueniens ex hominum institutione; altera supernaturalis, & practica, seu operatiua sui significati, conueniens ex institutione diuina. Significatio naturalis, & speculatiua, quatenus præscindens à significatione supernaturali, per quam illa non auertur, sed perficitur, atque essentialiter præsupponitur, præscinditur à vera, & falsa, pro priori naturæ, pro quo verba antecedunt præsentiam realem corporis, & sanguinis Christi, tanquam eiusdem præsentiæ causa. Quia pro eo priori nondum datur obiectum

signifi

significatum, neque cum ipso intrinsecè connectitur significatio præcisè vt naturalis, ac proindè, pro eo priori, nullo pacto intelligitur formaliter conformitas eius significationis cum re significata. At significatio supernaturalis, qua supernaturalis, & sacramentalis est, est vera pro eodem priori naturæ, atque inducit præsentiam corporis, & sanguinis Christi, quia vera est, non vt vera sit, aut præcisè, quia vera erit. Quia significatio supernaturalis, ac sacramentalis, qua talis est, habet Deum auctorem specialem sui, & conuenit verbis, quatenùs sunt locutio Dei propriè. Locutio autem propria Dei, & significatio conueniens illi, qua talis est, non est contingenter vera per denominationem extrinsecam ab alio, sed per seipsam essentialiter, propter connexionem intrinsecam, ac essentialem quam habet cum obiecto provt significato per ipsam.

Art. 2. Cæterum vtrique significationi commune est, vt verificari minimè possit, nisi data vera, ac reali præsentia corporis, & sanguinis Christi sub accidentibus panis, & vini; quandoquidem hæc præsentia clarè, & distinctè significatur, ac affirmatur; idque non allegoricè, & impropriè; sed iuxta proprietatem sermonis, vt quæstione 63. demonstratum est. Igitur ex veritate verborum consecrationis rectè colligitur realis in primis præsentia corporis, & sanguinis Christi sub speciebus panis & vini. Bonitas huius primæ illationis non potest tutò negari, idem indidem colligente, & seueriſſimè statuente apertissimè colligi, Concil. Trid. sess. 13. cap. 1. Colligitur verò ex significatione naturali, vt coniuncta cum supernaturali; quatenùs significatio naturalis eorum verborum verificari non potest, non data ea præsentia, quæ est obiectum significatum, ac affirmatum directè, & expressè; supernaturali verò significationi non potest quicquam deesse requisitum ad verificationem, vt nuper notatum est.

Art. 3. Indidem rursus colligitur accidentia panis, & vini non manere amplius vnita vtrique illi substantiæ, sed solo corpori, & sanguini Christi. Colligitur verò non solùm mediatè, & indirectè, considerata natura accidentium in æpacium, vt sustententur simultaneè à duplici substantia, vndè quæst. 63. art. 14. argumentati sumus, sed etiam immediatè, ac directè; quia propositio demonstratiua; *Hic est homo: Hic est paries*, iuxta communem, ac sincerum loquendi modum accommodatum naturæ rei, significat solum hominem, solúmque parietem subesse accidentibus, vi quorum vterque demonstratur. Quia videlicet non obiicitur sensibus, nisi vna vnius tantum rei apparentia. Quare demonstratio, & affirmatio vnius alicuius substantiæ, sub vnaquaque huiusmodi apparentia sensibili, virtualiter est exclusio, & negatio omnis alterius substantiæ sub eadem apparentia.

Art. 4. Ista apparentiæ per se sensibilis vnitas est obseruanda diligenter. Quia propter defectum eius vnitatis, dum obiicitur sensibus energumenus operans exterius, vt talis, licet dicere: *Hic est homo: Hic est Dæmon*; & neutra affirmatio includit in se negationem alterius affirmationis. Datur nimirum in eo casu duplex per se seorsim sensibilis apparentia, tum quoad accidentia & operationes proprias hominis eidémque connaturales; tum quoad operationes præternaturales respectu hominis, & quæ nonnisi à Dæmone procedere, aut possunt, aut solent. Ob rationem contrariam similem proportionaliter, licet dicere loquendo de Deo; *Hic est Pater*, quin propter negetur vllo pacto eundem esse, aut Filium, aut Spiritum sanctum, similiter è conuerso. Quia nimirum Deitas per seipsam est æque, ac indiuisim cognoscibilitas omnium trium personarum, nec habet ex se determinationem ad vnicam personam, vel ad duas solas. Cùm ergò in præsenti maneat post consecrationem, vnica illa eadem apparentia, quæ erat ante consecrationem, quæque ex sua natura est determinata ad manifestandam vnicam tantùm substantiam: sequitur, facta affirmatione: *Hoc est corpus meum*, eo ipso virtualiter negari iuxta naturam rei idipsum esse panem; & similiter de vino.

Art. 5. Colligitur tertiò, ex eadem eorundem verborum veritate, panem triticeum, & vinum de vite esse materiam remotam huius sacramenti, proximam verò, & intrinsecè constitutiuam esse accidentia vtriusque. Quia Christus Dominus vsurpauit particulas, *hoc*, & *hic*, ad demonstrandum talem panem, & tale vinum determinate. Quare eæ particulæ; licet sint indifferentes ex se, ad quamlibet substantiam indiscriminatim, nihilominus postquam ex vsu Christi Domini applicatæ fuerunt ad demonstrandum panem, & vinum, non possunt vsurpari cum veritate in consecratione nisi adsint, cùm incipit ipsa consecratio substantiæ panis triticei, aut vini de vite. Quia ex institutione Christi Domini, & ex prædicatis quæ vtrobique superadduntur immediatè habent iam determinationem ad præsuppositionem earum determinatè substantiarum. Itaque hæc tria colliguntur immediatè, ex veritate verborum consecrationis.

Art. 6. Quia verò in his tribus simul sumptis continetur re ipsa immediatè, & adæquatè conuersio totius substantiæ panis in substantiam corporis Christi, & totius substantiæ vini in substantiam sanguinis eius, vt apparet clarè ex huius conuersionis explicatione, tradita superius quæst. 63. concluditur istam etiam conuersionem colligi reipsa, immediatè ex eadem veritate verborum. Id quod distinctissimè docemur à Concil. Trid. sess. 13. cap. 4. rursus quia cætera, quæ hucusque dicta sunt, ex his quatuor immediatè deducta à nobis fuere, adiuncta ratione, vel auctoritate partim certa, partim probabili, concluditur tandem omnia superiora documenta, & conclusiones rectè similiter colligi ex eadem veritate verborum. Cætera quæ deinceps subsequentur, deducentur quidem, & ipsa ex eodem fonte, sed purè mediatè, vt apparebit in decursu; itavt neutra præmissa pro iis, quæ deinceps statuenda sunt, futura sint verba consecrationis, aut veritates immediatè in illis contentæ; eáque propter hoc potissimum in loco, inserta est doctrina vsque adeò commendata à Concil. Trid. de illatione ex veritate verborum consecrationis.

Art. 1. Ad 1. Qui vtitur locutione præferente ex contextu, cæterisque omnibus circumstantiis, proprietatem sermonis, solúmque sensum litteralem, & simul nihilominus in mente habet solum sensum allegoricum, & figuratum, non loquitur profectò sincerè, sed est mendax. Quia aliud habet in mente, & aliud in ore, ac verbis; quandoquidem aliam rem continet sensus allegoricus: & improprius; aliam verò litteralis, ac proprius. Ostensum autem suprà est quæstione 63. ab art. 2. contextum, omnésque circumstantias verborum consecrationis esse determinatas de facto ad solum proprium, ac litteralem sensum, nec vllum extare vestigium, ex quo legitimè deprehendi possit sensus allegoricus. Quapropter Christus Dominus eatenùs solùm potuit iisdem consecrationis verbis, vti in sensu allegorico, ac figuratiuo, quatenùs potuit aliqua exterius superaddere, aut adimere vltra ea, aut ex iis quæ de facto adhibuit. Verba igitur consecrationis, provt exhibentur de facto in sacro textu, habent omnimodam determinationem, ac restrictionem ad sensum proprium, & litteralem; atque opposita Caietani Doctrina est prorsus falsa, atque repugnans Tridentino ll. cc. & meritò proindè reiecta ab omnibus Theologis.

Art. 2. Consequenter authoritas Ecclesiæ non requiritur in re præsenti, speciali aliqua de causa, quasi præterea, quæ habentur in scriptura oportuerit Ecclesiam niti traditione, aut particulari alia reuelatione non scripta; sed tantum requiritur ea ratione vniuersali, qua est regula credendorum, & quod ipsa dicit circa contenta scriptura, est essentialiter conuertibile cum eo, quod re ipsa continetur in illa. Quapropter fieri nullatenus potuit vt Ecclesia aliter doceret quam docet, circa istud mysterium, & circa sensum eorum verborum, non præexistente diuersitate in locutione Christi, inque eius circumstantiis, provt habentur in Euangeliis, & apud Apostolum vti superius expensum est.

Ad 2. Iam innotuit quomodo contineantur, in ea duplici propositione consecratoria, omnes conclusiones hucusque traditæ. Concilia porrò, & aliæ authoritates, quæ pro illis stabiliendis adducta sunt, fundantur in sola eorumdem verborum consecrationis veritate. Vnde ad eam omnia demum reuocantur.

## QVÆSTIO LVI.

*Vtrùm Christo Domino, provt est in sacramento, conueniant ea omnia, & sola quæ conueniunt eidem provt est in Cœlo?*

VIdentur nec ea omnia, nec sola conuenire. 1. Quia non retinet Christus in sacramento pulchritudinem, quam habet in Cœlo. In sacramento enim omnes partes corporis, absque vllo inter ipsas ordine, sunt accumulatæ, & inuicem penetratæ in singulis partibus spatij specierum, quod repugnat pulchritudini; vtpote consurgenti ex diuersa situatione singularum partium, cum determinata, & idonea quadam, tum distantia, tum propinquitate illarum inter se.

2. Christus, vt est in sacramento nullas sensiones elicere potest; nec vllum actum intellectus, aut voluntatis mediatè vel immediatè pendentem à sensibus, nec vllas actiones exteriores Negari autem minimè ei potest potentiam proximam efficiendi hæc omnia esse aliquam peculiarem perfectionem, eamque conuenire Christo Domino, vt in Cœlo. Non igitur habet in sacramento omnem perfectionem, quæ sibi conuenit in Cœlo.

3. Corpus Christi, vt est in sacramento, habet modum existendi in loco proprium spirituum. Est enim totum in toto spatio, & totum in qualibet parte spatij. Existentia autem in loco ad modum spirituum est perfectior, quàm quæ est corporibus connaturalis; eamque non habet Christus in Cœlo. Ergo habet in sacramento perfectionem aliquam peculiarem, vltra eas, quas habet in Cœlo.

4. Christus, vt existens in sacramento, plus nobis prodesse potest, quàm si solùm existeret in Cœlo. Alioquin inutiliter institutum fuisset hoc sacramentum, esset que omnino superflua realis Christi præsentia in illo. Posse autem plus prodesse aliis, est plus habere perfectionis in se. Quia potentia perficiendi alios est æstimabilis, & appetibilis per se; & plus, quæ magis perficere potest. Accrescit igitur Christo perfectio specialis ex sua in sacramento præsentia.

5. Christus in sacramento vnitur accidentibus panis, & vini vnione vera, ac reali; & ratione huius vnionis attribuuntur ipsi plura specialia prædicata, vt manducari, & bibi, ac viuificare, quæ habentur in Euangelio; & manibus sacerdotum tractari, ac frangi, atque fidelium dentibus atteri, quæ habentur c. Ego *Beringarius* de consecrat. dist. 2. aliaq; similia. Omnis autem vnio est perfectiua, aut deterioratiua vtriusque sui extremi. Si enim quod alterutri eorum adiungit, est conueniens eidem; est perfectiua eius, si non est conueniens, est deterioratiua; atque inter hæc duo non datur medium. Idem argumentum instituitur de peculiaribus illis prædicatis attributis ratione eiusdem vnionis. Conueniunt igitur Christo, vt est in sacramento, speciales aliquæ perfectiones, aut imperfectiones.

Art. 1. Respondetur: Christo Domino, ratione suæ præsentiæ realis in sacramento, nulla prorsus accrescit, aut decrescit perfectio. Non quidem accrescit. Quia si accresceret, non solum nostra interfuisset, sed etiam Christi, vt institueretur hoc sacramentum; nec gratia nostri tantum, sed & gratia ipsius institutum fuisset, & rursus quia humanitati Christi ratione vnionis ad verbum debetur omnis perfectio possibilis; institutio huius sacramenti, non purè liberaliter, & gratiosè, sed naturali necessitate facta fuisset, supposito mysterio Incarnationis. Quæ tamen repugnant communi persuasioni fidelium, & modis loquendi Sanctorum Patrum, ac Conciliorum circa hoc sacramentum, & eius institutionem.

Art. 2. Sed neque decrescit indidem aliqua perfectio. Quia si aliqua decresceret, pateretur Christus aliquod malum, postquam factus est impassibilis, & purè ac perfectè beatus, eiusque mali esset ipsi auctor quicunque consecrat, & sacramentum esset nociuum authori suo. Certum namque est defectum cuiusuis perfectionis, esse aliquam imperfectionem, & malum aliquod in subiecto illius proprio, & naturali, eiusque inclinationi, ac exigentiæ innatæ repugnare, quod si ibi deficiat aliqua sua perfectio, vbicunque tandem, & quomodocunque eam deficere contingat.

Art. 3. Deinde non est necessarium, aut conueniens ad finem sacramenti, vt Christo, provt in illo continetur, addatur, aut detrahatur aliqua perfectio; finis namque est communicatio donorum gratiæ respectu nostri: habet autem Christus sufficientem ad hoc perfectionem provt est in Cœlo; nec minus habens, redderetur magis idoneus ad communicandum aliis.

Art. 4. Denique Christo, vt est in sacramento ea omnia, & sola conueniunt, quæ sufficiunt ad verificanda verba consecrationis, & ad explendam re ipsa significationem propriam illorum, vti ponderatum est superius in quæstione præsertim proximè præcedenti. Verba autem consecrationis, nec augmentum perfectionis significant, nec decrementum, sed solam vnionem corporis, & sanguinis Christi ad accidentia panis, & vini. Et quidem vnionem, qualis præcisè sufficit, vt Christus sit demonstrabilis ad sensum, mediantibus iis accidentibus. Existenti namque tali vnione, omnino verificatur: hoc scilicet substans his accidentibus seu substantiam his accidentibus deinctam, & in cuius cognitionem ea perducunt, esse corpus, & sanguinem Christi. Patet autem huiusmodi demonstrabilitatem Christi ad sensum, saluari optimè, quin addatur, & quin detrahatur illa perfectio, vltra, aut citra perfectionem præexistentem.

Art. 5. Pro maiori huius rei claritate notanda est differentia inter vnionem istam sacramentalem, ac supernaturalem; & vniones alias naturales. Vniones naturales accidentium cum suis subsantiis ad hoc dantur, vt eædem substantiæ perficiantur, & compleantur per accidentia, atque reddantur habiles ad effectus, quos in se præcontinēt, producendos. Ex quo consequitur easdem per eadem reddi sensibiles, ac demonstrabiles proximè ad sensum; at vnio sacramentalis accidentium cum substantia sacramentaliter præsente sub ipsis, non ad hoc datur, vt perficiatur, & compleatur substantia. Quæ videlicet iam præsupponitur

antece

antecedenter omninò perfecta, & completa, tam secundùm se, quàm in ordine ad suas operationes. Ad hoc solummodò datur, vt præstet, quod ad conceptum sacramenti formaliter pertinet, nempè, vt significetur substantia, & reddatur sensibilis, ac demonstrabilis ad sensum, possitque percipi per fidem, mediante sensu; non solum auditus, quod est commune aliis mysteriis fidei, sed etiam visus, gustus, tactus, & olfactus, quod est huic mysterio proprium & peculiare. Ad istam porrò perceptibilitatem Christi per fidem, mediantibus iis sensibus, consequuntur effectus donorum gratiæ intenti ad nostram vtilitatem in institutione huius sacramenti, vt expositum est, q. 63. art. 10. & ad 3. Cùm ergò istiusmodi sensibilitas, & perceptibilitas per fidem mediantibus sensibus nihil noceat, nihilque prosit Christo Domino, vt per se patet; apparet vtique clarè nullam perfectionem mediatè, vel immediatè accrescere, aut decrescere Christo Domino, ex vi verborum consecrationis, ac proinde ipsum retinere in sacramento omnes, & solas eas perfectiones, quæ sibi insunt, vt in Cœlo.

Art. 6. Hinc vlterius deducitur. Primò vnionem accidentium panis, & vini, cum corpore, & sanguine Christi, esse purè penetratiuam eorundem accidentium cum eisdem corpore, & sanguine, & consequenter esse determinatiuam corporis, & sanguinis Christi, vt sint demonstrabilia ad sensum, ac perceptibilia per sensus, mediantibus accidentibus prædictis. Neque quidquam aliud præstare eadem accidentia, respectu eorundem corporis, & sanguinis. Quia hoc solùm sufficit ad finem sacramenti, neque quidquam amplius requiritur, vel immediatè, vel etiam mediatè, ad veritatem verborum consecrationis.

Art. 7. Deducitur rursus, aduersus neotericos non paucos, nullam Christo Domino conuenire vbicationem, aut præsentialitatem specialem in sacramento, distinctam realiter ab ea vnione ad accidentia panis, & vini. Quia per solam vnionem sufficienter determinatur, vt adsit vbicunque aderunt accidentia, quæ pro vnoquoque tempore vnicum tantummodò locum habent, ideóque singulæ eiusmodi accidentium collectiones determinant ad singula loca corpus, & sanguinem Christi Domini, pro vnaquaque temporis differentia.

Art. 8. Deducitur tertiò eandem vnionem, purè penetratiuam in ordine ad locum, subiectari adæquatè in solis accidentibus panis, & vini. Nempè hæc accidentia, amissis propriis substantiis, manent in se incompleta, ideóque capacia, & indigentia recipiendi vnionem ad aliam substantiam, quæ substantia sit finis cui, respectu ipsorum, sintque instrumenta eius, & gratia eiusdem conseruentur. Atque in hoc præcisè consistit ratio subiecti sustentationis, quam ab instanti consecrationis exercet Christus respectu eorum accidentium.

Art. 9. Deducitur quartò vnionem eiusmodi sacramentalem receptam in accidentibus panis, quod ad conceptum essentialem huius sacramenti attinet, solum terminari immediatè ad corpus Christi, & non ad animam, aut verbum, aut ad sanguinem, &c. Is nimirum est modus vnionis accidentium cum Christo, qui est modus præsentiæ suæ respectu accidentium; quandoquidem hæc præsentia est indistincta ab ea vnione, vt modo dictum est, art. 7. Dictum autem similiter est q. 63. & 65. solùm Christi corpus esse præsens sub accidentibus panis ex vi verborum directè, ac immediatè; cætera verò solùm concomitanter, soláque consecutione quadam naturali propter coniunctionem, quam de facto habent cum corpore. Ergò idem suo modo dicendum est de vnione cum iisdem accidentibus, déque terminatione eiusdem vnionis, ac coniunctionis mutuæ. Eadem porrò ratio est de accidentibus vini respectu sanguinis, déque sacramentali eorum vnione terminata immediatè ad solum sanguinem.

Art. 10. Deducitur quintò Christum Dominum non informari propriè, neque compleri, vel secundùm se totum, vel secundum aliquam sui partem, per prædictam vnionem cum accidentibus, aut per ipsa accidentia. Quia antecedenter ad vnionem eam sacramentalem, est omninò, ac vltimò completus, & perfectus Christus Dominus, tam substantialiter, quàm accidentaliter, tum secundum omnes, & singulas suas partes: & consequenter non est capax vlterioris alicuius informationis, & complementi substantialis, aut accidentalis. Præterea accidentia panis, & vini non sunt formæ ex sua natura completiuæ, informatiuæ, ac perfectiuæ respectu corporis, & sanguinis humani. Fieri autem, nec diuinitus, & de potentia, absoluta potest vt aliquid compleatur, ac perficiatur per formam, quæ non est completiua, ac perfectiua eius ex sua natura, vt apparet ex dictis suprà quæst. 22. Immutatur nihilominùs humanitas Christi per eandem sacramentalem vnionem. Quia cùm vniatur vi eius vnionis tota humanitas singulis partibus actualibus accidentium, est impossibile, vt ibi retineat modum existendi in loco, seu præsentiæ localis sibi connaturalem, quem habet in Cælo. Vnde necesse est, vt eatenùs aliter se habeat in sacramento, ac se habet in Cœlo, & quam ferat eius natura; ideóque necesse est, vt immutetur intrinsecè saltem negatiuè.

Art. 11. Deducitur postremò ex multiplicata præsentia sacramentali, non valere consequentiam, vt nonnulli putant ad possibilitatem multiplicis vbicationis circumscriptiuæ, & connaturalis quoad substantiam respectu eiusdem entitatis corporeæ pro eodem tempore. Quia præsentia sacramentalis, ac definitiua, non solùm ipsa per se non perficit entitatem, quam affigit; sed neque eam disponit, aut reddit proximè potentem ad exercendas proprias operationes, seu ad agendum, ac patiendum iuxta suam naturam; nec corpus ratione eius præsentiæ occupat propriè locum, in quo est, quominùs ibidem aliquid aliud existere possit. Apparet hoc clarè, iuxta dicta in humanitate Christi non potente proximè quicquam agere, aut pati corporaliter, vt est in sacramento, nec impediente quominùs adsint ibidem accidentia panis, & vini, & suæ ipsæ partes integrales, aliæ simul cum aliis in singulis partibus spatij: quo tamen modo esset impenetrabilis ex natura rei, eadem humanitas, si adesset eidem loco circumscriptiuè, & cum vbicatione sibi connaturali. At vbicatio circumscriptiua, & connaturalis rei corporeæ reddit illam capacem agendi & patiendi corporaliter, ac physicè, atque occupatiuam loci, in quo est, ac demum habilem ad alia plura, quæ indè dependent. Manifestum autem est capacitatem existendi simultaneè in multis locis cum potestate proxima agendi, & patiendi in omnibus illis vel saltem in quouis eorum indiscriminatim, atque occupando omnia ea loca, cum aliis eiusmodi consectariis, esse aliquid plus, quam capacitatem ad solam secundum se, præsentiam simultaneam in multis locis per puram aggregationem ad aliud, & per solam intimam cum illo coniunctionem, eámque minimè perfectiuam, siue vt quo, siuè vt quod respectu rei sic præsentis. Neque verò minus manifestum est non valere consequentiam affirmatiuè à minori ad maius.

Art. 12. Neque quidquam interest præsentiam supernaturalem, qualis est, respectu corporis, præsentia definitiua, & sacramentalis, esse aliquid plus, ac maius, quàm præsentiam naturalem, qualis est intrinsecè respectu eiusdem præsentia circumscriptiua. Quia est aliquid plus, & maius, ac mirabilius ex parte agentis, quod est Deus, cuius virtus æqua-

liter se habet ad omnia, & quælibet non repugnantia intrinsecè, ac essentialiter; non tamen est aliquid plus, & melius aut vtilius, sed minus, vt visum est, comparatione rei creatæ taliter vbicatæ, cuius capacitas non est æqualis ad omnia indiscriminatim, sed est essentialiter limitata, ad aliqua sibi congruentia determinatè sumpta. Confert igitur ad faciliorem credibilitatem huius mysterij, quod dictum, & expositum hucusque est; præsentiam sacramentalem nihil perfectionis, & bonorum vllo modo addere, vel demere Christo Domino, eiusque corpori, & sanguini.

Ad 1. Distinguenda est pulchritudo entitatiua, & intelligibilis, seu conueniens rei materiali in ordine ad se, à pulchritudine situali, & proximè sensibili, seu conueniente eidem rei in ordine ad locum. Pulchritudo entitatiua, & intelligibilis, seu ad se, & in se præcisè consistit in vnione ordinata partium integralium corporis, & qualitatum, quæ illi insunt cum idonea quadam proportione, ac partitione: itavt aliquæ vniantur sibi inuicem immediatè, aliis verò mediatè; & rursus quibusdam mediante vnione plurium partium, quibusdam verò aliis mediante vnione pauciorum partium, Hæc pulchritudo pertinet ad perfectionem rei corporalis. Quia vnio integralis partium pertinet ad constitutionem, & complementum intrinsecum corporis. Pulchritudo situalis, proximè sensibilis, & præcisè in ordine ad locum consistit in vbicatione partium similiter ordinata, quæ necessariò resultat iuxta naturam, & exigentiam rei, ex dicta earundem partium vnione, idoneè ordinata. Posterior ista pulchritudo, non pertinet ratione sui ad perfectionem corporis, nec est propriè pulchritudo, quæ propter se formaliter aut delectet intuentes, aut commendet sapientiam artificis; sed est pura conditio, sine qua non, & applicatio necessaria, vt prior illa vera pulchritudo, quæ talis est formaliter ratione sui, percipiatur mediante sensu. Alioquin vera pulchritudo æstimabilis ratione sui, esset alia; atque alia, quoties moueretur res pulchra; & posset esse artifex nouæ pulchritudinis in homine, aut imagine, sicut est auctor nouæ vbicationis, quicunque potest mouere loco hominem, aut imaginem. Quod est absurdum. Perperam autem istud argumentum dicitur à nonnullis vulgare, eóque nomine deridetur; quasi verò sit ridiculum, & sapiente indignum argumentum, quod desumitur ex sensu communi generis humani, & præcisè, quia desumitur ex eo sensu; quo tamen nihil re ipsa validius est inter argumenta naturalia apud hominem verè sapientem, & nolentem desipere cum inani, ac probrosa prærogatiua paradoxi. Christus autem Dominus retinet in sacramento omnem omnium suarum partium vnionem ordinatam in se, & ad se; ac proindè retinet totam perfectionem suæ pulchritudinis.

Ad 2. Retinet similiter Christus Dominus totam perfectionem totius suæ virtutis actiuæ, tam intentionalis, quàm physicè, soláque deest conditio, sine qua non ad exercitium eiusdem virtutis: sicut quando deest agenti applicatio ad passum, qui non est defectus vllius perfectionis actiuæ.

Ad 3. Præsentia Christi in sacramento, qualiscunque perfectionis, vel imperfectionis ea sit, non informat ipsum, nec perficit, vt dictum est; sed tantum denominat, vt purum terminum intrinsecum. Deinde modus Angelicus existendi in loco, non congruit corpori, nec disponit ipsum ad suas operationes, sed potius impedit, quo minus operetur, quatenùs sic locatum est. Quapropter, esto sit perfectus secundum se, vel magis perfectus absolutè talis modus existendi in loco, quàm vbi circumscriptiuum; perfectionem tamen comparatiuam, respectu corporis, nullam habet; sicut species Angelicæ, respectu intellectus humani, præsertim quatenùs operantis dependenter à corpore, & phantasia, nullam habent vim perfectiuam.

Ad 4. Humanitas Christi vt est in sacramento, prodest quidem nobis multo plus, quàm si adesset solum in Cœlo. Verum prodest in genere solùm causæ instrumentalis. Quod genus causæ non indiget speciali in se perfectione pro speciali perfectione effectus. Sufficit namque specialis dispositio, & applicatio idonea ad vsum causæ principalis, vt apparet in aliis quoque instrumentis naturalibus.

Ad 5. Vnio Christi ad accidentia panis, & vini, est perfectiua ipsorum accidentium; non verò corporis, & sanguinis Christi, vt dictum est: sicut & accidit in vnione verbi Diuini ad humanitatem. Sunt nimirùm istæ duæ vniones mirabiliter, ac delectabiliter affines inter se, quoad multa, vt ex dictis in tota ista quæstione perspici à quouis facile potest. Prædicata, quæ conueniunt Christo ratione istius vnionis sacramentalis, & insinuantur in obiectione, dicuntur de ipso per solam communicationem idiomatum. Eáque propter, circa eiusmodi prædicationes, obseruanda sunt, quæ in simili notata, & exposita sunt, quæstione 23. de Incarnatione. Concluditur itaque eam vnionem, eáque prædicata esse quid conueniens respectu Christi, conuenientia decentiæ, non verò conuenientia vtilitatis, aut nouæ perfectionis intrinsecæ: ideóque ipsum esse specialiter laudandum, ac diligendum ob institutionem huius sacramenti, & ob dignationem suæ realis præsentiæ in ipso: non tamen esse specialiter indè, aut melioratum, aut deterioratum vlla ex parte: ac proinde conuenientiam huius posterioris generis esse purè negatiuam respectu Christi, solúmque respectu nostri esse positiuam.

## QVÆSTIO LXVII.

*Vtrùm post consecrationem maneant omnia accidentia panis, & vini cum tota priori vi actiua, & passiua.*

VIdentur nec omnia manere, neque cum tota priori virtute. 1. Quia accidentis esse est inesse; id est accidentis essentia in hoc consistit, vt insit substantiæ, iuxta communem definitionem ex Philosopho 8. metap. fine. Repugnat autem aliquid manere idem deficiente eius essentia; seu quòd pertinet ad essentiam eius. Ergò repugnat, vt accidentia panis, & vini maneant realiter eadem, post consecrationem, cùm per eam deficiat vtriusque substantia.

2. Concil. Trident. definit. sess. 13. can. 2. conuersionem Eucharisticam fieri manentibus dumtaxat speciebus panis, & vini. Nomen autem speciei non est commune omnibus accidentibus, sed illis solis conuenit, ratione quorum vnaquæque substantia habet apparentiam respectu sensus, & quæ proindè sunt sensibilia immediatè ratione sui; præter quæ dantur alia accidentia, quæ mediatè tantum cognoscuntur per sensum, vt grauitas, lenitas, &c. Ergò non manent omnia absolutè accidentia panis, & vini, sed aliqua dumtaxat.

3. Plus dependet posterius à priori, quàm prius à posteriori. Substantia autem est prior accidentibus, vt dicitur 7. metaph. text. 4. & nihilominus desinit esse in hoc sacramento propter separationem ab

ab accidentibus, vt dictum est quæstione 63. & 65. Ergò multò magis necesse est vt desinant esse in eodem accidentia realia panis, & vini, propter separationem ab vtraque ista substantia, solaque proindè manet apparentia intentionalis eorum, seu sola species, vt loquitur Concil. Trid.

4. Licet Deus possit multa facere supra naturam; nihil tamen contra naturam facit, cuius vtique ipse est auctor, & amator, quæ est sententia, & ratio Augustini l. 26. contra Faustum capite 3. Est autem contra naturam accidentium, tum physicè, tum intentionaliter, vt maneant deficiente subiecto suo substantiali. Physicè quidem, quia ex sua natura postulant esse in subiecto, & non esse sine subiecto inhæsionis, & informationis. Intentionaliter verò, quia separata à subiecto connaturali inducunt falsitatem in sensum, qui per accidentia percipit substantiam illis connaturalem, quatenùs vnaquæque determinata collectio accidentium per seipsam essentialiter est apparentia talis determinatè substantiæ, respectu sensus, & inde respectu etiam intellectus. Falsitas autem est contra intensionem naturæ.

5. Si accidentia panis, & vini manerent sine subiecto; non daretur ibi coloratum, album, sapidum; humidum, &c. sed tantum color, albedo, sapor, humiditas, &c. Sequela autem est contra sensum, circa sensibile proprium, circa quod ille non fallitur, vt dicit Philosophus. Veritas sequelæ ex eo patet, quia secluso subiecto substantiali, nihil supereſt, cui accidentia communicare possint eos effectus formales; nec enim sibi inuicem communicare illos possunt. Quia non sunt perfectiua mutuò alterum alterius; nempe sapor non est perfectio coloris, aut è conuerso, & sic de cæteris. Vnde, nec possunt inuicem vniri. Quia non sunt vnibilia, quorum neutrum est perfectiuum alterius, nec comparatur cum altero, tanquam actus cum potentia. Ergò accidentia non manent realiter in sacramento, sed tantum apparenter.

6. Accidens ex suo conceptu est instrumentum substantiæ sibi connaturalis. De conceptu autem instrumenti similiter est, vt non possit operari, nisi motum à sua causa principali. Ergò vbi non adest substantia connaturalis accidenti, vti certè non adest in hoc sacramento, accidens nihil agere potest. Ergò accidentia Eucharistica non retinent virtutem actiuam, quam anteà habebant.

7. Corruptio accidentis prouenit ex generatione accidentis contrarij in subiecto incapaci recipiendi simul vtrumque accidens; nec nisi hoc modo potest agens naturale agere in accidens, ipsumque corrumpere. Si ergò accidentia Eucharistica conseruarentur sine subiecto inhærentiæ, & informationis; nihil amplius pati possent vi agentium naturalium, ac proindè non possent per ea corrumpi. Prætereà corruptio formæ contingit prævalente virtute causæ inducentis nouam formam supra virtutem causæ conseruantis formam priorem. Accidentia autem Eucharistica si permanerent post consecrationem; conseruarentur sola virtute diuina, adversus quam nullum agens naturale prævalere potest. Est autem contra manifestam experientiam incorruptibilitas eorum accidentium.

Confirmatur istud, & præcedens argumentum, quia superius dictum est, substantias panis, & vini spoliatas omnibus suis accidentibus nihil agere, aut pati posse; ideóque deficere vi consecrationis. Ergò multò minus accidentia agere, aut pati quidquam possunt, aut permanere deficientibus substantiis.

Art. 1. Respondetur. Ad veritatem verborum consecrationis omninò requiritur permanentia realis accidentium panis, & vini. Si enim accidentia vtriusque non essent realiter eadem ante, & post consecrationem, enunciatio consecratiua laboraret falsa suppositione. Quia particulæ *hoc*, *& hic* supponunt pro iis accidentibus, quæ obiiciuntur sensibus, cùm incipit consecratio; tametsi enim substantia, quæ subest accidentibus, significetur vagè, & confusè; ideóque determinatio eatenùs fiat per prædicatum posteà superueniens, vt dictum est suprà; accidentia nihilominus ipsa, per quæ notificatur substantia, significantur omninò determinatè. Quia prædictæ particulæ adhibentur ad demonstrandum indiuidualiter, & omninò determinatè quod immediatè, & ratione sui obiicitur sensibus ex parte rei, sic demonstratæ. Quapropter si accidentia panis, & vini, non permanerent eadem realiter; demonstratio, & enunciatio consecratiua euaderet falsa.

Art. 2. Deindè quod apponitur ex parte prædicati propositionis, est determinatiuum eius, quod apponitur ex parte subiecti, quoad significatum substantiale, non verò quoad significatum accidentale. Quia videlicet sola prædicatur substantia absque propria, & peculiari ipsius apparentia constituta per propria, & peculiaria eiusdem accidentia. Ergò verba, quæ se tenent ex parte subiecti, retinent, quoad accidentia naturalem suum modum significandi omninò determinatè. Ergò verificari minimè possunt, si non maneant eadem accidentia realiter.

Art. 3. Rursus neque id verificari posset, quod definit Concil. Trident. l. c. istam conuersionem fieri, manentibus duntaxat speciebus; si accidentia panis, & vini non essent eadem realiter, sed tantum apparenter ante, & post consecrationem. Quia quod præcessit quoad realitatem, & posteà manet quoad apparentiam tantùm, non potest cum veritate dici absolutè sine restrictione manere; sed debet dici cum addito diminuente, & euacuante vim absolutam significandi, sicut si dicatur manere alicubi hominem, cùm maneat sola hominis apparentia, & imago, seu vmbra. Nihil autem tale adhibetur à Concilio. Attestatur prætereà huic veritati experimentum clarissimum sensuum, quibus proindè, si fallerentur circa hæc accidentia, circa nullum prorsus sensibile esset fidendum. Quia nullum est quod melius, ac distinctius percipiant, quodque præseferat sensibilitatem magis sinceram. Certum igitur omninò est accidentia panis, & vini manere post consecrationem, secundùm totam suam realitatem.

Art. 4. Accedit de conceptu sacramenti esse, vt iis, quæ habent in ipso rationem signi immediatè sensibilis, conueniat proportio symbolica cum re significata, vt semel, atque iterum dictum est suprà in communi quæstione 1. & alibi. Accidentia autem panis, & vini habent eiusmodi symbolicam proportionem, propter vim reficiendi, ac nutriendi ipsis connaturalem; eandémque proportionem, non habet pura eorundem apparentia intentionalis, aut quasi intentionalis propter defectum eiusdem virtutis. Oportet igitur, éstque omninò necessarium ad rationem sacramenti, vt maneant ea accidentia secundum realitatem.

Art. 5. Accidit rursus sacramentum istud in ipsa eius forma, qua consecratur vinum, dici mysterium fidei per excellentiam, & quasi antonomasticè. Primùm quia est institutum, vt Christus, quatenùs præsens in ipso, solùm mediante fide operetur suos effectus, vt suprà dictum est. Quod non est commune aliis mysteriis, vtpote non habentibus alios effectus,

& fines, præterquam terminare fidem, & media fide iuuare ad nostram salutem. Deinde, quia mysterium huius sacramenti est quam maximè remotum à ratione naturali tam directa, quàm reflexa. Obiectum autem fidei, quo est magis arduum, magisque ordinatum ad ipsam, eò postulat directionem magis expeditam, magisque liberam ab ambagibus, per quam intellectus instituatur ad illud. Quod sanè haberi nequaquam posset per apparentias in se, & secundum se fallaces. Qua itidem de causa verba, quibus simul manifestatur, & perficitur hoc sacramentum, sunt vsque adeò clara, vt clariora esse non potuerint, & superent claritatem reuelationis plurium aliorum mysteriorum, vt liquet ex dictis superius, præsertim quæst. 65. Oportuit igitur, vt accidentia, quibus dirigitur intellectus, ad percipiendam præsentiam realem Christi in sacramento adessent in ipso, secundum realitatem, & non tantùm apparenter, & similitudinariè, seu vmbraticè, vti nonnulli nuper confingere ausi sunt, aduersus communem fidelium, & certum Ecclesiæ sensum.

Art. 6. Verùm quia verba consecrationis, sicut efficiunt totum, quod significat; ita nullam inducunt nouitatem in natura, non significatam per ipsa, nec necessariam, seu mediatè, seu immediatè ad verificationem eorum. Necessaria verò nequaquam est, seu mediatè, seu immediatè ad verificationem eorum exclusio vllius ex accidentibus panis, & vini; neque vt illis denegetur totaliter, aut partialiter virtus, vel actiua, vel passiua antecedenter conueniens; quandoquidem neutrum horum directè, vel etiam indirectè per ea verba significatur. Quia inquam, hæc ita habent, consequens profecto est, vt post consecrationem maneant eadem omnia accidentia, quæ præerant ante consecrationem, vtque maneant cum omni, & sola ea virtute actiua, & passiua, quæ antecedenter aderat.

Art. 7. Accedit, ad veritatem verborum, formaliter, ac directè requiri permanentiam realem accidentium, quæ sunt sensibilia immediatè, & ratione sui, vt ostensum iam est. Ea autem accidentia habent intrinsecam ex sua natura coniunctionem cum omnibus reliquis accidentibus panis, & vini. Quia cum illis omnibus coalescunt in totum quoddam accidentale, connaturale vtrique ei substantiæ. Vnde verba consecrationis exigunt indirectè, ac mediatè perseuerantiam istorum etiam posteriorum accidentium. Quia verò vnumquodque ita se habet ad agere, & pati: Sicut se habet ad esse, quatenùs vniuscuiusque existentia est fundamentum actionis, & passionis ipsi connaturalis; ex quo diuina virtus determinatur ad conseruanda prædicta accidentia independenter à subiecto eductionis, & informationis; determinatur consequenter ad cooperandum eisdem quoad omnes effectus ipsis connaturales; & similiter ad cooperandum quibusuis aliis causis quoad omnia quæ possint efficere ex sua natura circa eadem accidentia. Congruit insuper exercitio, & merito fidei, quibus nuper dictum est specialiter deputatum esse illud mysterium, vt hæc omnia retineantur absque vlla immutatione sensibili cursus naturalis rerum. Manent igitur post consecrationem omnia accidentia panis, & vini, cum tota priori vi actiua, & passiua; soláque illis deest vnio ad substantiam panis, & vini; & sola vicissim superuenit de nouo vnio ad corpus, & sanguinem Christi.

Ad 5. De essentia accidentis absoluti ex exigentia, vt inhæreat substantiæ, non verò actualis inhæsio ac informatio; sed vtramque habet per actionem, & vnionem distinctam à se realiter, & negabilem Diuinitus. Philosophus propterea non facit hanc distinctionem, quia non agnoscit in Deo potentiam ad miracula propriè talia.

Art. 1. Ad 2. Concilium vtitur nomine specierum, vt exprimat accidentia quoad munus, quod est proprium, ac præcipuum ipsorum in sacramento; nempe quoad vim repræsentandi sensibus, quod latet sub iisdem accidentibus. Cæterum nullius accidentis permanentiam realem excludit, quia particulam *duntaxat* contraponit solis substantiis, quarum totalem desitionem immediatè definierat, & exprimere deinde magis voluit eo modo loquendi circa accidentia.

Art. 2. Deinde accidentia etiam, quæ solùm mediatè per aliquam suam operationem purè physicam innotescunt sensui, exercent munus significandi sacramentaliter. Grauitas enim, & leuitas, ex. gr. mediante actione, qua tendunt sursum, vel deorsum, & grauitant, vel leuitant, sub mensura determinata, manifestant naturaliter sensui, suo modo naturam substantiæ, cui insunt; atque huiusmodi manifestatio est fundamentum sacramentalis significationis.

Ad 3. Verum est plus dependere ex natura rei posterius à priori, quàm prius à posteriori; Sed vtramque dependentiam potest supplere Deus supernaturaliter in genere causæ efficientis. Supplet verò de facto solam, quæ maior est, dependentiam accidentium. Quia munus, ac ministerium eorum præstabile ab ipsis cum separatione à substantiis sibi connaturalibus est opportunum pro fine sacramenti, & pro multiplici hominum vtilitate, vt suprà dictum est. Quod ipsum nequaquam conueniret iisdem illis substantiis cum separatione ab accidentibus propriis, iuxta præsentem reliquarum rerum dispositionem, ac ordinem vniuersalem. Vnde fit, vt quod est minùs possibile iuxta naturam rei particularis, sit absolutè conueniens, magisque possibile iuxta prouidentiam supernaturalem vniuersalem, eáque de causa eueniat de facto, & non eueniat, quod est facilius, & foret minùs miraculosum iuxta naturam rei particularis.

Ad 4. Quoties Deus operatur miracula, operatur aliquid contra naturam particularem, & contra appetitum innatum alicuius rei circa peculiare aliquod suum bonum. Verùm contra naturam vniuersalem nunquam quidquam facit Deus, nec contra appetitum, quo vnaquæque res inclinat ad bonum vniuersi. Bonum autem vniuersale præeminèt bono particulari, atque appetitus innatus boni particularis subordinatur ex sua natura appetitui boni vniuersalis. Nihil absolutè facit igitur Deus contra naturam, sed tantum secundum quid; licet faciat multa supra naturam, vt docet Diuus Thomas, ex Augustino, quæst. 6. de pot. a. 1. 2. eiusmodi autem est miraculum præsens conseruationis accidentium absque subiecto eductionis, & informationis propriè talis, vt patet ex dictis. Circa illud de falsitate, iam iterùm notatum est supra subuentum esse; per diuinam reuelationem, periculo erroris in intellectu; sensus verò, nec fallitur, nec errat propriè.

Ad 5. Communis responsio est cum Diuo Thoma quæst. 77. art. 3. reliqua præter quantitatem accidentia non manere absque subiecto receptionis. Quia quantitas, quæ proculdubio perseuerat, est subiectum receptiuum immediatum reliquorum accidentium. Quod est probabile. Dici etiam potest accidentia, quæ connaturaliter simul insunt alicui substantiæ, habere mutuam aliquam coniunctionem etiam immediatam inter se, ad eum modum, quo partes integrales inuicem vniuntur, & ratione talis mutuæ coniunctionis communicare sibi inuicem suos effectus formales peculiares; itavt albedo reddat visibilia, & disgregatiua visus reliqua accidentia, quæ sunt in Eucharistica, & sic de cæteris proportionaliter.

Ad 6. Accidentia sunt instrumentum substantiæ sibi

sibi connaturalis respectu effectus, qui est proprius, & specialis ipsius substantiæ, id est respectu alterius substantiæ. At respectu aliorum accidentium habent potiùs rationem causæ principalis, nec sunt purum instrumentum, quia præcontinent in se adæquatè perfectionem eorum. Quapropter accidentia Eucharistica, dum conseruantur Diuinitus absque propria substantia, possunt sine nouo miraculo alterare substantias, sicut prius. Posita autem alteratione sufficienti ad generationem nouæ substantiæ, ea gignitur, vel ab aliis causis secundis, si adsint quæ ad id sufficiant, vel à Deo supplente defectus substantiæ creatæ, quæ abest; ne perperam data fuerit alteratio.

Art. 1. Ad 7. Accidentia Eucharistica pati possunt ab agentibus naturalibus, producto ab ipsis accidenti contrario, eóque vnito, vel cum quantitate Eucharistica, tanquam cum subiecto communi receptionis, vel cum reliquis accidentibus, quibus non contrariatur, sed congruit, quod producitur de nouo, iuxta dicta ad 5. Vtrouis namque modo corrumpuntur accidentia Eucharistica contraria accidentibus productis, & vnitis de nouo. Neque enim eadem quantitas, aut accidentia eadem, qualiacumque supersint, habent maiorem ex se capacitatem ad vnionem simultaneam cum accidentibus inuicem contrariis, quam habeat subiectum substantiale.

Articulus 2. Iam impotentiam causarum naturalium, vt agant independenter à subiecto substantiali eductionis, & receptionis, supplet Deus virtute sua, vt retineatur cursus naturalis rerum quoad ea omnia, quoad quæ non est necessaria interpellatio eius, seu inuersio pro veritate, & perfectione sacramenti, & pro effectibus propriis ipsius. Qua etiam de causa, cum primum inducitur vi agentium naturalium, alteratio, & dispositio sufficiens ad generationem nouæ formæ substantialis, eandémque exigens ex sua natura, & consequenter fit corruptio accidentium panis, & vini, quæ sufficeret ad corruptionem vtriusque eius substantiæ: protinùs creatur iterum à Deo, pro eodem instanti, materia prima, quæ præextiterat ante consecrationem, atque in eam inducitur forma substantialis, tali alterationi, ac dispositioni connaturalis, & deficit sacramentalis præsentia corporis, & sanguinis Christi, vtpotè non retinentium iam amplius apparentiam, & significabilitatem sacramentalem per accidentia panis, & vini; Inquam pro eodem instanti. Quia eadem ratione, qua dictum est suprà in communi quæstione 29. gratiam sacramentalem incipere esse in instanti, dicendum quoque est in præsenti; tum conuersionem Eucharisticam fieri in instanti intrinsecè absolutiuo, ac terminatiuo consecrationis, tum in instanti recreari materiam primam, gigni nouam formam substantialem, & desinere præsentiam sacramentalem Christi Domini, cùm primum perficitur adæquatè alteratio exigitiua nouæ substantiæ.

Art. 3. Porrò virtus causæ corrumpentis formam aliquam; tum necesse est, vt prævaleat supra virtutem causæ conseruantis illam antecedenter, quando hæc causa est agens necessarium. De cuius ratione nimirum est, vt agat quantum potest, ideóque vt superet de facto causam minoris potentiæ. At agens liberum, cessat quando placet ad præsentiam etiam causæ debilioris, vtpote cessare valens, nulla etiam existente causa contraria. Dictum autem est, causam conseruatiuam accidentium Eucharistiæ esse Deum, qui est agens summè liberum, ac indifferens, & qui nunquam vult impedire ordinem naturalem rerum absque necessitate, propter aliquod bonum maius.

Art. 4. Demum, quod ad confirmationem; substantia nihil agere, aut pati potest absque dependentia à virtute instrumentali accidentium suorum. A quibus nimirùm incipit omnis operatio. At accidentia habent actionem propriam, cuius sunt causæ principales, & quam exercere possunt se solis, atque exercent, etiam quando sunt coniuncta cum propria, & sibi connaturali substantia, antequam eadem substantia vllam propriam actionem exerceat, præter actionem conseruatiuam eorundem accidentium. Quam actionem dictum est suppleri à Deo supplemento directè necessario ad rationem sacramenti. Ergò paritas non tenet.

---

## QVÆSTIO LXVIII.

### *Vtrùm duo Ministri possint consecrare eandem numero Hostiam.*

VIdentur, non posse. 1. Quia implicat dari duas causas adæquatas respectu eiusdem effectus, vt sæpè superius dictum est: quilibet autem idoneus minister proferens verba consecrationis cùm debita intentione, & circa materiam legitimam, est causa adæquata sacramenti Eucharistiæ. Quilibet enim sufficit se solo ad illud perficiendum, séque solo perficeret de facto, tametsi nullus alius minister adesset, qui simul consecraret eandem materiam. Ergò si plures ministri consecrarent eundem panem, aut idem vinum darentur plures causæ adæquatæ eiusdem numero effectus. Quod est impossibile.

2. Si plures concurrant ad baptizandum, aut absoluendum eundem hominem dicentes: *Nos te baptizamus: nos te absoluimus*, vtrumque sacramentum redditur eo ipso nullum, vt fert communis, & certa Theologorum sententia, de qua suprà quæstione 43. Ergo similiter erit nulla consecratio panis, & vini, si plures simul concurrant ad consecrandum eandem hostiam, idémque vinum, eadem nimirum ratio vtrobique militat de intentione Christi, atque de traditione & vsu Ecclesiæ circa vnitatem ministri.

3. Qui simul vellent consecrare eandem materiam, exponerent se periculo, & quidem magno, & moraliter ineuitabili non absoluendi simul simultate Mathematica, verba consecrationis, adeóque vt alter eorum; nempè qui posterius absolueret, nulliter consecraret; quod est sacrilegum.

Deinde tametsi consecrationem panis perficerent, terminaréntque simul mathematicè; supereset adhuc idem periculum circa consecrationem vini. Et istud insuper aliud, vt qui fuit prior in consecratione panis esset posterior in consecratione Calicis, aut è conuerso. Neutro autem modo esset vnus, ac idem, qui perficeret totum sacramentum, sed partem vnus, & partem alius.

Demum sequitur aliud prætereà periculum circa sumptionem; nempè vt vel sumeret, offerrétque sacrificium, qui non perfecisset sacramentum; vel è conuerso qui perfecisset, non sumeret, nec offerret; aut duo simul sumerent ex eadem hostia, & ex eodem calice, atque in eodem altari idem sacramentum, idémque sacrificium perficerent. Quæ omnia sunt prædura, & absurda, atque contraria intentioni, & institutioni Christi.

4. Sacramentum peractum à multis ministris esset multiplex, simúlque non esset multiplex. Non esset multiplex, quia esset vnica tantum materia, & vnica Christi Domini præsentia sacramentalis; atque hæc importantur in recto per istud sacramentum, vt dictum est suprà quæstione 64. art. 2. Esset verò multiplex, quia essent plures formæ; atque multi-

plicatio

plicatio concretorum attenditur penes multiplicationem formarum.

Art. 1. Respondetur. Certum primò est solos sacerdotes posse consecrare validè Eucharistiam. Quod constat ex perpetua Ecclesiæ traditione, & ex definitione Eugenij quarti in decreto de sacramentis in Concilio Florentino, idémque definit Trident. sess. 22. cap. 7. & sess. 23. cap. 1. & 4. & Can. 1. post Concilium Nicænum primum, & Lateranense sub Innoc. 3. aduersus varios hæreticos.

Art. 2. Certum rursus est quemlibet sacerdotem ritè ordinatum, & proferentem verba cum debita intentione supra legitimam materiam, perficere validè istud sacramentum, quocunque demum, & cuiusuis generis defectu irregularitatis, schismatis, hæresis, &c. alioquin laboret. Quia nullus eiusmodi defectus aufert characterem sacerdotalem, vt præter alia Concilia definit Trident. sess. 7. can. 9. character autem sacerdotalis per seipsum est potestas consecrandi, ac perficiendi validè sacramentum corporis, & sanguinis Christi. Vnde quæ eum characterem abolere non possunt, effectum huius potestatis irritare nequaquam possunt, salua capacitate naturali materiæ subiectæ alias sufficientis ad actus validos.

Art. 3. Certum denique, & vnanimi omnium Theologorum consensu receptum est non licere, vt quilibet quoties libuerit, propria auctoritate conueniant plures numero ad consecrationem eiusdem numero materiæ; sed id esse peccatum ex sua natura graue; Quia est contra approbatum, & vsitatum Ecclesiæ ritum in materia graui. Quæ ratio, respectu reliquorum sacramentorum conuincit etiam à fortiori. Quia in illis, secluso sacramento Matrimonij, qui simul est contractus naturalis, nullum est exemplum dualitatis ministrorum, aliquando, aut iniunctæ, aut permissæ.

Art. 4. Dubitari nihilominùs circa sacramentum Eucharistiæ minimè potest, quin possint aliquando licitè concurrere, plures ministri ad consecrandam eandem numero materiam, eundem nimirum panem, ac vinum; atque eam consecrationem, & validam, & licitam esse posse. Quia Ecclesia, quæ est optima interpres institutionis Christi, eadémque traditionum Apostolicarum fidelissima custos, ita consuevit facere in aliquibus occasionibus; atque in nouo Pontificali edito iussu Clem. 8. præscribitur, vt ea antiqua consuetudo seruetur in consecratione Episcopi, necnon in noua presbyterorum ordinatione, vtque cum Episcopo, seu consecrante, seu ordinante consecrent simul eandem numero materiam; ipsi etiam siue consecrandi, siue ordinandi. Vsu præterea receptum olim fuit, vt Papa publicè celebrante omnes Cardinales, Presbyteri, simul cum ipso consecrarent eandem numero materiam, vt perhibet, inter alios Vasquez ex Innocent. 3. & aliis. Apud quem Authorem habetur vlterius semper in Ecclesia Græca adesse Episcopo celebranti Presbyterum simul consecrantem absque multiplicitate panis, & vini.

Art. 5. Ratio specialis, ob quam huic potissimum sacramento congruit, vt admittatur aliquando pluralitas ministrorum ipsum promiscuè, ac indiuisim perficientium, hæc est. Quia nimirum institutum est in conuiuio, & ad modum conuiuij à Christo Domino agente socialiter cum suis discipulis. Quæ itidem de causa pluralitas prædicta ministrorum reperitur frequentata, ac recepta ab Ecclesia in iis solùm occasionibus, in quibus ita comparatur præcipuus aliquis celebrans, cum aliis sibi adiunctis ministris, vt detur peculiaris repræsentatio Christi associati Discipulis; nisi quod inter nullos alios potest dari tanta dignitatis, ac potestatis distantia, ne quidem proportionalis loquendo propriè, ac strictè; quanta erat inter Christum, & eius Discipulos; quapropter Discipuli non instituerunt, sed nec fieri potuit, vt instituerent simul sacramentum Christo Domino illud instituente, vt liquet ex dictis in communi quæstione 10. sicut perficere validè simul possunt quilibet sacerdotes alio, vel aliis quibuslibet perficientibus, atque rationabiliter perficiunt, in occasionibus nuper memoratis, sacerdotes, qui speciali aliqua de causa adsunt Episcopo, velut discipuli Christo. Nihil autem huiusmodi datur in reliquis sacramentis pro honestanda in vllo euentu, simili ministrorum multiplicitate.

Art. 6. Cæterum quoad validitatem nullum est discrimen inter istud sacramentum, & sacramenta cætera. Quia quoduis sacramentum perficitur validè à quouis legitimo ministro, seu adsint alij simul perficientes illud idem numero sacramentum, siue nullus alius simul perficiat. Nempè nullus effectus impediri potest, quo minus existat, & inducatur de nouo præcisè propter abundantiam causarum potentium facere, vt existat, atque conantium in eum finem, quantum possint. Nec enim opponitur sufficientiæ ad aliquid sufficientia alia simultanea ad illud ipsum, sed sola insufficientia. Vnde hæc sola impedire illas causas potest, non illæ se inuicem. Alioquin fieri posset, vt locus aliquis esset obscurus, ac tenebrosus, aut frigidus præcisè propter multitudinem, & magnitudinem luminarium, aut ignium circum applicatorum. Vnusquilibet autem minister idoneus est sufficiens se solo, ad perficiendum validum sacramentum. Fieri igitur non poterit, vt sacramentum euadat nullum præcisè propter simultaneum plurium ministrorum concursum, & nisi adiiciatur aliqua alia circumstantia nocens valori sacramenti. Ex dictis igitur liquet, quo pacto possint, tum validè, tum licitè consecrare plures ministri eandem numero hostiam, eundémque numero Calicem.

Art. 1. Ad 1. Minister sacramenti est causa tantum instrumentalis præsentiæ Christi in Eucharistia, & gratiæ in omnibus sacramentis, est verò causa instrumentalis superaddens, quantum est ex se immediatè, ac directè, aliquid purè extrinsecum effectui causæ principalis, vti expositum est in communi quæstione 24. non autem repugnat dari plures eiusmodi causas instrumentales adæquatas, respectu eiusdem numero effectus. Quia non attingunt virtute propria immediatè, & per se, effectum causæ principalis, respectu cuius effectus habent rationem instrumenti; & potest vnaquæque talis causa instrumentalis, producere tanquam causa simul principalis virtute propria, immediatè, & per se effectum suum peculiarem, numero distinctum, ab effectibus per reliquas causas instrumentales similiter productis; atque per talem suum peculiarem effectum iuuare ad existentiam simpliciter, vel ad vtiliorem, ac commodiorem existentiam effectus immediatè, & adæquatè producendi, virtute propria à sola causa principali iuxta ea quæ dicta, & fusius exposita sunt in quæst. præindicata.

Art. 2. Nullum porrò est inconueniens, quod dentur simul plura numero distincta iuuantia eo modo ad vnum, eundémque effectum causæ principalis. Quia non propterea necesse est deuenire ad aliquem vnum numero effectum, quem plures causæ adæquatæ immediatè producant virtute propria. Quod quidem pro re præsenti, quidquid sit de aliis alterius conditionis, & causis, & effectibus, est omninò manifestum. Quia vnusquisque consecrantium proferet in primis verba consecrationis numero distincta à verbis, quæ proferùt cæteri. Deindè verba singulorum

producunt

producunt singulas seorsim species impressas similiter inter se distinctas.

Art. 3. Præterea, tam in hac materia quàm in qualibet alia, pluribus idem simultaneè dicentibus, atque existenti propterea simultaneè multiplici specie impressa, ordinata ad cognitionem eiusdem numero obiecti; vel ea sola species, quæ peruenit intensior ad vnumquemque audientem, inducit auditionem, & apprehensionem locutionis ex qua processit; vel ex omnibus speciebus inadæquatè influentibus oritur in vnoquoque audiente vna tantum apprehensio, seu confusa, seu distincta plurium idem dicentium simultaneè vel ex singulis speciebus proficiscuntur totidem apprehensiones singularum locutionum; ac deindè cum simili dependentia ab omnibus simul apprehensionibus, vel à sola intensiori oritur demum cognitio enunciatiua obiecti manifestati à loquente. Dictum autem est loco proximè citato, dependenter à sola istius postrema cognitione, colligi vtilitates speciales, tùm præsentiæ Christi in sacramento Eucharistiæ, tùm infusionis gratiæ per omnia sacramenta.

Art. 4. Expositus porrò est disiunctiuè processus locutionis simultaneæ multorum dicentium idem. Quia circa eum processum, non est vna omnium sententia, & rei præsentis nihil interest, vtra earum teneatur. Quia iuxta quamlibet æquè benè vitatur multiplicitas causarum adæquatarum producentium, virtute propria immediatè eundem numero effectum. Quod autem mediatè tantum, & denominatiuè, atque purè instrumentaliter, & quòd caput est, tantum ratione alicuius extrinsecè procedat idem effectus à pluribus causis, siuè adæquatis, siue inadæquatis, nullum est inconueniens. Certè non militat illud inconueniens, quòd insinuatum fuit suprà contra plures causas adæquatas principales, seù propria virtute immediatè attingentes effectum quoad sua prædicata intrinseca, vt patet ex discrimine assignato.

Ad 2. Nihil nocet valori sacramenti baptismi pluralitas baptizantium eundem hominem, dummodo singuli proferant singulariter formam baptismi, vt liquet ex ratione nuper data in responsione ad quæstionem art. 6. Nocet verò si singuli, vel vnus aliquis nomine suo, & cœterorum proferat pluraliter formam, vti proponitur in obiectione. Quæ est communis distinctio, & sententia quoad vtramque partem, cuius ratio assignata est ex D. Thoma in illa quæstione 43. Idem dicitur suo modo de absolutione sacramentali. Eadem distinctio applicanda est sacramento Eucharistiæ respectu cuius ea est manifestior quodammodo, quàm respectu aliorum sacramentorum, quoad posteriorem partem de pluribus ministris copulatiuè sumptis, propterea que nulliter proferentibus verba sacramentalia. Si enim dicant plures sacerdotes: Hoc est corpus nostrum, non significabitur corpus Christi, sed corpus, seu corpora consecrantium; & præterea non retinebitur significatio historica, quam dictum est suprà, simul inesse verbis consecrationis. Vndè consecratio euadet nulla in eo casu; non verò si singuli seorsim dicant; *corpus meum.*

Ar. 1. Ad 3. Pro vitando inconuenienti: tùm de consecratione inualida circa vtramque partem materiæ; tùm de valida circa vnam partem, & inualida circa alteram respectu eiusdem consecrantis: tùm de offerente, quin consecret, aut è conuerso; non pauci recurrunt ad intentionem consecrantium. Dicunt enim aliqui intentionem debere esse absolutam in omnibus consecrantibus, sed relatam ad instans illud præcisè, pro quo præcipuus celebrans absoluerit vtramque formam: ita vt velint effectum verborum pro eo præcisè instanti, & non prius, neque posterius, siuè ipsi prius absoluant verba physicè, siue absoluant posterius. Alij verò dicunt intentionem debere esse conditionatam, nempè consecrandi, si absoluant verba simul cum præcipuo celebrante, si minus non consecrandi.

Art. 2. Sed neutrum horum satisfacit. Quia dùm Ecclesia disponit, vt plures consecrent eandem numero materiam, & nihilominùs non præcipit, aut docet quidquam specialiter, pro eo casu, circa intentionem; videtur omnino velle, certè permittere, vt omnes habeant intentionem, qualis correspondet verbis per se, & ex natura ipsa rei, & qualem quisque haberet, si consecraret solus.

Art. 3. Deindè, quòd attinet ad priorem dicendi modum, relatio ad instans illud determinatum, est inutilis. Quia qui absoluit verba ante illud instans non potest intentione sua suspendere, vsque ad idem instans, effectum verborum, seu consecrationem passiuam, vt liquet ex dictis suprà in communi, cum vnanimi Theologorum consensu, quæst. 16. art. 6. qui verò absoluit post illud ipsum instans multò minus potest facere intentione sua, vt verba operentur pro eo instanti, pro quo nondum sunt, aut vt aliquid agant de nouo in ordine ad effectum iam præexistentem, vbi nihil amplius supereſt agendum quoad inductionem eius. In neutro igitur euentu vitantur, per illum intentionis modum inconuenientia proposita.

Art. 4. Demum, quòd attinet ad posteriorem dicendi modum, intentio conditionata, quæ esset purè interna, quatenùs conditionata esset (nec enim permittitur ab Ecclesia vlla exterior manifestatio conditionis,) redderet locutionem fallacem apud fideles audientes; quandoquidem locutio consecratoria est omninò absoluta ex se eiusmodi autem fallacia est contraria sacramento, ipsumque reddit nullum, vt dictum est in communi, eodem in loco. Præterea non solet esse discernibilis prioritas, & posterioritas enunciationis inter consecrantes, vtpotè conantes quantum possunt, vt omnes simul absoluant; & tamen est de ratione conditionis sacramentalis, vt sit discernibilis per sensum, sicut ibidem dictum est. Accedit eam appositionem conditionis non efficere, ne nulliter dicantur verba consecratoria, quæ absoluuntur, postquam iam alius illa absoluit. Quod tamen erat inconueniens præcipuè vitandum inter omnia, quæ tangit obiectio.

Art. 5. Dicendum itaque est intentionem debere esse absolutam, & absque vlla speciali conditione, seù restrictione, non contenta intrinsecè in ipsa natura rei; ideſt debere esse talem, qualis concipitur per se ab vno quoque solitariè celebrante; & nihilominùs nullum sequi inconueniens ex simultate plurium consecrantium eandem numero materiam ritu ab Ecclesia præscripto. Quia videlicet omnes moraliter consecrant validè licet physicè ille, vel illi soli validè consecrent qui primi absoluunt verba physicè. Ratio valoris moralis in omnium consecratione, tametsi consecratio aliquorum sit physicè posterior quam aliorum, hæc est. Quòd nimirum, quicunque audit formam quatenus pronunciatam ab vnoquolibet ex ita celebrantibus, perindè redditur certus, ex vi talis auditionis, de præsentia reali Christi sub illis accidentibus, & consequenter perindè mouetur ad adorationem Christi, & ad omnem sensum pietatis conceptibilem ex sacramento, atque si ille solus proferret verba consecrationis. Et præterea ob nullius ex ita consecrantibus, determinatè sumpti consecrationem, potius, quam ob consecrationem cuiuslibet alterius ex iisdem, potest quisquam moueri ad eosdem illos actus, eandemque illam, de vera Christi præsentia, certitudinem con-

cipere. Cuius causa est, quia iuxta præscriptum Ecclesiæ omnes celebrantes tenentur conari, quantum fieri potest, vt simul absoluant verba consecrationis, ideóque ne detur sensibilis,& manifesta successio vnius post alium.

Art. 6. Negandum porrò est, stante huiusmodi valore morali omnium, & singularum eiusmodi consecrationum indiscriminatim, vllum esse inconueniens in eo, quod vnius, vel aliquorum tantum, & non aliorum consecratio sit valida physicè; vnus physicè consecrat panem tantum, & alius Calicem tantum; sumat, & offerat, qui non consecrauit physicè, aut è conuerso qui physicè consecrauit, non sumat, nec offerat. Nullum, inquam, est inconueniens, nullumque irreuerentiæ genus. Quia in rebus moralibus non habetur ratio diuersitatis physicæ, quando non est coniuncta cum diuersitate morali. Id quòd in re præsenti redditur specialiter certum vsu, & authoritate Ecclesiæ volentis eiusmodi simultaneam plurium consecrationem, & non valentis ignorare, illa admissa esse ineuitabilem vniuersaliter discrepantiam physicæ prioritatis,& posterioritatis inter consecrationes,coniunctam cum incertitudine, vter prius,aut posterius consecrauerit physicè.

Ad 4. Sacramentum eo modo perfectum, partim est multiplex, nempè quoad formam, & parte altera est vnum, nempè quoad materiam. Porrò cum constat de re, non tanti est modus loquendi. Simpliciter autem est vnum, & dicendum est vnum sacramentum Eucharistiæ, quòd eo modo perfectum erit. Quia in hoc sacramento materia, & multo magis Christus Dominus tenens se etiam ex parte materiæ, habent rationem recti, comparatione verborum, vt dictum est in illa quæst. atque denominatio sequitur absolutè conditionem recti, & non formæ, quando hæc habet rationem obliqui. In reliquis sacramentis accidit oppositum, quia in eis forma habet rationem recti, vt dictum est suprà. Verùm,quoad hæc etiam alia sacramenta, datur in casu, in quo versamur, specialis quædam vnitas moralis, tùm ratione subiecti suscipientis sacramentum; tùm ratione eiusdem numero effectus gratiæ, quæ illi communicatur. Hinc enim fit, vt perindè valeat, & & æstimetur sacramentum multiplex physicè, ac si essent vnum tantum numero sacramentum, etiam physicè quoad formam; ac proindè quoduis sacramentum perfectum à pluribus modo dicto, euadit vnum moraliter, dicendumque est simpliciter vnum.

---

## Quæstio LXIX.

### *Vtrùm conferat plus gratiæ communio sub vtraque specie?*

Videtur conferre. 1. Quia sacramenta operantur, sicut significant; & quantum significant; vtpotè habentia causalitatem fundatam in significatione. Species autem panis, & vini habent significationes specie diuersas, atque effectuum diuersorum. Quia assimilantur cibo, & potui corporalibus, quorum effectus constat esse diuersos. Ne igitur perperam dixerit Christus Dominus, & cum defectu iustæ proportionis Ioann. 6. *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus*; dicendum est peculiares, & realiter inuicem distinctos effectus tribui per species panis & per species vini; ideóque communicantem sub vtraque specie, recipere effectum peculiarem, distinctum ab eo,quem recipit, qui communicat sub altera tantum specie.

2. Vix inquam perciperetur aliquis effectus gratiæ ex sumptione Calicis, si sumptio eius non induceret peculiare augmentum gratiæ, vltra eam, quæ percipitur ex sumptione corporis Christi sub speciebus panis; Quia sumptio sub speciebus panis, præcedit semper, per se loquendo sumptionem Calicis. Vndè sacramentum Calicis non esset institutum ad conferendam gratiam per se, sed tantum per accidens. Hoc autem repugnat promissioni Christi, & sensui Ecclesiæ, atque SS. PP. Quia Christus Dominus æquè, eodemque prorsus modo annectit gratiam, tùm positiuè, tùm negatiuè; vtrique sumptioni, dicens in eodem illo 6. c. *Nisi manducaueritis carnem Filij hominis, & biberitis eius sanguinem; non habebitis vitam in vobis. Qui manducat meam carnem; & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam.* Et rursus. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo.* Hoc spiritu ducta Ecclesia Catholica præscribit sacerdotibus, vt dicant post Communionem: *refecti cibo, potuque Cælesti.* Similiter PP. sunt frequentes in attribuendis calici effectibus sacramentalibus. Videri verò specialiter possunt maiori cum expressione locuti, Cyprianus, seu Author libri de Cardinalibus operibus, Homil. de Cœna Domini Cyrill. Hierosol. Cathechesi mystogogica. 4. Chrisost. Hom. 60. ad populum Antioch.

3. Communio, sub alterutra specie seorsim, confert gratiam. Quod est indubitatum apud omnes. Neutra autem potest esse impedimento respectu alterius, quando vtraque species coniunctim sumitur. Quia effectus conferibilis per eas non consistit in indiuisibili; sed inducta gratia, quantam induceret vtralibet species seorsim sumpta, supereset tantundem, & amplius sine fine, vt altera species suam similiter causalitatem exerceat cum æquali nouo effectu. Ergò quando sumuntur ambæ species, vna immediatè post aliam, vnæquæque inducit suum effectum peculiarem gratiæ non secus, atque si neutra sumptio vllam haberet, cum altera, coniunctionem moralem.

4. Christus Dominus, qui est fons, & causa totius gratiæ, æqualiter adest sub vtralibet specie; Causa autem continens in se aliquem effectum, toties de nouo inducit effectum suum, quoties de nouo applicatur subiecto benè disposito; & purè materialiter se habet, quòd vna applicatio parum distet, aut multum alia applicatione. Qua itidem ratione conficitur, plus gratiæ conferri cæteris paribus sumenti maiorem quantitatem specierum panis, aut vini, aut vtriusque. Indè nimirum fit, vt diutius maneat applicata subiecto causa præcontinens in se gratiam,ac proindè, vt illam augeat, reddatque intensiorem iuxta piam, & probabilem Caietani, Suarez, & aliorum opinionem. Quæ sanè tenenda omninò videtur pro eo saltem casu, in quo accesserit noua dispositio, aut augmentum deuotionis pro instanti secundæ sumptionis, aut pro aliquo alio totius eius temporis, quo Christus perseuerat physicè præsens intra communicantem. Quia si initio adfuisset eadem peculiaris dispositio, aut augmentum idem deuotionis, fuisset ratio collationis maioris gratiæ ex opere operato, vt dictum est suprà in communi, quæst. 27.

5. Authores negantes plus gratiæ conferri per vtraque speciem simul, quam per vtramlibet seorsim, eo, vel maximè, vel vnicè mouentur, quia Ecclesia negat laïcis communionem sub vtraque specie. Credibile autem nequaquam est, piam matrem decreturam sic fuisse, si indè aliquam illi iacturam spiritualem paterentur. Quòd tamen argumentum nullatenùs conuincit. Quia, cum aliqua etiam iactura fidelium ex ea parte, consulendum magis esset reuerentiæ sacramenti, quæ multipliciter periclitaretur ministrato promiscuè calice tantæ iam multitudini fidelium,

fidelium, vt expendit D. Tho. q. 80. art. 12. Potuit igitur Ecclesia conuenienter inducere pro laïcis vsum, qui viget, communionis sub vna tantum specie; tametsi crederet plus gratiæ conferri per vtramque simul speciem, cæteris paribus. Et quidem Ecclesiam ita credere apparet, haud obscurè ex bulla Clementis. 6. dicentis ad Regem Galliæ: *Concedimus, vt quotiescunque volueritis, liceat communicare sub vtraque specie ad argumentum gratiæ.* Quæ postrema particula esset de subiecto, non supponenti, si vtraque species non conferret plus gratiæ; sic enim Pontificia vtriusque speciei concessio nihil conferret ad augmentum gratiæ, quòd prætenditur,& supponitur.

Art. 1. Respondetur. Certum primo est, ex Concil. Florentin. in decret. Eugenij §. *tertium est*, & ex Tridentino, sess. 13. cap. 2. sacramentum Eucharistiæ conferre ex opere operato: primo augmentum gratiæ, secundo remissionem venialium, tertio præseruationem à mortalibus. Ad istos porrò tres effectus reducuntur cæteri omnes, qui præterea eidem sacramento tribuuntur. Primo nimirum perseuerantia finalis in gratia iuxta illud *in me manet, & ego in illo.* Quia perseuerantia ista est indistincta à vitatione lethalium, ac proindè præseruatione ab illis. Secundo vita æterna, & consecutio gloriæ, iuxta illud. *Qui manducat meam carnem &c. habet vitam æternam, & ego resuscitabo eum in nouissimo die.* Quia consecutio gloriæ est ineffabiliter coniuncta cum perseuerantia finali in gratia. Tertio feruor caritatis. Quia iste feruor prouenit; tum ab augmento caritatis indistincto, vel certè inseparabili ab augmento gratiæ sanctificantis; tum ab intensione auxiliorum actualium gratiæ, mouentium specialiter ad actum feruentem charitatis. Quæ itidem auxilia simul cum augmento caritatis, confert specialiter istud sacramentum. Quòd videlicet maximè omnium significat vnionem charitatis, tum propter materiam confectam ex multis granis, & vuis inuicem coniunctis, tum propter coniunctionem physicam, quoad locum, inter Christum,& communicantem per realem alterius in altero inclusionem.

Art. 2. Certum rursus est omnes prædictos effectus conferri virtute huius sacramenti, per modum refectionis spiritualis. Quod constat clarè ex testimoniis indicatis ex cap. 6. Ioann. nec obscurè colligitur ex materia ipsa id repræsentante expressè. Quia species panis, & vini indicant ex sua natura istud sacramentum præstare animæ spiritualiter, quòd præstant corpori materialiter cibus, & potus naturales.

Art. 3. Certum tertio est, cibum istum, ac potum spiritualem differre à cibo, & potu corporali, inter alia, penes duo principaliter. Alterum est, quòd sacramentum, causat suum refectionis spiritualis effectum in instanti correspondente vltimæ parti temporis, pro quo primò perficitur, & vltimò completur sumptio quoad aliquam partem, vel partes; cibus verò, & potus corporalis non nisi eo tempore, quo transmutantur,ac consumuntur. Quia Christus deuinxit collationem gratiæ manducationi, vt patet ex citato testimonio. *Qui manducat &c.* manducatio autem verè datur, cum primùm verificatur existere sumptionem quoad aliquam partem sacramenti.

Art. 4. Alterum est cibum, & potum corporales præstare effectus realiter inter se distinctos specie. Quia habent virtutes actiuas specie distinctas, ratione quarum cibus extinguit famem, & potus sitim, longè diuersam à fame. Passibilitatem quoque habent similiter diuersam ob diuersitatem specificam qualitatum. At cibus, & potus spirituales, nec actiuitatem, nec effectus habent specie distinctos; quia nec sitis, & fames spirituales distinguntur realiter inter se.

Quòd ex eo maximè loco confirmari valide potest, qui potissimùm videtur oppositum præseferre; nempè ex illo Ioann. 6. *Qui venit ad me non esuriet, & qui credit in me non sitiet in æternum.* Confirmatur verò, quia vt notat Augustinus, venire ad Christum, & credere, idem sunt. Fide namque viua formaliter accedit ad Christum, quicunque accedit.

Art. 5. Idem igitur sunt depulsio famis, & depulsio sitis quæ promittuntur sumentibus hoc sacramentum: sicut sunt idem ea, propter quæ vtraque promittitur. Vndè idem etiam sunt fames ipsa, & sitis, quæ depelluntur, nec enim vtraque per eandem rem depelleretur indiuisim, si vtraque non esset eadem res. Ideò enim eadem re liter actione perhibetur vtramque extingui, vt intelligamus, ait idem Aug. tract. 25. in Ioann. in spiritualibus non esse aliud famem, quam sitim; atque ideò non aliis gratiæ donis alteram pelli,& aliis alteram. Hoc ipsum obseruant Cyprianus, siuè quis alius auctor serm. de Cœna Domini & iterum Augustin. ad illud ps. 103. *Panis cor hominis confirmat.*

Art. 6. Idem colligitur ex illo Ecclesiastici, 24. *Qui edunt me; adhuc esurient, & qui bibunt me, adhuc sitient.* Et ex illo Matt. 5. *Beati, qui esuriunt, & sitiunt iustitiam.* Ex his enim constat eandem esse materiam famis, & sitis spiritualis. Oportet autem famis, & sitis, quarum eadem est materia, appetitionem quoque esse vnam,& eandem, ac proindè extinctionem, & satietatem vtriusque fieri indiuisim per eandem actionem eumdemque effectum. Ea igitur præcisè causa multiplicantur istæ metaphoræ, vt intelligatur tantundem pati animam gratia aut gratiæ augmento destitutam, quantum patitur corpus, dùm fame simul laborat, & siti; atque capere vicissim tantundem emolumenti, & delectationis habita gratia, aut eius augmento, quantum refectionis, aut incrementi obtinet corpus, ex potu, simul & cibo. Nempè in spiritualibus, ratione maioris ipsorum perfectionis rediguntur in pauciora, quæ in rebus materialibus, ob contrariam maiorem imperfectionem, diuiduntur in plures entitates. Vndè pro significanda adæquatè vna re spirituali, sunt necessariæ plures res materiales.

Art. 7. Apparet itaque ex his eosdem prorsus esse quoad rationem specificam, effectus gratiæ, præstabiles per sacramentum Eucharistiæ sub vtralibet specie, & sub vtraque. Hinc autem vlterius concluditur, non esse maiorem rationem dubitandi de peculiari augmento gratiæ ex speciebus vini sumptis post species panis, aut è conuerso; quam sit de peculiari augmento gratiæ per duplicatam sumptionem specierum panis tantùm, aut specierum vini tantum, quia vtrouis modo bis adest, & bis applicatur eidem subiecto idem principium eiusdem effectus, cum hac sola differentia penes principium quoad partem eius minus principalem; nempè quoad species,& verba, quæ dictum est suprà importari in obliquo per istud sacramentum. Verùm hæc qualiscumque diuersitas, est purè materialis quoad actiuitatem sacramenti. Quia ea diuersitate non obstante est idem specificè effectus vtrobique, & mensura intensionis in eodem effectu, non est qualitas specierum, aut verborum, sed realis præsentia Christi Domini. Verum igitur est, non esse maiorem rationem dubitandi de augmento gratiæ ex superadditis speciebus vini post species panis, aut è conuerso; quam ex duplicata sumptione sub iisdem speciebus.

Art. 8. Addendum iam est, nec esse maiorem rationem dubitandi de eodem augmento gratiæ ob duas sumptiones duarum particularum hostiæ, aut vini physicè interruptas, sed habentes moralem continuationem, ac vnitatem propter paruam alterius ab altera

distantiam, eamque coniunctam cum intentione formaliter, & explicitè, vel virtualiter, & implicitè complectente indiuisim vtramque sumptionem; quam sit ratio dubitandi de augmento peculiari gratiæ ob vnam plurium similiter particularum sumptionem non solum moraliter, sed etiam physicè continuam. Quia vtrouis modo censetur esse vnica tantùm communio, atque in iis, quæ habent vnitatem tantùm moralem absolutè ex sua natura, vti habet sacramentum, perindè æstimantur continuatio moralis, & continuatio physica.

Art. 9. Certum porrò est, apud omnes, sumentem duas particulas hostiæ, tametsi eas sumat cum reali separatione, & physica successione vnius sumptionis post aliam, non ea præcisè de causa accipere bis gratiam, nec duplicatam gratiæ intensionem obtinere; dummodò vtraque sumptio sit continuata moraliter: ideóque sit moraliter vna. Multo verò manifestius idipsum est, si sumptio plurium particularum sit etiam physicè continua, & vna. Indubitatum namque est sacerdotem, tametsi frangat hostiam, eamque sumat diuisam in duas partes, siue seorsim vnamquamque sumat; non propterea duplicato gratiæ augmento gaudere. Neque est minus indubitatum, si Ecclesia præscriberet, vt in plures præterea partes frangeretur hostia; non propterea effecturam esse, vt toties augmentum gratiæ denuo replicaretur sacerdoti. Eodem modo certum apud omnes est, sacerdotem, tametsi mittat in Calicem paruam hostiæ particulam, eamque sumat simul cum speciebus vini; non propterea accipere duplicatum augmentum, aut aliquatenus plus gratiæ ex sumptione calicis, sed quātum præcisè acciperet, si solæ species vini adessent in calice.

Art. 10. Ex iis denique omnibus consequitur, neque eum accipere plus gratiæ cæteris paribus, vi huius sacramenti ex opere operato: qui communicat sub vtraque specie seorsim existente, quam qui communicat sub vna tantum specie, siue physicè vna, siue physicè multiplici, & cum physica successione, ac interpolatione; dummodò moraliter continuetur sumptio, sitque communio moraliter vna. Consecutio tenet ex prænotata æquiualentia vtriusuis speciei respectu alterius, nec non respectu vtriusque simul sūpti; atque ex simili rursus æquiualentia sumptionis moraliter tantùm continuatæ, & moraliter vnius respectu sumptionis physicè continuæ, ac vnius, siue species sint homogeneæ, siue sint heterogeneæ, ac rationis diuersæ. Quapropter sicut nemo dubitat quin laïcis dari non debeant duæ particulæ hostiæ, siuè simul, siuè successiuè sumendæ cum continuatione morali, pro augmento gratiæ ex opere operato; tametsi sacerdos sumat duas particulas ante calicem, & tertiam cum calice; ita dubitare nemo debet, quin eisdem dari non debeat sacramentum illud sub vtraque specie propter eundem illum finem obtinendi plus gratiæ ex opere operato, cæteris paribus; tametsi sacerdos, cum consecrat, sumat vtramque speciem.

Art. 11. Ratio à Priori omnibus eiusmodi casibus peræquè communis est. Quia causa præcipua instrumentalis, & mensura gratiæ, quæ confertur per istud sacramentum est realis præsentia Christi Domini, non vero species, sub quibus Christus latet sensus, & patet fidei per sensus. Hac nimirum de causa istud sacramentum confert plus gratiæ, quàm omnia alia sacramenta. Eodem respicit promissio Christi volentis eandem suam realem præsentiam esse mensuram nostræ spei, circa fructum indidem percipiendum, dùm semel, atque iterum dicit: *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus. Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem habet vitam æternam.* Et rursus: *in me manet, & ego in illo.* Christus autem Dominus tam est præsens, secundùm se totum sub alterutra tantùm specie, atque sub vtraque; nec plus sumit Christum, qui sumit vtramque speciem, quàm qui sumit alteram tantùm. Ergò neque plus gratiæ percipit, cæteris paribus, qui sumit vtramque quam qui alteram tantùm. Patet consequentia, quia quòd nihil facit ad discrimen causæ & applicationis eius; nihil vtique facit ad discrimen effectus, & intensionis eius.

Art. 12. Confirmatur ex illatione facta à Conc. Trid. sess. 21. c. 3. dùm declarat *fatendum esse etiam sub altera tantùm specie totum, atque integrum Christum, verumque sacramentum sumi, ac propterea quod ad fructum attinet, nulla gratia necessaria ad salutem eos defraudari, qui vnam solam speciem accipiunt.* Illatio namque ista indicata per particulam, *ac propterea* licet facta sit à Concilio cum restrictione illa, *de gratia necessaria* ad salutem, vt id tantùm expresse definiret in quo omnes Doctores Catholici vnanimi consensu conueniunt; vtque permitteret iisdem liberam de reliquo opinandi licentiam, circa quæstionem præsentem: nihilominùs æquè benè fieri absolutè potest eadem illatio, quoad totum augmentum gratiæ conferibile simpliciter per illud sacramentum. Quia Christus Dominus cuius totius, & integri præsentia, sub altera tantum specie est præmissa legitima apud Concilium ad inferendum collationem gratiæ necessariæ ad salutem, per alteram tantùm speciem, non minus, aut aliter continet in se totum augmentum gratiæ, quam gratiam necessariam ad salutem. Hac enim de causa idem Concilium ibidem can. 3. loquens de Christo provt est sub vna tantum specie, eum nihilominùs appellat *omnium gratiarum fontem, & authorem.* Ergò ex præsentia reali totius, & integri Christi sub altera tantum specie æquè benè, licet non æquè certò colligitur, per sumptionem alterius tantùm speciei, obtineri totum augmentum gratiæ absolutè conferibile, cæteris paribus, per istud sacramentum sumptum quoad omnes eius partes; atque colligitur, per eandem alterius tantum speciei sumptionem, obtineri totam gratiam necessariam ad salutem. Atque huiusmodi illatio vniformis quoad vtrumque, est omninò tenenda, vtpotè magis consona modo argumentandi, quo vtitur Concilium, necnon antecedenti per ipsum assumpto.

Art. 13. Confirmatur rursus validius. Quia eadem promissio annectitur à Christo Domino. 6. Ioann. alteri seorsim speciei, quæ annectitur vtrique simul speciei. Nam vt expendit Concil. eadem sess. 21. c. 1. fine. Qui dixit de vtraque simul specie: *nisi manducaueritis carnem Filij hominis, & biberitis eius sanguinem non habebitis vitam in vobis. Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem habet vitam æternam: & iterum: in me manet, & ego in illo.* Qui inquam hæc dixit: Dixit etiam similiter de altera seorsim specie: *Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum. Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. Qui manducat hunc panem, viuet in æternum.* Idem ergò, & totidem modis promittitur alteri seorsim, & vtrique simul speciei. Vbi autem promissio & voluntas Dei non discernit, nec nobis discernere licet, id quod est quodammodo manifestius, maiorique cum firmitate tenendum in materia sacramentorum. Quorum videlicet causalitas, & vbertas gratiæ non tam in ipsorum natura, quàm in promissione, & purè gratiosa voluntate Diuina fundatur. Dicendum igitur est parem esse eundemque effectum gratiæ ex opere operato cæteris paribus, siue sumatur Christus sub vtraque specie, siue sumatur sub altera tantum; nec quidquam interest, quod species seorsim

seorsim sumenda, sit panis potius, quam vini. Licet enim Christus solum expresserit panem in verbis modo productis: tùm quia sermo institutus erat per comparationem ad manna; tùm quia hæc est materia magis idonea, quæ seorsim ministretur: Nihilominùs non dubitatur, quin eadem sit efficacitas specierum quoque vini. Quia idem Christus Dominus totus, ac integer sub ipsis etiam continetur.

Ad 1. Ostensum iam est cibum, & potum sacramentalem significare vnum ac eundem realiter effectum, cum sola diuersitate ex modo significandi, seu ex parte connotati significationis, & ex parte symboli significantis. Vndè vtralibet species confert eundem effectum gratiæ quem confert altera, & quem confert vtraque simul. Quandò enim idem significatur simultaneè per multa, multiplicitas signorum non ordinatur ad causandum plura, sed ad significandum melius. Nempè ad causandum plus ex vi significationis, oportet plus significare, & non tantùm pluries, aut per plura. Qua propter dum dicitur; sacramenta causant sicut significant: Non intenditur conformitas inter modum significandi, & modum causandi. Quæ videlicet omnimoda esse non potest: cum non contingat, plus idem causari per plura, sicut contingit plus significari; sola igitur intenditur conformitas rei significatæ cum re causata.

Art. 1. Ad 2. Tota gratia sacramentalis confertur per se, non solum antè sumptionem calicis, sed etiam antequam absoluatur tota sumptio specierum panis. Gratia enim confertur, cum primum sumitur ac traiicitur in stomachum prima pars minima speciesum. Quia ex tunc verificatur Christum manducari totum, ac totaliter, totalitate ipsius Christi Domini, atque eius manducationi deuincta est collatio gratiæ, vt dictum est. Nec tamen propterea inutiliter deindè sumuntur, aut calix à sacerdote conficrante, aut ab ipso, & ab aljis reliquæ partes specierum panis post primam: non solum, quia si forte hostia non fuit ritè consecrata per sumptionem calicis obtinetur tota gratia, & similiter eadem obtinetur per sumptionem posteriorum partium, si tunc accedat dispositio necessaria, eademque defuerit cum sumerentur priores partes: quæ quidem eueniunt per accidens: sed etiam, & multo magis, quia (atque hoc est per se) vtraque species, & omnes, tùm vtriusque, tùm vtriusuis partes, constituunt vnum simpliciter sacramentum, atque conuiuium spirituale moraliter vnum, cum sumptio est moraliter continua, vt dictum est quæst. 58. ad 2. ac proindè ambæ species, & omnes partes integrales earum, concurrunt ad constituendam vnam essentialiter, ac integraliter perfectam, & adæquatam significationem symbolicam passionis Christi Domini, & gratiæ per eam conferendæ.

Art. 2. Dictum porrò est suprà in communi quæst. 11. 24. & 25. totam conuenientiam, & vtilitatem specialem sacramentorum reuocari ad eiusmodi significationem: atque per eandem haberi totam causalitatem in gratiam. Hac igitur ratione omnes, & singulæ partes, siue alterius seorsim, siue vtriusque simul speciei, quarum sumptio est moraliter vna, exercent moraliter ex æquo causalitatem in gratiam; tametsi ea conferatur tota simul, cum primum traiicitur prima pars specierum, seu panis, seu vini. In hunc itaque sensum accipienda sunt, quæ producuntur in obiectione ex Euangelio, ex Ecclesiæ ritu, & ex dictis Sanctorum; Neque verò duritiem vllam continet huiusmodi interpretatio, quando agitur de causa habente solam moralem vnitatem præsertim cum alia testimonia clariora eam intelligentiam præscribunt, vt præscribunt in præsenti ea quæ præmissa sunt.

Art. 3. Iam verba illa Christi Domini, *nisi manducaueritis, & biberitis* non habent hunc sensum; qui non sumpserit sub vtraque specie: sed istum, qui vtramque prætermiserit, seu qui sub neutra sumpserit, non habebit vitam in se. Nempè particula *& hæc* non sumitur copulatiuè, sed distributiuè, atque vt sumeretur copulatiuè, subintelligenda esset repetitio particulæ *nisi*. Vtrouis autem modo redit idem ille sensus, qui modo indicatus est: idemque colligitur clarè ex secunda superiori nostra confirmatione subiuncta art. 13. Quapropter optimè definit Trid. sess. illa 21. cap. 1. *salua fide dubitari non posse, quin laïcis, & Clericis non celebrantibus sufficiat ad salutem communio alterius tantum speciei.*

Art. 1. ad 3. Quando ambæ species sumuntur coniunctim neutra impedit alteram, quominùs conferat tantundem gratiæ, quantum conferret seorsim sumpta. Quia vtralibet species confert totam gratiam, quam vtraque confert; ac proindè, vtralibet, quando sumitur simul cum altera, confert tantundem, atque conferret seorsim sampta.

Art. 2. Itaque sumptio moraliter simultanea vtriusque speciei, solum impedit, ne alterutra conferat diuersam gratiam ab ea, quam confert altera species. Quòd nullius est incommodi, quia etiam partes eiusdem hostiæ, quæ diuisæ, & sumptæ cum distantia morali vnius ab alia, causarent aliud, atque aliud augmentum gratiæ, quando sumuntur simul, causant idem omninò augmentum. Nempè per separationem fiunt plures causæ, & plura numero sacramenta: atque è conuerso per coniunctionem fiunt vna causa, & vnum numero sacramentum, atque hinc sequitur idem proportionaliter discrimen quoad effectus. Hoc ipsum in causis etiam purè physicis suo modo similiter contingit, vt apparet consideranti diuersas partes ignis applicatas, iam simul eidem subiecto, iam diuersis seorsim subiectis; vel etiam eidem subiecto pro alio, atque alio tempore.

Art. 1. ad 4. Causa quidem purè physica operans actiuitate sua naturali, & independenter ab extrinseca accidentali ordinatione, ac institutione, inducit denuo suum effectum, quoties physicè applicatur subiecto capaci, ac disposito. At causa; quæ non est purè physica, & operatur supernaturaliter, cum dependentia ab extrinseca ordinatione, ac institutione, toties tantùm operatur, quoties applicatio multiplicatur moraliter. Christus autem Dominus, provt est in sacramento operatur dependenter ab extrinseca ordinatione, & institutione Dei, atque constituit vnum simpliciter sacramentum, provt subest vtrique speciei, vt superius dictum est. Vndè applicatio eius, per sumptionem vnius speciei, non est moraliter diuersa ab applicatione; quæ fit per sumptionem alterius speciei, quando vtraque fit ex vi vtriusque sumptionis cum exigua temporis interiecti differentia, sed vtraque sumptio est vna tantùm applicatio moraliter: Cuti ipsæ res quæ sumuntur, sunt vnum simpliciter sacramentum vnitate morali. Vnius igitur effectus gratiæ, & vnica tantùm vice inducitur, per sumptionem simultaneam vtriusque speciei, nec purè materialiter se habet, quod vna applicatio distet parum, aut multum ab alia: quandoquidem ex hac differentia dependet, quod sumatur vnum numero sacramentum simpliciter, vel duplex.

Ar. 2. Verùm neque id approbandũ, aut permittẽdum est, quòd insinuatur obiter in obiectione, meliorem esse, cæteris paribus, conditionẽ sumentis maiorem, quàm minorẽ quãtitatẽ specierũ; atq; accedente, post sumptionem, noua dispositione obtineri nouum augmentũ gratiæ ex opere operato, si perseuerẽt protũc species propter magnitudinem quantitatis; idemque non obtineri

si iam desierint species propter exiguitatem quantitatis. Hoc inquam approbandum, aut permittendum nequaquam est. Quia vt ea opinio nullo laboraret incommodo, istud est maximum, quòd fideles reddit, quantum est exse, parum procliues ad conformitatem cum vsu, & ritu Ecclesiæ adhibentis exiguam admodum quantitatem panis, & vini, pro sacrificio, & communione. Eò verò reddit minus procliues, quò sunt meliores ac feruentores in charitate. Qui mimirum sunt auidiores eorum omnium, ex quibus credunt, ac sperant se posse assequi augmentum aliquod speciale gratiæ. Quid autem absurdius dici potest, quàm probitatem hominis fidelis, quo maior est, eo deterius disponere ipsius animum ad obsequiosam conformitatem cum vsu, ac ritu publico Ecclesiæ Catholicæ, idque in re maximi momenti; imò disponere ad quærendum, cum omni solicitudine omnes modos possibiles, vt quam minimum fieri potest illi conformetur, siuè clam, siuè palam? Hoc profecto vnum est maioris ponderis pro hac parte, quam omnia, quæ adducuntur in contrarium vano pietatis prætextu. Quæ videlicet, tunc vera, ac solida est, cum est Ecclesiæ ritibus conformis, nec ab eis discordat, aut opere exteriori, aut interna animi dispositione.

Art. 3. Adest quoddam præterea aliud maximè, eandem in rem, considerandum, miniméque arbitrarium. Quod Christus Dominus deuincit vitam æternam, & gratiam soli actioni manducandi, & bibendi corpus, & sanguinem ipsius, non verò retentioni eorum in stomacho, vt liquet ex superioribus sæpè repetitis testimoniis. Eodem pertinet quod Apostolus solùm monet dispositionis adhibendæ ad eandem illam actionem, & non ad istam retentionem dùm dicit: *Probet autem se ipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat.* Ergò, pro effectu huius sacramenti, sola attenditur dispositio, quæ datur pro ea præcisè duratione, pro qua sumuntur species sacramentales, non pro ea, pro qua deinceps perseuerant in stomacho, atque oppositum dicitur absque fundamento in doctrina sacra, quoad opus operatum; de quo solum est sermo in præsenti. Paritas ex agentibus naturalibus est valdè fallax, & omninò insufficiens pro re præsenti, vt apparet ex nuper dictis art. 1.

Ad 5. Quidquid sit de fundamento, seu fundamentis aliorum pro sententia nostra, ex dictis hucusque liquido apparet, aliundè, quàm ex vsu negandi laïcis, & clericis non celebrantibus sumptionem vtriusque simul speciei, efficaciter comprobari, quòd non conferatur plus gratiæ per vtramque, quàm per alteram solam, cæteris paribus. Conceditur itaque spontè, ex eo præcisè vsu non probari sufficienter veram sententiam. Conceditur verò propter illam ipsam rationem, quæ notatur in obiectione, & est optima. Sed negatur sensum esse Ecclesiæ, quòd vtraque species conferat ex opere operato plus gratiæ quàm vtralibet seorsim. Nam quod dicitur, vtramque ex speciali priuilegio concedi ad augmentum gratiæ; accipiendum est de augmento ex opere operantis, quatenùs vtraque simul species, propter maiorem expressionem passionis Christi, & effectus sacramenti, habet maiorem vim excitandi ad deuotionem, & ad feruentiores actus caritatis, quibus obtinetur maior cumulus gratiæ, non purè sacramentaliter, sed solùm meritoriè. Quæ tamen ipsa ratio nihil conuincit pro simili concessione respectu totius promiscuæ multitudinis fidelium, quia prægrauatur maioribus incommodis.

## Quæstio LXX.

### *Vtrùm Sacramentum Eucharistiæ prosit aliis, quam sumentibus?*

Videtur prodesse. 1. Quia hoc sacramentum, quatenus est sacrificium prodest aliis etiam quam sacrificantibus. Quod est indubitatum apud omnes cum D. Thoma quæst. 79. art. 7. Ergò etiam prodest aliis quam sumentibus, quatenùs est sacramentum patet consequentia, quia vbi est eadem efficacitas, & perfectio virtutis actiuæ, est etiam eadem vniuersalitas actionis, & effectus. Tota autem efficacitas & perfectio virtutis actiuæ, tam in sacramento, quàm in sacrificio est eadem realis præsentia Christi Domini in vtroque.

2. Ex hoc sacramento redundat in communicantem magnum augmentum gratiæ vt supradictum est: atque per tale augmentum gratiæ redduntur maioris valoris, & efficaciæ opera eiusdem communicantis, quæ ipse exequitur pro aliis. Ergò hoc sacramentum absolutè prodest aliis etiam, quam sumentibus; quandoquidem communicante vno, possunt obtinere alij plus gratiæ, aut remissionis pœnæ peccatorum, quam alioquin cæteris omninò paribus essent obtenturi.

3. Nonnulli communicant pro mortuis approbantibus eam pro mortuis communionem atque suadentibus viris piis & doctis. Quod tamen perperam, fieret, & absurdè permitteretur, si communio prodesse non posset aliis, quàm communicanti.

Art. 1. Respondetur. Ista quæstio nullius est in se difficultatis, sed contentio paucos ante annos nata, aut renouata inter aliquos Theologos, circa communionem pro mortuis, reddidit illam aliquantulum apud ipsos implicatam, variato, aut non vniformiter retento statu controuersiæ, & nonnullis ad accessoria, ac extranea diuertentibus; ac si ea essent punctum principale, aut ad id ipsum directè pertinerent, vti frequenter vsuenit in contentionibus partium studio feruentibus. D. Thomas quæst. illa 79. ar. 7. rem istam totam absoluit, atque comprehendit adæquatè duobus verbis; nempè hoc sacramentum non solum esse sacramentum, sed etiam sacrificium; atque quatenùs est sacrificium prodesse aliis à sacrificante, tam viuis, quam defunctis, pro quibus offertur: at quatenùs est sacramentum, soli prodesse communicanti, à quo sumitur. Quæ assertio communiter recipitur à Theologis eodem in loco, vt æquè indubitata quoad vtramque partem, & quoad vtramque dicitur à Valentia Doctrina Orthodoxa; atque ipsi D. Th. prior potius pars de sacrificio, quam posterior de sacramento visa est indiga probationis. Ratio vtriusque est, quia vt sacramentum applicatur sumptione, quæ non potest esse communis sumenti cum non sumentibus; at vt sacrificium applicatur oblatione, quæ potest respicere alios ab offerente.

Art. 2. Et quidem pro vniuersalitate sacrificij, sunt alia præterea quàm plura, de quibus in loco. Pro restrictione autem sacramenti ad sumentem, illud imprimis efficaciter pugnat, quod fructus eius soli promittitur sumenti, vt liquet ex testimonij Euangelicis sæpius ponderatis, præsertim quæstione proximè præcedenti. Illud deindè parum non iuuat, quòd ex Concil. Tridentino, & aliis dictum est supra in communi quæst. 19. & alibi, nempè sacramenta conferre gratiã non quibusuis promiscuè, sed tantũ dignè suscipientibus. Idem denique ex eo suadetur quod

nulli

nulli Sacramento, sed minimè omnium Sacramento Eucharistiæ vlla inest significatio fructus ex indè ad alios, quàm suscipientes deriuandi. Nec enim cibus, & potus naturales, qui sunt symbolum profectus spiritualis Eucharistici, prosunt aliis, quàm manducanti, & bibenti. Ergò quod datur per modum cibi, & potus, cum nulla vtique datur significatione, & symbolica proportione fructus indè deriuandi in alios, præter sumentem. Dictum autem est sæpè Sacramenta non causare, nisi quatenùs significant; idque est indubitatum apud omnes Theologos. Certissimum ergò est Sacramentum Eucharistiæ quatenùs Sacramentum præcisè est, soli sumenti prodesse ex opere operato.

Artic. 3. Per hoc tamen non tollitur quin, tam istud; quàm alia Sacramenta prodesse possint alij præter suscipientem ex opere operantis. Quia Sacramentorum frequentatio excitat animum ad exercitium plurium actuum placentium Deo, ac præsertim charitatis, & dilectionis erga ipsum Deum, vsque adeò beneficum per Sacramenta. Certum porrò est istos actus prodesse posse aliis, tam viuis, quàm defunctis, si applicentur illis ab eliciente. Verùm in hoc genere præminet longo excessu Sacramentum Eucharistiæ. Quia propter realem in ipso præsentiam Christi Domini, mouet multo fortius ad actus charitatis, & consequenter ad actus omnium aliarum virtutum; atque iidem isti actus euadunt maioris valoris, & efficaciæ ex maiori dignificatione per maius augmentum gratiæ, quod confert hoc Sacramentum vt dictum est suprà. Qua propter actus eliciti occasione communionis, siue antecedenter, siue comitanter, sed maximè consequenter, si applicentur aliis à communicante, siue viuis, siue defunctis; non dubium est quin possint esse magnæ vtilitatis respectu eorum. In hoc itaque genere possunt Sacramenta plurimum prodesse aliis à suscipiente, maximè verò Sacramentum Eucharistiæ. Atque per hæc sufficienter exposita, & rectè determinata videtur tota præsentis controuersiæ materia, quod ad rem ipsam attinet.

Artic. 4. Iam quoad modum loquendi, qui in materia Sacramentorum debet esse valdè cautus præsertim apud vulgus; quatenùs est materia imprimis supernaturalis, simulque est vsui ac proindè, & notitiæ, ac collocutioni vulgari familiariter expositа, atque ob istam mutuam, horum duorum extremorum coniunctionem potest facilè serpere error circa rem, ex errore seu improprietate in modo loquendi. Quoad modum inquam loquendi oportet, ea de causa, obseruare diligenter, ne tribuatur Sacramento, & sic insinuetur haberi ex opere operato, quòd reipsa habetur occasione Sacramenti tantùm ex opere operantis: Nempè, dùm dicitur Sacramentum operari aliquid, prodesse alicui, dirigi in aliquem finem; accipitur de operatione, vtilitate, & conducentia in finem ex opere operato; si nihil superaddatur aliud, per quod modificetur locutio, & ad legitimum sensum determinetur. Is namque est modus peculiaris & proprius cuiusuis Sacramenti in operando, proficiendo, & conferendo in finem; atque quod dicitur de re aliqua absolutè, & sine addito modicante, accipitur secundùm conditionem eius propriam, & peculiarem. Dicendum itaque est absolutè cum D. Thoma loco citato, cumque aliis Theologis communiter, tam istud Sacramentum, quàm reliqua Sacramenta prodesse soli suscipienti; aliis verè nonnisi cum hoc addito; occasionaliter, mediatè seu indirectè; materialiter seu tanquam materiam actus meritorij, aut satisfactorij, vel alio modo æquiualenti.

Ad 1. Animaduersum iam est semel, atque iterum in quæstione præcedenti, & alibi, nullius esse roboris paritates eiusmodi pro causis operantibus instrumentaliter, cum dependentia à voluntate instituentis specialiter libera. Deindè Sacramentum applicari sumptione, & sacrificium oblatione, est discrimen reale fundamentale deductum ex ipsa natura rei, vti obseruatum est art. 1. cum D. Thom.

Ad 2. Conceditur communicationem indirectè, & mediatè prodesse aliis à communicante per superadditum opus operantis; sed negatur id sufficere, vt dicatur absolutè communionem prodesse aliis; aut vt re ipsa profit aliis ex opere operato. Quia si communicet, & nullum præterea actum meritorium, aut satisfactoriam superaddat, quantumcunque offerat communionem pro aliis, nullus propterea fructus in illos exindè redundabit, vt liquet ex dictis.

Artic. 1. Ad 3. D. Thomas, lect. 6. in cap. 6. Ioann. dicit, & quidem dicit optimè, communionem laïci pro mortuis fieri per errorem. Quia iuxta veram sanamque doctrinam laïcus, & clericus non sacrificans, non possunt prodesse mortuis communione secundùm se, sed per solos actus communioni superadditos. Communio autem non supponit pro his actibus, nec eos complectitur, dùm absolutè dicitur ipsam fieri pro mortuis. Qua de causa, cum dicitur vnumquemque communicare pro animæ suæ bono; sensus nequaquam est, occasione communionis elici à communicante actus, quibus prosit animæ suæ, vt liquet ex ratione nuper ponderata art. 4. ad quæst...

Artic. 2. Quod attinet ad viros Doctos approbantes, ac suadentes communionem laïcorum pro mortuis; non est credibile viros vllos doctos, aut Doctrinæ, vtcumque studiosos loqui ad populum hac de re potuisse absque cautione necessaria in modo loquendi iuxta notissimam D. Thom. sententiam, & locutionem, sicut suprà significatum est. Certè id fieri minimè debuisse satis patet ex dictis. Argumenta porrò nonnulla alia, quæ hinc indè leuiter, ac distortè corrasa sunt occasione huius contentionis, non videntur talia quibus singillatim explicandis oporteat, aut deceat immorari. Constat enim, ex data generaliter distinctione, quid ad singula facile, ac sufficienter dici possit, & quomodo sit moderanda locutio, de qua potissimùm habenda est ratio in hac materia. Nam de reipsa conuenit iam apud omnes, quidquid initio controuersiæ peccatum fortè sit alterutra ex parte.

---

## Qvæstio LXXI.

### *Vtrùm sumptio constituat intrinsecè hoc Sacramentum?*

Videtur constituere. 1. Quia in reliquis Sacramentis pertinent ad intrinsecam constitutionem eorum, actiones quibus materia, & forma applicantur, aut diriguntur ad eum qui suscipit Sacramentum. In hoc autem Sacramento correspondet eiusmodi actioni applicatiuæ, seu directiuæ sumptio specierum simul cum corpore, & sanguine Christi. Eodem igitur modo, eademque ratione pertinet sumptio ad constitutionem intrinsecam huius Sacramenti.

2. Id omne pertinet ad constitutionem intrinsecam cuiusque Sacramenti quod pertinet ad constitutionem intrinsecam significationis gratiæ, quatenùs conferendæ per idem Sacramentum, seu ratione cuius partialiter, aut totaliter redditur perceptibilis mediante sensu collatio gratiæ, inducendæ per Sacramentum. Sumptio autem corporis, & sanguinis Christi sub speciebus est pars intrinsecè constituens eam gratiæ significationem. Quia non percepta per sensum ea sumptione nullatenùs, vel etiam probabiliter,

cognosci potest gratiam cuiquam conferri per istud Sacramentum ; percepta verò per sensum sumptione, eo ipso cognoscitur gratiam conferri sumenti. Ergò sumptio est pars, vel maximè constitutiua significationis practicæ huius Sacramenti.

3. Omne obiectum sensibile, cui ex voluntate, & institutione Christi Domini tribuitur effectus Sacramenti, & à quo idem effectus propterea dependet, habet rationem formalem Sacramenti. Eoque ipso est signum practicum gratiæ à Deo pro hominibus institutum. Sumptio autem est imprimis sensibilis, vt patet ex se, & præterea tribuitur ipsi, atque ab eadem dependet effectus Sacramenti ex voluntate, & institutione Christi Domini, vt patet ex illis eius verbis: *Qui manducat me, viuet propter me.* Hæc enim verba manifestè tribuunt vitam spiritualem manducationi, & nõ soli cibo qui manducatur, atq; illam constituunt dependentem ab ista. Ergò sumptio est Sacramentum totaliter, vel saltem partialiter.

4. Inter effectus huius Sacramenti vnus, isque præcipuus est coniunctio communicantis cum Christo. Sumptio autem confert formaliter se ipsa physicam coniunctionem communicantis cum Christo, & consequenter significat clarius, ac distinctius, significatione propriè sacramentali spiritualem inter vtrumque coniunctionem per gratiam. Habet igitur significationem, & effectum propriissimè sacramentalem, atque ideo est pars essentialis Sacramenti.

5. Sunt quædam quæ licet præsupponant Sacramentum adæquatè constitutum quoad essentiam, pertinent nihilominùs ad intrinsecam ipsius constitutionem, tanquam partes eius integrales, substantiales. Quia videlicet pertinent nihilominùs ad vltimum eius complementum, & perfectionem extensiuam, vt apparet in Sacramento pœnitentiæ integraliter constituto per satisfactionem longo etiam post tempore superadditam essentiæ Sacramenti, iam adæquatè præexistenti, necnon in verbis illis consecrationis calicis; *noui & æterni, &c.* iuxta dicta suprà quæst. 60. artic. 2. Ergò sumptio, quia similiter est vltimum complementum huius Sacramenti, dicenda est pars eius vt minimum integralis, ac substantialis.

Artic. 1. Respondetur. Triplicem huius Sacramenti sumptionem distinguit Conc. Trident. sess. 13. cap. 8. ex communi PP. Doctrina. Prima est purè sacramentalis, qua peccatores realiter physicè sumunt verum corpus, & sanguinem Christi cum speciebus immediatè sensibilibus, sed absque vllo fructu. Secunda est purè spiritualis, qua iusti solo voto, ac sincero effectu, *panem illum cælestem edentes fide viua, quæ per dilectionem operatur, fructum eius & vtilitatem sentiunt*; perceptam vtique ex opere operantis, iuxta mensuram bonitatis actuum, quos quisque exercet, & gratiæ, quam præhabet, influente Sacramento tantùm obiectiuè, ac intentionaliter per virtutem, quam habet maximam, vt superius dicebatur, ad excitandos consideratione sui sanctos charitatis affectus, & viua desideria circa realem perceptionem ipsius, & intimam cum Deo coniunctionem amicabilem, ad quam ea ordinantur. Tertia sumptio est sacramentalis, simul, & spiritualis, propria eorum, *qui*, vt dicit Concilium, *ita se prius probant, & instruunt vt vestem nuptialem induti ad diuinam hanc mensam accedant.*

Artic. 2. In ista trimembri distinctione Concilij est obiter notanda confirmatio haud quaquam leuis, conclusionis suprà præmissæ in communi quæst. 26. Nempè hoc Sacramentum sicut, & alia Sacramenta viuorum, nunquam, ne quidem per accidens, conferre primam gratiam. Confirmatur autem primò, quia Concilium attribuit peccatoribus generaliter omnibus, absque vlla inter illos distinctione, aut exceptione, & non tantùm peccantibus actu sumptionem purè sacramentalem ; hoc est expertem omnis prorsùs fructus spiritualis. Confirmatur rursùs, quia sumptionem sacramentalem simulque spiritualem ; ideòst secundam fructus spiritualis attribuit idem Concilium solis indutis vestem nuptialem, ideòst habentibus re ipsa, & non tantum existimantibus se habere gratiam sanctificantem. Aliud namque est indutum esse, aliud id existimare ; atque Concilium exprimit indutum esse, idque vltra probationem, atque instructionem, quas exprimit, & præmittit seorsim Ergò istud Sacramentum nunquam, vel etiam per accidens confert primam gratiam, sed solum confert augmentum eius suscipienti antecedenter reipsa iusto : sicut cibus corporalis, qui est symbolum gratiæ Eucharistiæ, confert augmentum, & conseruationem viuentis, & nunquam est, aut potest esse id vndè ducitur principium vitæ.

Artic. 3. Quod ad præsens attinet, manifestum est sumptionem purè spiritualem non esse Sacramentum, nec partem Sacramenti. Quia est quid in se purè spirituale, ac insensibile, nec habet ex sua natura effectum vllum materialem, mediãte quo reddatur sensibilis, neque vt eum haberet, subesset institutioni diuinæ ; quæ illi communicaret significationem practicam gratiæ, quandoquidem nulla talis institutio datur. De sola itaque sumptione Sacramenti, tùm purè sacramentali, tùm sacramentali simul, & spirituali dubitatur : an sit Sacramentum vel pars Sacramenti ; de quo sunt variæ Theologorum sententiæ, iuxta numerum ferè, & insinuationem rationum dubitandi, quæ præmissæ sunt. Dicendum autem est, Sacramentum Eucharistiæ verè, & realiter præexistere secundùm suam essentiam ante vsum, & sumptionem eius. Quæ est communis Theologorum sententia cum D. Thom. quæstion. 73. artic. 1. ad 3. vbi assignat discrimen inter hoc Sacramentum, & Sacramenta cœtera, quòd hoc perficitur in consecratione materiæ ; cœtera verò in vsu eius. Et quæstion. 78. artic. 1. ad 2. docet sumptionem esse veluti actum secundum huius Sacramenti, & hac ratione pertinere ad extrinsecam perfectionem eius : sicut agere pertinet ad perfectionem agentis.

Artic. 4. Idem colligitur efficaciter ex Concil. Trid. in sess. 13. cap. 5. & 6. in quorum altero definit deberi huic Sacramento cultum, & reuerentiam ante vsum, & sumptionem ; in altero approbat consuetudinem asseruandi in sacrario, & deferendi ad infirmos Sacram Eucharistiam, quod est nomen propriissimum huius Sacramenti, vt præmissum est quæst. 58. Neutrum autem subsistere posset, si hoc Sacramentum non præexisteret verè, & realiter secundùm suam essentiam ante vsum, & sumptionem ipsius. Idem præterea colligitur clarè ex eadem quæst. 58. necnon 59. 60. 61. Indè enim constat definitionem huius Sacramenti verificari adæquatè absque inclusione sumptionis, & ante eandem existere totam materiam, & formam, & conuersionem materiæ remotæ in corpus, & sanguinem Christi adeóque præexistere totam essentiam Sacramenti.

Artic. 5. An nihilominùs sumptio dicenda sit pars integralis huius Sacramenti, an verò pura eius applicatio, & conditio sine qua non, respectu gratiæ conferendæ ? Dicastillus, & nonnulli alij censent esse quæst. de voce. Quod tamen approbandum minimè videtur. Quia quod est pars intrinseca Sacramenti, siue essentialis, siue integralis, habet partialiter rationem signi symbolici, & causæ respectu gratiæ vt liquet ex definitione Sacramenti ; idque ipsum conuenire minimè potest puræ applicationi, seu puræ conditioni sine qua non ; neque istæ enunciationes

tiones possunt accommodari ad significandam eandem rem, nisi corruptis definitionibus causæ, & puræ applicationis, puræque conditionis. Verùm illi auctores non satis exactè vtramque definiunt, atque inuicem distinguunt, & ideò incidunt in istud inconueniens non confundendi, & pro eodem reputandi res quam longissimè dissidentes inter se.

Artic. 6. Dicendum itaque rursùs est sumptionem non exercere vllam causalitatem in gratiam, neque partialiter, neque totaliter, neque principaliter, neque instrumentaliter; atque ideo esse puram applicationem, puramque conditionem sine qua non. Et quidem est in confesso apud omnes; sumptionem non esse causam gratiæ aut principalem, vel etiam partialiter, aut instrumentalem totalem; neque indiget probatione, cum appareat manifestè ex omnibus hucusque dictis circa naturam huius Sacramenti. Probatur non esse causam instrumentalem partialem. Quia, vt dictum est in communi quæst. 24. de conceptu causæ instrumentalis est, vt virtute propria, & tanquam causa principalis, producat aliquem effectum, qui vel sit dispositio necessaria respectu effectus producendi à causa, comparatione cuius ipsa dicitur instrumentalis, vel conferat ad maiorem aliquam, atque specialem vtilitatem eiusdem effectus respectu subiecti, in quod debet induci ab eadem causa, comparatione cuius ipsa habet rationem instrumenti. Neutrum autem horum præstare potest sumptio, respectu gratiæ conferendæ per hoc Sacramentum, & in ordine ad quem conuenit eidem Sacramento, ratio causæ instrumentalis, qua vtitur Deus, vt inducat gratiam eo modo, qui nobis maximè congruit estque specialiter vtilis. Et quidem, quòd non possit inducere dispositionem necessariam ad infusionem, & receptionem gratiæ secundùm se præcisè consideratæ, ex eo constat à fortiori, quia nullum Sacramentum inducit virtute propria talem dispositionem, vt dictum est loco proximè citato ex consensu Theologorum, & cum ratione clara.

Artic. 7. Quod autem neque producere possit aliquid, augens extrinsecè bonitatem, & vtilitatem gratiæ à Deo nobis conferendæ per Sacramentum, ex eo conuincitur efficaciter; quia vnicus modus, quo id præstari per Sacramenta potest, est manuducendo ad specialem humano ingenio accommodatam cognitionem gratiæ, atque indè excitando pios voluntatis affectus circa eandem gratiam, ratione symbolicæ proportionis, conuenientis peculiariter vnicuique Sacramento comparatione donorum spiritualium, quæ inducit, vt eodem illo in loco expositum est, & non obscurè insinuat Concil. Trident. sess. 12. cap. 5. tradens illam ipsam doctrinam, & rationem vtilitatis specialis, circa ritus, & cæremonias Sacramenti Eucharistiæ, facile accommodabilem ipsi Sacramento, atque omnibus vniuersim Sacramentis. Sumptioni autem causalitas eiusmodi instrumentalis conuenire nequaquam potest vel etiam partialiter. Quia nullam habet rationem symboli, nullamque specialem proportionem, & analogiam cum cibo spirituali, seu cum gratia, quatenùs nutriente animam, & fouente vitam eius, vigoremque spiritualem. Tota namque huiusmodi proportio, analogia, & ratio symbolica, conuenit adæquatè rebus, quæ sumuntur, antequam sumantur; neque per ipsam sumptionem augetur, seu promouetur, aut perficitur aliqua ex parte eiusmodi affinitas mutuæ inter ea extrema proportionis. Nempè sumptio materialis, nec totaliter, nec partialiter conseruat, auget, ac fouet, vitam, & vires corporales, ideóque nullam ratione sui exercet actionem correspondentem muneri inte nsionis gratiæ, respectu animæ; sed solam habet rationem puræ applicationis communem omnibus, & quibusuis applicationibus agentis ad passum. Itaque sumptio huius Sacramenti est sola, ac pura applicatio, & conditio sine qua non, vt Sacramentum ipsum inducat suum effectum, non verò est inductiua eiusdem, tanquam causa instrumentalis, vel partialis.

Ad 1. Actiones exteriores quibus perficiuntur cæteri Sacramenta, habent specialem rationem sui proportionem symbolicam cum effectibus gratiæ, quos illa præstant. Nec enim aqua sola emundat à maculis corpus, sed simul etiam actio ipsa abstersiua, & impulsus adiunctus aquæ, concurrit ad id particulariter, tanquam causa emundationis. Similiter verba absolutionis, non liberant secundùm se præcisè à reatu sceleris, sed quatenùs pronunciata ab habente legitimam potestatem, & sic de cæteris eiusmodi. Non autem concurrit in hunc modum partialiter ad effectum nutritionis sumptio cibi, sed vt pura applicatio, & iuxta positio agentis ad passum sicut dictum. Est igitur dispar manifestè ratio, quandoquidem vis supernaturalis sacramentaliter operandi, fundatur ex suo conceptu in virtute actiua, & causalitate naturali rerum, quæ supernaturaliter eleuantur ad rationem Sacramenti.

Ad 2. Commune est causæ cum conditione sine qua non, tùm vt vtriusuis negatio inferat negationem effectus; tùm etiam vtriusque existentia, atque cognitio inferat existentiam, & cognitionem effectus. Quapropter obiectio arguit defectuosè dùm infert determinate rationem causæ, ex prædicato indiscriminatim communi causæ, cum pura conditione sine qua non. Præterea posita institutione, & eleuatione panis, & vini in nutrimentum spirituale, & accedente deinde vtriusque consecratione, sumptio postremo superueniens significat naturaliter collatam gratiæ, & non ex peculiari circa ipsam institutione, ac eleuatione; Vndè sumptio secundùm se præcisè considerata nullam habet significationem sacramentalem, sed solùm ex natura rei; neque est signum gratiæ propriè tale, sed latè, & improprie tantùm. Eo scilicet modo quo causa necessaria, & eius applicatio ad passum, est signum effectus; & vicissim effectus ipse, est signum illorum; cum de ratione Sacramenti, & partis Sacramenti sit, esse signum propriè tale, ex institutione, & ad placitum, cum spirituali vtilitate peculiari suæ significationis vt dictum est.

Ad 3. Christus Dominus promittit vitam æternam manducanti se, non quia manducatio, sed quia ipse per manducationem applicatus, est causa vitæ æternæ. Perindè enim valet eiusmodi promissio; atque si diceretur. Qui accesserit ad ignem, calefiet. Nempè id genus locutionis propriè, & frequenter accommodatur puræ applicationi, & conditioni sine qua non.

Ad 4. Constituto Christo Domino, vt subest speciebus panis, & vini, in ratione cibi spiritualis, sumptio deindè superaddita præstat formaliter solam coniunctionem physicam inter sumentem, & Christum Dominum. At mutuam inter vtrumque coniunctionem spiritualem nullatenus præstat vt causa, nec significat sacramentaliter ex institutione, & cum analogia peculiari, sed solùm ex natura rei vt pura applicatio agentis ad passum, vti sæpius dictum est, quia sæpius decipit aduersarios defectus obseruationis huius, atque discriminis.

Ad 5. Non excluditur sumptio à partiali constitutione intrinseca huius Sacramenti, præcipuè quia superuenit eidem Sacramento iam præexistenti adæquatè secundùm suum conceptum essentialem, sed quia nihil significat, nihilque proindè operatur sacramentaliter,

mentaliter, neque in hoc genere; aut perficit, aut complet vllo pacto, quæ iam præexistunt, vt ostensum est. Quod sanè non verificatur; atque de verbis illis suprà calicem, vt eodem illo in loco demonstratum est, neque de satisfactione sacramentali pœnitentiæ, vt patebit infrà quæst. 84. artic. 3. Nulla igitur est partis ratio.

## QVÆSTIO LXXII.

*Vtrùm omnis, & solus homo baptizatus existens in gratia, sit subiectum capax huius Sacramenti?*

VIdetur, nec omnis, nec solus esse capax. 1. Quia paruuli necnon adulti amentes à natiuitate, repelluntur à communione, tametsi baptizati sint, nec potuerint gratiam Baptismalem amittere. Ergò non omnis baptizatus existens in gratia, est subiectum capax huius Sacramenti.

2. Adultus iustificatus per actum contritionis ante baptismum, nullum habet impedimentum, quo minus recipiat effectum, & fructum huius Sacramenti, ipsumque Sacramentum. Quia iam supponitur viuens vita spirituali, ideóque capax cibi, & nutritionis spiritualis. Nec enim baptismus requiritur ratione sui, sed ratione sui effectus ad Sacramentum Eucharistiæ licitè, & cum fructu suscipiendæ. Solus namque effectus baptismi permanet, cum deindè suscipitur hoc Sacramentum. Idem autem est effectus contritionis, & Baptismi. Ergò non soli baptizati sunt capaces huius sacramenti.

3. Præter baptismum, & statum gratiæ requiritur actualis deuotio tanquam dispositio præcisè necessaria ad effectum huius Sacramenti. Primum quia requiritur specialis dispositio actualis pro receptione primæ gratiæ. Ergò etiam pro augmento eius. Deindè quia Sacerdotes quotidie celebrantes absque peccato lethali, simulque absque deuotione actuali, acquirerent, intra breue tempus, magnum, ac notabile augmentum gratiæ, & charitatis, ac proindè facerent notabilem in moribus emendationem, coniunctam cum eximio feruore spirituali. Hos nimirum effectus inducit ex natura rei charitas notabiliter aucta. Quia amor est actiuus quantum potest, vt dicit philosophus; atque hoc conuenit charitati supernaturali, in gradu multo magis excellenti. Sequela autem est contra experientiam, vt obseruat, & opponit Caietanus exigens propterea deuotionem actualem, tanquam dispositionem præcisè necessariam ad percipiendum fructum huius Sacramenti. Ergò non omnis baptizatus simulque iustus, est subiectum proximè capax sumendi hoc Sacramentum, sacramentaliter simul, & spiritualiter.

4. Ad hoc Sacramentum legitimè suscipiendum requiruntur plures præterea dispositiones etiam ex parte corporis, vt est in confesso apud omnes. Ergò non sufficit status gratiæ cum baptismo præuio.

Artic. 1. Respondetur. Soli imprimis homines sunt capaces sacramentalis sumptionis huius Sacramenti. Quia Angeli non sunt capaces manducandi, & bibendi, quæ tamen, ex dictis superius, sunt actiones, & quidem propriè tales, quibus sumitur hoc Sacramentum. Bruta verò, nec actu, nec aptitudine percipere possunt significationem Sacramenti. Quod tamen est omninò necessarium, vt sumptio Sacramenti sit sacramentalis formaliter.

Ad 2. Deindè non omnes homines, sed soli baptizati sunt capaces suscipiendi hoc Sacramentum sacramentaliter simul, & spiritualiter, seu cum fructu. Quia baptismus est ianua sacramentorum, vt fert axioma commune de quo suprà quæst. 37. Ratio pro re præsenti specialiter manifesta est. Quia baptismus ex diuina institutione est Sacramentum regenerationis conferens sensibiliter primam gratiam abolitiuam peccati originalis, vt inibi dictum est ex Euangelio. Quare sicut non est capax cibi, & nutritionis naturalis, qui nondum est natus naturaliter: ita non est capax cibi, & nutritionis spiritualis sensibiliter percipiendæ, qui nondum est baptizatus; idest spiritualiter, simulque sensibiliter natus.

Artic. 3. Accedit Sacramenta esse veluti patrimonium filiorum Ecclesiæ, atque susceptionem illorum esse potestatiuam eius filiationis. Vndè quem nondum genuit, nec in suum gremium recepit Ecclesia per baptismum; non potest per reliqua Sacramenta confirmare, nutrire, &c. Consequenter non habent capacitatem percipiendi hæc bona, eorumque perceptione, protestandi Religionem Catholicam, qui nondum visibili huic, & sensibili Ecclesiæ visibiliter, ac sensibiliter sunt coniuncti, tanquam filij spirituales spirituali matri suæ. Vndè materialiter tantùm, & absque vllo fructu percipere potest, tam istud Eucharistiæ, quàm cætera Sacramenta, qui non est baptizatus. Nempè quod in reliquis Sacramentis est, ea esse nulla, & nulliter percipi, in hoc Sacramento est percipi sine fructu, seu purè sacramentaliter, saltem si perceptio sit talis, tam actu, quàm aptitudine, vt contingit in non baptizato.

Artic. 4. Demum commune quidem est huic Sacramento cum reliquis Sacramentis, vt non possit conferri cum fructu homini rationis compoti, nisi volenti ipsum ipsiusque effectum suscipere, vt dictum est in communi quæst. 33. Cæterum nihil præterea aliud est præcisè necessarium, vt hoc Sacramentum conferat augmentum gratiæ homini baptizato, & constituto in statu gratiæ, si suscipiat Sacramentum, antequam amittat gratiam. Licet enim multa alia requirantur, vt suscipiatur licitè hoc Sacramentum ea tamen requiruntur sola necessitate præcepti; ita vt peccet, & peccato impediat effectum Sacramenti, qui scienter, & liberè ea prætermiserit: non tamen ita necessaria sunt ex natura Sacramenti, & effectus Sacramenti, vt si inculpabiliter eadem omittantur, impediatur nihilominùs ea præcisè de causa, effectus Sacramenti. Quia qui non habet peccatum lethale, nullum vtique habet impedimentum vlterioris gratiæ in se suscipiendæ. Causa autem, quæ præcontinet in se effectum aliquem, inducit illum in quolibet subiecto non impedito, quoties, & quandocunque illi applicatur.

Artic. 5. Accedit dispositionem ab Apostolo requisitam vt *probet seipsum homo*, accipi à Concil. Trident. sess. 13. cap. 7. de sola probatione liberante hominem à conscientia peccati lethalis per confessionem ipsius, siquidem conscius sibi fuerit de illo antea commisso. Quare quælibet alia præterea dispositio exigitur absque sufficienti fundamento. Omnis igitur, & solus homo baptizatus, ac iustus est capax, qui sumat hoc Sacramentum cum fructu, seu sacramentaliter, simul, & spiritualiter.

Ad 1. Paruulis & nonnullis aliis, tametsi baptizatis ac iustis negatur sacra communio ex præcepto Ecclesiæ, iustas ob causas. Cæterum si de facto admittantur ad communionem retento statu gratiæ vti admittebantur paruuli in Ecclesia primitiua, obtinebunt effectum Sacramenti, vt dictum est, licet minister futurus sit reus peccati. Ad secundum patet ex dictis suprà art. 2. & 3.

Ad 3. Necessitas deuotionis actualis, pro percipiendo fructu huius Sacramenti, non probatur sufficienter. Ad priorem namque probationem dicitur actum

actum dispositiuum, qui est necessarius ad infusionem primæ gratiæ, permanere virtualiter, atque habituaLiter, dùm permaneat actualiter ipsa gratia vtpotè æquiualens tali actui, eumque continens in se virtualiter, vti fusius dictum est quæst. 10. de Iustif. Ad alteram probationem dicitur habitus virtutum non habere immediatè, ac præcisè per se ipsos, vim inclinandi & determinandi voluntatem ad actus ipsorum proprios, vt alibi efficaciter comprobatum est. Vndè habitus vtcunque intensi, dummodò insint animæ independenter ab eorum exercitio, provt inesse possunt per virtutem sacramentorum, relinquunt in eodem statu, atque antea erat, pronitatem, & inclinationem voluntatis ad bonum, & malum, quantum est ex se præcisè.

Ad 4. Vlteriores eiusmodi dispositiones præsertim ex parte corporis requiruntur solùm ex præcepto, vt dictum est. Vndè si desint absque culpa communicantis, non propterea impedietur effectus Sacramenti vlla ex parte.

# INCIPIVNT QVÆSTIONES de Pœnitentia.

## *Prior pars de Virtute Pœnitentiæ.*

## QVÆSTIO LXXIII.

### *Vtrùm dentur in voluntate habitus purè reflexiui?*

VIDETVR repugnare tales habitus in voluntate. 1. Quia ad eundem habitum pertinent actus omnes, qui sunt ex eodem motiuo. Actus autem directi, & reflexi sunt ex eodem motiuo. Quod enim mouet ad amorem sui, simul etiam mouet ad amorem eius amoris. Nam quod mouet ad aliquid, necesse est, vt simul, ac indiuisim moueat ad omnia alia, quæ conferunt ad habendum illud. Sic sanitas mouens ad amorem sui simul mouet ad amorem pharmaci salutaris, aliorumque omnium, quæ sunt necessaria, aut vtilia ad consecutionem ipsius sanitatis, & ita de similibus omnibus absque vlla exceptione. Amor autem reflexus amoris directi confert ad habendum amorem directum vtpotè inclinans, ac determinans in genere causæ formalis ad illum eliciendum. Eadem est proportionalis ratio de odio, directo, & reflexo. Ad eundem igitur habitum voluntatis, ad quem pertinent actus quilibet directi, pertinent etiam actus reflexi, qui versantur circa illos; ac proindè nullus datur habitus in voluntate purè reflexiuus, seu cuius omnes sint reflexi, nullusque possit esse directus. Manifestum siquidem est actus omnes procedentes ex vno, eodemque motiuo, ad vnum, eundemque habitum pertinere.

2. Impossibile est aliquem esse promptum, & facilem ad amorem amoris amici sui ex. gr. quin eo ipso sit promptus, & facilis ad amorem directum eiusdem amici. Quia vndè habetur promptitudo, & facilitas ad primum, habetur etiam indiuisim promptitudo & facilitas ad secundum, vtpotè inseparabiliter coniunctum cum illo. Habitus autem voluntatis nihil est aliud, quàm promptitudo, & facilitas ad actum alioquin difficilem ex se, impossibile igitur est dari in voluntate habitum ad actus aliquos reflexos, qui non sit simul habitus ad actus directos, circa quos versantur illi reflexi.

3. Si daretur in voluntate aliquis habitus purè reflexiuus, ac impotens elicere vllum actum directum; sequeretur processus in infinitum in habitibus voluntatis. Quia voluntas sicut potest reflectere suprà primos suos actus directos, ita potest reflectere per alios rursùs actus suprà priores actus reflexos, & sic in infinitum. Ergò si daretur in voluntate habitus; specialis primò reflexiuus; daretur etiam eadem ratione habitus specialis secundò reflexiuus, & sic in infinitum. Consequens autem est absurdum vniuersaliter in omni genere rerum permanentium.

4. Si admitteretur in voluntate aliquis habitus purè reflexiuus; totidem vt minimum admittendi in eadem essent habitus purè reflexiui suprà actus aliorum habituum, quot sunt habitus directi circa obiecta adæquatè distincta ab omni actu voluntatis. Quia actus tam boni, quàm mali pertinentes ad vnumquemque habitum directum habent singuli suam peculiarem bonitatem, & malitiam, suntque proindè capaces ad terminandam peculiarem circa se, reflexionem, & consequenter ad terminandum peculiarem similiter habitum purè reflexiuum; si quis est possibilis habitus purè reflexiuus. Est autem inaudita apud authores, ac planè incredibilis, propterea que nullatenùs admittenda tanta specifica multiplicitas habituum purè reflexiuorum. Nullus igitur talis habitus est admittendus in voluntate.

Art. 1. Respondetur. Habitus voluntatis sunt circa bonum difficile. Nam vt dicit Phil. 2. Eth. c. 3. Virtus est circa honestum difficile, & consequenter vitium est circa delectabile, aut vtile difficile. Omnis autem habitus voluntatis est virtus aut vitium, omnis igitur habitus ~~voluntatis~~ virtutis est circa bonum difficile. Vndè habitus voluntatis multiplicantur specie iuxta multiplicitatem specificam boni difficilis. Nempè quæ sunt ad aliquid, sunt multiplicabilia specie secundùm multiplicitatem specificam eorum; ad quæ ordinantur; siquidem ad ea ordinantur secundùm rationem cuiusque propriam, ac peculiarem, vti ordinantur habitus ad sua obiecta.

Art. 2. Datur autem peculiaris ratio specifica boni difficilis, fundata in actibus directis habituum, qui sunt itidem directi, distincta specificè ab ea ratione boni difficilis circa quam versantur iidem actus directi. Est enim specialiter bonum, & specialiter difficile ex. gr. diu permanere in adhæsione ad bonum difficile: Est quidem id specialiter bonum. Primò quia continet in se imitationem peculiarem immutabilitatis diuinæ, quæ imitatio non inest adhæsioni ad bonum consideratæ secundùm se præcisè, & præscindendo ab eius diuturnitate. Secundò, quia specialiter laudatur, qui permanenter adhæret honesto, quo vsque ratio dictat, seu quo vsque honestum est. Tertiò à pari, quia specialiter delectat, ac prodest adhærere permanenter delectabili, & vtili dùm manet in ratione delectabilis, ac vtilis. Postremò quia totum distinguitur specie à singulis suis partibus, tametsi omnes partes sint homogeneæ, vt patet in numero constante ex vnitatibus, & in numero maiori ex minoribus numeris conflato. Diuturnitas autem est totum quoddam constans ex singulis partibus durationis, qua durat vnaquæque res defectibilis. Ob istas igitur rationes est specialiter bonum permanere diu in adhæsione ad bonum difficile.

Art. 3. Est autem idipsum specialiter difficile. Primùm propter vertibilitatem arbitrij humani, de cuius vertibilitatis ratione est, vt ingerat peculiarem difficultatem vniformitati diuturnæ circa difficile. Deindè propter dependentiam animæ à corpore. Quia corpus subest impressioni agentium dependentium à motu, & aspectibus diuersis Cælorum, & insuper est præditum qualitatibus

qualitatibus inuicem contrariis, quarum proindè est continua inter se pugna cum vicissitudine victoriæ; atque ex vtroque capite diuersimodè affectum pro diuersis temporibus, disponit, ac impellit animum ad assimilem diuersitatem, ac per consequens reddit specialiter difficilem constantem eius vniformitatem circa quoduis difficile.

Artic. 4. Itaque habitus voluntatis intentiuus diuturnitatis vniformis in adhæsione ad bonum difficile, idque propter ipsam bonitatem specialem durationis diuturnæ, est specie distinctus ab omnibus habitibus intentiuis boni difficilis secundùm se, & propter solam illius in se bonitatem, præscindendo à bonitate speciali durationis diuturnæ in actibus eorundem habituum, aut volendo eandem durationem diuturnam solùm, vt obiectum materiale. Idem autem habitus intendens ratione sui, diuturnitatem actus præexistentis, est purè reflexiuus, quia nullum potest elicere actum, qui non feratur reflexè suprà actum alium: impossibile siquidem est velle diuturnam durationem alicuius actus quin sit volitus iisdiuisim actus ipse duraturus diu. Eadem porrò est ratio de aliis habitibus, quorum motiuum adæquatum fundetur in actibus voluntatis pro vt distinctis ab ipsorum obiecto, & à perfectione quæ habetur ex eodem obiecto secundùm se. Dantur igitur in voluntate habitus purè reflexiui in sensu explicato, & vlterius manifestando multò magis ex dicendis, ex quibus etiam patebit necessitas, & vtilitas huius doctrinæ præambulæ pro scopo quæstionum præsentium.

Ad 1. Conceditur, quòd benè probat argumentum, actum quemlibet directum posse esse obiectum materiale reflexè volitum per actum reflexum procedentem ab eodem habitu, ad quem pertinet ipse actus directus; ideóque necessarium non esse habitum peculiarem purè reflexiuum ad volendum reflexè actus directos secundùm se, & secundùm totam bonitatem identificatam adæquatè cum iisdem. Cæterum id non probat dari non posse specialem rationem boni difficilis fundatam essentialiter in actibus directis, iisdemque superadditam ex peculiari aliqua circumstantia, & amabilem propter se simul cum iisdem actibus directis. Quale bonum dictum est esse ex.gr. diuturnam durationem actus. Non igitur probat repugnare in voluntate habitus purè reflexiuos vniuersaliter, & à toto genere.

Ad 2. Quicumque est promptus, & facilis ad amorem aliquem reflexum efficacem, est vtique promptus eo ipso, & facilis ad actum directum, qui terminat illum reflexum. At non conuertitur facilitas hæc, & promptitudo ab actu directo ad quemlibet amorem reflexum ipsius, ex quouis alio motiuo conceptum. Fieri namque potest, vt quis sit facilis ad opera pietatis, & misericordiæ, aut studij, atque similium, & nihilominùs non sit facilis ad perseuerandum in illis quantum dictat recta ratio, & consequenter nec sit facilis ad concipiendum amorem reflexum efficacem, suprà priores illos actus, ex motiuo diuturnæ durationis in ipsis, conformiter ad rectam rationem. Non igitur superfluit, sed est valdè vtilis, ac necessarius habitus peculiaris adæquatè reflexiuus, qui feratur ad eosdem illos actus formaliter; vt affectos ea circunstantia durationis diuturnæ; idemque dicitur de aliis eiusmodi.

Ad 3. Habitus reflexiuus exhibens munus aliquod peculiare circa actus aliorum habituum, necesse est, vt eodem munere fungi possit circa actus etiam proprios. Ex eodem namque motiuo, ex quo quis vult perseuerantiam ex.gr. in actibus aliarum virtutum potest etiam velle perseuerantiam in perseuerando, & sic de similibus vniformiter reflexionibus sine fine. Quia adest eatenus eadem specifica ratio bonitatis circa proprios, & alienos actus. Vndè nullus est locus processus in infinitum quoad habitus reflexiuos.

Ad 4. Datur quidem in quouis actu bonitas aliqua dissidens specie à bonitate obiecti, à quo ipse specificatur; ideóque quilibet actus directus potest terminare actum reflexum distinctum specie ab ipso actu directo. Cæterum nullus est actus directus, cuius secundùm se præcisè amor reflexus sit difficilis difficultate diuersæ speciei ab ea difficultate, quæ inest ipsi actui directo. Quia cuilibet actui est essentiale, vt superet per se ipsum omnem difficultatem, quæ potest retardare voluntatem quominus eum eliciat. Manifestum autem est in volendo reflexè elicere actum aliquem directum, si nihil præterea aliud interponatur, nullam posse esse difficultatem diuersam ab ea quæ est in eliciendo liberè eodem actu directo. Omnis namque difficultas volendi opus, seu internum, seu externum consistit adæquate in difficultate eiusdem operis secundùm se; quandoquidem ipsum velle ex conceptu suo essentiali est quidem placens voluntati, ideóque summè facile ex se præcisè, & præscindendo à difficultate obiecti. Necesse igitur est, vt habitus quilibet purè reflexiuus versetur circa rationem peculiarem boni difficilis vniuersalioris, & non mutuo conuertibilis cum actibus, & obiecto cuiusque habitus particularis directi. Quæ autem sunt ad aliquid vniuersalius, non possunt tantumdem multiplicari atque ea, quæ sunt ad minus vniuersale, aut ad singulare. Non ergò sequitur inconueniens intentum.

## Qvæstio LXXIV.

### *Vtrùm detur habitus purè emendatiuus, ac deletiuus peccatorum præcedentium?*

Videtur nullus talis habitus dari posse. 1. Quia ad eundem habitum pertinet præcauere malum, antequam eueniat, & idem reparare, postquam euenerit. Ab eodem namque motiuo mouetur voluntas ad vtrumque; quandoquidem existentia mali, & eiusdem perseuerantia opponuntur eidem bono, eodemque prorsùs modo. Igitur habitus emendatiuus, ac deletiuus peccati postquam commissum est, necessariò est indistinctus ab habitu impeditiuo peccati, ne existat. Et consequenter emendatio, ac deletio totius collectionis peccatorum pertinet ad totam collectionem habituum, quibus continentur omnes vniuersim virtutes; nullúsque præterea est necessarius, aut etiam possibilis habitus peculiaris purè emendatiuus, ac deletiuus, seu qui simul præcautiuus non sit, atque impeditiuus peccatorum.

2. Impossibile est voluntatem inclinari, ac determinari aliquo motiuo ad dolorem, & odium de aliquo malo, quin eodem motiuo inclinetur, ac determinetur ad amorem, & gaudium circa bonum oppositum. Quia omne odium, omnisque dolor de malo, fundatur in amore boni oppositi; atque motiuum amoris, cum est præsens, causat gaudium; sicut causat desiderium, cum est absens, vndè fit, vt sicut amor, desiderium, & gaudium, sunt circa idem, vt præsens, vt absens, & vt præscindens ab absentia, & præsentia: ita etiam sint, simili modo circa idem, odium, timor, & dolor, seu tristitia. Impossibilis igitur est habitus, cuius motiuum possit tantummodo inducere dolorem emendatiuum, & deletiuum peccatorum præcedentium, & non etiam inducere valeat odium illorum præscindens à deletione, & præcautione, necnon timorem præseruatiuum à peccatis.

3. Habitus

3. Habitus purè emendatiuus, ac deletiuus peccatorum, nec iusto ineſſe poteſt, nec peccatori. Non iusto, quia iustus non habet peccata, quæ delere poſſit, & conſequenter nec quo delere poſſit, habet. Sed neque peccatori ineſſe poteſt, quia qui adhuc eſt peccator, præſertim ſi prima vice peccator eſt; nullum vnquam deleuit peccatum; qui autem nullum vnquam deleuit peccatum, non poteſt habere habitum, & conſuetudinem delendi peccata: ſicut non poteſt habere habitum, fortitudinis, ac iuſtitiæ, qui nulli vnquam reſtitit terribili, aut nulli vnquam tribuit ius ſuum. Quæ quidem ratio conuincit clarè de habitu acquiſito. De infuſo verò res eſt clarior, quia peccatori nullus ineſt habitus infuſus præter fidem, & ſpem, vt fert communis, & vera Theologorum ſententia, de qua alibi dictum eſt. Iuſto autem nullum Deus infundit habitum, qui nulli vnquam vſui eſſe poſſit. Perperam enim infunderet, & Deus nihil perperam facit, aut facere poteſt. Nulli igitur ineſſe poteſt talis habitus. Impoſſibile autem eſt accidens, quòd nulli ineſſe poteſt ex natura ſua.

4. Peccator dolet peccata ſua: tùm reſtituendo Deo honorem læſum per iniuriam ipſius Dei, quæ eſt de ratione peccati; atque hoc pertinet ad iuſtitiam commutatiuam: tùm ſumendo vindictam de ſe ipſo, per ſe ipſum, tanquam iudicem ſui, & vindicem culpæ commiſſæ; atque hoc pertinet ad iuſtitiam vindicatiuam: tùm exhibendo cultum Deo debitum, cui contrauenerat peccatum; atque hoc eſt munus proprium religionis: tùm conuertendo ſe ad Deum à quo peccatum auerterat; atque hoc præſtat charitas; quæ etiam ipſa reſtituit pacem, & amicitiam cum Deo turbatam atque extinctam per peccatum. Ergò emendatio, ac deletio peccatorum ſpectant ad habitus iſtarum omnium virtutum, aut ad aliquem ex ipſis, ſeu vagè, ſeu determinatè. Nullus autem ex his habitus eſt purè emendatiuus, ac deletiuus peccatorum, vt per ſe patet; quia omnes abſolutè poſſunt exerceri nullo præſuppoſito peccato. Nullus igitur talis habitus aut neceſſarius, aut vtilis eſt, ac proindè, nec poſſibilis eſt.

5. Nullus datur habitus purè conſeruatiuus innocentiæ nondum amiſſæ. Ergò nullus datur purè reparatiuus eiuſdem iam amiſſæ. In antecedenti omnes conueniunt. Probatur conſequentia. Quia reparatio innocentiæ non eſt motiuum voluntatis magis diſſidens ab ipſa innocentia ſecundùm ſe, quàm eiuſdem conſeruatio.

6. Per eundem iuſtitiæ habitum, per quem vitatur ablatio iniuſta, reſtituitur etiam quòd ablatum fuerat; nec datur vllus peculiaris habitus purè reſtitutiuus, ergò per eundem, aut eoſdem ſimiliter habitus, per quos vitatur vnumquodque peccatum, emendatur, ac deletur idem peccatum, poſtquam commiſſum eſt. Patet conſequentia, quia emendatio, & deletio peccati cuiuſcunque demum generis ſit, eſt quoddam genus reſtitutionis; certè eſt iuſta quædam reſtitutionis imitatio; vtpotè reponens tantundem boni quantum amiſſum fuerat per peccatum. Antecedens ſtabilitum eſt qu. 23. de Iuſtit. ex indubitato omnium conſenſu.

7. Admiſſo habitu purè emendatiuo, ac deletiuo peccatorum, admittendus conſequenter eſſet habitus alius purè emendatiuus, ac deletiuus imperfectionum moralium. Imò multiplicandi eſſent habitus purè emendatiui, ac deletiui, tùm peccatorum, tùm imperfectionum iuxta multiplicitatem ſpecificam ipſorum peccatorum, & imperfectionum. Quia multiplicatis obiectis ſpecie, neceſſe eſt proportionaliter multiplicare ſpecie habitus, qui verſantur circa illa; Atque vbi adeſt par ratio inducendi habitum peculiarem, debet omninò retineri conſequentia admittendo illum; atque multiplicando, quando poſtulat ratio legitima conſequentiæ. Nequit autem admitti abſolutè talis conſequentia. Quia conſequens repugnat communi ſenſui.

Artic. 1. Reſpondetur actus peccaminoſus, poſtquam deſinit eſſe actualiter in ſe intrinſecè, manet nihilominùs habitualiter duplici modo, vt dictum eſt quæſt. 5. & 11. de iuſtif. affectiuè nimirum, & effectiuè. Permanentia habitualis affectiua, conſiſtit in actuali animi diſpoſitione inductiua ſimilis actus peccaminoſi, ſi occurrat ſimilis occaſio, nec intercedat noua deliberatio, vi cuius inducatur actus contrarius retractatiuus prioris actus mali, & diſponens animum ſimili modo ad oppoſitum actum bonum. Conſtat nimirum experientia actum deliberatum poſtremò exercitum, quæcunque demum ſit eius materia, pollere vi maxima ad pertrahendum animum, vt approbet propoſitum præconceptum; vtque eliciat actum ſimilem priori, quoties occurrerit ſimilis occaſio, eumque inducere de facto, ſaltem vt plurimum, niſi adhibeatur noua deliberatio, vi cuius ſuperetur impetus inclinationis illius habitualis.

Artic. 2. Permanentia iſtiuſmodi habitualis purè affectiua peccati, tollitur, formaliter quidem per actum virtutis contrariæ vitio, quo peccatum fuit, imò, & per actum vitij oppoſiti, virtualiter verò, & implicitè tollitur per quemlibet actum motiui vniuerſalis contrarij, atque per actum charitatis tollitur quoad conceptum etiam auerſionis affectiuæ à Deo. Quapropter ad emendationem, & deletionem peccati, quatenùs affectiuè tantum permanentis habitualiter, ſufficiunt habitus, ſeu virtualiter, ſeu formaliter contrarij habitibus vitioſis, ad quos pertinent ſingula peccata; nec eſt neceſſarius vllus habitus purè reflexiuus, & purè emendatiuus, ac deletiuus peccatorum ſub eo conceptu; niſi forte commiſſum eſſet peccatum per actum vitij purè reflexiui.

Artic. 3. Permanentia habitualis effectiua peccatorum conſiſtit in permanentia actuali effectuum inductorum per peccata. Hi porrò effectus ſunt in duplici rurſùs differentia. Alij enim effectus inducuntur, per actus peccaminoſos, in genere cauſæ, tùm formalis, tùm efficientis propriè talis. Eiuſmodi effectus ſunt habitus vitioſi, & actiones exteriores, ex quibus alij vlterius effectus ſæpè propagantur. Omnes iſtiuſmodi effectus, & permanentia habitualis per ipſos conſtituta poſſunt auferri, vt patet, per eaſdem illas virtutes vnicuique vitio directè, vel indirectè contrarias modo nuper explicato. Alij effectus peccatorum inducuntur per ipſa, in genere cauſæ demeritoriæ. Quo pertinent omnia mala quæ Deus infligit peccatori in pœnam ſuorum peccatorum propriè talem; necnon ipſa offenſio, & odium, quo illa infligit.

Artic. 4. Poſteriores iſtos effectus pœnales, & permanentiam habitualem in illis conſiſtentem non poteſt tollere ſe ſola quælibet promiſcuè virtus oppoſita vitio, cuius actu commiſſum fuit peccatum. Qui enim mentitus, aut furatus eſt, tametſi veritatem poſtea manifeſtet, aut reſtituat, quod abſtulerit iniuſtè; non ob id præcisè liberatur à iuſta, contra ſe offenſione Dei contempti, ac læſi per peccatum; & à pœnis ea de cauſa ſibi debitis. Sed neceſſe inſuper eſt, vt ſatisfaciat Deo offenſo humiliando ſe coram ipſo, vtque eum placet per opera eidem placentia, ſe verò puniat per opera ſibi moleſta; atque in hunc modum compenſet delectationem illicitam, quam aduersùs legem Dei, & cum Dei contemptu, ſibi nimium indulgendo, vſurparat.

Artic. 5. Est autem imprimis specialiter honestum, & laudabiliter appetibile ratione sui placare Deum offensum, compensare præcedentia peccata, liberari à pœnis eorum, eademque penitus extinguere quoad vim impeditiuam Beatitudinis æternum, vel ad tempus. Quia quòd hæc præstentur modo prædicto, confert specialiter ad consecutionem beatitudinis, quæ est finis hominis, ideóque est regula totius honestatis iuxta dicta quæst. 20. de actibus hum. Deindè idipsum est specialiter difficile. Quia fit peccatore sæuiente in se ipsum, & substituendo dolorem, atque opera pœnalis loco præcedentis delectationis inhonestæ. Demum istud peculiare bonum difficile emendationis compensatiuæ ac deletiuæ peccatorum est essentialiter fundatum in peccatis præcedentibus, eaque essentialiter præsupponit, nec intendi potest nisi dependenter ab eo quòd præcesserint peccata; cùm compensatio, & deletio sint essentialiter relatiuæ ad id, pro quo fit compensatio, & quod deletur. Datur igitur habitus purè emendatiuus ac deletiuus peccatorum præcedentium, impotens proindè elicere vllum act in, qui non reflectat suprà præcedentes actus peccaminosos. Quæ illatio est manifesta ex dictis in quæst. præced.

Ad 1. Non pertinet ad eundem habitum præcauere, & reparare malum, quando præcauetur malum per positionem immediatam eius boni, in cuius priuatione idem malum formaliter consistit; reparatur verò per positionem alterius boni specie distincti, quia tunc istud bonum specie distinctum fundat habitum distinctum similiter specie; Peccata autem præcauentur per immediatam positionem actuum bonorum in quorum priuatione consistit formaliter malitia peccatorum. Vndè præcauere peccata omnia, est opus omnium virtutum, & singula, singularum. At reparatio peccati non obtinetur à peccatore per solam positionem actus boni contrarij, sed per opera satisfactoria placantia iram Dei, & substituta pœna peccati. Quod habet specialem honestatem, & difficultatem, vt dictum est.

Ad 2. Vnusquisque habitus habet eos tres actus, sed circa proprium motiuum, aut fundatos in eodem. Qua propter habitus purè deletiuus peccatorum, desiderat deletionem, nondum obtentam; gaudet de obtenta, & amat eam, quando proponitur cum præcisione ab absentia, & præsentia. Timet similiter, si immineant impedimenta deletionis; dolet de impedita, ac prætermissa deletione, & odit impeditionem secundùm se. Cæterum actus præcauentes peccatorum non præsupponentium alia peccata nullos habet, saltem absolutos. Quia nullos tales complectitur sub se motiuum ipsius, atque limites motiui sui formalis nulli habitus prætergredi possunt.

Ad 3. Iusto inest habitus per se infusus purè deletiuus peccatorum, vt per ipsum delere possit peccata venialia secundùm se tota, necnon lethalia quoad reliquias ipsorum. Peccatori potest inesse habitus acquisitus eiusdem generis (licet diuersæ speciei, & rationis longè inferioris iuxta dicta in qq. de Virtutibus in communi cum pluribus Theologis (pro deletione omnium peccatorum secundùm se tota. Nempè potest permanere in peccatore relapso post secundam, tertiam, &c. Iustificationem. Potest itidem generari repetita sæpè intentione delendi peccata, tametsi nunquam ea deleuerit de facto. Nec enim delet peccata hic habitus immediatè per se ipsum, aut per suos actus elicitos, sed per imperatos, & per adiunctam, deindè misericordiam Dei, vt infrà dicetur quæst. 87. ac deinceps. Vndè non comparatur cum deletione peccatorum, sicut fortitudo cum victoria terribilium, & iustitia cum redditione iuris; sed ad eum potius modum, quo comparatur eadem fortitudo cum victoria hostis, & iustitia cum pace, & tranquillitate mutua inter ciues; in ordine ad quos fines possunt ambæ sæpius exercere suos actus, antequam eosdem fines consequantur de facto. Habitus verò purè deletiuus per se infusus non inest peccatori nisi secundùm actum, vt dicetur quæst. 81.

Artic. 1. Ad 4. Opera, quæ conferunt ad deletionem, & expiationem peccatorum, possunt imperari per plures virtutes; nullaque est virtus, quæ non possit elicere aliquem actum conferentem aliquo modo ad deleionem peccati, saltem pertinentis ad vitium sibi oppositum directè. Quia vt minimum potest illud retractare affectiuè per actum suum. Quælibet namque virtus est sufficiens se sola, ad eliciendum actum proprium, circa suum motiuum, etiam post commissum peccatum in propria eius materia. Vndè consequenter potest quælibet virtus superare se sola difficultatem illam peculiarem, quæ inuenitur in resipiscendo, & in retractando actu præcedenti, atque in reprobanda propria electione prius facta, vt obseruatum est circa actum restitutionis, quæst. 23. de Iustit. Hæc porrò fuit occasio, vel vnica, vel certè præcipua æquiuocationis, & fallaciæ confundentis totaliter habitum emendatiuum, ac deletiuum peccatorum cum tot aliis habitibus, quot indicantur in obiectione, quorum in eius scopum, patroni videri possunt apud Dicastillum disp. 1. dub. 2. & alios in præsenti. Est enim error latè patens.

Artic. 2. Omnes itaque virtutes conueniunt cum habitu purè emendatiuo, ac deletiuo peccatorum in eo quòd præstare possunt aliquid conferens ad deletionem peccatorum, & eo plus, quo sunt motiui, & vniuersalioris, & præstantioris; cæterum differunt clarissimè ab eodem habitu, quatenùs motiuum formale huius habitus est ipsa deletio peccatorum, eandemque non habet, pro motiuo formali, alia ex virtutibus enumeratis in obiectione. Habitus autem specificantur ex motiuis formalibus, & multiplicantur specie iuxta multiplicitatem specificam eorum, non verò iuxta multiplicitatem effectuum conferentium ad finem aliquem particularem. Id quòd multis exemplis luculenter demonstrari potest, atque inter alia apparet clarè in solutione debiti, quæ fieri promiscuè potest, variatis præsertim circumstantiis, à virtute charitatis misericordiæ, gratitudinis, amicitiæ, &c. & confert, vtcunque fiat ad constituendam æqualitatem iurium. Verùm quia hæc æqualitas intenditur formaliter à solo habitu iustitiæ, propterea iustitia distinguitur specie ab illis aliis virtutibus. Similiter ergò contingit in re nostra. Quia videlicet habitus differunt ex finibus, vt communiter dicitur, & non præcisè ex officiis.

Ad 5. Innocentia præexistit ante omnes actus ipsius innocentis, & incipit conseruari exercitio omnium indiscriminatim virtutum, vtpotè continentium in se adimpletionem totius legis obligantis per per se; conseruatur verò diutius superaddita virtute purè reflexiua perseuerantiæ; nec vltra superest bonum aliquod speciale pertinens ad innocentiam, quòd intendi possit per aliquem alium habitum distinctum ab habitibus prædictis. Quia innocentia est indistincta à vitatione omnium peccatorum non præsupponentium aliud peccatum, eamque præstant prædictæ virtutes, non materialiter, sed formaliter; at interposito aliquo peccato corrumpente innocentiam, protinus adest motiuum aliud formale specificatiuum habitus purè reflexiui, distinctum specie à motiuis prædictarum omnium virtutum. Qui habitus obsequitur legi obliganti tantùm ex

suppositione

suppositione accidentali peccati, vt liquet ex præmissa superius eiusdem motiui, & habitus declaratione. Discrimen igitur est manifestum.

Ad 6. Patet ex dictis circa 4. & præterea apparebit ex dicendis qu. 79. art. 3. & 7. quam sit re ipsa diuersus actus intentiuus deletionis peccatorum ab intentione restitutionis, esto detur aliqua inter vtramque affinitas ex parte, vt dicetur ibidem.

Artic. 1. Ad 7. Habitus imprimis non multiplicantur ex multiplicitate specifica obiectorum materialium, sed quæcunque complectitur vnicum specie motiuum, pertinent eatenus ad vnicum specie habitum, vt apparet in omnibus communiter notis ac receptis virtutum habitibus ex communi, & certa sententia. Peccata autem sunt obiecta purè materialia respectu habitus purè deletiui ipsorum, & comprehenduntur vniformiter sub ratione emendationis deletiuæ, quæ est motiuum eius habitus proprium. Ad eum vtique modum, quò omnes omnium virtutum actus comprehenduntur sub vna ratione formali durationis diuturnæ, sub qua proindè omnes terminant vnicum habitum perseuerantiæ, quæ propterea est specialis, & vnica virtus circa omnes actus bonos. Differentia enim ad hoc vnum tota reuocatur, quòd virtus perseuerantiæ respicit formaliter honestatem, & difficultatem peculiares, quæ insunt vlteriori durationi cuiusque actus boni; Habitus verò purè deletiuus peccatorum versatur formaliter circa honestatem, & difficultatem, peculiares, quæ reperiuntur in impedienda vlteriori duratione, ac permanentia cuiusque peccati.

Artic. 2. Deindè actus imperfecti nullam habent vim demeritoriam, ideóque relinquunt post se permanentiam habitualem, affectiuam quidem sicut peccata, effectiuam verò, non nisi eam quæ in actiuitate physica ipsorum continetur. Constat autem ex dictis ad quæstionem artic. 2. & ex responsione ad quartum, ad tollendam vtramque eam perseuerantiam sufficere virtutes directas elicitiuas actuum contrariorum; Nec indè superesse motiuum formale sufficiens ad fundandum aliquem habitum peculiarem purè reflexiuum: quale ~~tale~~ tamen fundamentum adest in actibus peccaminosis, vt liquet ex dictis in tota ista quæstione.

---

## Qvæstio LXXV.

### *Vtrùm habitus purè deletiuus peccatorum sit propriè virtus, eaque Pœnitentiæ?*

Videtur non esse. 1. Quia Philosophus 4. Ethic. cap. 9. dicit quod *de verecundia vt de quadam virtute non conuenit dicere. Passioni magis assimilatur, quàm habitui.* Et rursus ibidem addit, *quòd studiosi*, idest virtuosi, seu virtutibus dediti, *non est verecundia.* Quorum non alia ratio est, nisi quia de conceptu verecundiæ est, vt præsupponat peccatum. Quia de causa subdit Philos. sub finem eius cap. *Pudor probi viri esse nullo pacto potest; cùm ob malas res exoriatur.* Est autem similiter de conceptu habitus purè deletiui peccatorum, vt præsupponat peccata, vtque ob ea exoriatur. Ergò neque hic habitus est virtus.

2. Virtus definitur à Philos. 7. Phys. text. 17. *Dispositio perfecti ad optimum.* Perfectum verò definitur rursùs ab eodem ibidem: *Quod est dispositum secundùm naturam*; idest secundùm exigentiam, & appetitum suum innatum; habitus autem purè deletiuus peccatorum non est dispositio perfecti, seu dispositio secundùm naturam. Quia est dispositio propria habentis peccata; atque peccata non sunt secundum naturam, sed potius exigentiæ & appetitui naturali contradicunt. Ergò hic habitus non est virtus.

3. Non habet rationem virtutis, quod non potest inesse ei, qui est maximè virtuosus: sicut non habet rationem sanitatis, aut sapientiæ, quòd nequit inesse maximè sano, aut maximè sapienti. Habitus autem deletiuus peccatorum non potest inesse nisi peccatori, vel saltem potenti peccare; quorum neuter est maximè virtuosus. Magis enim virtuosus est, qui nunquam, quàm qui aliquando peccauit, & magis adhuc, qui peccare nunquam potest. Virtus enim est contraria peccatis, & summa virtus, pœnitentiæ etiam peccandi; vt apparet in Christo Domino, & in beatis omnibus.

4. *Nullus est stultus eorum, qui sunt secundùm virtutem*, vt habetur ex philos. 4. Ethic. Stultum autem est dolere de præterito, Quod videlicet fieri non potest, vt non fuerit. Eiusdem rationis est conari ad delendum præteritum, quòd iam non est de præsenti. Quapropter nulla opus est deletione, vt non sit illud de præsenti; vt verò non fuerit de præterito, nulla deletione fieri potest. Ergò habitus deletiuus peccatorum non est virtuosi, sed stulti.

5. Habitus amatiuus peccatorum nequit esse virtuosus. Habitus autem deletiuus peccatorum, est amatiuus eorum. Quia vult opus deletionis peccatorum, secundùm rationem differentialem talis operis ab opere, quod non est deletio peccatorum. Opus autem delendi peccata, quatenùs tale differt formaliter ab opere, quòd vel non est deletiuum peccatorum, vel intenditur, vt præscindens à vi deletiua eorum hic, & nunc. Differt inquam formaliter per præsuppositionem peccatorum. Necesse igitur est, vt qui intendit deletionem peccatorum, quatenùs, talem formaliter, eo ipso velit, quòd præextiterint peccata, atque ideò est necesse, vt afficiatur ad illa. Quòd ex eo præterea confirmatur, quia qui vult efficaciter aliquid, necesse est, vt velit ea omnia, sine quibus illud subsistere nequit. Nequit autem subsistere deletio peccatorum absque eorum præexistentia, vt per se patet. Ergò habitus quo quis vult efficaciter delere peccata, necesse est vt indiuisim sit habitus volendi peccata vt præexistentia, seu volendi præexistentiam peccatorum.

6. Habitus deletiuus peccatorum, neque virtus Theologica esse potest, neque moralis. Ergò nulla nequit esse Theologica, quia motiuum formale virtutis Theologicæ est Deus, seu est indistinctum à Deo. Deletio autem peccatorum distinguitur adæquatè à Deo. Quia incipit esse tempore, & inducitur operatione humana. Sed neque moralis virtus esse potest. Quia virtus moralis, ex suo conceptu, consistit in medio inter excessum, & defectum vt docent omnes cum Philosopho. In deletione autem peccatorum, esto accidere possit defectus, excessus tamen nullus vnquam dari potest. Quia fieri non potest, vt peccata nimis deleantur, cum oporteat ea summè deleri. Verùm neque defectus accidere potest iuxta sensum philosophi. Quia vnumquodque peccatum consistit in indiuisibili; ideóque fieri non potest, vt deleatur quidem; sed minus, quàm oportet. Præterea omnis virtus versatur, vel circa passiones, vel circa operationes ad alterum iuxta celebrem virtutum diuisionem ex Philosopho. Habitus autem deletiuus peccatorum, nec restringitur ad moderandas passiones, quia delet indiscriminatim quælibet peccata, vt dictum est suprà; nec est ad alium; quia vt sua quisque peccata deleat, ipsius tantum interest.

7. Vt hic habitus sit virtus aliqua; virtus tamen Pœnitentiæ esse nequit. Primò quia pœnitentia

est specialis virtus distincta ab omnibus aliis virtutibus, & vt talis nominatur, ac laudatur, atque eius actus frequenter præcipitur in sacris litteris. Deindè pœnitentia solis exercetur actibus doloris, fugæ, & odij; vt colligitur ex notissima & communiter accepta definitione eius, quæ traditur à Greg. Mag. Homil. 38. in Euangelia, & lib. 9. Registri epist. 39. *Pœnitentia est præterita peccata plangere, & plangenda iterum non committere.* Consonat Ambros. serm. 1. Quadragesimæ dicens: *Pœnitentia vera est dolor cordis, & amaritudo animæ pro malis; quæ quisque commisit.* Vndè Magister in 4. dist. 14. & communiter cæteri definiunt: *Pœnitentia est virtus, qua mala commissa, cum emendationis proposito plangimus, & odimus.* Habitus autem deletiuus peccatorum; nec est specialis virtus, quia non habet materiam determinatam, cum versetur circa omnia indiscriminatim peccata, & consequenter circa materiam omnium virtutum; nec exercetur actibus doloris, & fugæ, saltem solis, quia prosequitur, & amat ipsam deletionem peccatorum. Ergò hic habitus non est virtus pœnitentiæ.

Artic. 1. Respondetur virtus dupliciter vsurpatur, provt pertinet ad rem præsentem. Primò pro habitu purè conseruatiuo, ac promotiuo, non per accidens, sed tantùm per se boni conuenientis naturæ secundùm se consideratæ; seu pro habitu, qui simul cum suo opere exigitur à substantia rationali appetitu innato absoluto. Huiusmodi sunt omnes imprimis virtutes Angelicæ, & inter humanas, quæ vel non sunt reflexiuæ, sed directæ; idest quarum motiuum est distinctum, atque independens per se ab actibus voluntatis, vt temperantia fortitudo, & iustitia; vel sunt reflexiuæ suprà solos actus bonos, vt perseuerantia, & constantia. In hoc sensu accipitur virtus à Philosopho in locis indicatis, in 1. & 2. ratione dubitandi vt patet ex eius contextu. Manifestum porrò est habitum purè deletiuum peccatorum non esse virtutem iuxta istam eius acceptionem.

Artic. 2. Accipitur rursùs virtus magis amplè pro habitu inductiuo actus boni, ac laudabilis, siue actus sit purè promotiuus boni, siue sit etiam sanatiuus, ac emendatiuus mali præexistentis. Istam amplitudinem virtutis complectitur illa alia eius definitio apud philosophum 2. Ethic. c. 2. 6. *Virtus est habitus electiuus, secundùm rationem rectam*, & illa alia ibidem cap. 5. *Virtus est habitus bonus, qui bonum facit habentem, & opus eius bonum reddit.* Eodem pertinet definitio Aug. lib. 1. retract. cap. 9. *Virtus est bona qualitas mentis, qua rectè viuitur, qua nemo malè vtitur.* Patet autem, ex quæstione præcedenti, habitum purè deletiuum peccatorum esse propriè virtutem iuxta istam eius significationem. Quia opus eius est bonum, ac laudabile, ac proindè perficit subiectum, cui inest vt liquet ex ibi dictis.

Artic. 3. Dicendum verò est absolutè cum D. Thoma, quæst. 85. artic. 1. cumque aliis communiter, hunc habitum esse propriè virtutem, quia prior illa Socratica virtutis vsurpatio non est amplius in vsu. Idque iure optimo inductum est. Quia cum homo sit mutabilis, peccabilis, & emendabilis, nec bonus diu esse possit, certè non contingat, vt sit absque emendationis beneficio, inter maxima eius bona, & sub eodem cum illis nomine censeri deberet id, quo emendari potest, atque resurgere à malo. Deindè si habitus emendatiuus peccatorum non esset virtus; nec etiam actus restitutionis, & alij similes, quibus vnaquæque virtus corrigit errorem commissum in propria materia, non essent actus virtutum formaliter, seu procedentes à virtutibus, quatenùs virtutes sunt. Quòd nemo dixerit. Profectò dici non potest modo loquendi, humanæ conditioni, & communi apprehensioni, satis accommodato. Demum actus pœnitentiæ, quam mox dicetur esse indistinctam ab hoc habitu, præcipiuntur in sacris litteris, Matth. 4. 17. *Pœnitentiam agite*, & alibi non semel. Præcepta autem legis sunt de actibus virtutum, quia, vt dicitur 2. Ethic. cap. 1. *Legislator intendit ciues facere virtuosos.* Accedit Apostolum Actorum 20. 21. loqui de Pœnitentia sicut de fide, quam certum est esse virtutem. Dicit enim: *testificans Iudæis, atque Gentilibus in Deum pœnitentiam, & fidem in Dominum Nostrum Iesum Christum.*

Artic. 4. Duplici similiter sensu vsurpatur pœnitentia. Primò purè philosophicè, ac vulgariter, pro retractatione actus præcedentis vel purè affectiua, vel etiam effectiua, sed quoad solos effectus procedentes ab actiuitate physica eiusdem actus qui præcessit. Hoc sensu dicit phil. 7. eth. cap. 7. intemperatum non esse pœnitentiuum, sicuti incontinentem; atque communiter dicuntur pœnitere, quicunque mutant propositum, qualiscumque demum sit ratio mutandi. Pœnitentia hoc modo sumpta peragitur ab vnaquaque virtute in propria materia, seu intra sphæram sui motiui, ideóque non conuertitur cum habitu purè deletiuo peccatorum, vt liquet, ex dictis in quæstione præcedenti ad 4.

Artic. 5. Secundò sumitur pœnitentia Theologicè, iuxta sensum scripturæ, & SS. PP. pro retractatione effectiua peccatorum quoad vim demeritoriam, offensiuam Dei, prouocatiuam iræ eius, atque inductiuam priuationis gratiæ, donorum, necnon gloriæ ad tempus, vel æternùm. Hunc sensum exprimit subtiliter, ac intimè, Gregorius imprimis Nyssenus in oratione contra eos, qui alios acerbius iudicant. *Quid aliud est pœnitentia*, ait, *nisi dissolutio, & euersio præteritorum; quæ vel re, vel cogitatione sunt admissa.* Deindè, Hieronymus in ps. 118. ad illud: *Exitus aquarum deduxerunt, &c. Vera est*, ait, *pœnitentia iugiter fletibus commissa diluere, & abluta non iterare.* Chrysost. Hom. 23. in Matth. *Non aliquod omnino peccatum quod non celdat pœnitentiæ virtuti.* Greg. Mag. lib. 9. regristri epist. 39. *Magna est contra peccatum virtus pœnitentiæ.* Multus denique est Augustinus in exponenda, & confirmanda ista pœnitentiæ efficacitate, & scopo præsertim tom. 4. lib. de vera, & falsa pœnit. cap. 2. *Oportet* autem, ait inter alia, *credi remedium pœnitentiæ à saluatore concedi*; remedium scilicet, quo pellitur infirmitas, & redit sanitas animæ, & iterum. *Non enim laborat exonerari peccato* (per exercitium pœnitentiæ) *cui non videtur nimium*, ac demum: *Nullum peccatum poterit remanere ante pœnitentiam*; idest nullum poterit non deleri exercitio & efficacitate pœnitentiæ.

Artic. 6. Hinc Mag. cum Hieronym. dist. illa 14. initio; *Si quis* inquit, *vestem innocentiæ in baptismo perceptam, peccando corrumpit, pœnitentiæ remedio reparare potest.* Consonat Magistro, eumque promouet significantius D. Thomas quæst. illa 85. artic. 1. *Pœnitentia assumit moderatum dolorem de peccatis, cum intentione remouendi ea.* Et iterum artic. 2. *in Pœnitentia inuenitur specialis ratio actus laudabilis; scilicet operari ad destructionem peccati præteriti, in quantum est Dei offensa* idem est communis cæterorum Theologorum sensus; nisi quòd nonnulli non raro interponunt æquiuocationem, & confusionem inter pœnitentiam sumptam priori illo modo pro retractatione purè affectiua, aut etiam effectiua, quoad solos effectus physicos peccati, & inter pœnitentiam sumptam Theologicè posteriori isto sensu in quo iam versamur pro retractatione effectiua peccati, quatenùs est offensa Dei, seu quoad vim eius demeritoriam offensiuam Dei, atque exercitiuam iræ & vindictæ diuinæ. Quo exorbitant, magna ex parte, ab intentione sanctorum PP. Magistri & D. Thomæ

insistentium

insistentium huic soli posteriori significationi, vt visum est.

Artic. 7. Apparet igitur vitutem pœnitentiæ sumptam Theologicè, & iuxta sensum SS. PP. omnino coincidere cum habitu deletiuo peccatorum quia SS. PP. & ex eorum mente præcipui quique Theologi, vt liquet ex allatis eorum testimoniis, hoc solùm munus, & opus adscribunt virtuti pœnitentiæ tanquam proprium, & peculiarem finem intentionis eius, vt destruat, exinaniat, ac penitus aboleat peccata, quatenùs sunt offensæ Dei. Hoc autem ipsum est munus, & finis adæquatus habitus purè deletiui peccatorum. Quapropter virtus pœnitentiæ rectè definietur, si dicatur esse; *Habitus purè deletiuus peccatorum, quatenùs sunt offensæ Dei.*

Artic. 8. In qua definitione non adhibetur *Tò purè* ad excludendam ad hac virtute, vim promotiuam boni præexistentis in pœnitente. Cum enim eliciat actus bonos ac placentes Deo de quorum ratione est, vt sint meritorij saltem de congruo, proculdubio promouent bonum naturæ; tum eam perficiendo per se ipsos formaliter; tùm inducendo gratiam amissam per quam expellantur peccata, & sine qua expelli non possunt; tùm etiam superaddendo, vt infrà dicetur, peculiare augumentum gratiæ vltra mensuram, in qua præextitit, si forte præextitit in eo, quem pœnitet. Apponitur igitur hæc particula ad excludendos ab hac virtute omnes prorsùs actus, aut adæquatè directos, seu non reflectentes suprà actus alios, aut reflectentes quidem, sed non suprà peccata præcedentia, cum intentione formali delendi illa. Ratione cuius intentionis dicitur pœnitentia habitus deletiuus peccatorum additur *Tò quatenùs sunt offensæ Dei*, maioris solùm claritatis gratia. Nempè in conceptu peccati, iuxta theologicam ac legitimam eius considerationem præeminet ratio offensæ Dei. Vndè non possunt peccata dici absolutè deleta, nec potest intendi absolutè deletio eorum, quin subintelligatur re ipsa ea deleri, & quin intendatur eorum deletio, quatenùs sunt offensæ Dei. Quia vtcunque quoad alia auferantur, manent nihilominùs absolutè, dùm eatenùs manent. Perindè itaque foret pœnitentiam definire absque alio addito habitum purè deletiuum peccatorum.

Artic. 9. Ex dictis in ista, & in duplici præcedenti quæstione perspicitur clarè (quòd apud nonnullos est valdè obscurum, ac implicatum) Pœnitentiam esse virtutem specie distinctam à charitate, religione, iustitia, tùm distributiua, tùm commutatiua, perseuerantia, constantia, aliisque eiusmodi virtutibus, vel non reflexiuis ex suo conceptu, vel reflectentibus tantùm suprà actus bonos. Constitit nimirum pœnitentiam esse virtutem purè reflexiuam suprà actus malos præcedentes. Distinguitur præterea specie à iustitia vindicatiua propriè tali, quæ & ipsa versatur circa peccata præterita. Distinguitur autem ab hac iustitia. Primò, quia per pœnitentiam se quisque affligit, nec aliter potest esse deletiua peccatorum; cum vindicta propriè talis sumatur de alio, ideóque non sit deletiua peccatorum. Secundò distinguitur principaliter, quia iustitia vindicatiua cooperatur motioni demeritoriæ peccati, & infligit pœnam condignam peccato; Pœnitentia verò illam delet; vt dictum est, & consequenter impedit hanc pœnam. Distinguitur demum quia vindicatiua vt talis non tam consulit bono punientis aut puniti, quàm aliorum; cùm pœnitentia directè faueat pœnitenti, cuius, scilicet præcipuè interest deletio suorum peccatorum. Itaque habitus pœnitentiæ est propriè virtus, eaque specialis, ac distincta specie ab omnibus aliis virtutibus, quæ aliis omnibus communiter designantur, & quarum motiuum formale non est bonum deletionis peccatorum, vt sunt offensæ Dei. Quæ est opinio, quoad, vtramque partem, longè communior D. Thom. l. c. & aliorum aduersùs Caet. Suarez & nonnullos alios ibidem.

Artic. 1. Ad 1. P. Gabriel. Vasquez quæst. illa 85. D. Thomæ, artic. 1. toto dubio vnico inuehitur acriter, & fusè in doctrinam illam Philosophi. Verùm est valdè probabilis, quàm itidem impugnat Vasquez, interpretatio ipsius Diui Thomæ in eodem artic. 1. ad 2. de verecundia, vt est passio, aut motus indeliberatus voluntatis. Nempè verecundia sumitur communiter pro passione, seu motu appetitus sensitiui, vel etiam rationalis, sed indeliberato, quæ excitatur ex apprehensione periculi infamationis, & iacturæ bonæ existimationis, ac honoris propter factum turpe, & transmittit spiritus, & sanguinem in partes exteriores, maximè verò in faciem, ad eum vtique modum quo timor exurgens ex apprehensione periculi vitæ, transmittit eosdem spiritus, & sanguinem in cor. Nempè bonum, & malum extrinsecum honoris, & infamationis pertinet ad partes exteriores maximè verò ad faciem, quæ est præcæteris conspicua, ideóque quodammodo magis exterior; sicut vita pertinet ad cor, tanquam ad principium, & sedem ipsius vitæ. Quæ est naturalis ratio vtriusque eius effluxus vniformiter difformis. Verecundia hoc modo sumpta, vti probabile est sumi à philosopho, certissimè non est virtus; de cuius videlicet ratione est deliberatio, & electio; sed est laudabilis, seu passio, seu motus indeliberatus voluntatis; vtpotè retrahens plerumque ab opere turpi: Idem porrò dicitur proportionaliter de motu indeliberato pœnitentiæ.

Artic. 2. Verùm longè probabilius est virtutem, eo loci sumi à Philosopho, pro dispositione perfecti excludenti ab ipso, omnem defectum moralem, tùm præsentem, tùm futurum, iuxta significationem virtutis expositam suprà artic. 1. ad quæst... & contentam in secunda obiectione; ideóque nomen, & rationem virtutis negari verecundiæ, non solum indeliberatæ, sed etiam deliberatæ, & timenti infamationem cum honesta mediocritate; Atque in hoc sensu pœnitentiæ quoque negari similiter debet nomen, & ratio virtutis, vt dictum est in illo artic. 1. Verùm quia pœnitentia communiter sumitur, non pro motu indeliberato doloris, & tristitiæ de malefactis, sed pro deliberata, & honesta eorum detestatione; atque virtus, iuxta communem, loquendi modum imò, & vnicum iam apud omnes, amplectitur promiscuè omnes habitus honestos, & laudabiles, vt dictum est suprà art. 2. & 3. propterea pœnitentia absolutè dicenda est virtus, licet talis absolutè non dicatur verecundia. Ex quibus patet etiam ad secundum.

Ad 3. Non solum habet rationem virtutis habitus congruens virtuosissimo simpliciter, nullaque facta suppositione accidentali; sed etiam qui congruit virtuosissimo cum quadam limitatione, & post suppositionem accidentalem, vt apparet ex dictis suprà. Substantiæ autem peccabili, maximè verò ei, quæ iam peccauit, ita congruit habitus emendatiuus, ac deletiuus peccatorum, vt sine ipso virtuosissimus esse nullatenus possit; cum non possit esse optimè dispositus ad suum vltimum finem consequendum, in qua optima dispositione consistit ratio virtuosissimi. Distinguendum itaque est de virtuosissimo tùm simpliciter, ac inuariabiliter, tùm ex suppositione, & variabiliter.

Ad 4. Stultum quidem est conari ne fuerit quòd fuit. Non tamen est stultum conari, vt non perseueret habitualiter, quod actualiter præteriit, & vt de præsenti,

præsenti, ac imposterum impediantur effectus eius mali; atque vt tollatur ac extinguatur postea proxima inductiua eorundem effectuum. Hoc autem secundum intendit non primum habitus deletiuus peccatorum.

Ad 5. Sicut is qui vult transire de vno loco in alium, habet actum, qui simul, ac indiuisim est volitio, & prosecutio, respectu termini ad quem, nolitio verò ac fuga respectu termini à quo: ita qui vult deletionem peccati; idest transitum à peccatore iniustum, habet actum, qui simul ac indiuisim est volitio, & amor respectu gratiæ, quæ delet formaliter peccatum; nolitio verò, & odium respectu peccati, quòd deletur formaliter per gratiam. Qua propter voluntas delendi peccata non est pura prosecutio, & amor, vti supponitur ab authoribus argumenti cum magno veritatis, & claritatis in tota ista re, præiudicio, sed simul est detestatio, & fuga respectu diuersorum, nempè respectu gratiæ, & peccati. Itaque necesse quidem est præextitisse peccatum, vt detur eorum deletio. Nec enim destrui possunt, quin extiterint. Necesse nihilominùs nequaquam est, vt volens deletionem peccatorum, eo ipso velit peccata. Quia peccata dantur independenter à tali voluntate, solumque desinunt esse vi eiusdem voluntatis. Quæ autem ita sunt necessaria ad aliquid inducendum de nouo, vt iam præsupponantur aliundè præexistentia, necesse nequaquam est, vt sint volita à volente illud inducere, maximè si simul velit hæc alia destruere, atque radicitus, quantum fieri potest, conuellere. Quod est nimis ex se manifestum, & potest pluribus exemplis facile illustrari, illustratumque à nobis est in re simili, sed digniori quæ explicaretur quæst. 31. de Deo ad 4. Circa istud argumentum videri possunt mirabiliter multa quæ nos ad hæc pauca coëgerunt, apud Card. de Lugo disputatione 2. de pœnit. tota sect. 3. & apud Dicastillum, qui impugnat Cardinalem ex professo disp. 1. dubit. 2.

Artic. 1. Ad 6. Habitus deletiuus peccatorum non est virtus Theologica, sed moralis. Quia finis eius proximus, ac immediatus est quid creatum, vt patet ex dictis. Est autem virtus ad alium, scilicet ad Deum, & reducitur ad virtutem iustitiæ commutatiuæ, non tanquam pars eius subiectiua, sed tanquam potestatiua. Habet enim peculiarem cum ipsa similitudinem, quatenùs deletio peccatorum fit per satisfactionem, quæ exhibetur Deo loco pœnæ illis debitæ, qua in re apparet ratio, & imitatio quædam restitutionis reparantis aliquo modo inæqualitatem constitutam, per peccatum inter Deum, & peccatorem.

Artic. 2. Virtus autem iustitiæ propriè talis constituit medietatem inter duo extrema vitiosa, nempè inter plus respectu vnius, & minus respectu alterius; non tamen inter duo vitia; ideóque vnum tantùm habet vitium, contrarium iniustitiam vt expositum est quæst. 9. de iustit. In hunc igitur modum pœnitentia imitatrix iustitiæ versatur inter duo extrema vitiosa, quæ insunt peccato, & fouentur per impœnitentiam, quorum alterum est plus indulgere peccatori, quàm par est, alterum verò obsequi similiter Deo minus, seu potius non obsequi similiter. Vitat verò pœnitentia hæc extrema agendo ratione contraria, atque ita constituit æqualitatem secundùm quid inter Deum, & peccatorem; solumque habet vnum vitium contrarium impœnitentiam, qua peccatur per defectum ipsius pœnitentiæ, idest per defectum prædictæ æqualitatis secundum quid.

Artic. 3. Nempè in constituenda eiusmodi æqualitate, in delendo peccato, & in exhibendo satisfactionem, non potest peccari per excessum ex parte obiecti, siue ex parte eius deletionis, & exhibitionis, & rei deletæ, ac exhibitæ; sed tantùm ratione alicuius circumstantiæ. Quo pacto peccari potest per excessum in materia etiam virtutis Theologicæ, & per defectum peccari potest, non quidem delendo peccata partialiter saltem quoad culpam; benè tamen non delendo simpliciter. Quod ipsum est minus agere respectu Dei, quàm postulet ius eius, & dignitas. Nempè minus, quod est proprium iniustitiæ, consistit in defectu adæquationis respectu iuris & dignitatis conuenientis alteri. Omne porrò ius Dei est ius ad bonum purè decens respectu ipsius; vtile verò respectu nostri tantum, vti sæpiùs expositum alibi est. Vndè, quòd deletio peccatorum soli sit vtilis delenti, non tollit quin habitus deletiuus eorum sit absolutè virtus ad alium, videlicet Deum.

Ad 7. Esto habitus deletiuus peccatorum habeat materiam valdè amplam, ac vniuersalem; motiuum tamen eius formale est omninò particulare, & contractum ad vnicam speciem infimam, vt expositum est suprà. Specialitas autem virtutis dependet ex sola specialitate motiui formalis. Deindè actus huius habitus continet in se dolorem, & fugam coniunctam cum prosecutione, & amore, vt paulo prius dicebatur. Explicatur verò pœnitentia potissimum relatè ad dolorem, quatenùs hoc prædicatum est notius propter adiunctam passionem, ex qua lacrymæ, & corporalis immutatio existunt formaliter. Cæterum subintelligitur semper prosecutio deletionis peccatorum. Quia pœnitentia peragitur dolore purificante cor, & lachrymis lauantibus, ac extergentibus maculas peccatorum, ipxta illud ps. 6. 7. *Laboraui in gemitu meo; lauabo per singulas noctes lectum meum*; quæ subintelligentia apparet manifestè ex testimoniis superius productis art. 5.

---

## Qvæstio LXXVI.

### *Vtrùm virtus Pœnitentiæ sit supernaturalis ex conceptu suo?*

Videtur esse supernaturalis ex suo conceptu, nec dari, aut esse possibilem virtutem vllam pœnitentiæ intrinsecè naturalem. 1. Quia, cum Philosophi, ac præsertim Aristoteles egerint quam diligentissimè de omnibus, & singulis virtutibus moralibus; nullibi tamen Pœnitentiæ meminere. Imò Tullius relatus à Lact. Firm. lib. 6. institut. diuin. cap. 24. apertè negauit *vitam deuiam secutos corrigere errorem pœnitendo posse*. Ergò virtus pœnitentiæ prætergreditur limites rationis naturalis, ac proindè naturalis esse non potest.

2. Pœnitentia est donum Dei, & nemo potest pœnitere provt oportet, nisi ex gratia Dei per Christum, vt probat inter alios Canus relect. de pœnit. 2. p. concil. vlt. ex August. cap. 31. de fide ad Petrum, & lib. 3. contra Iulianum cap. 3. Leo Epist. 69. Cæleſt. Pont. in Ep. ad Episcopos Galliæ cap. 4. 8. & 9. Idem definitur expresè semel atque iterum à Conc. Trid. sess. 6. cap. 5. & 7. & can. 2. de iustif. Colligitur etiam apertè ex 2. ad Rom. 4. ex 2. ap. Timoth. 2. 25. ex Hieremia. 31. 19. cum D. Hieronym. ibid. Donum autem Dei, & quod fieri non potest nisi ex gratia, non potest naturaliter haberi; ac proindè nec naturale esse potest.

3. Ex peccato semel commisso resultat eius memoria causatiua confusionis & doloris æterni, eumque causatura necessariò, si tantùm illud malum nunquam compensetur per bonum aliquod ipsi æquale. Bonum autem æquale malo, quòd inest peccato, nullum

nullum naturaliter dari potest. Ergò nullum bonum naturaliter dari potest, quo auferatur, ac deleatur malum æternum resultans ex peccato ; Ergò virtus deletiua peccatorum, ideſt ſufficiens ad ea auferenda, ac delenda, nulla poteſt eſſe naturalis.

4. Nulla imprimis ſatisfactio exhiberi Deo poteſt, ſaltem naturaliter, quæ ſit æqualis offenſæ, ac iniuriæ repertæ in peccato, vtpote quodammodo infinitæ., quatenùs lædit infinitam Dei maieſtatem; Quod ſequitur à fortiori ex dictis quæſt. 9. de incar. vbi oſtenſum eſt, ne quidem ſupernaturaliter exhiberi poſſe à pura creatura ſatisfactionem æqualem pro peccato lethali. Deindè remiſſio, & deletio peccati, non præſupponens ſatisfactionem æqualem, eſt omninò indebita, atque ideo gratia, & purè liberalis. Nihil autem eiuſmodi dari poteſt intra ordinem rebus connaturalem; Quia hic ordo eſt ordo iuſtitiæ, idque ſolum vnicuique tribuit, quod ipſi debetur ex natura rei. Nec enim eſt vllum aliud diſcrimen reale entis, ac doni ſupernaturalis à naturali, vti oſtenſum & expoſitum eſt ex profeſſo qu. 6 de Gratia. Nulla igitur eſt poſſibilis virtus naturalis intrinſecè ordinata ad obtinendam, ac inducendam remiſſionem, & deletionem peccatorum; quandoquidem nihil naturale eſt intrinſece ordinatum, aut ſufficiens ad inducendam exiſtentiam doni alicuius ſupernaturalis, ſeu naturaliter impoſſibilis.

5. Non poteſt naturaliter ſperari remiſſio, ac deletio peccatorum. Quia dona Dei, inter quæ non infimum locum tenet, ſi & primum non tenet, remiſſio, ac deletio peccatorum, ſuperant omnem ſpem, quæ naturaliter concipi poteſt ab homine iuxta illud 1. ad Cor. 2. 9. *Neque in cor hominis aſcendit, quæ præparauit Deus diligentibus ſe. Nemo autem*, vt ſubiungit Philoſophus. *diſperans de fine operatur.* Certè nemo poteſt deſperans de fine operari prudenter, vti neceſſario operatur omnis virtus. Nulla igitur virtus naturalis poteſt eſſe purè intentiua, ac inductiua remiſſionis, & deletionis peccatorum ; ideſt nullo præterea alio fungens munere, nec alium potens intendere finem. Ob quæ argumenta putant nonnulli cum Vaſquez, nullam, pro ſtatu naturæ puræ, dandam fuiſſe virtutem pœnitentiæ propriè, ac ſtrictè talis ſenſu expoſito ex SS. PP. in quæſt. præced.

Artic. 1. Reſpondetur. Vnum quoddam eſt virtuti pœnitentiæ cum cæteris omnibus virtutibus commune ex omnium Theologorum conſenſu ; nimirum nullum habitum, nullamque virtutem operari ſalutariter poſſe, nullumque actum poſſe eſſe poſitiuè ſalutarem & conferentem ad ſalutem vitæ æternæ conſtitutum formaliter per viſionem immediatam Dei, niſi ex gratia ipſius Dei per Chriſtum. Oſtenſum autem eſt pluribus efficaciter quæſt. 7. de gratia omnes eiuſmodi actus, omnemque eiuſmodi gratiam eſſe intrinſecè, & quoad ſubſtantiam ſupernaturales. Et ſimiliter oſtenſum eſt alibi omnes habitus, & virtutes ex ſua natura operatiuas talium actuum, eſſe ſupernaturales intrinſecè, & quoad ſubſtantiam ; atque conferri à Deo per infuſionem in inſtanti iuſtificationis. Ex his porrò principiis ſequitur manifeſtè virtutem pœnitentiæ, omneſque alios actus conferentes poſitiuè, de facto, in vitam æternam, eſſe intrinſecè ſupernaturales, & quoad habitum, haberi per infuſionem diuinam, nec aliter haberi poſſe abſolutè. Quæ eſt ſententia D. Thom. qu. 89. art. 5. aliorumque communis aduerſus Durandum, & nonnullos alios.

Artic. 2. Supereſt nihilominùs peculiaris controuerſia de virtute pœnitentiæ. An ſcilicet hæc virtus danda foret pro ſtatu puræ naturæ, ſitque proindè poſſibilis vera aliqua pœnitentiæ virtus intrinſecè naturalis ; ſicut ex omnium confeſſione ſunt poſſibiles, & darentur pro eo ſtatu virtutes aliæ morales intrinſecè naturales ? quæ controuerſia eſt conuertibilis, & realiter eadem cum illa alia. An peccatum commiſſum pro ſtatu puræ naturæ foret condonabile à Deo per condonationem intrinſecè naturalem, nulloque infuſo dono intrinſecè ſupernaturali ? Reſpondendum autem vtrobique eſt affirmatiuè. Et quidem pœnitentiam peccati commiſſi eſſe homini connaturalem, atque vtilem, ex ſuo conceptu, efficaciſſimis verbis ſignificat Auguſt. tom. 6. lib. de duab. animab. cap. 14. *Vt inter omnes ſanos conſtat & quòd ipſi Manichæi non ſolum fatentur, ſed etiam præcipiunt vtile eſt pœnitere peccati. Quod ego nunc in hanc rem diuinarum ſcripturarum teſtimonia, quæ vſquequaque diffuſa ſunt, colligam ? Vox eſt etiam iſta natura. Neminem ſtultum rei huius notitiæ deſeruit. Hoc nobis niſi etiam penitus inſitum eſſet periremus. Poteſt aliquis dicere non ſe peccare. Non autem ſibi eſſe, ſi peccauerit, pœnitendum ; nulla barbaries hoc dicere audebit.* Quod ſi hæc eſt vox naturæ, neque vlla barbaries negare poteſt ; vox vtique naturæ eſt, nec negari poteſt, ſtando rationi naturali ; Deum vt authorem naturalem condonare poſſe peccata commiſſa contra ipſum, vt authorem itidem naturalem ; ac per conſequens non eſſe de conceptu peccati, vt præſcindit ab ſtatu elevationis, & puræ naturæ, ne poſſit deleri per actus, & formam purè naturalem. Nempè ratio naturalis non præſcribit per ſe media, ad finem ex ſuo conceptu impoſſibilem naturaliter, cum Deus, & natura nihil faciant fruſtra, vt dicit Philoſophus. Finis autem pœnitentiæ eſt remiſſio, ac deletio peccatorum ; idque eſt de conceptu ipſius, vt liquet ex qu. præcedenti ; atque Auguſtinus planè loquitur de pœnitentia habente hunc finem ac fructum, vt apparet clarè ex toto eius contextu. Ergò pœnitentia non eſt virtus intrinſecè ſupernaturalis ex conceptu ſuo vniuerſali ; nec eius finis modo indicatus fuiſſet naturaliter inconſequibilis, ac impoſſibilis pro ſtatu puræ naturæ, & in ſenſu compoſito ipſius.

Artic. 3. Idem vlterius probatur à priori. Quia homo conſtitutus in ſtatu puræ naturæ potuiſſet, poſt peccatum redire naturaliter in eandem diſpoſitionem actualem, & habitualem affectiuam & effectiuam reſpectu ſui vltimi finis, quam habuiſſet ante peccatum. Ergò potuiſſet naturaliter reddi tam bonus, ac iuſtus poſt peccatum, quàm fuiſſet ante peccatum, ac proindè poſſet naturaliter iterum iuſtificari, & peruenire ad totalem deletionem peccatorum. Patet conſequentia, quia hominem eſſe bonum vel malum ; iuſtum, vel peccatorem, eſt eſſe benè, vel malè diſpoſitum, quoad actum, & quoad virtutem agendi, reſpectu ſui vltimi finis, vt apparet ex qu. 4. de iuſtif. ac deinceps. Probatur antecedens, quia homo, in eo ſtatu maneret, poſt peccatum expoſitus iiſdem obiectorum, omniumque aliarum cauſarum naturalium occurſibus, quibus expoſitus fuiſſet ante peccatum ; ac proindè poſſet naturaliter nanciſci poſt peccatum, cognitionem bonitatis Diuinæ, & vilitatis rerum creatarum, atque turpitudinis, & malitiæ peccati, non minus efficacem, & perfectam vel etiam efficaciorem, ac perfectiorem, quàm ante peccatum. Poſſet igitur naturaliter diligere Deum ſuper omnia poſt peccatum, atque odiſſe efficaciter ipſum peccatum, quandoquidem reliqua comprincipia mutabilitatis homini connaturalis manſura ſimiliter forent prorsùs eadem.

Artic. 4. Naturalis autem dilectio Dei ſuper omnia, & odium efficax peccati, retractant imprimis, per ſe ipſa formaliter, priorem auerſionem à Deo, & conuerſionem ad creaturas, & reponunt contrariam conuerſionem affectiuam ad Deum, necnon auerſionem à creaturis. Deindè inducunt efficienter habitum diligendi Deum, & odio habendi peccatum. His porrò

duobus constituitur adæquatè dispositio optima actualis, & habitualis; affectiua, & effectiua respectu vltimi finis, qualis dispositio præcederet ante peccatum pro eo statu puræ naturæ, & qualis proportionaliter datur de facto in iustificatione impij per dilectionem supernaturalem Dei exercitam à peccatore, & per gratiam habitualem, seu habitum charitatis infusum à Deo. Quem proindè habitum infusum, si posset vi sua producere dilectio supernaturalis Dei, sicut dilectio naturalis producit habitum naturalem; eo ipso esset sufficiens ad iustificationem impij pro statu præsenti eleuationis, absque noua gratia Dei, & independenter ab omni Dono habituali per se infuso.

Art. 5. Probatur rursus ab inconuenienti. Quia si homo, in pura natura, nullius peccati remissionem posset naturaliter obtinere, nec euadere æternam damnationem, aut per pœnitentiam redire in viam salutis, à qua semel aberrasset: per quoduis peccatum lethale induceretur naturaliter in desperationem. Nec enim potest sperari saltem per se, virtute naturali quod est naturaliter impossibile. Esset autem malè constituta natura vsque adeò mutabilis, & labilis facilè, etiam post perseuerantiam innocentiæ vtcunque diuturnam, atque est humana natura; si simul subesset ineuitabili desperationi post quoduis peccatum lethale. Quia desperatio est vorago vitiorum omnium confluentium inde irresistibiliter in animum desperantis. Nam, vt dicit optime D. Tho. 2. 2. quæst. 20. art. 3. *Sublata spe irrefrænatè homines labuntur in vitia, & à bonis laboribus retrahuntur:* atque vt dicit Isidor. lib. 2. de summo bono cap. 14. *Perpetrare flagitium aliquod, mors est animæ; sed desperare est descendere in infernum.* Non est igitur credendum Deum posse esse authorem substantiæ rationalis ex eiusmodi prædicatis compactæ. Hoc enim contradicit Psalmistæ dicenti psal. 102. 15. *Quomodo miseretur Pater Filiorum, misertus est Dominus timentibus se, quoniam ipse cognouit figmentum nostrum.* Quæ profecto ratio cognitionis figmenti nostri, fundans Paternam erga nos misericordiam, complectitur æqualiter statum puræ naturæ, sicut & illud, quòd sequitur immediatè. *Recordatus est, quoniam puluis sumus Homo sicut fœnum &c.*

Art. 6. Eandem continet amplitudinem respectu omnis status viatoris, quòd dicitur de patientia iustitiæ Dei, misericorditer expectante ad vltimam vsque periodum vitæ, ps. 7. 12. *Deus iudex iustus fortis, & patiens, Numquid irascitur per singulos dies.* Vbi proponitur tanquam inconueniens repugnans rationi naturali, quòd Deus irascatur per singulos dies, nec ad patientiam eius spectet, sed ad augmentum iræ, quòd sinat viuere peccatorem, nec protinus in Inferno eum concludat; cum secundum veritatem, intendat potius conuersionem eius, & iustificationem, dum ipsum detinet in sua mutabilitate iuxta illa Isaiæ. 30. 18. *Expectat vos Dominus, vt misereatur vestri.* 2. Petri. 3. 9. *Patienter agit propter vos nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reuerti.* In quibus, & aliis similibus quam pluribus haud obscurè sublucet, finem æquitate naturali constitutum conseruationi peccatoris in vita mortali, hunc esse; vt nimirum agat pœnitentiam deletiuam peccatorum, & salutem consequatur æternam.

Art. 7. Suadetur denique eadem veritas triplici præterea ratione iustæ cuiusdam proportionis. Prima est, quia sicut naturæ immutabili Angelorum innatum, & connaturale est, vt peccent irreparabiliter; ita data est potestas adhærendi summo bono inamissibiliter, eademque præditi fuissent naturaliter, si non fuissent eleuati in finem supernaturalem. Similiter ergo naturæ humanæ ex se variabili, ac mutabili, sicut inest naturaliter potestas amittendi innocentiam diu etiam retentam; ita naturaliter inest potestas quoque reparandi innocentiam naturalem amissam per peccatum. Consequentia tenet, quia Diuina prouidentia æqualibus in vtramque partem momentis distribuit vnicuique speciei mensuram bonorum, & malorum iuxta cuiusque conditionem, nec sinit aliquod suum opus deterius habere, quam aliud suum opus, quatenùs fert cuiusque capacitas. Quam sententiam pluribus efficaciter prosequitur, ac illustrat, D. Dionys. cap. 8. de diu. nom.

Art. 8. Secunda ratio est, quia status innocentiæ constitutus per dona supernaturalia gratiæ, est reparabilis supernaturaliter post peccatum, per dona gratiæ collata à Deo, vt authore supernaturali. Ergò status innocentiæ naturaliter constitutus, est reparabilis naturaliter post peccatum per dona naturalia collata à Deo vt authore naturali. Patet consequentia, quia ordo gratiæ imitatur ordinem naturæ; & tanta est sufficientia naturæ ad finem naturalem, quanta est sufficientia gratiæ ordinatiæ ad finem supernaturalem; nec Deus, vt author naturalis magis deficit in necessariis ad finem, quam idem vt author supernaturalis. Alia enim non aliter vtrobique dispensat retenta rerum vtriusque ordinis proportione; Cum sit eadem perfectio, & bonitas eius sub vtroque conceptu.

Art. 9. Postrema ratio est, quia nulla est possibilis virtus, aut forma supernaturalis, quæ non sit affinis, quoad munus suum primarium, virtuti, aut formæ alicui naturali, vt apparet ex dictis suprà, quæst. 21. & 22. Cum ergo in ordine supernaturali, detur virtus infusa pœnitentiæ purè deletiua peccatorum, quibus offenditur Deus vt author supernaturalis; consequens est, vt dicatur in statu quoque puræ naturæ dandam fuisse virtutem acquisitam Pœnitentiæ purè deletiuam peccatorum, quibus offenderetur Deus, vt author naturalis.

Ad 1. Philosophi non considerauerunt virtutes, vti respondet D. Thomas, relatè ad prouidentiam Dei, atque ad æternam aut felicitatem, aut infelicitatem; sed relatè ad bonum humanum, ac temporale tantum, in ordine ad quod nihil confert pœnitentia, theologicè sumpta, & vt est deletiua peccatorum. Ad Ciceronem quòd attinet; liber eius à Lactantio citatus qui est quartus Academicus, non amplius extat. Vnde de eius intentione non potest haberi certa, & exacta notitia. Crediderim negari ab illo pœnitentiam purè effectiuam seu purè retractatiuam, ac emendatiuam vitæ ante actæ per actus contrarios bonos. Quæ est res patenter absurda, non tamen absona doctrinæ, quæ legitur in reliquis eiusdem authoris Academicis, quæ extant. Vtcunque res habeat, nullius est quoad hoc punctum considerationis authoritas hominis negantis palam præscientiam, prouidentiamque diuinam circa actus humanos.

Ad 2. Testimonia illa solum probant, quòd initio spontè concessum, & tanquam certum, extra omnem inter Catholicos controuersiam, positum est. Nimirum pœnitentiam conferentem ad finem supernaturalem vitæ æternæ de facto humanæ naturæ præfixum esse supernaturalem. De sola namque eiusmodi pœnitentia habetur sermo in sacris documentis, vti de aliis quoque virtutibus, & virtutum actibus ostensum est pluribus vniuersaliter in quæstione præindicata de gratia, quin propterea negentur virtutes eiusdem nominis intrinsecè naturales, & extituræ pro statu puræ naturæ, atque ex sententia Durandi, & quorumdam aliorum, existentes etiam de facto cum vero conceptu virtutis.

Ad 3. Fieri potuisset viribus naturæ pro statu naturæ puræ, vt memoria peccati præteriti coniungeretur cum memoria pœnitentiæ ritè peractæ, & cum experimentali

experimentali, certaque notitia de præsenti dilectione Dei super omnia tum actuali, tum habituali, adeóque de perfecta coniunctione naturaliter possibili cum summo bono, & de dispositione similiter perfecta respectu vltimi finis naturalis. Hæc autem sufficerent ad reparationem adæquatam totius mali præcedentis, adeóque ad iustificationem, & fælicitatem propriam illius status, & æquialentem innocentiæ penitus illibatæ, vt liquet ex dictis supra. Quapropter posterior ista notitia tolleret, priori illi memoriæ peccati antea commissi, vim vlterius contristandi, ac augendi, solamque relinqueret vim inductiuam detestationis peccati, & humiliationis de illo antea perpetrato, coniunctam cum gaudio de victoria obtenta aduersus idem peccatum, & aduersus pertinaciam seu obstinationem, ac impœnitentiam circa ipsum; vti proportionaliter contingit de facto in præsenti eleuationis statu.

Art. 1. Ad 4. Natura humana, se sola, & secundum se præcisè, est dignitas, & vis inductiua sufficiens respectu sui vltimi finis, & beatitudinis naturalis, cum solis auxiliis, & concursu Dei, vt authoris naturalis idest debitis eidem naturæ secundum se. Vndè homo decedens, pro statu puræ naturæ, absque vllo, aut peccato, aut bono opere, consequeretur iure suo, æternam beatitudinem naturalem. Nullum autem peccatum, ita corrumpit, vt destruat naturam peccantis. Ergò peccatum puræ naturæ non ita corrumperet, vt etiam destrueret dignitatem, & ius beatitudinis Naturalis, vtpotè identificata cum natura peccantis, sed solum eam impediret, ac ligaret. Manifestum porrò est retinenti ius, & dignitatem ad aliquid, licet cum impedimento, & exceptione ex delicto, non tot, ac talibus opus esse impensis, & compensatione per bona opera, vt potiatur termino sui iuris, ac dignitatis quot, & quali opus illi est, qui ius ipsum, & dignitatem totaliter amisit.

Ar. 2. Quapropter licet homini supernaturaliter eleuato necessaria sit post peccatum satisfactio ad æqualitatem, vt perueniat ad suum vltimum finem vtque deleto, ac remisso peccato acquirat dignitatem, & ius æternæ beatitudinis, quæ totaliter destruuntur per peccatum, & non solum impediuntur, ac ligantur, non propterea concluditur, etiam homini non eleuato supernaturaliter, necessariam similiter esse æqualem satisfactionem, vt iure suo absque noua gratia vltimum suum finem naturalem consequatur. Conceditur itaque nullam puræ creaturæ satisfactionem, posse esse æqualem vlli peccato lethali etiam commisso pro statu puræ naturæ. Sed negatur esse necessariam tantam, ac talem satisfactionem, pro statu naturæ puræ, ad deletionem peccati, & ad consecutionem vltimi finis naturalis, impeditam per ipsum peccatum. Sufficit enim, absque alio dono simpliciter, & absolutè gratioso, ac liberali, conuersio peccatoris ad summum suum bonum, contenta intra ordinem virestque naturæ. Quia per eam conuersionem reponitur iterum peccator in pristino statu bonæ dispositionis actualis, & habitualis, ac permanentis respectu sui vltimi finis naturalis, vt dictum est. Quod non ita contingit in statu eleuationis non superaddita vlterius habituali gratia Dei intrinsecè supernaturali, vt ostensum est q. 11. de iustif. Comparatur nimirum peccans pro statu puræ naturæ cum eo, qui peccat pro statu puræ eleuationis, ad eum ferè modum, quo comparatur obæratus cum spoliato suis rebus, ac iuribus; & qui habet potentiam ambulatiuam ligatam, aut vulneratam, cum eo, cui abscinduntur pedes.

Ad 5. Dona supernaturalia de quibus solis loquitur Apostolus, superant spem naturalem; non tamen dona naturalia. Remissio autem peccati naturæ puræ est naturalis, & fit per naturalem, tum dilectionem Dei, tum habitum diligendi Deum, sicut remissio peccati commissi ab homine eleuato est supernaturalis; & fit per habitum supernaturalem diligendi Deum infusum ab ipso Deo. Ergò sicut remissio ista posterior speratur per virtutem supernaturalem, & obtinetur per virtutem pœnitentiæ itidem supernaturalem. Ita prior illa remissio speraretur, pro statu puræ naturæ, virtute naturali, & virtus pœnitentiæ itidem naturalis posset vtiliter operari in ordine ad eam obtinendam.

---

## Quæstio LXXVII.

### *Vtrùm Virtus Pœnitentiæ sit necessaria ad remissionem peccatorum?*

Videtur non esse necessaria. 1. Quia maior est misericordia Dei, quam hominis, homo autem remittit interdum offensam alij homini etiam non pœnitenti, atque ita facere tenetur iuxta illud Matth. 5. 44. *Diligite inimicos vestros; benefacite his, qui oderunt vos.* Ergò multo magis remittit Deus offensas etiam non pœnitentibus; seu adhuc inimicis, & odio habentibus.

2. Sacramentum pœnitentiæ, quod est opus Dei ordinatum ad remissionem peccatorum, non est necessarium nihilominus ad illam. Quia absque hoc sacramento remisit Christus Dominus peccata, tum adulteræ Ioann. 8. tum mulieri peccatrici Lucæ 7. & sic martyribus atque aliis non raro; Ergò actus pœnitentiæ. Qui est opus hominis ordinatum ad eundem finem, multo minus, est necessarius ad consecutionem ipsius. Patet consequentia, quia cum remissio peccati spectet ad Deum, impossibile est vt magis ad eam requiratur opus hominis, quam opus Dei ordinatum ex se ad ipsam remissionem.

3. Actus charitatis potest haberi absque actu pœnitentiæ. Quia charitas habet motiuum independens à motiuo, & fine pœnitentiæ. *Charitas autem operit multitudinem peccatorum*, vt habetur. 1. Petri. 4. 8. Ergò remissio peccatorum potest obtineri absq; actu pœnitentiæ.

Art. 1. Respondetur. Certum imprimis est, paruulis, & nondum habentibus vsum rationis non esse necessariam pœnitentiam pro remissione peccati. Quia cum nullum habeant peccatum propria voluntate commissum, nullo indigent motu propriæ voluntatis, vt iustificentur.

Art. 2. Certum rursus est adultum indigere aliquo motu, & actu virtutis pœnitētiæ, vt ei remittantur peccata personalia. *Si enim pœnitentiam non egerimus incidemus in manus Domini*, vt dicitur Ecc. 2. 22. Et Luc. 13. 13. dicitur: *Nisi pœnitentiam egeritis, omnes peribitis.* Similiter Apoc. 2. 5. dicitur: *Memento vnde excideris, & age pœnitentiam sin minus veniam ad te, cito.* Ex his definit Conc. Trid. sess. 14. cap. 4. *fuit autem quouis tempore, ad impetrandam veniam peccatorum, hic contritionis motus necessarius.* Quem motum immediatè ante dixerat habere primum locum inter actus pœnitentis. Demum Augustinus Ep. 50. *Saluus esse non poteris*; inquit, *nisi doleas te fuisse peruersum*, atque in eadem veritate prædicanda sunt admodum frequentes SS. PP. Rationem reddit D. Thom. quæst. 86. art. 2. Quia cum homo compos rationis sit agens liberum; & peccator sit liberè auersus à Deo per nimiam delectationem in rebus creatis; atq; Deus vnumquodq; moueat iuxta naturā ipsius: fieri non potest, saltem ex natura rei vt peccator adultus transferatur ab statu peccati ad statum iustitiæ, quin ipse amet libere, atque exoptet hunc statum, oderit verò, ac detestetur statum priorem. Quod fit per virtutem pœnitentiæ.

Art.

Art. 3. Certum denique est actum pœnitentiæ virtutis specialis non esse ita necessarium determinatè, vt suppleri sufficienter non possit per actum charitatis. Quo videlicet peccator perfectissimè accedit ad Deum, & recedit à peccato; ideóque disponitur optimè ad nouum statum; & ad renouationem sui. Verùm quia actus charitatis existere absolutè potest cum, & absque formali, ac explicito dolore, & detestatione de peccatis commissis, meritò quæritur: An vtrolibet modo sufficiat ad remissionem peccatorum?

Art. 4. Dicendum primo est requiri per se dolorem formalem, & explicitum de peccatis. Quia superiora testimonia exigunt actum pœnitentiæ tanquam omninò necessarium ad remissionem peccatorum. Actus autem charitatis dicitur pœnitentia ratione doloris adiuncti. Per quam videlicet solum specialiter cõuenit cum actu pœnitentiæ pro vt est peculiaris virtus, & quem hoc nomen vel maximè significat, vt apparet ex definitionibus pœnitentiæ productis supra quæst. 75. in 7. argumento, & ad quæst. art. 5, & 6. Idem ostendit ratio nuper adiuncta illis Testimoniis ex D. Thoma.

Art. 5. Dicendum rursus est fieri posse per accidens, vt peccator eliceat actum charitatis absque dolore formali, & explicito de peccatis; & consequenter fieri per accidens posse, vt obtineatur remissio peccatorum absque eo dolore. Probatur prior pars, quia fieri potest, vt peccator cogitet de bonitate diuina oblitus peccatorum; vel certè nihil interim cogitans de illis actualiter; idque absque vlla, pro tunc, noua culpa. Probatur pars posterior. Quia actui charitatis repromittitur venia peccatorum, in sacris litteris, vt apparet ex quæst. 11. de iustif. ac proindè illam infert infallibiliter, vtcunque eliciatur; siquidem fuerit verus, ac proprius actus charitatis.

Art. 6. Notanter potrò dicitur, separationem istam amoris à dolore formali contingere posse per accidens. Quatenùs inculpabiliter accidere potest vt nulla adsit actualis cogitatio de peccatis; si enim adsit hæc cogitatio, fieri nequaquam poterit, vt diligatur Deus absque detestatione formali peccatorum. Primum quia quoduis bonum mouet indiuisim ad amorem sui, & ad odium oppositi, vt dicit D. Thom. in præsenti quæst. 85. art. 6. Deindè quia amicorum proprium est eadem velle, & nolle, vt dicit Philosophus; ideóque actus charitatis, qui est amor amicitiæ erga Deum, determinat ex sua natura ad odium peccati, vtpotè odio habiti à Deo. Demùm quia cogitans actu de turpitudine peccati ac proindè proxime liber ad detestationem eius, si nihilominus omittat detestari, eo ipso contemnit malitiam peccati & recessum ab ipsa. Hic autem contemptus est incompossibilis cum appretiatione Dei, quæ est de conceptu dilectionis eius super omnia; quandoquidem peccatum contrariatur Deo. Qua ratione est incompossibilis amor amicabilis hominis erga hominem, cum contemptu ægritudinis ipsum vexantis, & cum animo negligenter indifferenti, ac neutro circa illam.

Art. 7. Ex his rationibus apparet vlterius dilectionem Dei conceptam, dum non adest actualis memoria peccatorum, esse nihilominus detestationem eorum virtualem, & æquiualentem. Quia, ex vi sui motiui formaliter voliti, est dispositio animi necessario illatura detestationem formalem, si adesset cognitio detestabilium. Vnde ea dilectio perindè sufficit ad inducendam remissionem peccatorum, vt modo dicebatur, verum quia actus pœnitentiæ virtutis specialis, est facilior quam actus charitatis, vt apparet ex quæstione 40. de virt. Theol. & Rursus actus charitatis redditur facilior præhabito actu formali pœnitentiæ, vt dicetur quæst. 83. atque principium ducitur per se à facilioribus, concluditur actum formalem pœnitentiæ etiam determinatè sumptum esse necessarium per se ad remissionem peccatorum, Necessitate saltem secundum quid, atque ad facilius, & commodius posse. Quæ omnia sunt conformia communiori Theologorum sententiæ, vt videre licet apud Suarez disp. 9. sect. 1.

Ad 1. Diuina peccati remissio perficit peccatorem intrinsecè, eumque liberat à statu peccati: ideóque misericordia Dei condonantis peccatum, est maior, ac efficacior, quam misericordia hominis, cuius remissio solum perficit ipsum remittentem, eundemque solum disponit, vt liberetur à peccato. Vnde remissio Dei, intrinsecè postulat, ex parte hominis libertate præditi, dispositionem congruentem perfectioni gratiæ inducendæ in ipsum; remissio vero hominis ob rationem contrariam, nihil tale postulat quin imo tenetur iniuriatus ad remittendam iniuriam, durante etiam indispositione positiua eius, qui illam intulit. Quia scilicet vnusquisque tenetur ad propriam perfectionem ac bonitatem, vt cunque se habeant cæteri. Quæ ratio differentiæ desumitur ex D. Thoma in dicta quæst. 86. art. 2. & pluribus illustrata est quæstion. 8. de iustif. Præterea remissio Diuina est remissio propria Iudicis; atque ad iudicem spectat inspectio rei, & consideratio dispositionis eius. Humana verò remissio est propria conciuis ordinati, & obligati quantum est ex se ad suam secundum se, & ad mutuam cum aliis tranquillitatem, & pacem.

Ad 2. Sacramentum est causa instrumentalis tenens se ex parte Dei, qui est causa principalis gratiæ remissiuæ peccatorum, & sufficiens se solo, ideóque potens illam infundere, etiam ex natura rei, nullo interposito instrumento, quoties ita expedierit. At pœnitentiæ virtus, se tenet ex parte peccatoris, qui secundum se non est dispositus, nec sufficiens ad susceptionem eiusdem gratiæ; ideóque non potest eam in se recipere ex natura rei, & sine miraculo, nisi præhabito actu pœnitentiæ, esto probabile sit posse de potentia absoluta vt apparet ex quæst. 10. de iustif.

Ad 3. Patet ex dictis ad quæstionem præsertim art. 7. Supereresset hic dicendum de tempore, pro quo necesse est agere pœnitentiam, seu pro quo obligat præceptum de actu pœnitentiæ. Verùm, hac de re dicetur commodius infra quæst. 87. circa sacramentum pœnitentiæ.

---

## QVÆSTIO LXXVIII.

### *Vtrùm omnia peccata possint deleri per pœnitentiam?*

VIdetur non posse. 1. Quia aliqua peccata sunt irremissibilia, vt colligitur ex Matth. 12. 32. *Qui autem dixerit contra spiritum sanctum non remittetur ei neque in hoc sæculo, neque in futuro.* Et 1. Ioan. 5. 16. *est peccatum ad mortem, non pro illo dico, vt roget quis,* peccatum autem, de cuius ratione est, vt nunquam remittatur, vtque sit ad mortem & pro cuius remissione obtinenda est inconsiliabilis, proindeque inanis oratio: planè est irremissibile, ac indelebile per pœnitentiam.

2. Deus intercludit quibusdam omnem aditum ad pœnitentiam salutarem. *Impossibile enim est,* vt dicitur. 6. ad Hebr. 4. *eos qui semel sunt illuminati, gustauerunt etiam, &c. & prolapsi sunt, rursus renouari ad pœnitentiam.* Huc alludere videtur August. lib. 1. de serm. Dei in monte versus finem, dum dicit *tantam esse labem illius peccati, quo post agnitionem Dei per gratiam, fraternitas, &*

*& ipsa gratia agitantibus inuidiæ facibus, oppugnatur, vt deprecandi humilitatem subire non possit, qui ita peccat*; Clarius idem affirmat Isidor. c. 15. de summo bono. *Nonnulli ita à Deo despiciuntur, vt deplorare sua mala non possint.* Ergò non potest peragi pœnitentia salutaris de omnibus omninò peccatis, saltem efficax, & cum fructu.

3. Non minor est iustitia, quam misericordia Dei. Ergò nec effectus iustitiæ Diuinæ sunt minores quam effectus misericordiæ Diuinæ. Misericordia autem Dei est talis erga aliquos, vt eos confirmet in gratia ne possint labi, aut relabi in peccatum. Oportet ergo iustitiam Dei, erga aliquos, esse talem, vt eos obduret in peccato per subtractionem gratiæ, ne possint post peccatum resurgere per pœnitentiam. Quam comparationem, cum actuali, & effectiua vtriusque extremi æqualitate, confirmat illud ad Rom. 9.18. *Cuius vult miseretur, & quem vult, indurat.* Nec desunt exempla talis obdurationis. Notum namque in primis est, ex libro Exodi induratum cor Pharaonis aduersus signa etiam, & portenta. Deindè Ioann. 12. 40. dicitur de Iudæis: *Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Isaias: Excecauit oculos eorum, & indurauit cor eorum.* Simile quid habetur de Esau ad Hebr. 12. 16. nec non de Antiocho lib. 2. Machab. 9. 13. Atque vniuersaliter dicitur Ecclesiastis. 7. 14. *Considera opera Dei, quod nemo possit corrigere, quem ille despexerit.* Quod si nemo corrigere potest, nec ipse se ipsum corrigere potest per pœnitentiam.

4. Actus pœnitentiæ non potest elici prout oportet, nisi dependenter à fide, vt dicetur quæst. 80. Ergò qui incidit in peccatum infidelitatis, incidit in impotentiam pœnitendi prout oportet. Ergò peccatum infidelitatis non potest deleri per pœnitentiam.

Art. 1. Respondetur, Duo errores præcauendi sunt circa delebilitatem peccatorum per pœnitentiam. Alter est dicentium aliquos esse peccatores, qui pœnitere non possint, tametsi viatores adhuc sint. Alter est dicentium aliqua esse peccata, quæ non possunt deleri per pœnitentiam, tametsi ea peragatur perfectè à peccatore. Primus error contradicit claris scripturæ testimoniis. Ezech. 18. 23. & cap. 33. 9. *Nolo mortem peccatoris, sed vt conuertatur*; & *Numquid voluntatis meæ est mors impij?* Matth. 9. 13. vbi dicitur indefinitè: *Non veni vocare iustos, sed peccatores ad pœnitentiam*, Et c. 11. 28. vniuersaliter: *Venite ad me omnes.* Contradicit insuper fidei; vel liberi arbitrij, cuius vertibilitas, & indifferentia connaturalis ad bonum, & malum nullo peccato extinguitur, aut ligatur ad malum in hac vita; vel vniuersalitatis, & efficaciæ gratiæ Dei per Christum, ratione cuius dicitur prouerb. 21. 1. *Cor regis in manu Domini quocunque voluerit vertet illud*, vel vtriusque.

Art. 2. Posterior error contradicit similiter promissionibus Diuinis in locis indicatis, Ezechielis, & Matthæi. Quia apud Ezech. 18. subiicitur voluntatis Dei esse, *vt conuertatur impius à viis suis & viuat.* Et rursus cap. 31. *Reuertimini, & viuite.* Apud Matthæum verò, post illud: *venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis*, subiicitur *& ego reficiam vos.* Denique vt alia similia non pauca prætermittantur, vterque hic error reiicitur à Concilio Lateranensi, quod vt habetur c. Firmiter de sum. Trin. sic definit. *Et si, post susceptionem baptismi, quisquam prolapsus fuerit in peccatum, per veram potest semper pœnitentiam reparari.* SS. PP. pro vtraque ista veritate, habentur frequentes apud Bellarm. lib. 2. de grat. & lib. arb. cap. 5. & apud Suar. in præsenti disp. 8. sect. 1.

Art. 3. Primi erroris occasio fuit duplex. Prior est quòd nonnunquam in scriptura sacra dicitur, iuxta familiarem loquendi modum impossibile, & nunquam contingens, quod est difficillimum, & rarò euenit. Sic vt vnum ex multis proponatur exemplum clarum, sap. 12. 10. dicitur de peruersitate Chananæorum; *Quoniam non poterat mutari cogitatio illorum in perpetuum*, cum tamen vers. 20. Dicatur Deus illos puniuisse *dans tempus & locum per quæ possent mutari à malitia.* Altera occasio est, quod impotentia consequens præsertim coniuncta cum magna difficultate simpliciter antecedenti, significatur nonnunquam absolutè nomine impotentiæ; & propterea confunditur facile cum impotentia simpliciter tali, & cum impotentia simpliciter antecedenti; tametsi re ipsa sit impotentia, vel talis tantum secundum quid, vel purè consequens, vt pluribus expositum est in quæstionibus de gratia efficaci.

Art. 4. Posterioris occasio fuit. Quod nonnunquam dolor quilibet, & displicentia de peccatis dicitur pœnitentia; tametsi concepta nequaquam fuerit ex motiuo legitimo, & proprio virtutis pœnitentiæ theologicè sumptæ; propterea que Deus non misereatur pœnitentium. Talis fuit pœnitentia Caini, & Iudæ, vtpotè coniuncta cum desperatione veniæ, ideoque minimè ordinata ad veniæ consecutionem. Talis etiam fuit pœnitentia Antiochi dolentis de peccatis præcisè, quatenus inductiuis infirmitatis corporalis, nec non pœnitentia Esau dolentis similiter de amissa benedictione Paterna quatenus inductiua bonorum temporalium.

Art. 5. His itaque erroribus ita reiectis cum D. Tho. q. illa 86. art. 7. cumque aliis communiter aduersus nonnullos etiam catholicos, quorum meminit Suarez vbi supra sec. 1. & 2. dicendum est omnes peccatores posse, de omnibus, & quibusvis peccatis, salutariter pœnitere, cum gratia Dei, quæ semper adest, nullique negatur data opportunitate operandi, dum detinetur in via; atque pœnitentiam ritè peractam habere sufficientiam, in genere suo ad delenda quælibet peccata vtcunque, magna, seu multa, seu magna, & multa simul, dicitur autem habere sufficientiam in genere suo, quatenùs specialis virtus pœnitentiæ non solum non delet peccata per seipsam immediatè in genere causæ formalis verum neque disponit, saltem extra sacramentum, immediatè proximè per suum actum ad infusionem gratiæ qua immediatè, delentur peccata. Habet nihilominùs, vt dicetur, quæst. 83. vim inducendi, per suum imperium, actus immediatè dispositiuos respectu iustificationis, ad quos ipsa iustificatio infallibiliter consequitur.

Art. 1. Ad 1. Nomine peccati, contra Spiritum sanctum intelligitur in eo loco Matthæi vti apparet clarè ex contextu, durities, & malignitas obstinata attribuens spiritui malo opera miraculosa spiritus Sancti ordinata ad ostensionem, & confirmationem fidei diuinæ. Quod peccatum, quia pessimè disponit animum, est difficillimum, de quo pœnitentia rite peragatur, eaque propter, ratò contingit vt remittatur atque hæc difficultas, & raritas significatur, dum dicitur: Quòd neque in hoc sæculo; neque in futuro remittetur, iuxta notationem paulo prius adhibitam.

Art. 2. Similis ferè interpretatio est de peccato ad mortem apud Ioannem; si id accipiatur, cum Ambrosio, D. Thoma, & aliis, de peccato notabiliter atroci, ac enormi ex obiecto, vel circumstantia, eoque commisso cum magna minimèque perturbata deliberatione. Aderit enim hic etiam similis difficultas pœnitentiæ, & remissionis eaque propter oratio pro ea obtinenda, non poterit fieri cum magna fiducia, vel non à quouis promiscuè, sed ab homine magnæ sanctitatis, & intimæ cum Deo familiaritatis

Quæ.

Quæ est interpretatio satis communis, & optimo nixa fundamento. Quod si cum Hieron. Aug. Greg. & aliis nomine peccati ad mortem intelligatur impœnitentia finalis ; nulla est difficultas. Manifestum namque est perperam fieri orationem pro remissione peccati post mortem ; post quam videlicet nullus est veræ pœnitentiæ locus.

Ad 2. Communis, & legitima interpretatio illius loci ad Hebreos est, lapsum post baptismum non posse iterum reuocari ad pœnitentiam, seu ad deletionem peccatorum per ipsum Baptismum. Quia Baptismus non est sacramentum, & lauacrum iterabile, sicut sæpè iterabantur lauacra quædam purgatoria veteris legis, ad instar quorum volebant Hebræi Baptismum Christi esse iterabilem. Iam Augustinus illud suum non posse ponit proculdubio pro difficile posse. Qui est modus loquendi alias quoque vsurpatus ab ipso frequenter ; atque ita accipitur à Diuo Thoma ab illo 1. ad. 2. Eadem etiam certissime est mens Isidori, vt apparet legenti contextum.

Art. 1. Ad. 3. Quidquid sit de possibili aut etiam ex natura rei, certum est neminem de facto, dum est in via, ita repelli à Deo irreconciliabiliter ; sicut aliqui coniunguntur Deo per gratiam inamissibiliter. Quia Deus de facto est semper promptus, quantùm est ex se, & paratus ad recipiendos omnes indiscriminatim. Vt liquet ex superioribus testimoniis & ex illo psal. 50. 19. *Cor contritum & humiliatum. Deus non despicies.* Et ex illo Zach. 1. 3. *Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos.* Cum tamen non sit similiter promptus, & paratus ad deferendos, ac repellendos confirmatos in gratia. Deindè si quid conuinceret ea paritas ; conuinceret vtique debere etiam Deum detrahere tantundem, & totidem hominibus de donis, & perfectionibus naturalibus ; quantum, & quot hominibus superaddit de donis supernaturalibus. Quod tamen certum, ac manifestum est, non fieri de facto. Dicendum itaque est proportionem inter misericordiam, & iustitiam vindicatiuam Dei, seruari quidem exactè ; sed cum hoc discrimine, quod misericordia Dei præuenit nos, vt habetur ex ps. 58. 11. Iustitia verò vindicatiua subsequitur nos.

Art. 2. Hinc fit vt sicut largitur Deus omnibus aliqua Dona gratiæ nondum quidquam merentibus, aut liberè operantibus, ita tribuat nonnullis confirmationem in gratia sublata contingentia excidendi ab ea, & præoccupando per dona sua malum vsum libertatis eorum. E conuerso verò, sicut neminem inducit positiuè in aliquod peccatum voluntate antecedenti, sed tantùm purè permissiuè, & consequenter ; ita nullum viatorem obdurat in peccato commisso, aut impœnitibilem, ac inemendabilem reddit voluntate antecedenti, sed sola voluntate, simpliciter consequenti, & purè permissiua mali, cuius nos soli nobismetipsis sumus authores. Qua propter, quòd Deus dicitur obdurare, excæcare, ac despicere, nunquam verificatur ratione solius voluntatis Diuinæ, aut solius impotentiæ nostræ simpliciter antecedentis ; quia Deus semper, & omnibus tribuit, quantum absolutè sufficit ex parte actus primi, vt possimus emolliri, videre, & redire in dignitatem filiorum Dei. Ex quo patet, quo sensu accipienda sint Testimonia, necnon & exempla obiectionis. Nempè illis omnibus subest sensus suppositionis simpliciter consequentis, quoad impotentiam totalem conuersionis ad Deum ; licet non quoad difficultatem, vti superius obseruatum est.

Ad 4. Impossibile quidem est, vt pœnitentia salutariter peragatur non prælucente, ac dirigente fide, non tamen est impossibile, vt infidelis conuertatur ad fidem, vtque habita prius fide peragat deinde pœnitentiam, provt oportet de peccato infidelitatis. Est igitur incompossibilis pœnitentia salutaris cum infidelitate. At non est impossibilis simpliciter, & absolutè eadem hominis infidelis pœnitentia. Quia est possibilis reditus eius ad fidem.

---

## Qvæstio LXXIX.

### *Vtrùm virtus Pœnitentiæ ex suo conceptu, sit promotiua boni, an verò solum exclusiua mali præexistentis?*

Videtur non esse promotiua boni, sed purè exclusiua mali, 1. Quia nequit inducere Pœnitentia alium effectum, quam qui repromittitur illi à Deo, Deus autem solam promittit pœnitenti abolitionem peccatorum, vt patet ex 18. Ezech. 21. *Si impius egerit pœnitentiam &c. omnium iniquitatum eius quas operatus est, non recordabor. Quia* scilicet *proiiciet in profundum maris omnia nostra scelera.* Ergò Pœnitentia solam præstat abolitionem peccatorum.

2. Nulla virtus quidquam operatur vltra finem intentum per ipsam. Finis autem adæquatus pœnitentiæ est deletio peccatorum, vt dictum est supra quæst. 74. & 75. Ergò pœnitentia solùm excludit malum præexistens ex vi peccati, nec vlterius promouet, vlla ex parte positiuè bonum, & perfectionem pœnitentis.

Sed contra est, 1. Quod virtus ex suo conceptu vniuersali, est dispositio perfecti ad optimum. Repugnat autem, vt superueniat alicui de nouo dispositio propria perfecti ad optimum ; & nihilominus non melius habeat in se positiuè, quam antea. Ergò repugnat conceptui virtutis, quem itidem dictum est conuenire propriè pœnitentiæ, vt solum remoueat malum, & non etiam promoueat positiuè pœnitentem quoad bonitatem, & perfectionem suam.

2. Repugnat, vt quis operetur secundum virtutem, & nihilominùs maneat in eodem omninò statu, in quo foret si nihil boni, aut mali ab initio actum fuisset : idest vt maneat sine iactura, & sine lucro ad eum modum, quo se habet, quoad bona temporalia, qui restituit quòd iniustè abstulerat ; & qui vendidit, aut emit, aut aliter commutauit commutatione metaphysicè æquali, nec non in ludo, qui emendauit errorem, quo se reddiderat inhabilem ad victoriam, seu lucrum. Hoc inquam repugnat, quia cum virtus, & actio virtuosa, ex suo conceptu, sint perfectiuæ subiecti, cui insunt, impossibile est, vt qui habet virtutem aliquam, aut exercet actum eius, in eodem nihilominùs statu reperiatur eiusdemque prorsus conditionis sit, in quo, & cuius foret, si nihil, aut boni, aut mali egisset, vel habuisset. Ergo virtus, & actus pœnitentiæ necessariò promouet bonitatem, & perfectionem pœnitentis, eumque constituit in meliori statu, quam esset ante peccatum & quam futurus fuisset, si neque peccasset, neque pœnitentiam egisset.

Art. 1. Respondetur, natura humana potest multipliciter comparari cum habitu, & actu pœnitentiæ. Primò secundum se præcisè considerata, seu cum eo præcisè cumulo bonorum, quæ necessariò consequuntur ad ipsam ex natura rei. Secundò, secundum ea omnia, quæ ipsi inerant, aut inesse poterant ante peccatum. Tertiò secundum statum, cui suberat ratione peccati. Quartò secundum statum, cui subesset, si non peccasset. Rursus potest considerari augmentum bonitatis, vel simpliciter, & quoad substantiam ; vel accidentaliter, & secundum quid, nempè

nempe quoad gratiam, & gloriam, vel tantum quoad aliquid aliud illis adiacens.

Art. 2. Certum est pœnitentiam ex suo conceptu esse promotiuam seu augmentatiuam bonitatis, & perfectionis, tum substantialis, tum accidentalis conuenientis pœnitenti, secundum suam præcisè naturam considerato. Quia deletio peccatorum, quæ formaliter spectat ad Pœnitentiam, non est pura negatio, & remotio mali, vt constat ex quæstione 8. de iustif. sed includit in se infusionem gratiæ habitualis pro præsenti statu eleuationis, & pro statu naturæ puræ acquisitionem naturalis dilectionis Dei. Vtrouis modo superadditur humanæ naturæ bonitas, & spiritualis perfectio substantialis maior quam quæ eidem secundum se necessariò conueniat. Ipsa verò pœnitentia, tam actualis, quam habitualis, per seipsam formaliter, est perfectio accidentalis æstimabilis ratione sui respectu substantiæ peccabilis, vt liquet ex quæst. 75. Itaque pœnitentia ex suo conceptu est substantialiter, & accidentaliter promotiua bonitatis conuenientis pœnitenti secundum suam præcisè naturam. Hinc à fortiori est similiter promotiua bonitatis conuenientis eidem, vt suberat statui peccati. Quod scilicet vitiat, ac deteriorat dignitatem naturæ secundum se. Quare, sub neutra ex his consideratione, potest pœnitens perinde omninò se habere proportionaliter, atque se habet quoad bona temporalia, qui restituit, quod iniustè abstulerat, & sic de cæteris ciusmodi exemplis. Consequenter non potest intendere pœnitens remotionem sui mali, quin simul intendat inductionem sui maximi boni, & quin, hac ipsa intentione adiiciat sibi formaliter aliquod bonum, & perfectionem aliquam.

Art. 3. Si autem instituatur comparatio pœnitentis secum ipso pro casu innocentiæ continuatæ vsque ad illud tempus inclusiuè pro quo exercetur actus pœnitentiæ, dicendum est vtrumuis contingere posse nempe vt melius, vtque deterius absolutè habeat peracta pœnitentia, quam si permansisset innocens. Fieri namque posset, vt conseruaretur innocentia per actum, vel actus minoris perfectionis, ac meriti, quam sint actus pœnitentiæ delentes peccata; ideoque, vt post pœnitentiam adsit maior cumulus gratiæ, seu charitatis, quam adfuturus fuisset innocenti. Euenire etiam, & quidem facilius posset oppositum, vt per se patet; quandoquidem peccatum ex sua natura est impeditiuum, ac diminutiuum perfectionis in subsequenti opere virtutis. Verùm, cum prior euentus clarè manifestet conceptum virtutis in pœnitentia; posterior nequaquam eum tollit, aut obscurat. Quia non est de conceptu virtutis, vt qui illam exercet, melius propterea habeat quam habiturus esset sub alia quacumque suppositione possibili. Sufficit si melius habeat, sitque laudabilior exercita virtute; quàm haberet, & esset de facto immediatè ante eius exercitium.

Art. 4. Si denique supponatur pœnitentem præhabuisse gratiam ante peccatum; An tunc cumulus gratiæ deperditus per peccatum redeat cum auctario per pœnitentiam? Pendet ex duplici alia quæstione. Altera est de reuiuiscentia meritorum per iustificationem subsecutam ad peccatum, de qua reuiuiscentia dicetur infra quæst. 96. circa Sacramentum Pœnitentiæ. Nempe ea difficultas est communis gratiæ præhabitæ per Sacramenta, & præhabitæ per merita seu virtutes; atque in Sacramento Pœnitentiæ interuenit simul operatio virtutis pœnitentiæ. Altera quæstio est: An actus virtutum minus intensi, quam sit gratia præexistens sufficiant ad eius augmentum? qua de re dictum est quæst. 42. de virt. Theol. de vtraque ista quæstione sunt variæ Theologorum sententiæ; & licet vtrobique approbentur à nobis opiniones fauentes viribus pœnitentiæ ad augendam gratiam præexistentem, seu ad eam cum aliquo semper augmento restituendam; id tamen necessarium nequaquam est, vt nonnulli putant, ad saluandum conceptum virtutis in habitu pœnitentiæ.

Art. 5. Sufficit nimirum ad conceptum virtutis propriè talis, vt habitus sit electiuus secundum rationem rectam, atque vt bonum faciat habentem, & opus eius reddat bonum, vt apparet ex quæst. 75. sub initium. Patet autem vtrumque verificari de pœnitentia, siue restituat gratiam præexistentem cum augmento, siue restituat absque augmento; dummodo aliqualiter illam restituat, & verè inducat remissionem, ac deletionem peccatorum. Dubitari enim verò minimè potest, quin opus, per quod vterque hic effectus obtinetur, sit bonum, ac laudabile, atque electum secundum rectam rationem: sicut est malum, & vituperabile, atque contra rectam rationem opus, ex quo sequitur malum contrarium, siue sequatur cum augmento totius mali, alioquin præexistentis, siue sequatur absque tali augmento.

Art. 6. Quapropter qui elicit actum pœnitentiæ, quidquid sit de modo restitutionis gratiæ, nunquam perinde omninò se habet, atque si nihil vnquam egisset, aut boni, aut mali, quia pœnitens semper est laudabilior, & melior ratione eius actus cæteris paribus, quam si eum non eliceret, atque habebit ex eodem peculiarem gloriam, saltem accidentalem. Per quod iterum patet: pœnitentem differre, quam plurimum, quoad bona spiritualia, à conditione restituentis, & commutantis, quoad bona temporalia; necnon, quoad ludum, ab emendante errorem retrogradum. Quæ sunt exempla, simúlque argumenta existimantium ad conceptum formalem virtutis pertinere vim augmentatiuam gratiæ præexistentis.

Art. 7. Concluditur itaque absolutè pœnitentiam esse promotiuã boni, & perfectionis, tam substãtialis, quam accidentalis, quatenus naturæ pœnitẽtis secundum se cõsideratę semper vtramque superaddit per suũ actum, atque perfectionem aliquam, saltem accidentalem similiter superaddit toti bonorum cumulo quandocunque; & vtcunque præexistenti. Ad rationes porrò dubitandi pro vtraque parte, patet clarè ex dictis opportunè distributis, quid respondendum, & quomodo distinguendum, ac præscindendum sit.

## QVÆSTIO LXXX.

### *Vtrùm pœnitentia sit prima virtutum?*

VIdetur esse prima, & tempore, & natura & perfectione. Tempore quidem. Primò, quia Glossa ad illud Matth. 3. *Pœnitentiam agite. Prima virtus est*, ait, *per pœnitentiam punire veterem hominem, & vitia odisse*. Deinde quia in motibus successiuis, qualis est motus peccatoris ad statum gratiæ, prius est recedere à termino à quo quod pertinet ad pœnitentiam; quam accedere ad terminum ad quem, quod pertinet ad reliquas virtutes, vtpote adhærentes bono secundum se. Tertiò, quia ante pœnitentiam adest in anima peccatum, in cuius præsentia nulli habitui conuenit ratio virtutis simpliciter, vt dictum est alibi cum Diuo Thoma. Vnde præeunte pœnitentia incipiunt deinde alij habitus habere rationem virtutis.

Natura verò videtur esse prior pœnitentia. Quia ad perfectam deletionem peccatorum quoad culpam, & pœnam, qui est finis totúsque conatus pœnitentiæ sunt vtiles, & necessarij actus omnium virtutum.

Ergo pœnitentia mouet per suum imperium, ad actus omnium virtutum, & est causa, vt existant. Nempe vnaquæque virtus est causa inductiua omnium, quæ sunt necessaria ad finem ipsius. Est autem de conceptu causæ prioritas naturæ respectu eorum omnium, quæ subinferuntur vi ipsius.

Præeminet denique pœnitentia dignitate, & perfectione; Quia est intentiua, & effectiua summi operis, summéque difficilis. Intendit enim, & obtinet à Deo iustificationem impij; hoc est infusionem gratiæ, quæ est summum hominis bonum & victoriam peccati, iam commissi, qua nihil est homini difficilius.

Art. 1. Respondetur. Nulla in primis est comparatio durationis realis inter habitus virtutum. Quia omnes simul infunduntur in instanti iustificationis, & similiter amittuntur omnes simul cum primum committitur aliquod peccatum lethale, demptis habitu fidei qui solùm amittitur per peccatum infidelitatis, & habitu spei, qui præterea amittitur per actus desperationis, vt dictum est in qq. de virt. Theol. Qua propter hi duo habitus saltem vt plurimum existunt prius tempore, quam habitus pœnitentiæ, in homine iustificando à peccato lethali personali, reliqui verò semper habentur simul cum habitu pœnitentiæ.

Art. 2. Quoad prioritatem inter actus virtutum, certùm in primis est actum pœnitentiæ non esse primum tempore simpliciter. Quia necessario illum præcedunt actus fidei, & spei, ex quibus ipse dependet. Præcedit etiam actus timoris seruilis. Qui videlicet concipitur facilius à peccatore, & applicat animum ad actus perfectiores postea subinducendos. Cum reliquarum deinde virtutum actibus potest comparari actus pœnitentiæ tum absolutè, tum relatè ad iustificationem impij. Et quidem, secundum absolutam considerationem, priores sunt actus cæterarum virtutum, quæ non sunt purè reflexiuæ supra peccatum. Quia eiusmodi actus sunt appetibiles, & necessarij per se; actus verò pœnitentiæ, non nisi per accidens ratione peccati. Manifestum autem est prius esse secundum absolutam considerationem, quod est per se, quàm quod est per accidens. Verùm si comparatio fiat relatè ad iustificationem, & quatenus peccator operatur in ordine ad consecutionem eius; actus pœnitentiæ præcedit ante actus reliquarum virtutum. Qui actus pœnitentiæ intendit cum finem immediatè per se ipsum, atque vt illum consequatur inducit actus aliarum virtutum. Inquam verò virtutum tantum moralium; quia actus charitatis, per se loquendo, imperat cæteris omnibus virtutibus, atque ideo præit per se ante actus earum omnium. Vnde solum per accidens euenit, attenta virtutum, secundum se natura, vt actus pœnitentiæ præcedat ante actum charitatis. Ex his porro rationibus apparet quisnam sit ordo naturæ inter istos actus, cum existunt simul tempore. Quisnam, inquam, ordo sit, tum per se, tum per accidens, tum absolutè, tum relatè ad finem iustificationis impij. Est enim idem prorsus naturæ, & causalitatis ordo proportionaliter, atque is, qui quoad tempus assignatus est.

Art. 3. Quod ad perfectionem attinet, clarum est præeminere virtuti pœnitentiæ virtutes in primis Theologicas. Quia habent motiuum perfectius, nempe ipsum Deum. Verùm præeminent vlterius eidem virtutes etiam morales, quarum exercitium non præsupponit peccatum per se. Primò, quia omnes tales virtutes, & earum actus sunt appetibiles, & conformes inclinationi naturæ per se nullâque facta suppositione accidentali. At virtus pœnitentiæ, & eius actus non sunt appetibiles, & conformes inclinationi naturæ nisi per accidens, atque ex suppositione accidentali peccati, vel certè eius intuitu. Appetibilius autem est, atque adeo melius, cæteris paribus, seu intra idem genus immediatum, quod est appetibile per se, quam quod per accidens.

Art. 4. Deinde aliæ virtutes præter pœnitentiam feruntur in suum vnaquæque motiuum secundum totam rationem bonitatis, quæ ipsi inest, eique adhærent per se, & quantum est ex sua natura puro amore maioris perfectionis; ideoque insunt ex sua natura subiecto præexistenti perfecto ideò innocenti, eiusque, vt talis bonitatem vlterius promouent. At pœnitentia fertur in bonitatem contrariam peccatis, præcisè, & formaliter, vt contrariam illis, eisdémque delendis necessariam, ac demum quasi compulsa, & coacta per indigentiam, duramque necessitatè rememedij. Vnde est propria per se peccatoris, vt peccatoris, seu non innocentis, & adhuc rei saltem pœnæ. Nobilior est autem habitus qui adhæret honestati secundum se, & per quam qui adhæret illi secundum accidens & per accidens ex odio, & fuga mali: & qui est per se, & ex sua natura, perfectiuus boni ac innocentis; quam qui est per se, & ex sua natura, perfectiuus malè habentis. Nec enim peccator differt ab innocenti per aliquid melius, quam quæ insunt per se innocenti, nec ille, quia peccauit, potest esse dispositus per se ad opera meliora; quam sint opera innocentis propria sicut non sunt meliora, qualitates, & opera intrinsecè propria ægroti, aut valetudinarij, quam quæ sunt propria sani, ac robusti.

Art. 5. Postremo nemo vnquam dubitauit; an reliqui habitus honestè ac laudabiliter operatiui sint virtutes? cum negent nonnulli pœnitentiam esse virtutem, & omnes disputent; an sit virtus? maior autem est bonitas, cuius prærogatiua incompensabilis est omnibus ex se conspicua atque indubitata, quam cuius est obscura, & controuersa. Hoc enim posterius euenit solum infimis sub vnoquoque genere, atque positis in confini generis inferioris, vt habetur ex Philos. lib. 8. de hist. anim. c. 1. & lib. 3, de gener. anim. cap. 11. Igitur pœnitentia est infra cæteras omnes virtutes, non solum Theologicas, sed etiam morales, non reflexiuas per se supra peccatum.

Art. 6. Ex his facilè sat fit rationibus dubitandi. Quod attinet ad prioritatem temporis, glossa in primis illam attribuit actui pœnitentiæ prioritatem solum comparatione aliarum virtutum moralium non reflectentium per se supra peccatum, idque relatè ad terminum iustificationis impij, vt habetur ex D. Thoma quæst. 85. art. 6. c. & ad 1. Quod consonat iis quæ præmissa sunt supra art. 1. & 2. Deinde in motibus successiuis prius est ordine intentionis, qui ordo attenditur in actibus animæ, atque virtutum, quod est vltimum in executione. Vltimum autem in executione pœnitentis, est accessus ad Deum, cui secundum se adhærent virtutes Theologicæ; Necnon liberatio à malis consequentibus ad peccatum, quæ mala secundum se horret timor seruilis. Habitus demum virtutis pœnitentiæ ita inducitur per actum pœnitentiæ, vt simul reliqui etiam habitus virtutum inducantur, vti suppositum est initio.

Art. 7. Quoad ordinem naturæ, & causalitatis dictum iam est, charitatem imperare per se reliquis omnibus virtutibus, in ordine ad quemlibet finem honestum vniuersaliter, & sine vlla exceptione. Pœnitentiam verò imperare reliquis virtutibus moralibus relatè ad deletionem peccatorum. Vnde earum actus, solum quatenus ad hunc finem referuntur, sunt per se posteriores natura, quam actus elicitus virtutis pœnitentiæ. Nec enim sufficit ad hoc vt aliquid subsit imperio pœnitentiæ, eodémque inducatur, id esse necessarium aut vtile ad finem ipsius pœnitentiæ; quandoquidem substantia etiam hominis, & Deus aliáque multa

multa non subſtantia imperio pœnitentiæ ſunt eiuſmodi. Requiritur ergo prætereà vt non præexiſtat ex ſua natura, nec inſit homini independenter à fine peculiari,& proximo pœnitentiæ.

Art. 8. Quoad ordinem perfectionis, ea menſuratur in virtutibus ex perfectione motiui formalis, quatenus intenti per ipſas, ſeu ſecundum conceptum formalem ſub quo intenditur. Pœnitentia autem intendit bona animæ, non ſecundum ſe tota abſolutè, & quaſi pleno amplexu, vti faciunt aliæ virtutes; ſed præcisè in ſubſidium, & quatenus peccatis commiſſis contradicunt quoad culpam, & pœnam. Quod eſt minoris perfectionis, vt dictum eſt. Iam opus iuſtificationis impij eſt quidem præſtantiſſimum, ſed illud non exequitur immediatè pœnitentia, niſi inchoatiuè tantum, ac remotè, vt infra magis declarabitur quæſt. 83. & 84. atque perfectio virtutis attenditur penes effectum immediatum eiuſdem. Eſt etiam difficillimum idem opus, & actus ipſe pœnitentiæ eſt ex ſe valdè difficilis; non tamen eſt difficilis difficultate fundata in excellentia actus, ſed in mala diſpoſitione operantis, quæ non auget ex ſua natura, ſed deprimit laudem virtutis; ſiquidem intrinſecum ipſi ſit, vt operetur cum eius generis difficultate, vti colligitur ex dictis cum D. Thoma quæſt. 31. de act. human. ad 5.

## QVÆSTIO LXXXI.

### *Vtrùm peccator, & peccatum ſint ſubiectum, & materia adæquata pœnitentiæ.*

VIdetur neutrum adæquari omninò pœnitentiæ. 1. Quia ſicut per eandem virtutem charitatis amamus,& quærimus vnionem cum Deo, tum nobis, tum etiam aliis ita poſſumus per eandem virtutem pœnitentiæ, velle,& procurare, tum nobis, tum etiam aliis deletionem peccatorum, quæ auertunt à Deo. Ergo etiam is, qui peccare non poteſt ſicut Chriſtus Dominus eſt ſubiectum capax virtutis pœnitentiæ, per quam intendatur deletio peccatorum, quæ committuntur ab aliis.

2. Beati, tametſi peccare amplius non poſſint, nec ſint peccatores; retinent nihilominus habitum pœnitentiæ. Et è conuerſo eundem nec habuerunt, nec habent Angeli peccatores. Ergo nec omnis, nec ſolus peccator eſt ſubiectum capax virtutis pœnitentiæ.

3. Peccata venialia non ſunt offenſæ Dei, ſiquidem ineſſe poſſunt iuſtis etiam & amicis Dei, ac proinde non habentibus Deum offenſum, ſed placatum,& amicum. Dictum autem eſt ſupra, q. 75. Pœnitentiam ferri in deletionem peccatorum, quatenus ſunt offenſæ Dei. Ergo peccata venialia non ſunt materia pœnitentiæ. Similiter peccatum originale, licet è conuerſo ſit offenſa Dei, vtpote reddens hominem inimicum eius; non tamen eſt materia pœnitentiæ. Quia de ratione veræ pœnitentiæ eſt propoſitum emendationis impoſterum, vt infra dicetur. Propoſitum autem emendationis non cadit in ea, quæ aliena voluntate commiſſa ſunt, vti commiſſum eſt peccatum originale. Ergo non omne peccatum eſt materia pœnitentiæ.

4. Virtus pœnitentiæ non ſolùm intendit deletionem peccatorum, quoad culpam, ſed etiam quoad pœnam. Etenim remiſſio, etiam pœnæ pertinet ad totalem deletionem peccati. Nempe reatus pœnæ, quoad vſque penitus extinguatur, impedit ingreſſum animæ in Regnum Cœlorum, atque ad pœnitentiam perfectam peccatorum pertinet, remotio omnis eiuſmodi impedimenti. Pœna autem peccati non eſt peccatum, ſed effectus peccati adæquatè diſtinctus ab ipſo, atque inductus à Deo, à quo peccatum induci non poteſt. Ergo peccata non ſunt obiectum materiale adæquatum pœnitentiæ.

5. Virtus pœnitentiæ intendit, ac inducit opera pœnalia, & ſatisfactoria, quibus redimuntur pœnæ alias perſoluendæ propter peccata in Inferno, aut Purgatorio. Ergo ea etiam opera,& non ſola peccata comprehenduntur in materia, ſeu obiecto materiali adæquato virtutis pœnitentiæ.

Artic. 1. Reſpondetur ſubiectum, & materia cuiuſque virtutis circumſcribuntur limitibus motiui formalis, circa quod ipſa verſatur. Omnes etenim, & ſoli illi ſunt capaces vniuſcuiuſque virtutis, qui ſunt capaces, vt amplectantur motiuum eius formale. Et rurſus omnia illa, & ſola ſunt obiecta materialia cuiuſque virtutis, quæ ſunt volibilia, aut odibilia ratione eiuſdem motiui, atque ab eadem diſtinguuntur.

Art. 2. Quapropter neganda in primis eſt cum Vaſquez & aliis, virtus pœnitentiæ Chriſto Domino, necnon, & Angelis. Quia Chriſtus non poterat peccare, nec habere naturam, quæ aliquando peccaſſet, vt dictum eſt quæſt. 20. de Incarnat. Angeli verò non poterant delere, aut velle delere peccata propter innatam immutabilitatem ipſorum, vt dictum eſt, in loco. Ergo neutri poterant affici ad deletionem peccati, eáque impotentia inerat ipſis permanenter, & in perpetuum. Neganda rurſus hæc virtus, cum eodem Authore, quoad habitum, & quoad actum B. Virgini, atque beatis omnibus, qui nunquam peccauerunt. Quia nec B. Virgo, nec beati Innocentes, ex quo beati ſunt, vllum potuerũt, aut poſſunt habere peccatum, ad cuius deletionem afficerentur, aut afficiantur, ſed ſunt prædiți donis gratiæ, quibus ſicut redduntur expertes peccati, & contingentiæ peccandi: ita redduntur incapaces pœnitendi, & eliciendi actum aliquem proprium habitus pœnitentiæ. Neganda inſuper eſt hæc virtus, cum communi omnium ſententia, quoad habitum ſupernaturalem omnibus exiſtentibus in peccato lethali, ſiue actuali, ſiue habituali, dum in eo perſeuerant. Quia per quoduis peccatum lethale amittuntur omnes habitus ſupernaturales, præterquam fidei,& ſpei, nec redeunt, niſi redeunte gratia,& charitate.

Art. 3. Concedenda verò in primis eadem virtus, quoad habitum omnibus potentibus proximè,& peccare, & delere peccata, ſimúlque exiſtentibus actu in gratia. Quia quatenus exiſtunt in gratia, & ſunt iuſti, non habent indignitatem, per quam excludant à ſe perfectionem iſtam ſupernaturalem; & quatenus habent potentiam proximam peccandi, atque delendi peccatum, ſunt idonei, vt exerceant eum habitum, ac proinde vtiliter illum habent. Concedenda rurſus eſt quoad habitum, omnibus, qui aliquando peccauerunt, & deleuerunt peccata commiſſa, tametſi amplius peccare iam non poſſint, nec ſuperſint vllæ peccatorum reliquiæ, quæ pœnitendo tollantur; concedenda etiam ex iis, qui nunquam adhuc peccauerunt, poſſunt tamen,& peccare, & delere peccata. Quia innocenti peccabili, & emendabili, vtile eſt atque opportunum, eſſe præuentum remedio reſpectu mali contingentis comparatione ſui,& qui aliquando peccauit, ac deinde deleuit peccatum, ſemper poteſt exercere habitum pœnitentiæ per actum proprium ipſius, nempe per gaudium de deletione, & victoria peccati iuxta notationem præmiſſam quæſt. 74. ad 2. Hinc merito à D. Thoma 1. p. q. 95. art. 3. & ab aliis tribuitur Adamo habitus pœnitentiæ etiam ante peccatum, atque ab eodem in 4. diſt. 14. quæſt. 1. art. 3. quæſtiunc 2. cum pleriſque aliis tribuitur

tribuitur similiter idem habitus beatis qui perueniunt ad beatitudinem per deletionem, & remissionem alicuius peccati. Demum pœnitentia secundum actum inest, data opportunitate omni peccatori dum est in via; necnon omnibus habentibus habitum pœnitentiæ, quoties veliunt illum elicere. Nempe habitibus vtimur cum volumus; & habitu virtutis nemo vtitur nisi opportunè; atque omnis peccator dum est in via, obtinet à Deo auxilia gratiæ vt pœniteat, si velit iuxta dicta supra quæst. 78.

Artic. 4. Iam materia, seu obiectum materiale adæquatum virtutis pœnitentiæ sunt omnia promiscua peccata vniuscuiusque propria lethalia, venialia, atque originale peccatum; necnon omnia mala prouenientia, ex vi demeritoria peccati, tanquam ex causa ipsorum. Quia omnia peccata habent aliqualiter rationem offensæ Dei; & omnia sunt delebilia per actus peccatoris; atque in deletione eorum quæ sunt cuiusque propria, adest peculiaris ratio bonitatis, & pulchritudinis coniuncta cum peculiari difficultate respectu eiusdem peccatoris determinatè sumpti, vt liquet ex doctrina quæstionis 74. Ergo ea omnia possunt esse respectu vniuscuiusque obiectum materiale odio habitum per virtutem formaliter intentiuam, deletionis, & expiationis peccatorum provt intendit pœnitentia. Possunt præterea esse obiectum materiale eiusdem virtutis pœnæ debitæ ratione eorundem peccatorum. Quia remissio earum pertinet ad totalem deletionem, & exinanitionem peccatorum, quandoquidem illis sublatis desinunt esse peccata, tam in se, quam in suo effectu, & peccator liberatur totaliter ab omni reatu, & onere peccatorum.

Art. 5. Imperfectiones morales non contineri directè in obiecto pœnitentiæ dictum est iam supra quæstione 74. ad 7. artic. 2. & confirmabitur infra circa Sacramentum. Opera autem bona, & habitus bene operandi non sunt obiectum materiale pœnitentiæ, sed formale. Quia comprehenduntur in ea collectione bonorum, quibus delentur, & expiantur peccata, quoad pœnam, & culpam: Ideoque sub isto conceptu sunt volita per pœnitentiam ratione sui, vt obiectum formale ipsius. Concluditur, itaque vltimò subiectum capax virtutis pœnitentiæ, quoad habitum, esse omnem, & solam substantiam proximè aliquando peccabilem, & emendabilem, dum talis est, & est in gratia; necnon postquam peccauit, & deinde iustificata est: Quoad actum verò esse eandem substantiam, postquam peccauit: & similiter obiectum materiale adæquatum proprium, & peculiare eiusdem virtutis esse omnia, & sola cuiusque peccata, quatenus delebilia, aut iam deleta; necnon pœnas debitas iis peccatis.

Ad 1. Dictum est superius, motiuum pœnitentiæ esse deletionem peccatorum secundum honestatem, & pulchritudinem illam peculiarem, quæ consistit in pugna cuiusque secum, quatenus errante prius, & peccatore; necnon in superanda difficultate speciali retractandi priorem propriam deliberatam voluntatem: patet autem specialem istam rationem bonitatis, & pulchritudinis nequaquam adesse in deletione peccatorum alienorum. Igitur, vt alij emendentur, & deleant peccata sua, non intenditur directè per pœnitentiam, sed per charitatem, misericordiam, amicitiam, &c. quarum motiuum non restringitur ad operantem. Vnde Suarez; & nonnulli alij tribuentes Christo Domino, & Beatæ Virgini, atque Beatis Innocentibus pœnitentiam, id faciunt dependenter à confusione huius virtutis cum aliis. Quæ confusio vitata iam à nobis est quæstione 75. præsertim articulo octauo.

Ad 2. Beati, qui aliquando fuere in peccato, retinent habitum pœnitentiæ cum actu gaudij, de præterita deletione peccati elicito per eundem habitum. At Beati Innocentes, nec actum pœnitentiæ possunt vnquam habere vllum, quia carent, æternúmque iam necessariò carebunt eius materia; nec habitum, quia habitus est propter actum, & sublato fine, eiúsque possibilitate aufertur, quod est propter finem. Ne nimirum perperam id detur in rerum natura. Quod vel maximè repugnat virtuti. Qua de causa Angelis, etiam omnibus omninò negatur idem habitus. Nempe supponitur in præsenti, ex alibi dictis, nullum habitum virtutis existere posse propter solos actus purè conditionatos.

Ad 3. Peccata venialia non sunt quidem offensæ Dei simpliciter; sunt tamen tales leuiter, & secundum quid; idque sufficit absolutè, vt virtus pœnitentiæ exerceatur circa ipsa cum verò dolore, cúmque vera deletionis intentione. Peccatum porrò originale, licet non sit materia emendationis directè, & propriè respectu contrahentis; est nihilominus materia iusti, ac honesti doloris, & detestationis coniunctæ cum intentione ipsum delendi, ac expiandi. Atque hoc solùm pertinet ad conceptum formalem pœnitentiæ, vt dictum est in quæstione illa 75. Propositum namque emendationis adiungitur vlterius, saltem implicitè circa peccatum personale, quatenus tale propositum est necessarium ad deletionem eius. Neque verò idem propositum omninò deest in detestatione originalis intendente formaliter deletionem eius, quatenus est offensa Dei. Quia talis detestatio est auersiua, ac retractiua animi ab omni, & qualibet Dei offensa, ideoque virtualiter saltem & implicitè continet in se voluntatem, & propositum nunquam peccandi, ac incidendi in offensionem Dei.

Ad 4. Suarez; Coninch. & alij nonnulli dicunt virtutem pœnitentiæ velle, ac intendere formaliter ratione sui pœnas peccatorum. Quia pœnitens vult punire seipsum, sibique, vt reo præscribit pœnas vt Iudex sui. Verùm oportet secernere pœnas satisfactorias constitutas per operationes honestas, ac liberas pœnitentiæ, à pœnis satispassoriis inflictis peccatori à Deo, & prouenientibus, tanquam ex causa, ex vi demeritoria peccatorum; ideoque non dependentibus ab electione peccatoris directè libera respectu ipsarum: Priores pœnas satisfactorias intendit pœnitens formaliter ratione sui. Quia sunt pœnæ redemptiuæ à maiori malo, & à pœna strictè tali; & insuper sunt lucratiuæ præmij, vtpote constitutæ per opera honesta, & directè libera pœnitentis, atque obsequiosa respectu Dei, ideoque meritoria, vel de condigno, vel saltem de congruo. At posteriores pœnas fugit, ac detestatur pœnitens; eásque intendit impedire, & abolere penitus, simul cum ipsis peccatis. Vnde simul cum eisdem sunt obiectum materiale pœnitentiæ, vt dictum est supra, & sæpè dicuntur peccata præsertim ab Augustino, per denominationem à causa, ex qua proueniunt, formaliter considerata.

Ex his patet etiam ad 5. Quia opera honesta pœnalia continentur inter bona contraria peccatis, & propterea intenduntur, per pœnitentiam formaliter ratione sui, sicut cætera bona liberantia à culpa, & pœna. Vnde non sunt obiectum materiale pœnitentiæ, sicut pœnæ strictè tales, seu purè satispassoriæ.

## QVÆSTIO LXXXII.

### *Vtrùm omnis actus elicitus pœnitentiæ sit indiuisim amor, & odium?*

VIdetur non esse. 1. Quia motiuum sufficiens ad amorem, & odium simul, necessariò est sufficiens ad vtrumlibet eorum seorsim. Vtrumlibet enim seorsim est minus, quam, vtrumque simul; atque necessariò est sufficiens ad id, quod minus est, quod est sufficiens ad plus, seu maius intra idem genus. Amor autem, & odium continentur intra idem genus; atque motiuum pœnitentiæ, cui commensuratur habitus pœnitentiæ, sufficienter mouet ad vtrumque simul, ac indiuisim. Ergo habitus pœnitentiæ potest elicere vtrumlibet seorsim.

2. Beati possunt habere actum elicitum virtutis pœnitentiæ, vt dictum est in quæst. præcedenti. Nullum autem actum doloris, seu displicentiæ, & detestationis elicere possunt beati circa mala, quibus subiacuere, dum essent viatores. Quia status beatitudinis est expers omnis doloris. Dictum præterea est ibidem actum per istam virtutem elicitum à beatis esse gaudium de deletione, & victoria peccatorum, quæ præcessit in via. Gaudio autem non minus repugnat identitas cum displicentia, & dolore, quam cum desiderio, aut spe, sed multo magis. Ergo virtus pœnitentiæ exerceri potest puro gaudio distincto ab omni odio, & dolore.

3. Fieri, non potest vt aliqui duo actus versentur circa eandem omninò rationem formalem bonitatis, eámque solam prosequantur immediatè propter se; & nihilominus distinguantur inter se specie. Fieri autem potest, vt eadem bona, quæ amantur propter se, præexistente peccato in ordine ad deletionem ipsius, ideoque cum odio, & detestatione peccati; amentur similiter propter se, etiam non præexistente peccato, & absque ordine ad deletionem ipsius, ac proinde absque odio, & detestatione peccati. Quia peccatum, cum formaliter sit purum malum, sicut nullius rei bonitatem augere potest; ita nulli rei potest conferre specialem amabilitatem vltra eam, quam haberet ante peccatum, & independenter à peccato. Fieri igitur potest vt aliquis purus amor sit indistinctus specie ab amore, qui simul, ac indiuisim sit odium, & detestatio peccati. Actus autem qui sunt eiusdem infimæ speciei, pertinent ad vnum, eundémque habitum. Ergo non necesse est habitum pœnitentiæ odisse peccatum per omnes suos actus.

Art. 1. Respondetur sicut spes, misericordia, gratitudo, & similes virtutes, ex suo conceptu essentiali feruntur ad bonum, vt coniunctum cum aliquo defectu ex parte operantis, vel ex parte eius, circa quod operantur; nimirum spes ad summum bonum, vt coniunctum cum absentia, & futuritione; misericordia ad dignitatem naturæ rationalis, vt coniunctam cum miseria, & indignitate aliqua; gratitudo ad bonitatem rei conferendæ alteri, vt coniunctam cum grauamine aliqualis obligationis retribuendi, eáque de causa est impossibile, vt ferantur in suum obiectum per purum amorem non admixta displicentia aliqua, circa defectum adiacentem, cuius depulsio intenditur per eiusmodi virtutes ex conceptu ipsarum essentiali: ita pœnitentia, ex suo conceptu essentiali, fertur formaliter in bonum contrarium peccato, & effectibus moralibus peccati, quatenus illis contrarium, atque depulsiuum eorundem, eáque de causa est impossibile, vt eliciat actum aliquem, qui simul, ac indiuisim non sit, & amor prosecutiuus talis boni, & odium detestatiuum eorum malorum.

Art. 2. Vnde actus eliciti virtutis pœnitentiæ tribus solùm modis, seu triplici solùm ratione differre possunt inter se specie; nempe secundum rationem præsentiæ, absentiæ, & præcisionis ab vtraque, adiacentium deletioni peccatorum; quæ est motiuum illius formale. Dependenter enim à cognitione præexistentis peccati, & deletionis nondum existentis concipitur desiderium prosecutiuum boni delentis peccatum, & simul odium detestatiuum, ac destructiuum peccati, & effectuum eius. Eadémque est proportionaliter ratio de simplici amore, ac displicentia, necnon de gaudio, & detestatione illi correspondente; dum prælucet cognitio, vel deletionis iam obtentæ, ac præsentis, vel præcisiua ab absentia, & præsentia. Veruntamen denominationem, & rationem formalem pœnitentiæ sortitur hic habitus relatè ad actum desideratiuum, ac inductiuum deletionis peccati, & contristatiuum deeodem commissi, nondúmque deleto. Quia hic actus est finis præcipuus, ob quem infunditur habitus huius virtutis, vtpote subuentiuus, ac reparatiuus mali, & corruptionis peccati. Denominatio autem cuiusque virtutis est ex præcipuo eius actu, & fine. Vnde reliqui duo actus non dicuntur simpliciter, & absolutè actus pœnitentiæ, sed reductiuè, seu præsuppositiuè, seu consequenter.

Art. 3. Iam quod alij actus specie distincti ab iis, qui modo enumerati, & expositi sunt attribuantur, per nonnullos, habitui pœnitentiæ tanquam elicibiles immediatè ab ipso; prouenit ex confusione iam iterum ante prænotata huius virtutis cum virtutibus aliis, stabilita priùs per eosdem authores. Verùm quia ea confusio vitata, ac reprobata superius à nobis fuit; propterea nulli alij actus eliciti adscribi possunt huic virtuti præter enumeratos, & contentos sub dicta ratione communi amoris indistincti ab odio. Omnis igitur actus elicitus pœnitentiæ est indiuisim amor, & odium ex suo conceptu essentiali, ac specifico.

Ad 1. Actus, qui simul est amor, & odium formaliter, est aliquid plus, quàm purus amor, quoad multiplicitatem formalitatum inuicem dissimilium; quoad magnitudinem tamen perfectionis, est aliquid minus, vt apparet ex rationibus productis quæst. 80. ob quas itidem rationes D. Thomas 2. 2. quæst. 19. art. 9. Ad 3. postponit amori charitatis timorem Dei, etiam filialem. Sphæra autem actiuitatis, & continentiæ consideratur in vnoquoque habitu penes magnitudinem perfectionis conuenientis, ipsi, & eius actui; & non aliunde.

Ad 2. Gaudium de deletione peccati non est incompossibile cum displicentia, & detestatione circa peccatum; imò est connexum cum ipsa ex natura sua, quia prosecutio boni est fuga à malo contrario; solúmque proinde opponuntur fuga, & prosecutio circa idem. Rursus displicentia, & detestatio mali, alia est contristatiua, & dolorifera, atque sollicita, nempe quæ consurgit ex malo, vt præsenti, vel etiam præterito, sed adhuc perseuerante quoad aliquem ipsius effectum nociuum. Alia est displicentia, & detestatio purè reprobatiua, & nullatenus contristans nempe, quæ consurgit ex malo, vt purè præterito, nec iam amplius perseueranti, vel secundum se, vel quoad aliquem suum effectum nociuum. Prior displicentia, & detestatio opponitur plenitudini gaudij; ideoque non datur in beatis, quibus videlicet, nec peccatum inest vllum, nec vllus effectus nociuus peccati. Sola itaque posterior displicentia, ac detestatio datur in beatis. Quæ videlicet nullo ex capite

opponitur plenitudini gaudij vndequaque perfecti ; quandoquidem in Deo etiam datur, circa nostra peccata, nec habet admixtum aliquid doloris, aut tristitiæ,& solicitudinis. Quo ferè pacto D. Aug. lib.14.de Ciuit.cap.9.post medium, atque inde Theologi communiter, & quidem fidentius, quam ipse, componunt timorem castum,seu filialem,cum gaudio beatifico. Gaudent nimirum beati de vno, & timent aliud ; sicut etiam possunt gaudere de vno,& desiderare aliud : dummodo absit solicitudo, & anxietas, vti necesse est illis abesse, iuxta dicta quæst.5. de act. human.

Art. 1. Ad 3. Habitus qui prosequitur formaliter bonum secundum conceptum relatiuum ad aliquod malum, seu defectum, per nullum actum ferri potest ad idem bonum secundum conceptum absolutum, vt patet in exemplis initio propositis. Ratio est, quia habitus distingui possunt realiter quoad speciem, dependenter à sola distinctione rationis inter motiua, vt apparet ex quæstione 3. de virt. Theol. Quælibet autem res considerata secundum conceptum absolutum distinguitur ratione à se ipsa, vt considerata secundum conceptum relatiuum. Cum igitur pœnitentia feratur ad bonum oppositum peccatis,eorúmque deletiuum, formaliter vt oppositum, ac deletiuum, ideoque secundum conceptum relatiuum ; patet nullo suo actu ferri posse in ipsum bonum secundum se,seu secundum conceptum absolutum.

Art. 2. Porrò præexistentia peccati, licet nullam conferat, aut superaddat bonitatem peculiarem donis,quæ opponuntur eidem peccato, habeatque sufficientiam sibi intrinsecam ad illud delendum, confert nihilominus proximam peculiarem referibilitatem ad ipsum. Nempe quòd ex se est remotè referibile ad aliquem terminum, per positionem termini redditur proximè referibile. Et similiter quod est actiuum,seu quasi actiuum ex se remotè tantum,redditur actiuum proximè posito, seu applicato passo,seu materia,circa quam. Conferunt igitur peccata prædictis donis peculiarem amabilitatem quam antea non haberent ; non quidem intensiuam, cum non reddantur propterea digna maiori amore,quam antea ; bene tamen extensiuam,quia inde redduntur amabilia amore essentialiter relatiuo ad peccata præexistentia, vt præexistentia,quo prius amari non poterant.

Art. 3. Quia verò istiusmodi relatio est boni ad malum, propterea fundat amorem boni essentialiter detestatiuum mali, ad quod refertur. Est enim relatio disquiparentiæ, obiectiuè bona ex parte recti, & mala ex parte obliqui, ideoque fundat affectum duarum quasi facierum, inuicem oppositarum ; vtpote respicientem terminos inuicem oppositos. Hic porrò affectus differt specie à puro amore eorumdem bonorum per solum defectum perfectionis iuxta dicta in illa q.80.qua de causa dictum nuper est peccatum adiicere amabilitatem extensiuam tantum, & non intensiuam.

## QVÆSTIO LXXXIII.

### *Vtrùm actus omnium cæterarum virtutum sint imperabiles per Pœnitentiam?*

VIdetur non esse imperabiles per ipsam. 1. Quia virtus inferior non potest imperare actum virtutis superioris,sed è conuerso virtus superior habet imperium supra virtutem inferiorem. Qua de causa attribuitur charitati imperium supra reliquas omnes virtutes,nullique alij virtuti conceditur imperium supra ipsam, vt pluribus ostensum est quæst.41. de virt.Theol.dictum autem est supra q.80.pœnitentiam esse inferiorem reliquis omnibus virtutibus non præsupponentibus ex se peccatum. Ergo pœnitentia nullum alicuius eiusmodi virtutis actum imperare potest.

2. Actus pœnitentiæ præsupponit essentialiter, tum actum fidei, quia hæc essentialiter est directiua omnium actuum salutarium;tum actum spei,quia absque ipsa non potest intendi finis dependens à misericordia Dei supernaturaliter operantis,qualis finis est deletio peccatorum: Præsupponit præterea ex natura rei actum charitatis,& timoris, tum filialis, tum seruilis, vt constat ex eadem quæstione 80. artic.2. Impossibile autem est, vt subsint imperio alicuius virtutis, actus virtutum qui præsupponuntur ante illius exercitium. Impossibile igitur est vt pœnitentia, imperet actus omnium virtutum.

3. Quod est inductiuum actuum pertinentium ad omnes virtutes est appetibile per se, & non tantum per accidens ex suppositione minimè appetibili.Quia quod est inductiuum appetibilis per se, est & ipsum appetibile per se ; cum fieri non possit vt cui est appetibilis aliquis effectus, non sit eo ipso appetibilis eodem modo causa inductiua illius. Actus autem cæterarum virtutum sunt appetibiles per se, vt patet, cum tamen actus pœnitentiæ non sit appetibilis, nisi per accidens ex suppositione peccati minimè appetibili. Ergo actus pœnitentiæ non potest esse imperatiuus,seu inductiuus,& causatiuus,per suum imperium actuum pertinentium ad reliquas omnes virtutes.

4. Actus pœnitentiæ sufficiunt se solis ad obtinendum finem intentum per ipsos nempe ad obtinendam deletionem peccatorum, vt liquet ex diuinis remissionis peccatorum promissionibus factis cuilibet verè pœnitenti Ezech. cap.18. & cap.33. exque aliis testimoniis indicatis quæst.78.art.2. Nulla autem virtus inducit actiuitate sua, seu mediatè, seu immediatè quidquam, vltra ea, quæ sunt necessaria, & sufficiunt ad finem intentum per virtutem eandem,eidémque vnicè præfixum. Ergo virtus pœnitentiæ non imperat nec inducit per actus suos, actus vllius alterius virtutis.

Art. 1. Respondetur quælibet virtus applicat mediatè, vel immediatè omnes potentias interiores & exteriores ad omnes operationes,non solum omninò necessarias,& sufficientes, sed etiam vtcunque vtiles, & conferentes ad consecutionem sui finis. Quia qui vult aliquem finem, ex ipsa volitione, vndecunque demum, & ex quocunque habitu concepta sit, mouetur ac determinatur ad omnia media vtilia respectu talis finis ; nec nisi eo obtento iisque omnibus præstitis,quibus ipse obtinetur impetus intentionis præconceptæ conquiescere potest, aut cessare ab applicatione, & exercitio omnium potentiarum, ac virtutum,quæ insunt intendenti. Fieri enim alioquin posset vt quis vellet aliquid simúlque non vellet, aut vt volenti non parerent vires actiuæ intrinsecè subordinatæ voluntati. Omnium autem, & quarumlibet virtutum actus sunt vtiles ad consequendam deletionem,ac remissionem peccatorum, qui est finis intentus per pœnitentiam, quia omnes actus virtuosi sunt placentes Deo,& meritorij,saltem de congruo; ideoque omnes sunt idonei ad placandum Deum respectu peccatoris, & consequenter ad eum promouendum, vt remittat peccata, aut immediatè ratione actus iam exhibiti,aut mediatè ratione vlteriorum actuum maioris perfectionis, pro quibus eliciendis prouidentur auxilia gratiæ propter actus præexistentes. Itaque pœnitentia hoc habet ex sua natura, vt per actus suos imperare, ac inducere valeat actus omnium aliarum virtutum.

Art. 2. Contingit porrò dupliciter, vt actus vnius virtutis imperetur, ac inducatur per actum alterius virtutis. Primò perfectè, & omninò efficaciter efficacia affectiua, & effectiua. Secundo imperfectè, & efficaciter efficacia tantum affectiua. Efficacia effectiua perfecta vnius actus voluntatis respectu alterius actus imperati per ipsum est illa, quæ non solum est incompossibilis cum omissione actus imperati, sed etiam est sufficiens se sola ad superandam omnem difficultatem, quæ inest eidem actui imperato iuxta naturam ipsius; ideoque eum inducit absque vlla difficultate, potente de nouo retardare voluntatem quo minus ipsum eliceat. Talis Efficacia conuenit vniuersaliter virtuti superiori respectu virtutis inferioris, æquiualenter contentæ in ipsa. Qua de causa virtus charitatis imperat perfectissimè actus cæterarum omnium virtutum, vt dictum est quæst. 41. de virt. Theol. & similiter imperant, magnificentia actum liberalitatis, magnanimitas, actum fortitudinis, & sic de aliis proportionaliter. Huiusmodi Imperium non conuenit virtuti pœnitentiæ respectu cæterarum virtutum, cum sit imperfectior ipsis vt dictum est supra.

Art. 3. Iam efficacia vnius actus respectu alterius imperati per ipsum, absolutè imperfecta, & tantum affectiua seu remotè solum effectiua, est quidem incompossibilis cum omissione actus imperati pro instanti, pro quo eum imperat, non tamen sufficit se sola ad superandam omnem difficultatem, quæ inest eidem actui imperato, sed solum minuit eam ipsam difficultatem: tum immediatè, & formaliter, inclinando, & afficiendo voluntatem ad actum imperatum, tum mediatè, ac indirectè applicando intellectum ad considerationem motiuorum allicientium ad eliciendum, talem actum, & præcauendo pericula, occasiones, & circumstantias potentes auertere ab eodem. Imperium hoc modo efficax exercet virtus pœnitentiæ circa actus cæterarum omnium virtutum iuxta fundamentum præmissum, art. 1. virtus namque pœnitentiæ remouet vnumquemque ex sua natura, à periculis fouendi, & relinquendi inexpiata peccata præcedentia, & applicat animum ad recogitandum Deo omnes annos suos ad memoriam nouissimorum, & ad æternorum omnium meditationem, quousque tandem, vel immediatè, vel interpositis facilioribus aliarum virtutum actibus, & meritis contritionem perfectam, aut attritionem cum confessione, atque inde deletionem, & expiationem peccatorum primitus intentam consequatur. Eatenus igitur cæteratum omnium virtutum actus dicuntur imperari, & verè imperantur per pœnitentiam, quatenus ipsa multipliciter inclinante, ac solicitante, vtitur voluntas ministerio omnium virtutum ad placandum Deum compensandum peccata, & obtinendam remissionem eorum.

Art. 4. Actus hoc modo inducti per pœnitentiam, duplici rursus ratione, dicuntur imperati per ipsam. Primo formaliter, & per se. Secundo purè materialiter, & per accidens. Actus purè materialiter, & per accidens imperati per pœnitentiam sunt illi, qui fiunt quidem præeunte, ac alliciente actu elicito pœnitentiæ; simul tamen fiunt absque vlla reflexione formali, aut ordine intrinseco ad finem, & obiectum peculiare ipsius pœnitentiæ. Perinde nimirum, atque si eliceretur ab homine prorsus innocente, aut à peccatore nihil cogitante de peccatis, déque eorum aut compensatione, aut deletione, quantum attinet ad prædicata omnia intrinseca talium actuum; licet extrinsecè sint proprij pœnitentis, vt pœnitentis per denominationem ab actu elicito pœnitentiæ, quatenus ex eius motione, & applicatione, veluti à prima radice mediatè proueniunt. Huiusmodi actus non dicuntur simpliciter actus imperati pœnitentiæ, sed cum hoc addito; extrinsece, & materialiter tantum. itaque actus formaliter, & per se imperati per pœnitentiam, sunt illi soli, qui ita feruntur in motiuum vniuscuiusque alterius virtutis proprium, vt simul ex motione actus eliciti pœnitentiæ, adiiciant per se ipsos dolorem aliquem, & detestationem peccatorum, ideoque intrinsecè, ac essentialiter sint proprij pœnitentis gementis, & tendentis ad deletionem eorundem peccatorum. Præcipui, inter huiusmodi actus, sunt timor, tum seruilis, tum filialis, attritio, & contritio, atque propositum formale emendationis imposterum, qui proinde actus, nomine pœnitentiæ absolutè prolato, significantur frequenter in Sacris litteris, & Conciliis, nec non apud SS. PP. Atque hoc profecto in causa, vel maximè fuit, vt plures Theologi confunderent virtutem pœnitentiæ, cum virtutibus omnibus, aut cum aliqua, vel aliquibus ex his per quas eliciuntur immediatè tales actus, cum reipsa mediatè tantum pertineant ad virtutem specialem pœnitentiæ, tanquam intrinsecè imperati per ipsam, atque relati ad finem eiusdem prout expositum hucusque est. His itaque modis virtus Pœnitentiæ imperat, & refert ad finem proprium, actus omnium aliarum virtutum.

Ad 1. Virtus superior infert actum virtutis inferioris imperio perfecto, & omnino efficaci. Inferior verò infert actum superioris imperio imperfecto, & affectiuè tantum efficaci, aut cum efficacia effectiua, tantum remota, & diminutiua difficultatis, vt dictum est. Prior processus est per se proprius existentis in gratia, & charitate; atque habentis virtutes in gradu perfecto. Posterior verò processus est per se proprius peccatoris, aut nondum habentis virtutes in gradu perfecto. Vnde quia pœnitentia principaliter spectat ad peccatorem existentem in peccato, aut habentem virtutes in gradu imperfecto; & propterea pœnitentiæ attribuitur absolutè quod per suum qualecunque imperium imperfectum, inducat cæterarum virtutum actus; cum in pœnitente adepto iam statum perfectionis seruetur oppositus ordo, nempe, vt actus pœnitentiæ procedat ex imperio perfecto charitatis, & timoris filialis.

Ad 2. Intentio pœnitentiæ concepta dependenter ab actibus fidei, & spei, aut aliarum etiam præterea virtutum præscribit deinde, vt earumdem virtutum actus aut continuentur vlterius, aut repetantur sæpius, prout expedit ad consecutionem finis per ipsam intenti. Quod etiam contingit in actu charitatis, quatenus præsupponit similiter actus, vt minimum fidei, & spei; sed inducit postea vi, & causalitate sua, eorundem, vel repetitionem, vel vlteriorem conseruationem. Ex quo apparet dari inter virtutes mutuum imperium, mutuámque causalitatem; sed secundum diuersos numero actus, aut diuersam eorum durationem. In quo nullum est inconueniens. Itáque virtus pœnitentiæ potest quidem per suum imperium inducere cæterarum omnium virtutum actus quodcumque dictum est supra, non tamen omnes, quod solum euincit obiectio.

Ad 3. Actus aliarum virtutum, qui sunt intrinsecè ordinati ad finem specialem pœnitentiæ, ideoque dependent per se ab eius imperio, non sunt appetibiles per se, sed solum ex suppositione accidentali. Quia essentialiter præsupponunt peccatum, aut falsam existimationem peccati, sicut actus ipsius pœnitentiæ, & neutra suppositio est appetibilis per se. Actus autem aliarum virtutum, qui extrinsecè tantùm sunt ordinati ad finem specialem pœnitentiæ; sunt quidem appetibiles per se, non tamen dependent per se ab actu, & imperio penitentiæ, vti explicatum est supra: Non ergo sequitur actus pœnitentiæ, esse appetibiles per se; quandoquidem non

sunt inductiui per se omnium, aut quorumlibet indiscriminatim actuum pertinentium ad alias virtutes, sed tantum eorum, qui ratione sui obiecti materialis præsupponunt per se peccatum; ideóque non sunt appetibiles per se.

Ad 4. Remissio peccatorum promittitur à Deo in sacris litteris, pœnitentiæ vltimò completæ,& provt complectenti vltra actus immediatè elicitos per specialem virtutè pœnitentiæ,alios etiam imperabiles per ipsam,vsque ad supremum,qui est actus charitatis. Vnde non sequitur specialem virtutem pœnitentiæ non imperare aliquos actus aliarum virtutum; sed tantùm sequitur totam collectionem eiusmodi actuum pertinentium ad pœnitétiam vndequaque completam,non procedere imperando alios vlteriùs actus sine fine.

## QVÆSTIO LXXXIV.

### *Vtrùm actus eliciti, & imperati Pœnitentiæ contineant in se contemptum honestatis, ipsiúsque summi boni secundum se?*

VIdentur continere. 1. Quia intendens aliquem finem, ea ipsa intentione est dispositus ad omittendum,& contemnendum ea omnia, quæ ordinat ad consecutionem talis finis,ex suppositione, quod idem finis sit iam obtentus, aut iam non subsistat ea ratio formalis, sub qua intenditur. Virtus autem pœnitentiæ, per suos actus, tùm elicitos immediatè, tum per se, ac intrinsecè imperatos, fertur ad omnem rationem honestatis, ipsúmque summum bonum complectitur relatè ad deletionem peccati, tanquam ad suum finem specialem; atque huic fini, ac deletioni nullus est locus secluſa præexistentia peccati, quatenus nondum deleti. Ergo actus eliciti, & imperati pœnitentiæ disponunt animum ad contemptum totius honestatis, ipsiúsque summi boni secundum se præcisè consideratí, siue vt seiuncti à peccato præexistente, & nondum deleto; atque adeò feruntur ad summum bonum, totámque rationem cuiusuis honestatis; sicut fertur ægrotus, vt talis ad medicum, & medicinam, cuius sanè affectus continet in se, implicitè saltem,& virtualiter contemptum medicinæ, & Medici secundum se præcisè consideratí, seu secluſa ægritudine.

2. Actus determinans ad peccandum pro aliquo peculiari euentu, semper continet in se intrinsecè contemptum Dei, & consequenter totius honestatis. Actus autem pœnitentiæ determinat ad peccandum pro aliquo euentu. Pro eo videlicet, in quo appareat esse necessarium peccare de nouo, vt possit delere peccatum præcedens. Qui casus est absolutè possibilis,fieri namque potest, vt quis credat nullum peccatum deleri posse absque Sacramento pœnitentiæ re ipsa adhibito; simúlque credat esse intrinsecè malum, & peccatum lethale, negare Christum coram Tyranno, minante necem protinus inferendam,si nolit negare Christum. Si ergo contingat Tyrannum minari de facto necem, in cum finem homini habenti talem fidem, simúlque existenti in peccato lethali, & insuper destituto copia Confessoris, atque exercenti actum virtutis pœnitentiæ, ac demum coniecto ob hæc omnia simul, in necessitatem vagam, vel negandi Christum, & peccandi de nouo, vel nunquam delendi, per totam æternitatem, peccatum ante commissum. Is inquam homo, his omnibus positis, determinabitur vtique, ex vi sui actus pœnitentiæ, ad negandum Christum, & ad peccandum de nouo lethaliter; vt sic conseruata vita, possit habere locum, & tempus inueniendi Confessorem,& delendi vtrumque peccatum. Ergo actus pœnitentiæ ex suo conceptu est talis, qui possit determinare ad peccandum pro aliquo euentu; ac proinde est intrinsecè contemptiuus Dei, & totius honestatis.

3. Actus pœnitentiæ tam eliciti, quam imperati oriuntur, saltem vt plurimum, vti superius dictum est, ex timore seruili primum omnium præconcepto. Timor autem seruilis detestatur peccatum, præcisè quatenus nociuum respectu peccatoris, & propter pœnas inferni,ac proinde detestatur magis nocumentum proprium timentis, & pœnas inferni, quam rationem offensæ Diuinæ repertam in peccato. Ergo continet in se saltem virtualiter, & implicitè, voluntatem efficacem offendendi potius,& contemnendi Deum, incurrendi pœnas infer[illegible] nec non vitandi pœnas potius, quam culpam data optione per possibile, vel impossibile,vitandi alterutrum ex his duobus malis, incurso alterutro, & non aliter. Eadem est ratio de attritione detestante culpam commissam & offensam Dei propter turpitudinem illi conuenientem relatè ad ipsum peccatorem, & propter pœnas, præcisè quatenus nociuas eidem peccatori, ideoque contemnente, implicitè saltem, & virtualiter rationem malitiæ, quæ conuenit peccato relatè ad Deum, nec non rationem offensæ Dei, comparatas cum nocumento peccatoris. Demum actus contritionis, qui est perfectissimus inter actus proprios pœnitentis,est absolutè compossibilis cum prædictis actibus timoris seruilis, & attritionis; quandoquidem induci potest per ipsos, & potest eosdem vicissim inducere per imperium, vt patet ex quæstione proximè præcedenti. Ergo hic etiam actus, continet in se eundem contemptum comparatiuum Dei,certè non continet in se appretiationem contrariam prælatiuam Dei super omnia. Ex quibus concluditur actus pœnitentis proprios, quales à nobis superius expositi, atque asserti sunt honestos, & laudabiles minimè esse, sed esse essentialiter turpes, ac peccaminosos.

Respondetur. Nullus vllius virtutis actus potest præferre bonum minus, bono maiori, aut illud appretiare plusquam istud, dum vtrumque præcognoscitur, vt tale. Quia omnes quarumlibet virtutum actus sunt conformes primæ regulæ morum; idest dictamini sapientiæ Diuinæ, atque Diuinæ voluntati, vt liquet ex quæst. 20. de act. hum. Non autem cadit in Diuinam sapientiam, & voluntatem inuersio affectuum contraria dignitati rerum, aut approbatio talis inuersionis. Eadem est ratio proportionalis de virtuosa, & laudabili detestatione maioris, & minoris mali. Actus autem, tam eliciti, quam imperati proprij pœnitentis sunt virtuosi,& laudabiles, tam comparatione boni, quod prosequuntur, quam comparatione mali, quod detestantur. Quia sub vtroque conceptu consuluntur, & præcipiuntur sæpè à Deo, vt liquet ex locis indicatis q. 77. art. 2 & apparebit magis infra circa præceptum, & obligationem pœnitendi,nec obscurè colligitur ex tota quæst. 75. Impossibile igitur est, vt actus, siue eliciti, siue imperati pœnitentiæ contineant in se contemptum; aut postpositionem boni honesti, comparatione purè vtilis, aut delectabilis. Multo verò clarius est impossibile vt iidem actus contineant in se contemptum, aut postpositionem summi boni comparatione alicuius rei creatæ. Eadem porro ratio est proportionaliter de contemptu mali culpæ, & offensæ Dei comparatione mali pœnæ, & nocumenti redundantis in peccatorem.

Ad 1. Fertur quidem ad deletionem peccati, vt ad finem suum peculiarem intentio pœnitentis, non tamen fertur ad ipsam tanquam ad finem vltimum, sed tanquam ad proximum, & intermedium, eúmque ordinat vlterius ad felicitatem, & summũ bonum,seu

ad

ad finem simpliciter vltimum. Hoc nimirum est essentiale omni actui honesto, & laudabili, vt vel feratur immediatè ad finem simpliciter vltimum, vel versetur immediatè circa alia cum subordinatione ad eundem, vt liquet ex loco indicato de act. hum. & ibidem sæpiùs obseruatum est. Qui autem afficitur ad aliquid cum subordinatione ad aliquid aliud, non potest, ex vi talis affectus, esse dispositus ad contemptum huius alterius finis, secundum, se vel etiam cæterorum, quæ connectuntur cum eodem. Intentio igitur pœnitentis nullum omnino continet in se contemptum summi boni secundum se, vel etiam vllius alterius obiecti secundum se honesti, atque ad neutrum horum fertur, sicut fertur intentio ægroti ad medicum, & medicinam cum intentio ægroti feratur ad medicum, & medicinam, vt ad purum medium, quatenus vtile ad sanitatem; intentio verò pœnitentis feratur ad summum bonum tanquam ad vltimum finem, & ad cætera omnia, vtcunque honesta, quatenus conferunt ad consecutionem eiusdem summi boni.

Art. 1. Ad 2. qui afficitur ad aliquid, vt ad finem proximum, & immediatum, cum relatione, & subordinatione ad vlteriorem alium, finem, quo pacto dictum est affici pœnitentem ad deletionem peccatorum comparatam cum Deo, & eius lege; occurrente deinde incompossibilitate finis immediati cum illo alio vlteriori fine necessario suspendit affectum præexistentem ad eundem finem immediatum, & cum eadem necessitate determinatur ad alterutrum ex duobus. Vel enim conuertitur ad finem immediatum occurrentem de nouo compossibilem cum eodem illo vlteriori fine, & incompossibilem cum priori fine immediatè; vel concipit nouum affectum ad ipsum priorem finem immediatum, absque relatione, & subordinatione ad dictum vlteriorem finem, redditum iam incompossibilem cum eodem priori fine immediato: Quapropter intendens deletionem peccatorum ex virtute pœnitentiæ, & redactus postea ad angustias, vel peccandi de nouo, negando Christum, vel omittendi deletionem peccatorum; necessariò cessaret à priori affectu deletionis peccatorum; atque cum eadem necessitate, vel eligeret martyrium retenta fide Christi, eiusque professione, & omissa deletione peccatorum; vel conciperet nouum affectum peccaminosum eiusdem deletionis, contemptiuum Dei, & Christi. Qui sanè nouus affectus deletionis peccatorum, iam non esset ex virtute pœnitentiæ, sed ex inordinato, ac vitioso amore sui, atque niteretur nouo motiuo formali longè diuerso à priore motiuo, quod erat deletio peccatorum, quatenus conferens ad summum bonum: Apparet igitur clarè nullum actum proprium virtutis Pœnitentiæ, siue elicitum, siue imperatum, determinare vnquam posse ad peccandum.

Art. 2. Casus porrò eiusmodi impossibiles per se, & possibiles tantùm per accidens ex falsa existimatione, possunt fingi multipliciter. Omnes tamen determinari ac expediri facilè possunt ad eum modum, quo determinatus, & expositus est casus obiectionis, dummodo obseruetur diligenter principium prænotatum, ac certum, subordinationis essentialis omnium virtutum moralium ad vltimum finem, quoad omnes ipsarum actus. Verum hoc præterea obseruandum est pro expediendis legitimè talibus tricis, neminem ex vlla suppositione incidere posse in casum perplexitatis necessitantis ad peccandum: Quia vtcunque sinistrè præconcipiantur principia vniuersalia, cum ventum erit ad opus, necesse erit, vt vltimum dictamen conscientiæ iudicet alterum tantum ex quibusuis eligibilibus inuicem incompossibilibus, esse vitandum, & alterum tantùm eligendum, vt dictum est quæst. 27. de act. hum. ad 2.

Art. 1. ad 3. Sicut intellectus affirmans vnam aliquam formalitatem alicuius obiecti, non propterea necessariò negat, aut in dubium reuocat, vel etiam virtualiter, aut implicitè aliam eiusdem obiecti formalitatem, à qua præscindit, ita voluntas, dum afficitur ad aliquid sub vna aliqua ratione formali, non propterea, odio habet, aut contemnit necessariò, vel etiam virtualiter, & implicitè sub alia ratione formali, à qua præscindit. Idem dicitur de negatione intellectuali, & de detestatione affectiua sub vno conceptu, cum præcisione sub alio conceptu. Licèt, ergo timor seruilis oderit peccatum, præcisè quatenus dedecens; aut nouiuum respectu timentis; non propterea illud amat, aut contemnit, vel etiam virtualiter, & implicitè, quatenus est dedecens, & offensiuum respectu Dei. Quia videlicet ita fugit à peccato, vt præscindat à posteriori isto conceptu. Qua eadem ratione tuetur D. Thomas honestatem timoris huius seruilis 2.2. quæst. 19. art. 4. & 6. Idem dicitur, quasi à fortiori, de attritione. Quæ videlicet ita detestatur peccatum præcedens propter turpitudinem eius, vel propter pœnas, quæ ex eo imminent, vt non contemnat rationem separationis à Deo, nec rationem offensæ Dei.

Art. 2. Quod caput est, vterque is actus, provt exercitus à vero pœnitente, & provt pertinet ad præsentem considerationem, atque ad virtutem pœnitentiæ fugit à malo pœnæ, quin in hoc constituat vltimum finem, imò cum subordinatione formali eius fugæ ad finem simpliciter vltimum, qui est Deus, vt nuper dicebatur. Neuter itaque actus disponit animum vllo modo ad contemptum offensæ Dei, ipsiúsque Dei secundum se, pro euentu, in quo peccatum non esset, seu non putaretur inductiuum pœnarum; sed tantùm non disponit positiuè, & perfectè ad detestationem, & fugam eiusdem peccati pro eodem euentu. Hæc videlicet est vis, & dispositio propria affectus præcisiui modo expositi. Quæ proinde præcisio perabsurdè confunditur à Iansenio, & à nonnullis aliis cum affectu contemptiuo eius, à quo præscinditur.

Art. 3. Ex eadem doctrina apparet vlterius, actum perfectæ contritionis, licet in se contineat essentialiter appretiationem Dei super omnia alia, & detestationem peccati, quatenus est offensa Dei, vti certissimè continet; non propterea esse incompossibilem cum cæteris minus perfectis actibus pœnitentis quibuscum confertur in obiectione. Quia actus eiusdem minus perfecti non reiiciunt, aut contemnunt motiuum contritionis secundum conceptum eius formalem, sed tantum ab eo præscindunt. Præcisio autem ab aliquo, eiusque prætermissio facta per vnum actum non opponitur non præcisioni ab eodem, seu inclusioni eiusdem per alium actum, vt per se satis patet & clarius apparet ex prænotata comparatione cum similibus actibus intellectus. Manifestum igitur est actus proprios virtutis pœnitentiæ, tam elicitos quam imperatos, quales illi attribuuntur communiter à Theologis omnibus Catholicis, esse honestos, ac laudabiles, nec in se vllo pacto continere vllum contemptum summi boni, aut cuiusquam alterius motiui honesti, quatenus honestum est, seu dum retinet conceptum honestatis.

PARS

# PARS ALTERA
## De Sacramento Pœnitentiæ.

## QVÆSTIO LXXXV.

### *Vtrùm Sacramentum Pœnitentiæ sit conuenienter institutum.*

VIDETVR non esse conuenienter institutum. 1. Quia quæ sunt de iure naturæ, non indigent institutione, nec congruenter alterantur per institutionem. Pœnitere autem de peccatis commissis, & quærere doloris remedium, quo tollantur peccata causatiua ipsius doloris, est de iure naturæ, vt patet ex dictis supra quæst. 76. Ergo Sacramentum Pœnitentiæ non est congruenter institutum.

2. Quod præcessit in veteri Testamento congruit nouo. Præcessit autem in veteri Testamento Pœnitentia cum vi delendi peccata, vt colligitur ex Ier. 8. 6. maximè verò ex verbis illis cap. 18. 8. *Si Pœnitentiam egerit gens illa à malo suo &c. agam, & ego Pœnitentiam super malo, &c.* Ergo non debuit institui hoc Sacramentum in testamento nouo.

3. Conuenientissimè demisit peccata Christus Dominus, quibus dimisit. Dimisit autem absque Sacramento Pœnitentiæ quo nunquam est vsus, sicut vsus est aliis Sacramentis, maximè vero Sacramento Eucharistiæ, ad communicandos eorum effectus. Ergo vsus Sacramenti Pœnitentiæ non est conueniens, & consequenter nec institutio eius fuit conueniens.

4. Non est conueniens, quod inducit facilitatem peccandi. Multi autem facilè peccant propter spem veniæ facilè obtinendæ per hoc Sacramentum. Ergo hoc Sacramentum non est conueniens.

5. Istud Sacramentum includit in se confessionem peccatorum. Confessio autem peccatorum non est conueniens. Primum quia, qui illam audit, malo exemplo, & excitatione malarum specierum inducitur ad peccandum. Deinde quia est onus nimis graue, & quale, nec in veteri quidem lege, vllum fuit, vt quis teneatur detegere alteri homini omnes latebras cordis sui omnémque materiam propriæ confusionis eidem exponere. Postremò quia impertinenter se habet ad remissionem peccati, vt peccator illud agnoscat, & confiteatur coram eo ad quem non spectat ratio offensæ reperta in ipso peccato. Ergo hoc Sacramentum non est conuenienter institutum.

6. Nulla duo Sacramenta ad vnum eundémque finem particularem conuenienter ordinantur. Extat autem Sacramentum Baptismi ordinatum ad remissionem peccatorum, vt liquet ex qq. 37. & 47. Ergo perperam hoc aliud Sacramentum superadditur ad eundem finem.

Art. 1. Respondetur ex dictis supra q. 34. & 35. constat pœnitentiam esse vnum ex septem Sacramentis nouæ legis, & quartum inter ipsa locum tenere, tam ordine perfectionis, & necessitatis, quam rationis, seu doctrinæ. Definitur autem communiter: *Sacramentum reconciliationis cum Deo post lapsum, in actibus pœnitentis, & absolutione Sacerdotis per modum iudicij consistens.* Lapsus intelligitur personalis. Quia reconciliatio, post lapsum originalem, non fit per modum iudicij; cum in iudicio simpliciter tali, idest accusatiuo, & emendatiuo rei; de iis tantum conueniri quisque debeat, quæ commisit propria voluntate. *Actus pœnitentis* intelliguntur congruentes reconciliationi cum Deo, per ministerium Sacerdotis gerentis vices Dei. Quatenus reconciliatio fit cum Deo, qui *intuetur cor.* 1. Reg. 16. 7. requiruntur actus interni contrarij priori actui peccaminoso, & offensiuo Dei. Quatenus verò interuenit ministerium hominis impotentis peruadere ad arcana cordis, absque exterioribus signis, requiritur actus exterior confessionis manifestantis, tum peccata commissa à quibus absoluendus est reus, tum legitimum de illis dolorem internum, intuitu cuius absoluendus est. Tò *per modum iudicij* significat absolutionem istam non esse prorsus gratiosam, sed aliquatenus onerosam, ac proinde debere imponi reo à Sacerdote conuenientem pœnam, cuius executione illis satisfaciat pro suis peccatis. Demum quia Sacerdos nequit absoluere modo humano, ac proprio absolutionis impendendæ homini ab homine, nisi interiorem condonatoriam voluntatem, exteriori signo, palam faciat; intelliguntur comprehensa, in definitione, verba absolutoria Sacerdotis, simul cum vera intentione absoluendi.

Art. 2. Ex his apparet partes intrinsecè constitutiuas huius Sacramenti, esse actus in primis pœnitentis; nempe tum contritionem, vel attritionem internam qua recedit à peccato, & accedit ad Deum; à quo recesserat per peccatum; tum exteriorem confessionem, qua Sacerdoti, tanquam Iudici exponuntur peccata; tum opera satisfactoria iniuncta à Sacerdote in pœnam, & compensationem peccatorum: aliam verò præterea partem esse verba illa absolutoria Sacerdotis. *Ego te absoluo*, simul cum præcepto iniungente, ac determinante satisfactionem, quæ exhibenda est à pœnitente. Ex his porro partibus contritio; & confessio pœnitentis habent rationem materiæ; verba verò absolutoria Sacerdotis, & intentio absoluendi habent rationem formæ, vt colligitur ex Conc. Trid. sess. 14. cap. 3. Quia videlicet contritio, seu attritio, & confessio præmittuntur cum indifferentia, vt mox superaddatur, vel non absolutio Sacerdotis. Cuiusmodi indifferentia est propria materiæ. Adiungitur verò deinde eadem absolutio cum intentione præsupponens, per se, vtrumque eum actum pœnitentis, ideoque habens ex se maiorem determinationem, vt cum vtroque coniungatur. Quæ maior determinatio est propria formæ, vti expositum est supra in genere quæst. 4.

Art. 3. Quia verò in his duobus saluatur adæquatè essentia reconciliationis huius iudicialis actiuè sumptæ, necnon significatio practica eiusdem reconciliationis passiuè sumptæ, seu remissionis peccatorum, & infusionis gratiæ iustificantis; concluditur satisfactionem, tum provt iniunctam à Sacerdote; tum provt exhibendam à pœnitente, ipsámque eius exhibitionem esse partem intrinsecam, quidem, & substantialem huius Sacramenti, sed integralem tantùm. Ita videlicet, vt per ipsam perficiatur, augeatur atque vltimo compleatur significatio, & efficacia Sacramenti, & tamen eadem parte sublata, subsistat nihilominus essentia Sacramenti, nec non principalis eius effectus, qui est deletio peccatorum quoad culpā, & quoad pœnam saltem æternam. Quæ est communis sententia Theologorum, circa quam videri possunt, si placet, quæ dicta sunt in re similī, quæst. 60. Iam peccata ipsa sunt materia remota huius Sacramenti. Materia quidem, quia circa ipsa versantur, tum contritio, & confessio, tum absolutio. Remota verò, seu extrinseca, quia peccata pertinent ad hoc Sacramentum, formaliter quatenus peccata sunt. Nequit autem peccatum sub conceptu formali peccati esse pars intrinsecè constitutiua causæ expiantis, ac destruentis ipsum peccatum. Quia nihil est causa, nec totalis, nec partialis destructiua alicuius ex iis quibus intrinsecè constituitur, cum primum existit. Verum de hoc redibit iterum sermo infra quæst. 90. ad 1.

Art. 4.

Art. 4. Expositis in hunc modum partibus pœnitentiæ, potest ipsa iterum definiri quasi physicè. *Sacramentum deletiuum peccatorum, constans contritione, & confessione pœnitentis, atque absolutione legitimi Sacerdotis.* Vbi contritio ponitur secundum suum conceptum vniuersalem, provt præscindit à perfecta, & imperfecta. Additur verò *legitimi Sacerdotis.* Quia non quilibet Sacerdos potest absoluere validè à quibusuis peccatis, & validum circa ipsa Sacramentum perficere, vt infra dicetur. His porro partibus in hunc sensum acceptis perinde est bona definitio data, atque est bona hominis definitio, qua dicitur eum esse compositum ex anima rationali, & corpore organico. Quæ videlicet non aliter sunt partes essentiales hominis; atque sunt partes essentiales Sacramenti pœnitentiæ, contritio, confessio, & absolutio.

Art. 5. Demum, ex præmissa huius Sacramenti, & partium, quibus constat, expositione, apparet conuenientissimè institutum illud fuisse: Quia effectus remissionis peccatorum, in quem ordinatur; est maximè congruens humanæ fragilitati, & indigentiæ huius remedij in illa fundatæ. Partes verò, ex quibus constat, sunt peridoneæ, vt homo, iuxta exigentiam suæ naturæ perfectissimè reformetur, vt infra clariùs innotescet, dum singulæ seorsim partes diligentius, ac plenius exponentur. Institutum autem est hoc Sacramentum, quoad suam substantiam, ac essentiam à Christo Domino post suam resurrectionem per illa verba directa ad Discipulos, quæ habentur Ioan. 20. 22. *Accipite Spiritum sanctum. Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta sunt. Quo tam insigni facto, & verbis, tam perspicuis*, subiungit Conc. Trid. sess. 14. cap. 1. *potestatem remittendi, & retinendi peccata ad reconciliandum fideles post Baptismum lapsos, Apostolis, & eorum legitimis successoribus fuisse communicatam, vniuersorum Patrum consensus semper intellexit:* Atque ita intelligi debere meritò ibidem definitur, & infra opportunè colligetur.

Ad 1. Conceditur cum D. Thoma quæst. 84. art. 7. esse de iure naturæ, quòd quis doleat de malis, quæ fecit, & quod quærat remedium doloris. Non tamen prouenit ex iure, & lege naturali determinatio, & efficacia remedij ad id sufficientis, præsertim pro statu præsenti eleuationis, & gratiæ, in quo plura superadduntur ex benignitate Saluatoris; vltra ea, quæ præcisè sufficerent, & sunt necessaria; & in quo vires naturæ non sufficiunt ad deletionem peccatorum, imò nec iuuarentur, quantum par, & conueniens est per sola interna auxilia supernaturalia gratiæ, absque peculiaribus externis subsidiis, vt apparet ex modo dictis, & iis quæ præmissa sunt in communi quæst. 11. Conuenienter igitur institutione speciali subuentum est fragilitati, & indigentiæ humanæ, pro re vsque adeò ardua, & vsque adeò frequenter necessaria, qualis est remissio, ac deletio peccatorum.

Ad 2. Dicitur, cum eodem D. Thoma ibidem, dari quidem, quoad pleráque, analogiam quandam inter vetus, & nouum testamentum; sed cum magno perfectionis excessu in nouo. Vnde licet daretur in lege etiam veteri aliqua exterior manifestatio peccatorum, saltem in genere, per oblationes expiatorias illorum; non tamen dabatur tunc potestas clauium cum collatione gratiæ, & remissionis peccatorum ex opere operato, quæ adest in lege gratiæ, prouisis insuper ministris idoneis curationi, & directioni animarum. Quæ sunt prærogatiuæ mutantes, ac promouentes substantialiter modum pœnitentiæ proprium veteris legis.

Ad 3. Christus Dominus habuit potestatem excellentiæ ad impertiendos effectus Sacramentorum, quam non habent inferiores Ministri, quos ipse sibi substituit. Habuit præterea notitiam immediatam omnium secretorum cordis, tam quoad peccata, quam quoad contritionem de ipsis, circa omnes homines quam notitiam cæteri nequaquam habent. Potuit proinde vti modo remissionis certissimè optimo, maximeque accommodato respectu cuiusque, independenter ab externis adminiculis. Quod pariter dici non potest de cæteris. His igitur de causis decuit, vt Christus Dominus aliter, ac ipsius ministri, remitteret peccata; nec fuit coueniens, vt ipse quoad hoc, operaretur dependenter ab exterioribus instrumentis antecedenter præinstitutis, provt oportet vt operentur cæteri. Quibusdam nihilominus aliis Sacramentis vsus etiam est per se ipsum immediatè: propter speciales rationes, quæ circa singula opportunius exponuntur; sed præsertim visus est Sacramento Eucharistiæ ad commendandam specialiter, proprio suo vsu peculiarem eius præstantiam, & dignitatem infinitam.

Quartum, & quintum argumentum sibi inuicem respondent ex parte. Ostendunt enim facilitatem obtinendi remissionem peccatorum per hoc Sacramentum, esse contemperatum iuxta proportionem difficultatis, quæ inest, & contritioni perfectæ, & confessioni. Ad quartum præterea seorsim dicitur: In primis peccata non esse principaliter vitanda propter difficultatem obtinendi remissionem eorum, sed magis propter magnitudinem mali, ob quam sunt detestabilia quodammodo infinitè. Deinde incertum omnibus semper esse, an sit dandus Sacramenti pœnitentiæ locus; & rursus an peccator sit vsurus bene tanto beneficio, casu, quo Deus illud sibi indulgeat Denique fore maius inconueniens, si reditus ad gratiam esset difficilior, quam iam est. Nempe, existente maiori redeundi, ac resurgendi difficultate, quamplures ea de causa præcipitarentur in vlteriora peccata sine fine. Vnde euaderet maior absolutè multitudo peccatorum, nec non hominum reproborum. Eo vel maximè, quia plerique peccant nihil cogitantes de facilitate, aut difficultate reditus ad gratiam; nemo verò ad eam redit, quin experiatur totam difficultatem, quæ interuenit in redeundo, ac resipiscendo. Expediens igitur magis fuit impedire permanentiam in peccato inducta facilitate aliqua obtinendæ veniæ quam ipsam veniæ consecutionem reddere difficilem, ad vitandum lapsum.

Ad 5. Confessio imprimis fit à peccatore cum obligatione, & signis compunctionis, ac emendationis, atque cum exhibito humilitatis exercitio, & quidem maiori, quo maiora sunt peccata. Hæc autem præsens bona peccatoris dispositio, ac operatio, valet magis per se ad ædificandum, quam memoria præteritorum peccatorum ad scandalizandum; certè æquiponderat, vt minimum illud bonum huic malo. Quod si quis nihilominus per accidens, præuideat periculum peculiariter nociuum respectu sui ex particulari aliqua confessione audienda; potest, ac debet sibi consulere, abstinendo ab eius auditione. Deinde si fructus lotus Sacramenti comparetur cum onere confessionis, leuissimum profecto apparet onus, & fructus maximus. Quid enim est cófusio momentanea, nullum præterea effectum temporaliter nociuum paritura, si componatur reconciliationi cum Deo, & beatitudini æternæ, vna cum curatione, & directione spirituali adhibenda opportunè à Sacerdote? Nihil profecto comparatiuè leuius fuit in lege veteri; in qua videlicet nihil fuit, quod conferret gratiam, & dimitteret peccata ex opere operato, tametsi multa iniungerentur absolutè difficilia. Demum agnitio, & confessio peccati coram eo, qui gerit vices offensi, cum commissione, & potestate, ab eo facta ad iudicandum, & remittendum, non se habet impertinenter, sed omninò conuenienter ad remissionem offensæ. Tales autem

tem sunt Sacerdotes comparatione Dei offensi, vt infra dicetur.

Ad 6. Peccatum originale, & personale sunt longè diuersæ rationis. Oportuit proinde, vt diuersa pro vtrisque remedia instituerentur. Peccata namque personalia superueniunt sæpe de nouo alia, atque alia post demissionem eorum. Præterea committuntur ab vnoquoque per errorem proprij intellectus, atque per deuiationem propriæ voluntatis. Ac demum sunt occulta ex sua natura, saltem vt plurimum, aliis quam committenti ipsi. Ob hæc igitur oportuit, vt in illorum remedium institueretur Sacramentum, quod, & iterabile esset, & exigeret motum liberum peccatoris à peccato ad Deum, & interponeret iudicium, ac directionem Sacerdotis, cui ad hunc finem innotesceret per confessionem status, & indigentia pœnitentis, quale Sacramentum est Pœnitentia. Baptismus verò principaliter institutus in remedium originalis peccati, est diuersæ quoad omnia conditionis, quia peccatum originale habet proportionalem quoad eadem diuersitatem, à peccato personali.

## Qvæstio LXXXVI.

*Vtrùm Sacramentum Pœnitentiæ sit necessarium necessitate medij?*

VIdetur non ita esse necessarium. 1. Quia id est necessarium necessitate medij, sine quo non potest haberi finis, vtcunque contingat illud abesse. Finis autem hominis potest haberi absque isto Sacramento, per contritionem, etiam post lapsum subsecutum ad Baptismum, præsertim si desit copia Confessionis. Ergo non solum iis, qui nunquam amiserunt gratiam Baptismalem, sed neque etiam lapsis post Baptismum est necessarium istud Sacramentum necessitate medij.

2. Contritio perfecta non est necessaria ad salutem necessitate medij, vt est in confesso apud omnes, idque præcisè; quia potest suppleri per Sacramentum Pœnitentiæ cum contritione imperfecta, seu cum attritione. Perinde autem est supplebile Sacramentum per contritionem perfectam. Quæ videlicet inducit sufficienter se sola effectum principalem Sacramenti. Neutrius igitur necessitas potest esse maior, quam alterius.

3. Institutio huius Sacramenti non erat necessaria ad salutem necessitate medij; quandoquidem poterat Deus pluribus aliis modis prouidere sufficienter de conuenienti remedio. De quo nemo est qui dubitet. Ergo nec ipsum Sacramentum est taliter necessarium ad salutem. Patet consequentia, quia existentia alicuius remedij non potest augere necessitatem eius, nec est possibile; vt sit necessarius vsus rei, quæ vt existeret, necessarium non erat, aut non erat vsque adeo necessarium. Ne nimirum dicatur magis esse necessarium consequens, quam antecedens. Quod est patenter absurdum.

4. Necessitas medij, neque conuenit huic Sacramento ex natura rei, neque ex libera dispositione, & lege Dei. Non ex natura rei, quia potuit institui hoc Sacramentum, tanquam medium præcisè vtile ad salutem, quod ita prodesset potentibus, & volentibus vti, vt tamen nihil deesset necessarium nolentibus, aut non volentibus vti. Hoc videlicet modo instituta sunt etiam de facto plura Sacramenta, nempe omnia præter Baptismum. Sed neque ex libera dispositione, ac lege Dei descendit eiusmodi necessitas. Quia de his, quæ pendent ex libera Dei dispositione; nihil sciri potest nisi per reuelationem ipsius. Nulla autem extat reuelatio, quæ nos implicite vel explicite doceat de tali huius Sacramenti necessitate. Quia præcipua, & cæteris clarior, circa ipsum, reuelatio habetur in verbis paulo superius indicatis ex cap. 20. Ioan. atque ibi sola declaratur institutio huius Sacramenti, quam fieri absolute potuisse secluſa ea eiusdem Sacramenti necessitate, de qua disputatur, nuper tanquam omnino certum meritò suppositum est.

5. Priuilegium, & fauor specialis non debet nocere priuilegiato. Sacramentum autem Pœnitentiæ est priuilegium, & fauor specialis noui testamenti; Idémque nihilominus noceret Christianis, si saltem pro casu impotentiæ confitendi non possent licitè, & validè vti remedio legis naturæ, & veteris testamenti ad deletionem peccatorum personalium. Quæ vtique deleri tunc poterant absque vlla omnino dependentia ab hoc Sacramento; essentque propterea deterioris conditionis Christiani si iustificari nullatenus possent pro vllo euentu independenter ab eodem.

Art. 1. Respondetur. Necessitas medij differt à necessitate solius præcepti, quatenus si inculpabiliter deficiat, quod est necessarium, ex solo præcepto ad finem vitæ æternæ, non propterea impeditur consecutio finis. At si desit, quod est necessarium necessitate medij, eo ipso impeditur consecutio finis, siue culpabiliter, siue inculpabiliter illud defecerit. Vnde additio sacri in die festo, ieiunium quadragesimale, & similia sunt necessaria, necessitate solius præcepti, ad consecutionem vitæ æternæ. Quia si inculpabiliter omittantur, non propterea amittitur vita æterna. Baptismus verò respectu existentis in peccato originali, & contritio respectu adulti existentis in peccato quouis lethali, & si quæ sunt similia, sunt necessaria necessitate medij. Quia fieri potest, vt propter solum eorum defectum etiam inculpabilem amittatur vita æterna. Cum ista ratione discriminis coincidit hæc alia. Id nimirum esse necessarium, sola necessitate præcepti ad vitam æternam, quod necesse est, seu facere, seu omittere præcisè ad vitandum peccatum lethale de nouo. Id verò esse necessarium necessitate medij ad vitam æternam, quod est necessarium ad delendum peccatum lethale præexistens, & ad habendam primam gratiam; seu sine quo, non potest, aut haberi prima gratia, aut deleri peccatum lethale præexistens.

Art. 2. Sacramentum autem pœnitentiæ est necessarium ad delendum peccatum præexistens, & fieri potest, vt eodem Sacramento inculpabiliter deficiente, impediatur quis à consecutione vitæ æternæ, quam obtenturus fuisset superaddito solo Sacramento vltra cætera, quæ sibi iam inerant. Nam si quis existens in peccato lethalis & verè attritus, atque efficaciter volens confiteri, sed non habens copiam Confessionis, ideóque inculpabiliter carens hoc Sacramento, moriatur in eo statu; proculdubio damnabitur. Et tamen saluandus fuisset, si potuisset confiteri, atque de facto obtinuisset absolutionem sacramentalem. Igitur Sacramentum Pœnitentiæ, est necessarium ad vitam æternam necessitate medij iis, qui post baptismum lapsi sunt in peccatum lethale sicut est necessarium Sacramentum ipsum baptismi nondum regeneratis, vt habetur ex Concil. Trid. sess. 14. cap. 2. fine. Qua de causa Sacramentum hoc dicitur ab eodem Concilio secunda tabula post naufragium.

Art. 3. Verùm necessitas medij potest esse, vel omnino determinata, vel indeterminata, ac disiunctiua. Determinata, si medium sit vnicum, & insupplebile. Indeterminata verò, ac disiunctiua, si medium non sit vnicum, possitque suppleri per aliquid aliud. Potest autem suppleri Sacramentum Pœnitentiæ, provt in re susceptum, per actum charitatis; seu perfectè

contri

contritionis. Non igitur est necessarium omnino determinatè, ac vnicè provt susceptum in re, sed disiunctiue ac vage. Inquam verò prout susceptum in re; quia istud Sacramentum esse determinatè necessarium necessitate medij, vel in re, vel in voto, omnibus post Baptismum lapsis communis, & certa Theologorum omnium sententia est apud Suarez disputat. 17. sect. 3. & apud alios in præsenti. Dicitur verò Sacramentum in voto, voluntas, seu propositum efficax suscipiendi illud re ipsa suo tempore; supplens interim, se ipso formaliter defectum susceptionis realis.

Art. 4. An voluntas ista, seu propositum debeat esse explicitum, & formale, an verò sufficiat implicitum, & virtuale. Communis, & vera Theologorum sententia est, apud Suarez ibidem sect. 4. aduersus Melchiorem Canum, sufficere implicitum, & virtuale. Quia elici absolutè potest à peccatore supernaturalis dilectio Dei super omnia, absque formali, & explicito proposito suscipiendi Sacramentum Pœnitentiæ. Fieri namque absolutè potest, vel eliciatur absque actuali aduertentia, vel ad præterita peccata, vel ad Sacramentum, vel etiam ad vtrumque. Fieri autem non potest, saltem iuxta prouidentiam ordinatam Dei, vt quis eliciat veram supernaturalem dilectionem Dei super omnia, simúlque non consequatur remissionem peccatorum, nec non, & vitam æternam si decedat absque nouo peccato, vt liquet ex pluribus testimoniis, productis, licet in alium scopum, q. 12. de iustitia. Sufficit ergo votum implicitum, & virtuale Sacramenti pro tempore suscipiendi.

Art. 5. Dilectio autem Dei super omnia &, contritio perfecta per se ipsam formaliter est votum, seu propositum saltem implicitum exhibendi cætera omnia quæ cadunt sub lege, non minus, aliter, quam suscipiendi Sacramentum Pœnitentiæ reipsa pro eo tempore, pro quo eadem lex præcipit, vt suscipiatur reipsa. Dicitur nihilominus communiter eadem dilectio, & vere est Sacramentum Pœnitentiæ in voto potius, quam Saeramentum Eucharistiæ in voto, aut opus restitutionis in voto, & quam alia eiusmodi. Ratio discriminis est, quia Dilectio Dei super omnia essentialiter est idonea ad constituendum intrinsecè Sacramentum Pœnitentiæ tanquam pars essentialis ipsius; & supposita institutione Diuina, quæ datur de facto, est ordinata extrinsecè ad idem Sacramentum intrinsecè constituendum; ac demum vi sua inducit pro tempore reliquas partes necessarias, vt illud actu constituat, & compleat intrinsecè. Hæc autem ipsa nequaquam illi conueniunt respectu Eucharistiæ, aut aliorum operum præceptorum, quorum votum, seu voluntatem efficacem continet in se. Vnde non subit eorum nomen, cum hoc addito: *in voto*; sicut subit nomen Sacramenti Pœnitentiæ in voto. Quia videlicet non potest esse, & intrinsecè constituere reipsa alia Sacramenta, & opera, sicut potest esse, & intrinsecè constituere Sacramentum Pœnitentiæ. Nequit autem illi conuenire, vt sit id in voto, saltem per se, quod vt sit reipsa, nequit vnquam eidem conuenire, sicut potest conuenire, vt sit id in voto, quod, & re ipsa esse potest, atque necesse est ex natura, & intrinseco conceptu ipsius, vt sit, cum primum data fuerit possibilitas, & opportunitas cæterorum, quæ adhuc desunt. Itaque hoc Sacramentum est necessarium necessitate medij ad vitam æternam, indeterminatè quidem prout in re, determinate vero vel in re, vel in voto; determinatione vtique cadente supra Sacramentum, disiunctione verò supra modum Sacramenti, vti mox dicetur distinctius in responsione ad 2. & apparebit multo clarius, ex quæst. proximè seq.

Ad 1. Dictum in primis est, absque isto Sacramento, vel in re, vel in voto, non posse obtineri finem suum vltimum ab homine lapso post Baptismum. Deinde non solum id absolutè dicitur esse necessarium, sine quo determinatè sumpto non potest obtineri finis, sed etiam id sine quo saltem sumpto disiunctiuè, non potest obtineri idem finis. Sacramentum autem Pœnitentiæ, etiam prout in re est medium sine quo saltem sumpto disiunctiuè non potest haberi finis vltimus ab homine baptizato, & deinde lapso in peccatum lethale.

Ad 2. Hoc est discrimen inter contritionem perfectam, & Sacramentum Pœnitentiæ. Quòd habita contritione perfecta, supereat adhuc obligatio suscipiendi Sacramentum pro tempore; atque ipsa contritio est pars potentialis eiusdem Sacramenti. At suscepto pro re Sacramento cum contritione imperfecta, seu cum attritione, nulla supereat obligatio contritionis perfectæ postea superaddendæ, ac proinde Sacramentum non est votum contritionis perfectæ, neque est pars ordinata ad ipsam contritionem, qua propter contritio perfecta, nec in re, nec in voto est determinatè necessaria ad salutem, sed purè indeterminatè. At Sacramentum, vel in re, vel in voto est determinatè necessarium, & solùm provt in re est necessarium indeterminatè. Ipsum porro Sacramentum, provt in voto non dicitur similiter necessarium indeterminatè, ac vagè. Quia votum huius Sacramenti, seu voluntas suscipiendi illud re ipsa, includitur essentialiter in ipso, Sacramento, etiam provt susceptо re ipsa, ideóque nullus eiusmodi indeterminationi superest locus circa Sacramentum; vt in voto, nisi fortè eadem indeterminatio applicetur, vti absolutè licèt, Sacramento provt in voto tantum. Qui tamen modus loquendi non est in vsu.

Ad 3. In iis mediis, quæ sunt necessaria ex natura rei, seu iure naturæ, non potest esse maior necessitas illis vtendi, quam vt eadem existant. At in iis, quæ sunt necessaria solum ex suppositione Diuinæ voluntatis liberè præscribentis aliquid in ordine ad aliquem finem, vsus medij potest esse magis necessarius suppositа existentia eius, quam esset necessaria absolutè existentia eiusdem. De qua mediorum diuersitate dictum est explicatius quæstione 20. de act. human. articulo 2. & 3. Necessitas autem determinata Sacramenti Pœnitentiæ fundatur in voluntate Diuina liberè illud instituente, atque ordinante ad finem vitæ æternæ, vt dicetur in quæstione proximè seq.

Ad 4. Concessis reliquis negatur, solam innotescere, ex capite illo 20. Ioann. institutionem, & vtilitatem huius Sacramenti, & non etiam totam necessitatem superius assertam eiusdem suscipiendi post lapsum subsecutum ad Baptismum. Vtrumque enim inde colligitur sufficienter, vt patebit ex eadem quæst. seq.

Artic. 1. Ad 5. Auctor obiectionis; cuius honori consulitur, dum nomen tacetur, turpiter confundit priuilegium cum gratia, & fauore non eximente à lege; & rursus gratiam, & fauorem vniuersalem cum particulari; ac demum gratiam, & fauorem conferentem ad finem necessarium ex natura rei cum eo, qui confert ad finem non necessarium ex natura rei, ideoque dispensabilem. Primum enim, quæ concessit Christus Dominus in nouo testamento, non sunt priuilegia comparatione veteris legis. Quæ videlicet illo condito, expirauit, nullúmque est priuilegium eximens à lege, quæ penitus non iam viget. Rursus Sacramenta, & quæ cum Sacramentis conuertuntur, sunt quidem gratiosa, ac purè liberaliter supererogata, sed communia toti humano generi; cum de ratione priuilegij sit, vt eximat aliquem, vel aliquos ab onere communi. Demum, quod caput est, eadem

dem Sacramenta conferunt potestatem obtinendi beatitudinem, quæ est finis omnibus necessarius ex natura rei, ideoque præscribit omnibus, ex natura rei, vsum eorum omnium, sine quibus obtineri non potest cum sit de ratione priuilegij quantum est ex natura ipsius posse non vti.

Art. 2. Præterea atque hoc est præ cæteris considerandum, quod omni tempore fuit necessarium necessitate medij, delere per pœnitentiam peccata eius commissa, atque nostrum Christianorum quasi priuilegium est, vt deletionem eorum consequi possimus ex opere operato cum contritione etiam imperfecta, atque insufficienti, ex se, ad inducendam iustificationem; tametsi eadem iustificatio induci nequaquam posset, nisi per contritionem perfectam, ante nouum testamentum, & ante institutionem Sacramentorum, quæ sunt propria eiusdem Testamenti. Quapropter onus confessionis sacramentalis, quod iustissima æquitatis ratione est vnicuique peccatori grauius, vel leuius iuxta mensuram maioris, vel minoris improbitatis suæ, superatur incomparabiliter fauore, & gratia contenta in eodem pœnitentiæ Sacramento; ita vt onus istud speciale noui testamenti cedat, & quidem per excessum incomparabilem, gratiæ huic, & fauori speciali eiusdem noui testamenti quatenus inducentis idem Sacramentum, simulque proinde Christiani conditionis longè melioris quoad hoc punctum, quam omnes anteriores homines, quidquid sit, siue de re, siue de nomine priuilegij, vel non priuilegij, tametsi Sacramentum Pœnitentiæ sit nobis necessarium determinatè modo dicto.

## QVÆSTIO LXXXVII.

### *Vtrùm Sacramentum Pœnitentiæ in re, vel in voto sit necessarium necessitate præcepti obligantis statim post peccatum lethale?*

VIdetur ita esse necessarium. 1. Quia, qui intulit iniuriam proximo, tenetur restituere, cum primum fieri potest, vt dictum est quæstione 39. de iustit. Ergo qui intulit iniuriam Deo, vt infert, quicunque peccat, à fortiori tenetur restituere, seu quod perinde est satisfacere Deo; ac proinde vel confiteri, vel conteri perfectè, cum primum potest. Potest autem saltem conteri pro instanti immediato post peccatum? Ergo pro eodem tenetur protinus, vel confiteri, vel conteri perfectè.

2. Non est maius malum committere peccatum, quàm perseuerare in peccato commisso. Quia perseuerantia cuiusque mali, est æquè mala, ac nociua, atque est existentia eius absoluta, provt apparet proportionaliter in perseuerantia, & existentia cuiusque boni, & ratio manifesta persuadet, quatenus perseuerantia, & prima existentia mali priuant vniformiter eodem bono. Ergo sicut pro quouis instanti est intrinsecè malum peccare, & velle peccare; ita pro quouis instanti est intrinsecè malum perseuerare, & velle perseuerare in peccato commisso. Omissio autem contritionis simul, & confessionis, pro quouis instanti post peccatum est perseuerantia, & voluntas perseuerandi in peccato commisso.

3. Quòd non est necessarium pro vna aliqua differentia temporis, pro nulla prorsus est necessarium, vbi diuturnitas temporis nullam vnquam inducit variationem in rebus. In peccato autem semel commisso nullam vnquam inducit variationem quantacunque diuturnitas temporis. Quia peccatum ex sua natura est malum vniformiter æternum. Ergo si deletio peccati commissi posset inculpabiliter prætermitti, aut differri pro aliquo instanti, vel tempore; posset vtique inculpabiliter prætermitti absolutè, & absque vllo limite. Quæ tamen sequela communiter, & meritò reputatur absurda.

4. Qui amisit habitum fidei per infidelitatem, tenetur quam primum, deposita infidelitate, & elicito actu fidei, eundem habitum recuperare. Ergo qui per peccatum lethale, amisit gratiam habitualem; quæ est maius bonum, quàm habitus fidei, tenetur à fortiori illam, quam primum fieri potest, recuperare per contritionem, vel confessionem. Eodem pertinent paritates ex obligatione quam primum adhibendi remedium cuilibet graui malo proprij corporis, & vitæ temporalis, nec non adhibendi correctionem fraternam pro vitando malo graui proximi quoad animam, & pro eodem reuocando à malo proposito. Maius nimirum malum est, quòd est proprium animæ; & vnusquisque tenetur ex Charitate sibi potiùs prouidere, quàm aliis, si cætera sint paria.

5. Qui perseuerat diu in peccato, constituitur eo ipso in periculo peccandi de nouo: iuxta illud Greg. in Ezech. Homil. 11. *Peccatum, quod mox per pœnitentiam non deletur, suo pondere ad aliud trahit.* Constituitur etiam in periculo damnationis æternæ, superueniente interim morte cuius hora est incerta, iuxta illud Isaiæ 65. 12. *Omnes in cæde corruetis pro eo, quod vocaui; & non respondistis,* & Hieremiæ 8. 6. *Nullus est, qui agat pœnitentiam idcirco cadent.* Peccat autem, qui se constituit, aut etiam derelinquit in periculo, tum peccandi de nouo, tum incidendi in damnationem æternam.

Art. 1. Respondetur, quidquid est necessarium necessitate medij ad consecutionem vitæ æternæ, eo ipso est necessarium necessitate etiam præcepti. Quia ipsa consecutio vitæ æternæ est necessaria necessitate præcepti iuxta illud 1. ad Corinth. 9. 24. *Sic currite vt comprehendatis.* Quidquid autem est necessarium ad aliquid præceptum, eo ipso cadit sub idem præceptum, estque proinde necessarium necessitate eiusdem, vt minimum præcepti; dummodo sit constitutum in libera facultate obligati per tale præceptum. Deinde vnicus modus præcipiendi aliquid in conscientia est illud constituere in ratione necessarij ad vltimum finem, itavt iactura vltimi finis consequatur ad actionem, vel omissionem, quæ fuerit contraria præcepto, provt ostensum est quæst. 20. de act. hum. art. 4. Constat autem ex quæst. præcedenti Sacramentum pœnitentiæ esse necessarium necessitate medij ad vitam æternam, indeterminatè quidem, provt in re; determinatè verò, provt in re, vel in voto. Dubitari igitur minimè potest, quin idem Sacramentum eodem vt minimum modo, sit necessarium necessitate præcepti.

Art. 2. Verùm quia prædicta necessitas huius Sacramenti provt in voto, fundatur in præcepto suscipiendi re ipsa idem Sacramentum tempore opportuno; neque potest in actu contritionis perfectè contineri propositum, seu votum realis susceptionis pro tempore, nisi quatenus extat præceptum de eadem reali susceptione; atque actus perfectæ contritionis continet in se propositum, seu votum de obseruantia totius legis, omniúmque præceptorum. Quia inquam hæc ita se habent, oportet ostendere seorsim existentiam talis præcepti obligantis ad realem susceptionem huius Sacramenti. Vt nimirum vitetur circulus vitiosus inter doctrinam quæst. præcedentis, & præsentem inde deductam modo conclusionem. Porrò circa hoc punctum, duo docemur à Concil. Tridentino

tinum sessione 14. cap. 5. initio. Alterum est confessionem Sacramentalem, omnibus post Baptismum lapsis iure Diuino necessariam existere. Alterum est hanc veritatem ex institutione Sacramenti Pœnitentiæ antecedenter exposita ex illo videlicet Ioan. 20. *Accipite Spiritum sanctum, &c.* rectè colligi, atque vniuersam Ecclesiam ita semper intellexisse. Sub finem deinde eiusdem capitis superaddit vlterius tertiò: Ecclesiam per Concilium Lateranense, solùm statuisse, vt præceptum confessionis saltem semel in anno ab omnibus, & singulis, cum ad annos discretionis peruenissent, impleretur; cum, vt Christi Fideles confiterentur, iam iure Diuino necessarium, & institutum esse intellexisset.

Art. 3. Ex tribus istis documentis secundum illud, de illatione huius Diuini præcepti ex verbis institutionis supra memoratis, non solum ab Hæreticis permultis reprobatur, vt falsum; sed etiam Theologis Catholicis non paucis visum est valde difficile; nonnullis etiam adiicientibus eiusmodi illationem non aliter subsistere posse, quam adiuncta communi Ecclesiæ traditione, atque istam traditionem tacitè præsupponi, (vt notant apud fideles) à Concilio in illa sua definitione. Veruntamen Concilium nullatenus ibi meminit traditionis, nec eam insinuat vllo pacto, sed sola vtitur institutione secundum se præcisè, vt inferat prædictum præceptum, eadémque proinde sola standum omnino est inhærendo, vti par est, vestigiis Concilij. Apparebit autem vis, & legitimitas eius illationis ex verbis institutionis secundum se præcisè consideratis, si duo quædam obseruentur diligenter, ad quæ manuducit itidem Concilium.

Art. 4. Primum est, quod præmittit idem Concilium ibidem cap. 1. Nimirum Pœnitentiam vniuersis hominibus, qui se mortali aliquo peccato inquinassent, quouis tempore, ad gratiam, & iustitiam consequendam, necessariam fuisse. Eam nimirum pœnitentiam, per quam cum peccati odio, & pio animi dolore detestarentur coram Deo tantam ipsius Dei offensionem. Quæ ferè omnia sunt verba Concilij confirmata ibidem claris sacræ paginæ Testimoniis, quæ superius quæst. 77. indicata à nobis sunt ex parte.

Art. 5. Alterum est, quod subiungit idem Concilium in prædicto cap. 5. nimirum Dominum nostrum Iesum Christum, è terris ascensurum ad Cœlos, Sacerdotes sui ipsius Vicarios reliquisse, tanquam Præsides, & Iudices, ad quos omnia mortalia crimina deferantur, in quæ Christi fideles ceciderint; vt pro potestate clauium, remissionis, aut retentionis sententiam pronuncient. Quæ quidem definitio Concilij clarissimè apparet ex verbis illis institutionis Ioan. 20. *Accipite Spiritum sanctum; Quorum remiseritis peccata remittuntur eis; & quorum retinueritis retenta sunt.* Cum enim ex natura ipsa rei sit perquam manifestum, propriissimum Dei esse, vt remittat peccata hominum post idoneam ipsorum, ad tantum beneficium suscipiendum, dispositionem; vtque eadem peccata, absque remissionis gratia, apud se ad vindictam retineat, dum peccatores in sua duritie permanent pertinaciter indispositi. Cum inquam hoc sit manifestissimum ex se, quid iam manifestius esse potest, quam eos constitui Dei Vicarios, quales describuntur à Concilio, quibus conceditur potestas remittendi, & retinendi peccata, vti disertè conceditur Sacerdotibus in verbis prædictis.

Art. 6. Quod vero rursus manifestius esse potest, quam ad Vicarios Principis traduci eam subditorum obligationem, quæ aderat aduersus ipsum Principem quoad id, in quo hic illos substituerit Vicarios; Cum ergo omni tempore necessarium fuerit necessitate præcepti naturalis, Diuini vt vnusquisque recogitaret coram Deo omnes annos suos; nec aliter consequeretur ab ipso veniam suorum peccatorum, quam illa agnoscendo coram eodem cum humilitate, & verò dolore, atque proposito emendationis, vti nuper præmissum est; deducitur clarè Deum, ipsa huius Sacramenti institutione continente in se, vt dictum est, eam Sacerdotum substitutionem loco sui, quoad prædictum effectum, tulisse legem, vt peccatores agnoscant eodem modo peccata sua coram Sacerdotibus. Hæc autem agnitio peccatorum coram Sacerdotibus loco Dei non alter fieri potest, quam eadem eisdem manifestando per confessionem, vt per se satis patet. Extat igitur præceptum Diuinum de confessione sacramentali; idque rectè colligitur ex verbis institutionis secundum se præcisè consideratæ, quatenus sic considerata confert Sacerdotibus potestatem remittendi, & retinendi peccata.

Artic. 7. Pro maiori huius rei claritate, ac robore considerandum est iterum diligenter copulatiua illa: *Quorum remiseritis peccata remittuntur eis; & quorum retinueritis retenta sunt.* Nempe habens potestatem simultaneam remittendi, & retinendi peccata, cum, qui indiget remissione, relinquit in sua indigentia, dum non indulget ei remissionem. Quia dum non indulget remissionem peccatorum, retinet proculdubio peccata; idest relinquit peccatorem sub obligatione, cui iam suberat, procurandi, & obtinendi remissionem: quare siue retentio, & negatio remissionis processerit ex iudicio, & voluntate Sacerdotis negantis liberè absolutionem audita confessione, siue processerit ex impotentia, aut voluntate libera peccatoris non exponentis, vt oportet peccata Sacerdoti; semper supereſt obligatio recurrendi ad Sacerdotem, Dei Vicarium pro remissione obtinenda, quidquid demum actum fuerit de reliquo. Quia nimirum peccata interim retenta eatenus erunt ex voluntate Dei conferente Sacerdoti eam potestatem retinendi, atque ideò compellente reum, vt compareat apud ipsum.

Art. 8. Obseruanda præterea est, pro complemento doctrinæ, & pro intelligentia magis distincta illationis intentæ, differentia inter peccata lethalia, & venialia. Peccata lethalia inducunt iacturam finis vltimi simpliciter talem, id est æternam. Peccata verò venialia inducunt iacturam eiusdem finis vltimi, tantum secundum quid, & ad tempus. Quia verò iure naturali Diuino tenemur, sub lethali, ad vitandam iacturam æternam finis vltimi propterea omni tempore necessarium fuit necessitate præcepti naturalis Diuini, vt qui peccauit lethaliter, disponeret se ad deletionem, & remissionem eius peccati per veram, & legitimam coram Deo pœnitentiam. Consequenter igitur iuxta dicta post institutionem Sacramenti pœnitentiæ, necesse est necessitate præcepti positiui Diuini, inclusi in ipsa institutione, vt eadem lethalium deletio, & remissio intendatur, ac obtineatur per veram, & legitimam coram Sacerdote pœnitentiam. Ob rationem contrariam, licet vtilis, ac laudabilis semper fuerit pœnitentia, de peccatis venialibus, apud Deum, per quam iisdem deletis auferretur, aut abbreuiaretur temporarium æternæ felicitatis impedimentum; nunquam tamen imposita est obligatio, saltem grauis eam pœnitentiam peragendi coram Deo. Ne nimirum talis obligatio ad quærendum remedium exponeret periculo maioris mali, quam cuius remedium quæreretur. Consequenter igitur, instituto Sacramento Pœnitentiæ, facta quidem est copia remedij vtilis, ac salutaris pro delendis venialibus; nulla tamen imposita est obligatio, saltem grauis adhibendi idem remedium. Qua-

propter Sacerdotibus, quatenus sunt Dei Vicarij, communicata quidem est potestas remittendi, ac retinendi peccata etiam venialia, sed absque onere, absolutè compellente, vt eadem illis exponantur, vtque beneficium remissionis quæratur apud ipsos, & obtineatur. Quo sanè pacto, accommoda proportione, & vniformiter difformi optimè applicatur peccatis lethalibus, & venalibus forma institutionis huius Sacramenti, & potestas Sacerdotum, quæ in ipsa continetur ad remittendum, & retinendum peccata omnia, sed iuxta naturam singulorum.

Art. 9. Ex discrimine assignato inter peccata lethalia, & venialia, incipit apparere ex parte, quod præcipuè intendebatur, præceptum Diuinum de Sacramento Pœnitentiæ re ipsa suscipiendo, non obligare per se immediatè post commissum peccatum lethale; neque postea intra determinatum aliquod temporis interuallum; sed solùm in articulo mortis; idémque dicitur de actu contritionis. Sententia negans obligationem, tam contritionis, quam Sacramenti Pœnitentiæ, immediatè post commissum peccatum lethale, aut quoties memoriæ ipsum occurrerit est iam communis Theologorum ferè omnium aduersus non paucos, nec ignobiles temporis anterioris authores apud Card. de Lugo disp. 7. sect. 11. Ratio est, quia si daretur talis obligatio constituerentur homines in maximo periculo sæpius peccandi de nouo, postquam commisissent aliquod peccatum; nempe peccandi de nouo lethaliter, quoties noua cum libertate differrent deletionem peccati lethalis, iam commissi. Vnde datum fuisset remedium, aduersus peccata commissa, valdè nociuum respectu peccatoris, vt potè coniiciens in maximum periculum toties committendi noua peccata, per quamlibet nouam liberam dilationem pœnitentiæ efficacis. Quæ sanè pœnitentia difficulter peragitur immediatè post commissum pecatum; & magis difficulter toties reperitur; quoties recurrit memoria peccati commissi, & nondum deleti. Apparet igitur talem legem fore nimis grauem respectu fragilitatis humanæ facilè labilis, & difficulter emendabilis, ac pœnitibilis, præsertim subito, & frequentissimè; atque adeo esse repugnantem benignitati prouidentiæ Dei, cuius iugum suaue est, & onus leue. Quæ profecto consideratio, cum sit vniuersaliter efficacissima, est maximi specialiter ponderis, dum agitur de Sacramento instituto in subsidium fragilitatis humanæ. Plura alia, hanc in rem argumenta habentur apud Suarez, & Lugo, & à nobis prætermittuntur, quia non videntur necessaria pro obtinendo assensu rei facilis, quæ firmiter credatur ob rationem propositam, & quia à fortiori eadem conuincetur ex dicendis.

Art. 10. Altera pars conclusionis de eodem præcepto, quatenus non obligante per se pro vlla parte temporis præcedentis articulum mortis, aut etiam pro toto simul tempore ante eundem articulum docetur à Caet. Duran. Nauar. Vasquez Valen. Dicastillo, & aliis aduersus Suarez, Coninch. Card. de Lugo; & alios. Ratio nostra est, quia vis nociua perseuerantiæ peccati lethalis; quatenus differens à virtute nociua perseuerantiæ peccati venialis, quoad assecutionem vltimi finis, completur vltimo per impœnitentiam finalem, seu per mortem in statu peccati lethalis. Nempe perseuerantia peccati lethalis, non superaddita impœnitentia finali non impedit cum effectu vltimum finem, nisi ad tempus, ideſt non impedit, nisi ad eum modum, quo impedit peccatum veniale. Cum ergo nulla sit obligatio, saltem grauis ex ea natura rei, delendi vnquam peccata venialia per pœnitentiam, seu virtutem, seu Sacramentum; Nulla quoque erit delendi, per eandem peccata lethalia ante articulum mortis. Qui videlicet solus, si transmittatur absque beneficio pœnitentiæ & absque deletione eiusmodi peccatorum, reddit infallibiliter æternam iacturam vltimi finis.

Art. 11. Augetur vis huius argumenti ex principio quodam apud omnes certo; nempe actum ex se indifferentem, aut venialiter tantùm peccaminosum non reddi peccaminosum lethaliter ex eo, quòd ei superaddatur circumstantia non inducens vi sua æternum beatitudinis impedimentum, & iacturam. Dilatio autem pœnitentiæ, & deletionis peccatorum lethalium, ex suo præcisè conceptu, & præscindendo à diuturnitate, vel est indifferens, vel venialiter tantum peccaminosa, vt apparet ex altera priori parte conclusionis, soláque circumstantia dilationis, quatenus, continuatæ vsque ad mortem inclusiuè, inducit æternum beatitudinis impedimentum, atque iacturam. Nulla igitur alia dilatio vtcunque longa est peccaminosa lethaliter ex natura rei, exque solo præcepto Diuino secundum se; sed tantum ex præcepto Ecclesiastico, vel etiam per accidens, tum propter necessitatem, aut voluntatem suscipiendi, aut perficiendi alia Sacramenta, tum propter periculum speciale peccandi de nouo lethaliter, si peccatum iam commissum non deleatur intra tale, vel tale determinatum temporis interuallum, & sic de aliis similibus accidentibus. Nullum igitur est præceptum delendi peccatum lethale pro instanti immediatè sequenti ad eius commissionem; nec præceptum Diuinum obligat per se ad eandem deletionem, nisi pro articulo mortis; seu quando adest periculum proximum moriendi.

Ad 1. Proximus iniuriam passus, toto tempore, quo differtur restitutio, deterius habet, quam interim deberet habere, & patitur iacturam contrariam iuri suo semper, & quandocunque sibi nocentem æqualiter, ideóque contradicentem semper de nouo eidem iuri. At Deus, sicut nullam patitur iniustitiam propriè talem ob nostra peccata, vt dictum est quæstione 20. de Iustit. ita nullam patitur iacturam ex mora deletionis peccatorum; & præterea tota ratio inobedientiæ, ac irreuerentiæ, toráque proinde causa offensionis Diuinæ consistit adæquatè in sola actuali transgressione legis Dei. Quapropter, dum Deus non obligat nouo præcepto ad deletionem peccati commissi, nullus interuenit contemptus nouus Dei, amicitiæque Diuinæ meritò negatæ propter peccatum præcedens; sed se tantùm contemnit peccator, dum differt liberationem sui à tanto malo, nec exhibet satisfactionem, vt liberetur à debito satisspassionis. Verùm neque propter istum contemptum sui, & neglectum suorum bonorum peccat de nouo, qui iam præsupponitur peccator. Quia eo ipso præsupponitur esse indignus iis bonis, quibus caret, & nullum peccatum est, ex natura rei, non prouidere alicui iis bonis, eóque remedio malorum, quorum est indignus, si ex aliquo alio capite non resultet obligatio prouidendi, quæ nulla est ex præcepto Diuino citra articulum mortis, vt dictum est.

Ad 2. Peccare lethaliter, & perseuerare purè habitualiter in peccato commisso non sunt æqualia, nec inæqualia mala moraliter, sed est idem prorsus malum, morale, vt apparet ex dictis quæstione 5. & 6. de Iustit. solúsque superadditur excessus mali physicè maioris respectu peccatoris ex longiori duratione priuationis gratiæ, & iuris ad Gloriam, qua ipsa priuatione est dignus peccator propter peccatum præcedens. Vnde omissio deletionis peccati commissi, & voluntas permanendi in illo purè habitualiter absque noua complacentia, aut approbatione circa ipsum, non superaddit nouum peccatum, ex suo præcisè conceptu; sed solum prætermittit remedium

dium peccati, quod posset adhiberi, de quo tamen remedio protinus, aut semper adhibendo, aut etiam aliquando ante articulum mortis, non ita datur lex, sicut datur, nequis incidat in tale malum. Ratio itaque obiectionis solam probat obligationem desistendi protinus à peccato actuali, de qua obligatione nulla est controuersia, sed est res apud omnes indubitata.

Ad 3. Omissio pœnitentiæ efficacis, & deletionis peccati pro articulo mortis inducit diuersitatem longè maximam quoad qualitatem mali. Quia videlicet reddit peccatum prorsus immedicabile, ac indelebile, atque inimpedibiles æternum effectus eius. Quod non præstat vlla alia dilatio pœnitentiæ, & deletionis peccatorum. Mirum igitur non est, pro eo articulo, vrgere præceptum, quod pro nullo alio anteriore tempore vrgeret. Quare obiectio solum militat efficaciter aduersus Suarez, Delugo, & alios dicentes preceptum Diuinum de deletione peccatorum, nec protinus obligare per se, aut intra breue tempus, nec tamen pro solo articulo mortis, sed etiam ne longo tempore ea differatur, siue instante, siue non instante interim morte. Quod enim vero tempus longum, quantum esse debeat per se, & seclusis circumstantiis peculiaribus cuiusque peccatoris, & peccati non audent determinare; sed relinquit arbitrio prudentis. Volunt itaque, quod est admirabile, vt determinet prudens alius, quod ipsi vel maximè prudentes fatentur determinare se non posse; cum tamen doceant obligationem determinandi esse independentem ab omnibus peculiaribus circumstantiis pro vno quoque casu, quarum sola consideratio relinquitur arbitrio vago prudentis in casu, propter impossibilitatem regulæ vniformiter vniuersalis. Verum ratio obiectionis conuincit efficaciter esse omnino indeterminabile tale temporis interuallum. Vnde sequitur manifestè nullam esse per se obligationem illud determinandi, ac proinde esse licitam, seu potius non esse grauiter peccaminosam per se dilationem vsque ad articulum mortis, quatenus nulla est obligatio ad impossibile.

Art. 1. Ad 4. Aliud est delere peccatum infidelitatis iam commissum per pœnitentiam, virtutem, vel Sacramentum. Aliud verò non formidare vsquam, aut dubitare de nouo, circa Diuinas reuelationes sufficienter propositas, nec eisdem negare assensum, propter adhæsionem ad errores contrarios, eademque de causa nolle elicere actus fidei necessarios ad directionem vitæ Christianæ. Primum illud est commune peccato infidelitatis cum cæteris quibusuis peccatis, nec est maior obligatio accelerandi deletionem eius, quam cæterorum. Secundum est eidem commune cum solo peccato iniustitiæ, aliisque commissis contra præcepta negatiua, quæ obligant semper, & pro semper. Constat autem ex dictis supra præceptum de deletione peccatorum non esse negatiuum, sed affirmatiuum, vpote obligans ad reditum in gratiam; quandoquidem peccatum habituale consistit in priuatione gratiæ.

Art. 2. Illæ aliæ duæ paritates, quæ ibi subiunguntur, confirmant potius nostram sententiam, si obseruetur idoneè ratio proportionis; si minus sunt abs re. Nullum namque præceptum obligat ad adhibendum protinus remedium malo corporis iam incurso, nisi immineat ex dilatione, vel incurabilitas, vel accessio alterius noui mali, vel impeditio operis debiti. Quæ enimuerò, & sola continentur proportionaliter in nostra conclusione circa remedium peccati. Similiter præceptum, de fraterna correctione, non obligat iuxta communem, & veram sententiam, nisi timeatur, ex omissione, aut dilatione eius, vel lapsus proximus in nouum peccatum, vel finalis eiusdem impœnitentia de peccato commisso. Quod itidem coincidit ratione proportionis, cum nostra præsenti sententia. Verum oportet obseruare attente, quæ modo vique adeo breuiter obseruata sunt. Quia in ea præsertim materia incidit facile æquiuocatio de vno casu ad alium, dum agitur de applicatione vniuersalium ad singularia. Demum legitimus in vnoquoque ordo charitatis obligat quidem absolutè, vt simul cum peccato vitentur semper, & pro semper mala redundantia ex ipso; dum retinetur illæsa dignitas humanæ naturæ. Cæterum inducta semel indignitate gratiæ, & amicitiæ cum Deo; non est nouum peccatum lethale non impedire permanentiam eorundem malorum, dum imminet proximè transitus ad æternitatem eorum irreparabilem propter rationes iam ante productas.

Art. 1. Ad 5. Sententiam illam Gregorij multi accipiunt cum Vasquez de impœnitente non tantùm effectiuè, de quo est præsens quæstio, sed etiam affectiuè, de quo nulla potest esse quæstio. Quis enim dubitet de nouo eum peccare, qui non solùm non delet peccatum commissum, sed neque deponit actualem effectum ad illud?

Art. 2. Verùm quia sententia illa Gregorij est vera, vt alibi dictum est de eo etiam, qui tametsi pœniteat affectiuè, & emendetur quoad actum, manet nihilominus in statu peccati nec assequitur gratiam iustificantem. Quia inquam hoc verum est tria præterea superaddenda sunt. Primum est periculum peccandi de nouo non esse magnum, nec moraliter insuperabile intra breue tempus, tametsi non interponatur iustificatio post peccatum commissum, vti stabilitum est cum communi Theologorum consensu quæst. 12. de grat. Quapropter ex hoc capite non consurgit obligatio delendi statim peccatum.

Art. 3. Deinde qui est habitualiter peccator, habet vniformem potentiam moralem vitandi nouum peccatum pro singulis seorsim partibus temporis vtcunque longi; nec est discernibilis ab ipso extra articulum mortis, pars temporis vltimo complens ratione longitudinis, necessitatem moralem peccandi de nouo pro parte temporis proximè sequente, si pro parte immediatè priori non deleat effectiuè peccatum antea commissum. Nequit autem discerni obligatio præcepti quatenus de nouo incipiens & iam vrgens, quin discernatur differentia circumstantiæ præsentis à præcedenti, quoad eam conditionem suam peculiarem; ratione cuius est peculiariter inductiua obligationis. Nunquam igitur obligatur peccator, loquendo per se, præcepto Diuino de delendis peccatis, ante articulum mortis. Pro quo videlicet solo determinatè, ac certissimè præuidentur alia præterea peccata, & quidem infinita syncategorematicè esse committenda de nouo per totam æternitatem, si tunc non deleantur, quæ præcessere; nec solum esse mansuram æternum pœnam, qua dignus est peccator, sed noua insuper superaddenda esse peccata. Quorum certè committendorum nunquam quisquam dignus esse potest, cum essentialiter repugnant dignitati naturæ rationalis secundum se pro omni statu, & multo magis dignitati Dei, cui opponuntur.

Art. 4. Postremo, nec etiam periculum mortis repentinæ coniunctum cum incertitudine horæ inducit vniuersaliter in omnes peccatores obligationem, de qua agitur. Quia mors repentina non euenit vt plurimum, sed raro. Vnde periculum moriendi in peccato quod inde imminet, non est proximum per se respectu quorumlibet promiscuè, nec de eo præcauendo vrget obligatio grauis, nisi fortè adsit circumstantia aliqua peculiaris in persona particulari, vti superiùs obseruatum iam est generaliter. Quapropter loca Scripturæ minantia mortem in peccato,

& damnationem æternam non agentibus pœnitentiam, accipiuntur communiter, & meritò de iis, qui nunquam deponunt affectum peccati, ideoque peccant semper de nouo. Quod si accipiantur de omnibus non delentibus protinus, aut intra longum tempus, peccata commissa; accipienda consequenter erunt sicut minæ similes aduersus diuites, & aduersus viuentes deliciosè, ac delicatè, aliáque eiusmodi fundata in amissione operum consilij, vel in commissione, peccatorum venialium.

## QVÆSTIO LXXXVIII.

### *Vtrùm necessarius sit ad hoc Sacramentum, dolor aliquis supernaturalis?*

VIdetur nec supernaturalis, nec vllus prorsus dolor esse necessarius. 1. Quia, vt volunt Sylu. Rosella, & Angel. ipsa intentio suscipiendi hoc Sacramentum, & exponendi peccata Confessori, eáque delendi per absolutionem, est dolor quidam, & displicentia virtualis de peccatis. Nempe voluntas adhibendi, quod est destructiuum alicuius, continet in se saltem implicitè odium, & displicentiam eius, quod est destruendum. Ergo non requiritur dolor distinctus à voluntate suscipiendi Sacramentum.

2. Sacramenta conferunt totum suum effectum non ponentibus obicem iuxta Trident. sessione 7. can. 6. Qui autem accedit ad hoc Sacramentum cum aliquo dolore de peccatis, eo ipso accedit absque obice; siue dolor sit naturalis, siue supernaturalis sit, assumunt Soto, Canus, & alij. Quia obex ad absolutionem Sacramentalem, & remissiuam peccatorum est adhæsio adhuc durans ad peccata præcedentia. Hæc autem adhæsio depellitur per quamcunque, & cuiuslibet motiui displicentiam, ac dolorem de peccatis.

3. Dolor pœnitentis est pars huius Sacramenti, non secundum se præcisè considerata, sed quatenus redditur sensibilis per confessionem vocalem, aliáque signa exteriora pœnitentis. Hæc autem signa exteriora, saltem qualia plerumque exhibentur, & ab omnibus indubitanter existimantur sufficientia, manifestam quidem displicere pœnitenti sua peccata, sed motiuum displicendi nullum determinatè manifestant. Ergo dolor ex quouis motiuo, siue naturali, siue supernaturali; siue temporali, siue æterno; siue externo, siue interno, conceptus æquè sufficit.

4. Ad valorem Baptismi nullus requiritur actus supernaturalis, aut ex parte baptizantis, aut ex parte baptizati; atque in hoc pœnitentiæ Sacramento intentio Sacerdotis, quæ etiam ipsa constituit intrinsecè idem Sacramentum iuxta dicta in communi q. 5. potest esse peccaminosa, ideoque minimè supernaturalis. Ergo similiter potest esse validum Sacramentum Pœnitentiæ absque vllo actu supernaturali ex parte pœnitentis.

Art. 1. Respondetur Concil. Trident. sessione 6. cap. 6. septem omninò actus requirit ad iustificationem impij, dispositiuos ipsius ad illam, de quibus dictum iam fuit quæst. 10. de iustif. sed oportet de eisdem iterum hic breuiter aliquid suggerere, conferendo illos cum Sacramento Pœnitentiæ, pro complemento doctrinæ præsentis. Actus itaque illi septem requisiti à Concilio sunt. 1. Fides; 2. Timor Diuinæ Iustitiæ; 3. Spes remissionis donandæ à Deo propter Christum; 4 Dilectio Dei; 5. Pœnitentia, seu odium peccatorum; 6. Propositum de emendatione imposterum, seu de inchoanda noua vita; 7. Propositum de obseruandis Diuinis mandatis.

Art. 2. De necessitate Fidei constat inter alia clarè ex illis ad Rom. cap. 3. & ad 11. *Accedentem ad Deum oportet credere*, &c. *Quem proposuit Deus propitiationem per fidem.* Subiungitur immediatè timor Diuinæ Iustitiæ. Quia præmissa fide is deinde actus plerumque præcedit reliquam animi dispositionem; & scrutinium conscientiæ, quatenus hic affectus facilius exurgit in animo peccatoris depressi per ipsum peccatum, quam alij actus nobiliores. Cæterùm, cum perfecta charitas foras mittat timorem, timor formalis, & explicitus necessarius nequaquam est, sed sufficit absolutè, qui in reliquis actibus subsequentibus virtualiter continetur. Spem itidem virtualem nonnulli putant sufficere, sed formalis proculdubio est necessaria. Quia, vt dicit Philosophus, nemo desperans de fine operatur, aut etiam non sperans finem ad cuius consecutionem dirigit operationem suam. Præterea actus dilectionis Dei, qui subsequitur quarto loco, dependet intrinsecè, ac essentialiter ab actu formali spei, vt dictum est quæst. 37. de virt. Theolog. Iam dilectio ipsa Dei sufficit in Sacramento, non solùm perfecta, sed etiam imperfecta, vti exponetur, & comprobabitur quæst. sequenti. Odium peccatorum, seu dolor de illis, & propositum emendationis, atque obseruantia totius legis sunt indistincta realiter, saltem vt plurimum à dilectione Dei, seu perfecta, seu imperfecta. Quia concipiuntur communiter ex eodem motiuo formali, ex quo concipitur dilectio ipsa Dei. Vnde ab eadem, & inter se differunt, saltem vt plurimum, sola distinctione rationis relatè ad diuersa obiecta materialia, quæ complectitur sub se actus dilectionis Dei.

Art. 3. Necesse porrò est loquendo per se, vt tres illi posteriores motus animi insint formaliter pœnitenti, & non tantùm implicitè, ac virtualiter. Suadetur primum, quia cum exigantur expresè à Concilio Tridentino l. c. & à Concil. Florent. in Decreto Eugenij §. *Quartum Sacramentum*, atque in sacris litteris non semel, & aliunde non habeant rationem præuiæ dispositionis, seu quasi dispositionis respectu alicuius alterius actus subsequentis, vti habet timor respectu contritionis; colligitur profectò efficaciter prædictos animi motus omninò exigi formaliter ratione sui, vti mox clarius concludetur. Vnde hæc est communis Theologorum opinio, atque intelligentia itidem communis prædictorum testimoniorum.

Art. 4. Connaturale deinde est substantiæ rationali, vt non transferatur ab vno extremo, aut statu ad aliud, aut alium, nisi volens, voluntate vtique correspondente naturæ mutationis, quam subit. Mutantur autem homines in hoc Sacramento à peccato ad gratiam, & ab iniquitate ad iustitiam. Necesse igitur est, vt odio habeat peccatum, & iniquitatem à qua recedit; vtque amet gratiam, & iustitiam ad quam accedit, & consequenter obseruantiam etiam legis, & mandatorum; quæ in gratia, & iustitia continetur. Verum, si contingere aliquo pacto posset, vt pœnitens conciperet contritionem, seu dilectionem Dei absque dolore formali de peccatis commissis, aut absque formali proposito non peccandi de cætero; consequeretur procul dubio verum effectum Sacramenti non obstante defectu formali eiusmodi motuum animi ex vi solius dilectionis. De contritione, seu dilectione Dei perfecta, quod sufficiat se sola, res est certa. Quia perfectæ dilectioni Dei, vt cunque demum conceptæ repromittitur sæpè remissio peccatorum etiam extra Sacramentum, vt apparet ex testimoniis indicatis quæst. 12. de iustit. in 4. argumento. Idem autèm dicendum consequenter est de dilectione imperfecta; seu de attritione coniuncta cum

cum Sacramento. Quia attritio cum Sacramento coniuncta æquiparatur contritioni perfectæ, vt efficaciter ostendetur ex eodem Concilio Tridentino in q. proximè sequenti.

Art. 5. Dictum autem est conditionaliter, si contingere aliquo pacto posset. Quia absolutè contingere nequit, vt quis actualiter ac formaliter cogitet de peccatis, vtque simul afficiatur formaliter ad motiuum illis contrarium, quin ea odio habeat actualiter, & formaliter, vt dicebatur iterum supra; necesse verò est, vt qui suscipit Sacramentum Pœnitentiæ, cogitet actualiter, & formaliter de peccatis, vtpotè actualiter exponendis Confessori. Necesse rursus similiter est, vt idem afficiatur formaliter ad motiuum, seu contritionis, seu attritionis in ordine ad eandem confessionem, vti n. per. concluſum est. Necesse igitur est, vt saltem dolorem, & odium de peccatis concipiat formaliter, & explicitè, quicunque accedit ritè ad Sacramentum Pœnitentiæ.

Art. 6. Omnibus prædictis septem actibus, seu realiter, seu relatione tantùm inter se distinctis commune est, vt sint dispositiones respectu iustificationis, & remissionis peccatorum, quæ obtinetur per hoc Sacramentum. Dolori verò, seu odio peccatorum contento, vt dictum est, in contritione, hoc præterea conuenit, specialiter, vt sit pars intrinsecè constitutiua huius Sacramenti, ac proinde vt immediatè ratione sui requiratur ad ipsum & non tantùm ratione alterius, nempe ratione effectus Sacramenti, ob quem solùm necessariò præsupponuntur cæteri actus. Colligitur hoc clarè ex decreto Eugenij nuper indicato, vbi sic habetur: *Quartum Sacramentum, est Pœnitentia, cuius quasi materia sunt actus pœnitentis, qui inter se distinguuntur vt partes. Quarum prima est cordis contritio ad quam pertinet, vt doleat de peccato commisso cum proposito non peccandi de cætero.* Idem definit Conc. Trid. sess. 14. cap. 3. capite vero 4. sub initium, & ante finem subiungit eandem, tam contritionem, quam attritionem præparare, ac disponere ad impetrandam gratiam, & remissionem peccatorum. Ex quibus inuicem coniunctis colligitur dolorem de peccatis, atque odium eorum habere rationem, tum partis intrinsecè constituentis hoc Sacramentum, tum etiam dispositionis, ac impetrationis respectu gratiæ, & remissionis peccatorum, qui est effectus eiusdem Sacramenti. Dictum autem est, & pluribus efficaciter comprobatum quæst. 7. de grat. nullum actum intrinsecè naturalem posse habere rationem, aut dispositionis, aut impetrationis, aut quoquo modo conferentis positiuè respectu gratiæ, aut vllius doni supernaturalis. Est igitur necessarius dolor de peccatis, isque intrinsecè supernaturalis ex parte suscipientis Sacramentum Pœnitentiæ.

Ad 1. Frequentissimum est, vt pœnitens, ex eodem motiuo eodémque actu realiter indiuisibili, doleat de peccatis, eáque odio habeat, atque confiteri eadem velit. Quod credo imposuit viris piis confundentibus, quod erat ipsis experimento familiare, cum eo, quod est ex natura rei, & necesse proinde est, vt semper eueniat. Cæterum fieri absolutè potest, vt quis, ex alio motiuo omnino diuerso, siue honesto, siue etiam inhonesto, siue culpabiliter, siue inculpabiliter, velit exponere peccata Confessario, & verba eius absolutoria audire, absque legitimo dolore de peccatis. In quo euentu Sacramentum euadet nullum, & consequenter, vel nulla aderit voluntas destruendi, ac delendi peccata, vel aderit voluntas intendens aliquid implicatorium, quatenus intenderetur effectus deletionis, ac destructionis peccatorum, simúlque excludetur causa adæquata talis effectus excluso dolore, qui est pars eius causæ, vt dictum est.

Ad 2. Non ponere obicem Sacramento, & ritè, seu cum omnibus requisitis illud suscipere, sunt prædicata mutuo conuertibilia apud Concilium, vt patet ex toto contextu. Non autem suscipit ritè, & cum omnibus requisitis Sacramentum pœnitentiæ qui suscipit illud absque dolore supernaturali, vt apparet ex dictis. Suscipit igitur eo ipso cum obice.

Ad 3. Confessio Sacramentalis est actus proprius hominis Christiani, quatenus Christianus, ac baptizatus est, ac proinde est proprius operantis dependenter à Fide Catholica. Quapropter per id, quod facit exterius, sufficienter significat, si fortè non fingat, eum dolorem internum, quem ostendit exterius esse proprium hominis fidelis, & non nisi ex motiuo proposito formaliter per fidem. Quod si nihilominus adsint circumstantiæ, ob quas prudenter dubitetur; an eiusmodi sit dolor quem reipsa gerit pœnitens, interrogandus erit ac instruendus à prudenti Confessario iuxta modum eidem pœnitenti accommodatum. Rarò tamen necessaria est inquisitio specialis de qualitate doloris inter bonos Catholicos. Qui videlicet semper, aut ferè semper mouentur ex pietate verè Christiana, adeoque supernaturali re ipsa: cum mouentur ad dolorem de peccatis, præsertim in ordine ad Sacramentum.

Ad 4. Ex dictis supra in communi quæst. 33. constat Sacramentum Pœnitentiæ non posse esse validum simul, & informe, vti potest esse Baptismus. Vnde quidquid est necessarium ad effectum Sacramenti pœnitentiæ, est itidem necessarium ad valorem ipsius Sacramenti. Quod non similiter verificatur respectu Baptismi. Ad effectum autem huius Sacramenti, qui est gratia remissiua peccati, requiritur, tanquam dispositio, dolor supernaturalis, vti paulo prius concluſum est. Vnde vlterius apparet ratio discriminis respectu intentionis Ministri. Nempe hæc intentio non habet eiusmodi rationem dispositionis, seu impetrationis moralis, sed est purus consensus, voluntas efficax dispensandi, quod habet in potestate, vt dispenset sicut minister Dei. Patet autem cum æquali efficacia præstari id posse per intentionem, siue honestam, siue peccaminosam, vti pluries notandum est supra in communi quæst. 5. & 13. atque alibi.

---

## QVÆSTIO LXXXIX.

### *Vtrùm attritio absque dilectione Dei sit sufficiens ad istud Sacramentum?*

VIdetur non sufficere, 1. Quia in 1. epist. Ioannis 3. 4. dicitur: *Qui non diligit, manet in morte.* Et 1. ad Corinth. 13. dicitur multipliciter nihil prodesse cætera sine charitate & habentem quidquis aliud sine charitate nihil esse. Constat præterea ex Deuteron. 4. 29. Deum inueniri non posse, nisi ab eo, qui ipsum quærit per charitatem. Dicitur enim: *Cúmque quæsieris ibi Dominum Deum, inuenies eum si tamen toto corde quæsieris, & tota tribulatione cordis tui.* Quæ restrictio denotat clarè necessitatem dilectionis Dei super omnia. Cui videlicet soli totum cor, totáque cordis tribulatio impenditur honestè iuxta illud: *Diliget Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.* Nullum igitur est remedium salutis absque charitate, & dilectione Dei super omnia.

2. Concil. Trid. sess. 6. cap. 6. absoluit seriem iustificationis per Baptismum dicendo: nondum baptizatos ad eam disponi. *Dum Deum tanquam omnis iustitiæ fontem diligere incipiant.* Et mox immediatè subiungit: *Ac propterea mouentur aduersus peccata*

*per odium aliquod, & deteſtationem, hoc eſt eam pœnitentiam, quam ante Baptiſmum agi oportet.* Ergo pœnitentia, quam ante Baptiſmum, ac per conſequens in Sacramento etiam pœnitentiæ agi oportet; includit in ſe dilectionem Dei, tanquam fontis omnis Iuſtitiæ; id eſt dilectionem pertinentem propriè ad virtutem charitatis. Quæ videlicet ſola reſpicit Deum; vt fontem omnis Iuſtitiæ.

3. Auguſtinus ſermone 4. de tempore. *Pœnitentiam ait, non facit niſi amor Dei, & odium peccati. Et lib. de vera, & falſa pœnitentia, cap.17. Sine amore Dei nemo vnquam gratiam inuenit, nec veniam conſecutus eſt.* Et lib.2.contra Creſc. c.12. *Mundantur peccata charitate, quæ ſi adſit, omnia rectè fiant; ſi verò abſit, cætera fruſtra fiunt.* Quibus nihil clarius eſſe poteſt pro neceſſitate actus charitatis, & dilectionis Dei ad remiſſionem peccatorum vtcunque obtinendam, ſiue in Sacramento, ſiue extra Sacramentum.

Subſcribit Auguſtino, Diuus Thomas in 4.diſtinctione 17. quæſtione 3. articulo 4. quæſtiuncula 1. dicens confeſſionem non valere ſine charitate, quæ eſt principium merendi. Et rurſus ibidem diſtinctione 14. quæſtione 2. articulo 1. quæſtiunc.2. ad 3. & diſtinctione 22. quæſtione 2. articulo 1. quæſtiunc.4. diſtinguens attritionem à contritione, ſeu à perfecta charitate ſolùm ſecundum plus,& minus. Quod non rectè diceretur, vt patet ſi differrent adæquatè penes motiuum. Ac demùm tertia parte, quæſtione 85. articulo 2. ad 1. docet diſplicentiam peccati præteriti, eam vtique, quæ requiritur ad Sacramentum Pœnitentiæ pertinere immediatè ad charitatem, ſolámque intentionem operandi ad deletionem peccati pertinere ad ſpecialem virtutem ſub charitate.

4. Actus fidei, & ſpei, ſunt præcisè neceſſarij in adulto, tanquam præuiæ diſpoſitiones ad infuſionem habitus fidei, & ſpei. Ergo actus dilectionis, & charitatis eſt eodem modo neceſſarius pro omni euentu, ad infuſionem habitus charitatis, ſine quo non poſſunt peccata remitti. Patet conſequentia, quia omnes iſti tres habitus comparantur eodem proportionaliter modo cum ſuis actibus, ratio à priori eſt. Quia ſicut non poteſt eſſe diſpoſitus ad magiſterium Diuinum, & effectum Diuinarum promiſſionum, qui nihil Deo credit, nihilque ſperat in Deo, ſeu nihil fidit promiſſionibus Dei: ita nequit eſſe diſpoſitus ad ineundam amicitiam cum Deo, qui Deum nullatenus amat propter ſe, ſed ſolum timet propter pœnas. Eiuſmodi autem diſpoſitio inducitur in animam per prædictos tres habitus proportionaliter, vt apparet ex dictis q.8. & quæſt.37.de virt. Theolog. vbi hæc ratio fuſius expoſita eſt.

5. Si rebellis aduerſus Regem, veniam deinde,ab eo peteret proteſtatus velle ſe ad obedientiam, & fidelitatem redire præcisè propter metum pœnarum quas idem Rex infligere ſibi poteſt: profecto, non eſſet bene diſpoſitus, nec prudenter admitteretur ad reconciliationem amicabilem, & familiarem cum ipſo Rege, atque ad filiationem, & hæreditatem eiuſdem, ſed vlterius præexigeretur, pro tali, ac tanto dignationis effectu, amor ſubditi erga Principem propter ipſum Principem. Ergo ſimiliter reſpectu Dei.

6. Si ſufficeret ad hoc Sacramentum pura attritio, ſeu odium conceptum ex ſolo metu pœnarum, vel ex ſola turpitudine peccatorum, tanquam ex motiuo adæquato; Sufficeret etiam odium præteritorum peccatorum ex ſolo motiuo particulari turpitudinis propriæ, & peculiaris ipſorum, ac proinde ſufficeret odium non auertens animum ab omni genere peccatorum vniuerſaliter. Quæ tamen ſequela admitti nequaquam poteſt. Quia ad confeſſionem eſt omninò neceſſarium odium, & dolor continens in ſe propoſitum vniuerſale obſeruandi in futurum totam legem, vt liquet ex quæſtione præcedenti. Eiuſmodi autem vniuerſale propoſitum neceſſe eſt, vt nitatur motiuo itidem vniuerſali.

7. Per peccatum lethale (nempe de venialibus dicetur infra ſeorſim) auertitur homo à Deo, quatenus eſt vltimus finis, & ſummum bonum. Ergo ad reconciliationem cum Deo neceſſe eſt, vt peccator conuertatur ad eundem ſub eadem ratione formali, id eſt, vt conuertatur per dilectionem propriam charitatis Theologicæ. Nempe vt iuſtificatio ſit voluntaria, vt de facto eſt, & definitur à Tridentino, neceſſe eſt affectum hominis iuſtificandi eſſe formaliter contrarium affectui peccantis, atque eo formaliter fieri regreſſum, vnde diſceſſio facta fuerat.

8.Dolor ad iuſtificationem quomodocunque obtinendam requiſitus debet odiſſe peccata ſuper omnia alia mala. Quia dolor, qui talis non eſt, non ſolum, non continet in ſe vllo pacto propoſitum vniuerſale non peccandi de cætero, verum etiam continet in ſe virtualiter, & implicitè propoſitum peccandi, quoties occurrerit occaſio, pro qua vitatio peccati ſit incompoſſibilis cum vitatione alterius mali, magis odio habiti. Præualet nimirum maius odium minori, & quilibet deglutit facilè quod minus auerſatur, vt vitet, quod magis ipſum offendit. Dolor autem de peccatis, ex ſolo metu pœnarum, plus odit malum pœnarum, quam malum peccati ſecundum ſe. Hoc namque odit propter illas; & propter quod vnumquodque, & illud magis. Neceſſaria igitur eſt dilectio propria charitatis. Quæ nimirum ſola, ſicut afficitur ad ſummum bonum ſuper omnia alia bona; ita odio habet peccatum, quod eſt malum directè contrarium ſummo bono ſecundum ſe, ſuper omnia alia mala; quandoquidem menſura odij circa vnumquodque malum, eſt amor boni oppoſiti.

Art.1. Reſpondetur.Circa præſentem quæſtionem habenda eſt præ oculis, & obſeruanda diligenter locuples, & adæquata doctrina tradita à Concil. Trid. ſeſſ.14. cap.4. Primum autem omnium contritio, vt præſcindit à perfecta, & imperfecta, definitur ibi: *Animi dolor,& deteſtatio de peccato commiſſo, cum propoſito non peccandi de cætero.* Quæ profecto circumſtantia propoſiti vniuerſalis, ac limitati ſuperaddita dolori, clariſſimè denotat ſubintelligendum eſſe dolorem conceptum ex motiuo vniuerſali. Quod videlicet ſolum auertere,atque arcere valet ab omnibus indiſcriminatim peccatis,ſaltem lethalibus.

Art. 2. Deinde, præmiſſa eius doloris neceſſitate pro omni tempore ad impetrandam veniam peccatorum, ſubiungitur ibidem diuiſio contritionis in eam, quæ eſt charitate perfecta (id eſt quæ concipitur ex motiuo charitatis; & habet ſibi deuinctam dilectionem Dei ſuper omnia, quæque propterea dicitur contritio perfecta, & iam communiter intelligitur à Theologis ſub nomine contritionis abſolutè prolato) *& in contritionem imperfectam, quæ attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati conſideratione vel ex metu gehennæ; & pœnarum communiter concipitur.* Quibus in verbis,cum & motiuum exprimatur longè diuerſum à motiuo charitatis, & hæc pars diuiſionis contraponatur illi alteri parti includenti charitatem, nec dici poſſit non exponi à Concilio vtramque partem adæquatè, ac legitimè; concluditur efficaciter nomine attritionis intelligi à concilio dolorem, ac deteſtationem peccati habentem

habentem motiuum intrinsecum adæquatè distinctum à motiuo charitatis, saltem secundum conceptum explicitum, ac formalem. Quæ sane est communis Theologorum intelligentia circa prædicta concilij verba, & communis itidem eorundem sententia circa rem ipsam, vt videre licet Suarez disp. 5. sect. 1. & 2. aliosque in præsenti.

Art. 3. Addit postremò Concilium contritionem illam priorem charitate perfectam. *Hominem Deo reconciliare priusquam hoc Sacramentum actu suscipiatur, quamuis ipsa reconciliatio non sit ipsi adscribenda sine Sacramenti voto* (de quo iam dictum est quæst. 86. & 87.) Attritionem verò, *quamuis sine Sacramento Pœnitentiæ per se ad iustificationem perducere peccatorem nequeat; tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam disponere.* Sufficienter vtique, & cum effectu. Id quod distinctius, ac locupletius docemur toto can. 5. eiusdem sessionis, qui sic habet. *Si quis dixerit eam contritionem, quæ paratur per discussionem, collectionem, & detestationem peccatorum, qua quis recogitat omnes suos annos in amaritudine animæ suæ, ponderando peccatorum suorum grauitatem, multitudinem, fœditatem, amissionem æternæ beatitudinis, & æternæ damnationis incursum cum proposito melioris vitæ, non esse verum, & vtilem dolorem, nec præparare ad gratiam, sed facere hominem hypocritam, & magis peccatorem: demum illam esse dolorem coactum, & non liberum, ac voluntarium; anathema sit.* Quæ quidem omnia eo tendunt, vt exponatur, ac stabiliatur qualis contritio sufficit ad hoc Sacramentum, cum in canone immediatè præcedenti definitum esset contritionem esse vnam ex eius partibus. Ex his itaque omnibus liquido apparet attritionem adæquatè distinctam ab actu charitatis, & dilectionis Dei super omnia, atque conceptam ex motiuo formali intrinseco, adæquatè distincto à motiuo charitatis, sufficere ad valorem, & effectum Sacramenti Pœnitentiæ, seu ad impetrandam veniam peccatorum in hoc Sacramento.

Art. 4. Verùm quia Concilium definit ibidem cap. 4. attritionem, qualis exposita est *esse donum Dei & Spiritus sancti impulsum, non adhuc inhabitantis, sed tantùm mouentis, quo pœnitens adiutus viam sibi ad Iustitiam parat*; atque adeò est actus laudabilis, virtuosus, ac supernaturalis, vt liquet ex quæstione præcedenti; non potest non habere aliquam participationem charitatis. Quæ videlicet participatio est de conceptu omnis actus virtuosi, & vtilis in vitam æternam. Quia vt dicit D. Thomas in 3. distinct. 26. art. 2. ad 3. *Omnes aliæ virtutes participant aliquid à charitate, scilicet desiderium summi boni, propter quod operantur.* Cuius ratio desumitur ex Philosopho dicente 7. Ethic. cap. 5. *Sicut se habet primum principium in intelligibilibus, & prima causa in effectibilibus, ita se habet vltimus finis in appetibilibus.* Vnde idem Diuus Thomas 1. 2. q. 1. art. 6. & alij communiter ibidem docent, & à nobis etiam dictum est quæst. 1. de act. human. omnia, quæ volumus, necesse esse; vt velimus propter vltimum finem. Licet autem actus vitiosi aberrent à veritate, & realitate vltimi finis; actus nihilominus virtuosi nulli possunt vnquam errare circa realitatem eius, quod re ipsa est vltimus finis, & quod per consequens, est motiuum formale proprium charitatis, vt apparet ex dictis ibidem. Omnibus itaque actibus virtuosis communis, ac essentialis est aliqua charitatis, & dilectionis Dei participatio, propter ordinem intrinsecum, & subordinationem ipsorum ad obiectum formale charitatis, quod est vltimus finis, vti explicatius dictum est quæst. 41. de virt. Theol. Hinc est, quod Augustinus non semel omnes actus honestos, ac salutares attribuere videatur soli charitati, perinde, ac si nulla alia esset virtus vtilis ad vitam æternam præter vnam charitatem, iuxta illud eiusdem lib. de nat. & grat. sub finem. *Charitas ergo inchoata, inchoata iustitia est; charitas prouecta, prouecta iustitia est; charitas magna, magna iustitia est, charitas perfecta, perfecta iustitia est.*

Art. 5. Longè tamen diuerso modo versantur circa vltimum finem, qui est Deus, charitas, & reliquæ virtutes. Quia charitas fertur immediatè in vltimum finem, cum diligendo super omnia propter totam plenitudinem bonitatis, quæ in ipso est. At reliquæ virtutes feruntur tanquam ad finem suum immediatum, & proximum, ad alias particulares rationes bonitatis, quatenus conferentes, & habentes rationem medij ad vltimum finem, qui est prima regula totius honestatis, & bonitatis moralis conuenientis quibuscunque obiectis, & actibus. Vnde omnes actus reliquarum virtutum comparantur cum actu charitatis, sicut comparatur electio cum intentione. Hoc igitur pacto, & nullo alio, necesse est, vt actus attritionis participet charitatem, & feratur ad eius motiuum; atque hæc eadem, & nulla alia ratio dilectionis Dei, obseruatur in prædicto actu, atque requiritur communiter à Theologis; nec oppositum, vel leuiter insinuant, sed hoc ipsum manifestè tradunt, tum Valentia in præsenti disp. 7. q. 8. punct. 1. tum Pater Henriquez tom. 2. summæ lib. 4. cap. 26. littera K.

Art. 6. Hæc porrò attritio dicitur communiter, & meritò, & superaddito Sacramento Pœnitentiæ facere de attrito, contritum. Quod tamen non ideò dicitur, quia actus, qui prius erat attritio, fit posteà secundum se contritio; sicut calor remissus superadditis aliis gradibus caloris, fit intensus. Hoc enim est impossibile. Quia hi actus procedunt ex diuersis motiuis, & intrinsecè, ac essentialiter differunt specie; Principalis itaque ratio, axiomatis eius communis est. Quia attritioni, ex vi Sacramenti, adiungitur habitus charitatis, ratione cuius incipit pœnitens habere permanentem dispositionem facilè, ac suauiter conuertendi se ad Deum. Quapropter priorem, aduersus Deum, duritiam cordis perinde deponit, atque si præhabuisset contritionem perfectam, & actum charitatis, cuius proprium est, vt emolliat cor hominis, & auferat ab eo resistentiam respectu Diuinæ voluntatis. Nempe contritio, & attritio dicuntur de voluntate peccatoris per analogiam ad corpora dura, quatenus contusa, & confracta. Hæc enim corpora dicuntur conteri, cum diuiduntur in minimas partes, & quasi in puluerem rediguntur, vt facilè quaquauersum cedant tangenti. Atteri verò dicuntur, cum diuiduntur in partes maiores, vt non ita facilè cedant tangenti. Ex huius metaphoræ applicatione ad actus prædictos, quæ cuiuis est facilè peruia, ac manifesta, apparet alia insuper ratio attriti transeuntis, per Sacramentum, in contritum. Experientia enim, cuius ratio à priori substructa est supra in communi, dum exponeretur conuenientia institutionis Sacramentorum, eorúmque causalitas quæst. 11. 24. & 25. Experientia inquam docet peccatores, vel maximè obduratos, post susceptum re ipsa Sacramentum Pœnitentiæ, saltem immediatè post susceptionem, esse multo promptiores, magisque attentos ad obseruantiam mandatorum, & magis circumspectos quoad vitationem peccatorum, occasionémque peccandi, quam si Sacramentum non suscepissent re ipsa, solúmque elicuissent actus, quibus disponuntur ad Sacramentum. Quapropter additamentum Sacramenti confert plurimum cæteris paribus, ad tollendam, seu conterendam duritiem cordis, quod proinde, licet antecedenter esset quasi attritum tantùm, redditur deinde vi Sacramenti, quasi contritum.

Art. 7.

Art. 7. Ex hac doctrina apparet vlterius, licet Deus minorem, miniméque perfectam, secundum se, dispositionem præcisè requirat ad iustificationem in Sacramento, quam extra Sacramentum, quod est certum ex fide, iuxta adductum Tridentini, testimonium; induci nihilominus per Sacramentum etiam susceptum cum ea ignobiliori dispositione, iustificationem, & renouationem peccatoris æquè vt minimum fructuosam, atque efficaciter inductiuam emendationis, ac nouæ vitæ; quam quæ fit cum perfecta contritione, & dilectione Dei extra Sacramentum. Vnde obiter colligitur decuisse, vt minor dispositio exigeretur ad iustificationem in Sacramento, quam extra Sacramentum; non solùm vt ita compensaretur difficultas confessionis, de qua ratione dictum est supra; sed etiam, & multo magis, quia debilior ea dispositio est sufficiens, simul cum Sacramento, ad totum eum effectum, & fructum iustificationis, qui obtinetur extra Sacramentum cum dispositione perfectiori, & cum actu charitatis.

Art. 8. Apparet itaque, quod præcipuè intentum est per omnia quæ hucvsque præmissa sunt, non solùm repugnare Concilio Tridentino, sed etiam dissonare optimæ rationi Theologicæ necessitatem formalis dilectionis Dei, conceptæ immediatè ex motiuo charitatis, & insufficientiam puræ attritionis honestè, ac laudabiliter conceptæ ex solo metu pœnarum, vel ex sola consideratione turpitudinis peccati, ad valorem, & effectum huius Sacramenti. Et quidem indubitatum est actum aliquem, & dispositionem insufficientem ad remissionem peccatorum extra Sacramentum, sufficientem nihilominus esse posse ad eandem obtinendam in Sacramento. Quia ita definit expressè Tridentinum in verbis superius relatis. Et præterea quia alioquin quicunque accederet ad hoc Sacramentum dispositione sufficienti, eo ipso accederet absolutus iam, & liber à peccatis, neque hoc Sacramentum causaret vnquam, vique sua induceret veram peccatorum absolutionem, ac remissionem. Quod planè est contra conceptum, & significationem essentialem eiusdem Sacramenti, & manifestè repugnat verbis institutionis eius, supra ponderatis non semel. Contritio autem concepta formaliter, ac immediatè ex motiuo charitatis, adeoque charitate perfecta, & dilectrix Dei immediatè propter se est sufficiens ad iustificationem extra Sacramentum, vt constat ex iisdem Trident. Testimoniis, necnon ex pluribus sacræ paginæ documentis superius itidem indicatis ex quæst. 11. de iustif. vtpote nullibi admittentibus, aut etiam permittentibus distinctionem specificam inter eiusmodi dilectionem Dei sufficientem, & insufficientem, ad prædictum effectum infusionis gratiæ, & remissionis peccatorum, ac proinde statuentibus vniuersaliter omnem eiusmodi dilectionem Dei sufficere ad iustificationem extra Sacramentum. Nulla ergo talis dilectio Dei necessaria præcisè est in Sacramento pro obtinenda remissione peccatorum.

Art. 9. Sed neque necesse est vt pœnitens non nisi attritus re ipsa, existimet se habere contritionem perfectam cum dilectione Dei super omnia, id est necesse nequaquam est, vt accedat, vel cum reali contritione perfecta, vel cum attritione existimata contritione. Sufficit nimirum, tum ad vitandum nouum peccatum, tum ad valorem, & effectum Sacramenti, vt existimet se habere, vtque re ipsa habeat eam dispositionem, quæ re ipsa est sufficiens. Sufficit ergo, vt adsit, & credatur adesse vera attritio. Quæ est communis Theologorum sententia aduersus Sotum, Victoriam, Cordubam, Vegam, & nonnullos alios. Immò eadem realitas, eadémque existimatio, sufficit etiam pro articulo mortis, vt docet Cardinalis de Lugo, & Dicastillo cum pluribus aliis aduersus Suarez, & plures alios. Quia videlicet sufficientia attritionis etiam existimatæ talis ad valorem, & fructum huius Sacramenti est moraliter certa, vt apparet ex dictis. Sufficit autem, pro mortis etiam articulo, moralis certitudo obtinendæ remissionis peccatorum, & vitæ æternæ, tametsi deficiat summa certitudo absolutè possibilis intra idem genus. Nempe negata sufficientia certitudinis eius moralis, coniicerentur moribundi in maximas angustias, & scrupulos, atque constituerentur in maximo periculo moriendi in peccato neglectæ salutis æternæ, & non adhibitæ diligentiæ sufficientis cum summa perfectione, vti pluribus efficaciter vrget Emin. de Lugo.

Ad 1. In verbis illis D. Ioannis sermo est de dilectione proximi pro tempore, & loco, vt liquet clarè ex contextu. Accipitur etiam à non paucis de charitate actuali, vel habituali indiscriminatim, ac indifferenter, neutro autem modo facit ad rem præsentem, vt patet. Iam Apostolus in nulla illius capitis parte dicit, aut etiam insinuat, nihil valere, aut nihil esse cætera distincta à charitate ad obtinendam ipsam charitatem, sed tantum nihil valere, nihil prodesse, nihil omninò esse cætera, si non obtineatur charitas, eadémque cæteris superaddatur. Quod sponte conceditur à nobis, & nemo negat. Locus denique Deuteronomij agit de quærendo, & inueniendo Deo extra Sacramentum. Vnde nihil pertinet ad rem, de qua agitur. Prætereà in his, & similibus testimoniis nullus vnquam intellexit charitatem, & dilectionem Dei, vt indifferentem ad perfectam, & imperfectam: sufficientem, & insufficientem pro obtinenda iustificatione extra Sacramentum; sed omnes vnanimi consensu subintelligunt determinatè dilectionem Dei perfectam, & sufficientem se sola ad inducendam iustificationem impij. Cuius tamen dilectionis necessitas in Sacramento negatur clarè à Tridentino, atque indubitanter reiicitur ab iis etiam, qui vtuntur prædictis testimoniis ad inducendam necessitatem dilectionis Dei imperfectæ, sed habentis pro motiuo formali immediato saltem inadæquato, summum bonum secundum se.

Art. 1. ad 2. Concilium in primis non dicit de baptizandis, quod diligant, sed quod incipiant diligere. Inceptio autem dilectionis longè aliud est ab ipsa dilectione, & aptissimè cadit in attritionem conceptam ex solo metu gehennæ, & pœnarum, vel ex sola turpitudine peccati. Quam videlicet attritionem, dictum est ex eodem Concilio sessione illa 14. cap. 4. esse Spiritus sancti impulsum nondum inhabitantis, sed mouentis ad viam iustitiæ, ipsiúsque plenitudinem iustitiæ, propter vniuersalem vtique ordinem omnium virtutum ad Deum, vt ad fontem omnis Iustitiæ vti notatum est supra.

Art. 2. Deinde appositio illa Concilij: *Hoc est eam pœnitentiam, quam ante Baptismum agi oportet*, non cadit supra dilectionem Dei, vt fontis omnis iustitiæ, sed supra illa alia verba, quæ immediatè præcedunt; *ac propterea mouentur aduersus peccata per odium aliquod, & detestationem.* Vbi non sine causa dicitur vagè, ac indeterminatè, *per odium aliquod; & detestationem.* Causa autem est, quia nondum conuenerat, inter Patres Concilij, de qualitate eius odij, de qua constat, ex actis, & historia eiusdem Concilij, diu, multúmque inter ipsos disputatum antecedenter fuisse. Sed conuenere tandem posteà tempore prædictæ sessionis 14. atque ideò tradita est inibi vltima determinatio, ac expositio illius suspensiuæ indeterminationis, vt apparet ex prædicto c. 4. & can. 5. supra à nobis ponderatis. Oportet autem adhærere omninò eidem posteriori, ac vltimæ determinationi, ac expositioni, vt iacet; vtpote rem totam

totam definienti clarè, ac distinctè, atque tollenti suspensionem prioris ambiguitatis.

Art. 3. Obseruandum demum est attentè, quod in eodem cap. 4. dicitur de attritione: *Quoniam ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ, & pœnarum metu, communiter concipitur.* Obseruandum inquam est, quod licet non habeatur adiuncta expresse particula exclusiua alterius motiui partialis. *Ex sola consideratione, ex solo metu*; perinde nihilominus accipiendum id esse, atque si eadem particula exclusiua adiuncta fuisset expresse. Primum quia, dum aliud non exigitur, sufficienter excluditur necessitas cuiusuis alterius. Deinde quia, in materia doctrinali, ac dogmatica particularis æquiualet vniuersali, vt fert axioma merito apud omnes indubitanter receptum. Etenim vacillarent alioquin pleræque definitiones dogmaticæ, vtpote traditæ communiter absque particulis eiusmodi exclusiuis. Præterea perperam subtexuisset idem Concilium ibidem, & in Canone quinto superius producto, attritionis à se expositæ definitionem vsque adeo luculentam aduersus hæreticos, si subintelligenda insuper fuisset dilectio Dei ex motiuo proprio charitatis. Quam videlicet dilectionem nunquam, secundum vllam differentiam eius, impugnarunt iidem hæretici, sed solam puram attritionem ex solo metu, exque sola turpitudinis peccati consideratione.

Art. 1. ad 3. August. in illis locis, aliisque similibus quam pluribus, accipiendus est proculdubio de amore Dei, & charitate, vt abstrahit à perfecta, & imperfecta; inchoata, & consummata; reductiuè, & formaliter tali, ac demum ab ea, quæ includitur essentialiter in omni actu virtuoso, quæque distinguitur ab aliis virtutibus, iuxta notationem superius præmissam art. 4. & 5. Quam notationem, ac distinctionem fouet validè, & solidè fundat locuples, & clarissima doctrina eiusdem Augustini præsertim tract. 9. in Ioannem; vbi inter alia timorem pœnarum, & consequenter detestationem peccatorũ inde prouenientem asserit introducere charitatem, vtique dispositiuè.

Art. 2. Iam D. Thomas in primo ex illis locis agit ex professo de confessione in ratione operis meritorij respectu gloriæ, de qua re nunc non agitur. In secundo loco distinguit contritionem, & attritionem secundum plus, & minus non quoad motiuum, & perfectionem intrinsecam, quæ planè agnoscit specie omnino dissidentia respectu vtriusque, sed quoad effectum emolliendi, & quasi perfringendi duritiam peccatoris iuxta dicta supra articulo sexto. In tertio loco solum agit de distinguenda charitate à virtute speciali pœnitentiæ, vti superius distinctæ à nobis sunt quæstione 74. & 75. ex mente ipsius. Neque vero eam in rem dicit, aut etiam insinuat dispicentiam salutarem peccati quæ necessaria est ad Sacramentum Pœnitentiæ, ex solo motiuo charitatis elici posse, sed tantum docet elici posse ex eo motiuo, atque ad charitatem pertinere, vtique primario, & principaliter. Quod sanè commune est motiuo etiam spei; quandoquidem peccatum, sicut auertit à summo bono secundum se, ita impedit bona sperata, & volita per spem theologicam. Ex cuius proinde motiuo remote saltem, ac mediatè influente procedit attritio paulo prius exposita. Videatur si placet D. Thomas in prædictis omnibus locis. est enim contextus longus, & clarus pro re nostra in prioribus duobus locis. In postremo verò loquitur de charitate omnino perfecta, & vt est virtus Theologica, sub qua ratione, certum est ex fide, actum charitatis non esse dispositionem præcisè, ac vnicè necessariam ad hoc Sacramentum, vt obseruatum est iterum supra.

Ad 4. Actus fidei, & spei sunt prærequisiti ad actus reliquarum omnium virtutum, qui participant perfectionem illorum, & propterea nemo potest disponi, per actus aliarum virtutum ad habitus fidei, & spei, & quod perinde est ad magisterium Diuinum, atque ad effectum promissionum Diuinarum. Secus se res habet in charitate. Quia absque actu charitatis possunt exerceri actus aliarum virtutum participes illius, atque per eosdem actus solos concipi potest propositum efficax honestum, ac Deo placens nunquam vlla in re recedendi à Diuina voluntate. Quæ sanè est sufficiens dispositio ad ineundam amicitiam cum Deo pro ea rerum opportunitate pro qua Deus ipse illam offert, benignitate sua me profusa, qualis omnino ea est, qua vtitur in Sacramentis nouæ legis. In quibus videlicet, exundatione quadam misericordi prætergreditur limites nostræ dispositionis secundum se præcisè consideratæ supererogans suam gratiam, ac amicitiam ex opere operato, vt dictum est in communi quæstione 19. Id quod locum, vel maximè habet in Sacramentis Baptismi, & Pœnitentiæ, in quibus eandem gratiam, & amicitiam supererogat indignis etiam adhuc, & peccatoribus. Quæ obseruatio est habenda præ oculis diligenter, animóque altissimè infigenda ad tollendam admirationem, quæ nonnullos nimis permouet circa doctrinam huius quæstionis, atque ad excitandam admirationem aliam diuitiarum bonitatis, & profusionis Diuinæ, in lege gratiæ; consolatricem fidelium, & confirmatiuam eiusdem nostræ Doctrinæ.

Artic. 1. Ad 5. Voluntas vitandi pœnas infligibiles ab homine, non conuertitur cum voluntate vitandi omnes iniurias aduersus eundem. Fieri namque potest, vt homo iniuriam passus non puniat iniuriantem, tum propter ignorantiam delicti, tum propter impotentiam ad puniendum, tum propter placationem eius per alia delicta commissa aduersus alios in gratiam ipsius, aliisque modis. Hac itaque de causa odium pœnarum infligibilium ab homine, non continet in se necessario, ac inseparabiliter odium iniuriarum aduersus ipsum, aut propositum non iniuriandi eundem pro vllo euentu.

Art. 2. Rursus pœna saltem præcipua infligibilis à Principe temporali, non est priuatio gratiæ, & amicitiæ suæ, sed suspendium, confiscatio, exilium, & similia. Quapropter timor, aduersus principem temporalem, nullum ex sua natura continet in se respectum ad gratiam, & amicitiam ipsius nullámque per se præsupponit æstimationem appretiatiuam eiusdem.

Artic. 3. Præterea bonitas, & perfectio propria Principis temporalis non exercet rationem finis vltimi, aut etiam præcipui respectu metus, quo timetur eius potentia, & respectu odij iniuriarum, quod suboritur ex eodem metu, neque metus iste, ac odium subordinatur intrinsecè illi fini. Vnde fit postremo, vt eidem Principi non placeat absolutè talis metus, ac odium, nec ipso consulente, aut desiderante concipiatur; nisi tantum comparatiuè præ affectu deteriori; magisque nociuo. Omnia autem his opposita conueniunt attritioni superius explicatæ, timori Dei, & pœnarum infligibilium ab ipso, atque proposito inde suborto nunquam eum offendendi, vt patet ex dictis, & patebit magis ex iis, quæ mox adiicientur. Adest itaque clarum, & multiplex discrimen inter casum, qui obiicitur, & rem de qua agitur, atque obiter apparet quam sit infidum ac periculosum arguere ab humanis ad Diuina, absque alia discussione, vti nonnulli faciunt nimium frequenter, ac fidenter.

Ad

Ad 6. Turpitudo peccati prouenit ex duplici capite. Primò ex adhæsione ad bona creata contraria dictamini rationis. Secundò ex auersione à Deo, vt vltimo fine. Nocumenta inducta per peccatum sunt similiter in duplici differentia. Alia namque sunt circa bona temporalia, & ægritudines infamia, paupertas, & similia. Alia sunt circa bona spiritualia, & æterna, vt priuatio gratiæ, & beatitudinis tum substantialis, tum accidentalis, vel simpliciter, vel secundum quid. Prior pars turpitudinis, & nocumentorum pertinet ad materiale peccati, & odium speciale inde conceptum aduersus aliqua peccata, & cum proposito eadem patrandi. Quapropter eiusmodi dolor, & odium peccatorum non disponit sufficienter ad hoc sacramentum, & ad remissionem peccatorum, vt apparet ex notatione superius tradita circa propositum non peccandi de cætero, quale necessario includitur formaliter, aut causaliter in odio peccatorum disponente sufficienter ad hoc sacramentum; prout indicat Concilium Tridentinum, vbi suprà, & perspicitur clarius in verbis Florentini relatis in quæstione præcedenti, art. 6. Requiritur ergò dolor, & odium proueniens ex secundo turpitudinis, & pœnarum genere, quæ fundantur in conceptu generico communi omnibus peccatis. Et consequenter requiritur dolor, & odium ex motiuo vniuersali. Quæ est communis, eadémque vera proculdubio sententia aduersus nonnullos modernos. Neque verò subsistere potest consequentia à sufficientia doloris ex motiuo vniuersali, qualecumque illud sit, ad sufficientiam doloris ex motiuo vllo particulari, vt liquet ex ratione nuper obseruata circa vim motiui vniuersalis, seu communi omnibus peccatis.

Ad 7. Non est necessaria ad valorem, & effectum sacramenti conuersio præuia peccatoris ad Deum, quæ sit tantæ bonitatis, & perfectionis, quanta præiuit malitia, & turpitudo ex parte peccati. Quia neque actus vllus charitatis eo vsque pertingit, vt habetur quæstione 9. de incarnation. Sufficit ergò, vt efficaciter conuertat ad Deum, & auertat ab omnibus impossibilibus cum Deo, idque perfectius extra sacramentum, quàm in sacramento modo, & ratione supra explicatis. Ex quibus ipsis patet non deesse in actu attritionis omnem rationem conuersionis ad Deum, vt vltimum finem; licet desit conuersio ad ipsum, vt dilectum formaliter, & immediatè ratione sui.

Art. 1. Ad 8. Odisse aliquod malum supra malum aliud, communiter accipitur in sensu extensiuo, pro voluntate vitandi pluries, seu in pluribus euentibus vnum malum, quam aliud. Ita videlicet, vt odium eiusmodi dispar, respectu diuersorum sit præparatio animi ad admittendum malum, quod minus odio habetur, & ad vitandum malum magis odio habitum, quandocunque fuerit impossibilis vitatio vtriusque mali simul, possibilis verò vitatio vtriuslibet pro arbitrio; In hoc sensu est, de subiecto non supponenti, maius odium peccati, quàm pœnæ, aut è conuerso, quia hæc duo mala sunt mutuo inseparabilia. Nec enim fieri potest, vt quis peccet, aut perseueret in peccato, quin subsit reatui pœnæ; & similiter è conuerso, loquendo de pœna æterna: Quare, iuxta hunc sensum æquè odit malum culpæ, & malum pœnæ, quicunque illam odio habet propter istam, aut è conuerso. Idem dicitur, éstque quodammodò manifestius de odio peccati propter eius turpitudinem.

Art. 2. Multa dicunt nonnulli de hac re sub hypothesi impossibili, quod esset possibile peccatum nullis obnoxium pœnis, aut cuius insuper perpetratione vitarentur pœnæ alioquin debitæ, aut vtcunque infligendæ alio titulo. Pauca tamen sufficiunt pro legitima rei ipsius intelligentia, pauciora verò pro eius dignitate: Dicendum est primò; sicut non est prudentis serio cogitare, & deliberare conditionatè de euentibus absolutè chymæricis; ita non esse proprium per se virtuosi eligere, pro iisdem euentibus alterutram partem, seu proponere, ac prædeterminare, atque animum, circa eandem partem potius, quam oppositam, prædispositum habere. Sicut enim frustra est potentia, & virtus actiua physica, cui ex sua natura essentialiter conuenit, vt nunquam reducatur, aut reduci possit ad actum; ita frustra est propositum, & prælectio, cui metaphysicè repugnat, vt exequatur, quod proponitur, ac prælegitur. Nulla autem virtus quidquam agit perperam, loquendo per se. Ad nullam igitur virtutem spectat loquendo per se, nec est laudabile ex sua natura, vt eligatur aliquid intrinsecè chymæricum, seu dependens intrinsecè ex suppositione chymærica.

Art. 3. Dicendum est rursus peccatum non inductiuum pœnarum, aut liberans à pœnis perindè esse, atque hominem non rationalem, seu irrationalem. Perinde namque spectat ad conceptum essentialem peccati, vis inductiua pœnarum, & insufficientia, ac impossibilitas impediendi pœnas, atque spectat ad conceptum hominis, rationalitas, vt apparet ex quæstione 21. de act. hum. præsertim art. 7. & 8. Quapropter eiusmodi hypothesis nullatenùs est admittenda. Qua nimirum posita sequitur electionem vtriusuis partis esse æquè, eodémque modo electionem vtriusque partis contradictionis simul; sicut sequitur hominem posse discurrere, simúlque non posse discurrere, si supponatur, hominem non esse irrationalem. Idem eadem ratione dicitur de electione pœnarum peccati lethalis pro vitando peccato lethali. Quia tali electioni essentialiter conuenit esse peccaminosam lethaliter, vt dictum est iterum supra.

Art. 4. Dicendum postremò est, vt habeant, quæ modo præmissa sunt, odium peccati, propter pœnas, cum subordinatione superius explicata ad vltimum finem, esse honestum, nec disponere animum ad contemptum Dei, & offensæ diuinæ, aut ad peccandum pro vllo euentu, seu possibili, seu impossibili, vt liquet ex dictis suprà quæst. 84. præsertim ad tertium, quæ relegere oportet.

Art. 5. Secunda non vsque adeo communis acceptio odij maioris, circa vnum malum, quam circa aliud, est pro sola maioritate affectus quoad intentionem, aut adhæsionem, & quasi appretiationem, seu potius pro maioritate auersionis quoad intensionem, aut horrorem, aut vilipensionem. Atque in hoc sensu conceditur per actum contritionis imperfectæ, seu attritionis, magis odio haberi pœnas, aut turpitudinem peccati, quàm ipsam eius malitiam, quatenùs est offensiuum Dei. Verum in hoc nullum est peccatum, sed sola imperfectio moralis. Ad summam etenim perfectionem spectat habere affectum erga singula omninò proportionatum bonitati, & malitiæ obiectiuæ ipsorum; atque opposita dispositio animi, est pura imperfectio moralis, dum nihil interuenit aliud, vt apparet in affectu maiori erga matrimonium, quàm erga virginitatem, inque aliis eiusmodi innumeris circa scientias, artes, & similia, in quibus affectus contraria ratione dispar respectu rerum disparium, ex vnanimi omnium consensu, vacat omni prorsus malitia morali.

Art. 6. Eadem ratione fieri similiter potest, absque deordinatione peccaminosa, vt quis prosequatur maiori odio peccatum minus, quàm peccatum maius. Propter maiorem nimirum considerationem, ac ponderationem circumstantiæ, aut prædicati alicuius peculiaris conuenientis minori peccato, aut

aut propter maiorem liberam applicationem intellectus, & voluntatis circa id, quod minus est; cæterum, qui mouetur ad odium peccatorum, ex solo motiuo vniuersali, quod dictum est necessario obuersari actui disponenti ad hoc sacramentum, plus odit peccata maiora, quàm minora. Quia maiora auertunt magis à Deo, & inducunt pœnas maiores, maiorique cum efficacia, & turpitudinem continent in se similiter maiorem. Vnde motiuum vniuersale, siue perfectissimum, siue minus perfectum, necessario facit maiorem ex se præcisè impressionem in animo aduersus maiora quæque peccata iuxta gradum singulorum.

## QVÆSTIO XC.

### *Vtrùm omnia, & sola peccata lethalia hominis baptizati sint materia necessaria, & sufficiens Confessionis Sacramentalis?*

VIdentur non esse, 1. Quia nullo prorsus præexistente reipsa peccato, potest subsistere sacramentum pœnitentiæ. Alioquin istud sacramentum constitueretur intrinsecè per peccata. Id enim, quo sublato ita aufertur aliquod totum, vt eodem dato idem totum subsistat, cæteris omnibus eodem modo se habentibus, pertinet ad constitutionem intrinsecam totius, tanquam eius pars essentialis, vt apparet ex iis quæ superius dicta sunt in re simili quæst. 5. Sequela autem communiter censetur absurda. Nulla igitur peccata sunt materia necessaria huius sacramenti.

2. Ea omnia, & sola peccata sunt materia huius Sacramenti, quæ vi eiusdem remitti possunt. Non autem omnia, nec sola peccata hominis baptizati remitti possunt vi huius sacramenti. Non quidem omnia. Primò, quia aliqua peccata dicuntur in scriptura irremissibilia, & quæ neque in hoc sæculo remittuntur, neque in futuro. Deindè quia, quæ committuntur in ipso sacramento, atque in actu ipso confessionis, non sunt remissibilia per idem sacramentum, vtpotè remouentia dispositionem præcisè necessariam ad eius valorem, & effectum.

Sed neque sola peccata baptizati remittuntur per hoc sacramentum. Quia, qui Baptismum fictè suscepit, & postea committit alia præterea peccata, omnium simul peccatorum remissionem consequitur per subsequens sacramentum Pœnitentiæ, quandoquidem gratia habitualis, communicata per ipsum, simul, ac indiuisim, est remissiua omnium peccatorum præexistentium, nec fieri vllo pacto potest, vt vnum aliquod peccatum lethale remittatur, quin simul remittantur omnia alia, quæ cum illo præexistunt, vt patet ex quæst. 9. de iustif.

3. Nemo tenetur ad confessionem peccati cum iactura, saltem magna pecuniæ, salutis, aut famæ. Qua de causa, vt alia quamplura prætermittantur exempla, non tenetur ad confessionem, ex sententia plurium auctorum, qui nequit confiteri, nisi per interpretem. Ne nimirum cogatur habere duos testes contestes suorum scelerum. Sunt autem aliqua peccata vsque adeo enormia, ac deformia, vt eorum manifestatio facta soli Confessario, procreet maiorem, magisque sensibilem, ac contristatiuam infamiam: quam manifestatio aliorum plurium peccatorum per interpretem. Eiusmodi namque sunt aliqua peccata ex natura sua, vt proditio patriæ, occisio benefactoris, incestum cum matre, aut sorore bestialitatis. Alia verò ex conditione personæ, vt furtum viri nobilis, impudicitia virginis, aut etiam coniugatæ, quæ est integerrimæ famæ, aut est celebris opinione sanctitatis. Ergò talia peccata non sunt materia necessaria confessionis.

Eodem pertinent, licet diuersa aliquatenùs ratione, peccata, quorum differentia specifica manifestari non potest absque infamia tertiæ personæ, quæ fuerit complex, aut obiectum peccati, vti incestum cum matre, aut sorore, infamatio patris, vel matris de adulterio, & similia. Eodem etiam pertinent peccata, quorum exacta & adæquata expositio fieri nequit absque scandalo Confessarij, inductiuo eius ad peccandum, aut absque periculo propriæ reincidentiæ æternæ. Cuiusmodi incommoda insunt nonnullis peccatis per se ex sua natura. Quæ proindè eximuntur absolutè ab obligatione confitendi.

4. Absolutio sacramentalis non potest verificari circa peccata iam ante deleta, quoad culpam, & totam pœnam, per contritionem, aut per aliam confessionem. Quia fieri non potest, vt quis verè absoluatur à peccatis, quæ verè sibi iam non insunt, seu quibus non amplius ligatur verè. Ergò non quælibet peccata lethalia baptizati sunt materia sufficiens huius sacramenti.

5. Peccata dubia, nec sunt materia necessaria, nec sufficiens confessionis. Non quidem necessaria. Quia quilibet in dubio præsumitur innocens, ac proindè nemo tenetur in dubio peccati, se gerere, & accusare tanquam reum. Confirmatur paritate voti, de cuius emissione, qui dubitat, ad nihil indè tenetur, idémque dicitur indubitanter de debito, aut furto dubio, quatenùs non obligante ad vllam restitutionem; déque similibus. Confirmatur rursus. Quia si scrupulosi tenerentur ad confessionem omnium de quibus dubitant, implicarentur nimium, & redderetur moraliter impossibilis æterna eorum salus. Lex autem Dei est eadem respectu omnium, omnésque proindè obligat ad eadem, & eodem modo. Sed neque sunt materia sufficiens eadem peccata dubia. Quia illis solis expositis in confessione, exponeretur sacramentum periculo nullitatis; idémque periculum nullitatis immineret ex parte, simul etiam adiunctis peccatis certis, quia nihilominus posset esse nulla, ac nugatoria absolutio quoad dubia. Ergò non omnia peccata lethalia sunt materia confessionis.

6. Plerique peccatores sunt inhabiles ad discernendum omnes, & singulas formalitates peccatorum, quæ continent malitias morales specie diuersas; atque iis, qui frequenter peccant, & rarò confitentur, redditur post longum tempus moraliter impossibilis recordatio omnium suorum peccatorum. Vnde neutri possunt confiteri omnia sua peccata. Certè nunquam conquiescere possent, post vllam diligentiam examinandi conscientiam, tanquam satisfecissent adæquatè obligationi examinandi, nec vlterius inquirere tenerentur. Quia nunquam possent esse moraliter certi, quod exposuissent in confessione omnia, & singula peccata, & quoad omnem eorum malitiam. Lex autem De *impossibilia non iubet*, nec inducit in eiusmodi angustias, & tricas inexplicabiles.

7. Actiones exteriores homicidij, furti, & similes non superaddunt vllam malitiam moralem, vltra eam, quæ inest actibus internis; quandoquidem nullam illis superaddunt nouam libertatem, quæ tamen est de conceptu formali malitiæ moralis, vti pluriès dictum est in quæstionibus de act. hum. Ergò non necesse est confiteri peccata exteriora; sed sufficit dicere: volui occidere, furari, &c.

8. Qui furatus est vnica vice centum aureos, quod peccatum æquiualet centum, & amplius peccatis lethalibus, sufficit, si dicat: Commisi furtum graue, nec tenetur exponere determinatè quantitatem. Ergò sufficiet, si idem dicat absque vlteriori indi-

niduatione, qui centies furatus est lethaliter accipiendo singulos seorsim aureos. Patet consequentia, quia æquiualentium mutuo eadem est ratio, & consideratio moralis, nec potest esse dispar onus æquè nocentium. Idem autem dicendum consequenter erit de numero aliorum quorumlibet peccatorum. Quia cuilibet numero, cuiuslibet speciei, potest similiter æquiualere vnus aliquis actus simplex, ergò non necesse est confiteri omnia peccata lethalia, saltem quoad numerum.

9. Aliquando suscipitur sacramentum pœnitentiæ validè, & fructuosè cum sola confessione peccatorum in genere, imò cum solo etiam nutu innuente *peccaui*. De quo nemo dubitat. Ergò semper suscipi potest idem sacramentum validè, & fructuosè cum sola eadem confessione. Patet consequentia. Quia quod aliquando sufficit ad saluandam essentiam rei, quæ in sacramentis est indistincta ab eorum valore; semper sufficit ad saluandam eandem; quandoquidem essentiæ rerum consistunt in indiuisibili, nec sunt variabiles. In sacramento autem Pœnitentiæ est inseparabilis valor ab effectu, & fructu ipsius, vt dictum est supra ex traditis in communi quæstione 30. Rursus quæ sufficiunt ad validam, & fructuosam susceptionem sacramentorum sufficiunt etiam, vt licitè, & sine vllo peccato suscipiantur. Quia susceptio peccaminosa, saltem si lethaliter peccaminosa sit, impedit infusionem gratiæ, & consequenter etiam valorem, respectu huius sacramenti. Ergò semper suscipi potest istud sacramentum validè, & fructuosè, & absque peccato saltem graui cum sola confessione, aut insinuatione peccatorum in genere.

10. Omnia ea peccata sunt materia necessaria confessionis, quibus non manifestatis sacramentaliter, peccatur lethaliter. Contingit autem peccari lethaliter non manifestatis venialibus in confessione. Qui enim non commisit peccata, nisi venialia, peccabit nihilominus lethaliter contra præceptum confessionis annuæ, si per integrum annum omittat hoc sacramentum; id est, si omittat confessionem venialium. Idem dicitur de eo, qui vouit confessionem menstruam, aut hebdomadariam, necnon de eo, qui tenetur ad eandem frequentiam ex lege, aut præcepto speciali, tametsi nullum præcesserit peccatum lethale nondum remissum. Ergò non sola peccata lethalia sunt materia necessaria huius sacramenti.

11. Nectarius Patriarcha Constantinopolitanus abstulit vsum confessionis sacramentalis, vti referunt Socrates, Sozomenus, Nicephorus, qui cum Ruffino affirmant præterea, nectarium fuisse virum sanctum. Sanctissimus deindè successor, Nectarij, Chrysostomus fouit eam prohibitionem, vt patet ex verbis eius, hom. 4. de Lazaro post medium ad illud Isa. 43. *Dicito tu peccata tua*: *Caue*, ait, *homini dixeris ne sibi exprobret*. Et infrà: *sed ei, qui Dominus est, qui tui curam gerit. Nec enim ignorat etiamsi non dixeris*. Similes eiusdem sententiæ habentur tom. 5. hom. 5. 8. de Pœnitent. hom. 21. in epistol. ad Hebræos. Simile quid habetur etiam, ex Ambrosio de pœnitent. dist. 1. sub initium. Vbi præterea vsque ad cap. 36. proponuntur varia Scripturæ testimonia affirmantia remissionem peccatorum absque eorum confessione coram homine. Est igitur inuentum purè humanum, & contradicens iuri Diuino, necessitas confessionis auricularis pro obtinenda remissione peccatorum. Certè credibile nequaquam est vsum abrogatum à Nectario, & quod plus est, à Chrysostomo, fuisse conformem iuri Diuino. Nulla igitur peccata sunt materia necessaria sacramenti Pœnitentiæ, saltem de iure Diuino.

Art. 1. Respondetur ex dictis suprà quæstione 87. apparet clarè confessionem peccatorum, coram sacerdote Dei Vicario esse necessariam necessitate præcepti Diuini. Idipsum definit, post alia Concilia Tridentinum loco infrà notando; Docétque indubitatus omnium Ecclesiæ Patrum consensus apud Suarez disp. 17. sect. 2. & continua eiusdem Ecclesiæ traditio, atque vsus semper tenuit, ac tenet. Superest explicandum qualia peccata, & quatenus necesse sit exponere confessario. Possunt autem omnia, quæ spectant ad hoc punctum, expediri, ac inferri facile, & legitimè ex fundamento, quo in prædicta q. 87. comprobata est necessitas confessionis huius vocalis in genere. Fundamentum enim verò, ibi iactum ex Euangelio, fuit: Sacerdotes constitutos esse à Deo Vicarios suos, quoad potestatem remittendi & retinendi peccata; ac propterea qua obligatione semper tenebantur, & tenentur peccatores ad agnoscendum coram Deo omnia sua peccata, cùm verò de illis interno dolore, supra explicato, teneri itidem ad idem præstandum exterius coram Sacerdote post institutum sacramentum Pœnitentiæ, quoad peccata commissa post Baptismum; id est ex quo peccator constituitur membrum Ecclesiæ, & subiicitur potestati sacerdotali.

Art. 2. Necesse autem semper fuit, vt est agnoscere, & plangere coram Deo omnia, & singula peccata lethalia quoad omnem eorum malitiam grauem, iuxta illud Isaiæ 38. 15. *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ*. Nec aliter obtineri vnquam potuit, aut potest beneficium reconciliationis cum Deo, vt patet ex Ezech. 18. 30. *Conuertimini, & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris, & non erit vobis in ruinam iniquitas*. Cuiusmodi sunt alia quamplura in sacris litteris. Necesse igitur est post institutum sacramentum Pœnitentiæ vt vnusquisque baptizatus recogitet omnes annos suos, in amaritudine animæ suæ coram Sacerdote, vtque agat pœnitentiam omnium iniquitatum suarum coram eodem. Et qui pœnitentiam huiusmodi non habuerint, omnes similiter peribunt, vt apparet ex verbis Christi Domini, quæ habentur in hanc omninò sententiam Lucæ 13. 3. & 5.

Art. 3. At non recogitat omnes annos suos in amaritudine animæ suæ, nec agit pœnitentiam omnium suarum iniquitatum, coram sacerdote, qui non manifestat eidem omnia peccata sua saltem lethalia cum dolore, & odio eorum. Cùm enim peccata lethalia sint materia præcipua amaritudinis animæ, eadémque sub nomine iniquitatum, absolutè intelligantur; non dubium est, quin recogitatio omnium annorum in amaritudine animæ, & pœnitentia omnium iniquitatum, & quod inde consequitur, iuxta illationem nuper indicatam, manifestatio peccatorum facienda Sacerdoti complectatur omnia, vt minimum peccata lethalia. Necessaria igitur est, iure Diuino, confessio, & manifestatio omnium peccatorum lethalium, quæ post Baptismum ab vno quoque commissa sunt.

Art. 4. Quia verò non verificatur absolutè, & iuxta communem loquendi, ac intelligendi modum, manifestari omnia contenta sub aliquo genere, nisi manifestentur, tum omnes, & singulæ species contentæ sub eodem genere, tum omnia, & singula indiuidua, contenta sub vnaquaque specie; atque certum est, necesse esse dolere de peccatis coram Deo cum eiusmodi distinctione, ac distributione. Quia inquam hæc ita habent, deducitur vlterius necessariam esse confessionem, & manifestationem omnium lethalium coram Sacerdote, quoad speciem, & numerum. Porrò, sicut contingit, sub vne specie peccati, dari plura

plura indiuidua, & numerum maiorem, vel minorem peccatorum; ita etiam contingit in eodem actu peccaminoso, realiter indiuisibili, dari plures specie malitias inuicem separabiles formaliter, seu secundum suum conceptum formalem. Qui enim furatur in Ecclesia, propter mœchiam cum scandalo adstantium, exercet actum realiter vnum, sed cui inest indiuisim multiplex species malitiæ, furti scilicet sacrilegij, mœchiæ, & scandali; è quibus formalitatibus quælibet, ex suo conceptu, & quidditate, est separabilis à reliquis. Quapropter eadem ratione, qua necesse est confiteri numerum peccatorum contentum sub vnaquaque specie, necesse est quoque confiteri species omnes malitiæ, inuicem separabiles formaliter ex conceptu suo, quæ reperiuntur in vnoquoque actu. Iam verò inter eiusmodi formalitates, quæ est vniuersalior cæteris, maiorisque indifferentiæ, aut magis nota per se, aut vtcunque prior prioritate rationis, dicitur communiter pertinere ad substantiam actus, imò esse ipsa substantia actus; reliquæ verò formalitates ratione posteriores, dicuntur circumstantiæ eiusdem actus, vti expositum est quæstione 25. & clarius quæst. 26. ad 3. de act. hum. Vndè quod dictum est, debere exponi seorsim omnem rationem specificam malitiæ repertam in vnoquoque actu, perinde est, atque debere exponi omnes species peccatorum, omnésque eorum circumstantias mutantes speciem.

Art. 5. Necesse itaque est explicare in confessione, non solum species omnes peccatorum lethalium, omnémque eorum numerum sub vnaquaque specie contentum, sed etiam circumstantias omnes mutantes speciem, seu superaddentes peculiarem rationem malitiæ secundum se grauis, id quod non solum clarè definit Concilium Tridentinum sess. 14. cap. 5. verum etiam optima ratione conuincit. Quia videlicet, his omnibus non explicatis, non possunt sacerdotes exercere, provt oportet, iudiciariam, ac pastoralem potestatem sibi à Deo delegatam. Nec enim possunt incognita causa, seu non integrè cognita quoad species, & indiuidua peccatorum, vti arbitrio remittendi illa, ac retinendi illa, atque pœnas, & opera satisfactoria, secundùm æquitatem iniungere opportunè, ac demum adhibere medicamenta accommodata indigentiæ spiritualiter ægrotantium. Quorum nimirum omnium diuersitas, & electio prudens, iustáque proportio pendet ex diuersitate specifica, & numerica peccatorum.

Art. 6. Ea porrò peccata solo numero distinguuntur formaliter, quæ sunt inuicem negabilia secundum suum esse morale, simúlque sunt omninò similia inter se, seu simul sunt inuicem indiscernibilia per sola sua prædicata intrinseca secundum idem esse morale. Talia sunt furtum scuti hodiernum, & hesternum; commissum à Petro, & commissum à Paulo, & sic de similibus. Additur vtrobique *secundum esse morale*. Quia actio peccaminosa interior, & exterior, quæ per illam imperatur, ac inducitur, sunt negabiles mutuo, atque dissimiles secundum esse physicum; & tamen ambæ simul constituunt vnum numero peccatum. Quia scilicet conueniunt inter se totaliter quoad libertatem, & quoad oppositionem cum dictamine rationis, & cum lege Dei, quibus constituitur adæquatè moralitas actionis peccaminosæ. Vndè neutrius, aut libertas, aut oppositio cum lege Dei est negabilis de altera absolutè, sed tantùm quoad modum, quo conuenit vnicuique, qui modus spectat solum ad esse physicum, vtpote nihil conferens ad diuersitatem vitupetij, aut supplicij. Neque verò id potest esse discretiuum, aut dissimilatiuum vnius ab alio, quod de neutro negari potest. Manifestum siquidem est, discretiuum vnius ab alio, non posse huic alij esse commune; atque vnumquodque differre, ac discerni ab alio per id, quod sibi conuenit, & alij non conuenit. Oportet igitur respicere solum ad esse morale.

Art. 7. Ea consequenter peccata differunt inter se specie formaliter; quæ non solum sunt inuicem negabilia secundum suum esse morale, sed etiam sunt inuicem dissimilia, ac discernibilia, per sola sua prædicata intrinseca, secundum id esse morale. Talia sunt homicidium, & furtum, perpetrata cum æquali libertate, & cognitione legis; necnon furtum, aut homicidium perfectè deliberatum, si comparetur cum semiplenè, aut nullatenus deliberato. Obseruandum verò hic est vnum peccatum lethale posse differre specie, ab alio peccato lethali, differentia non necessario explicanda in confessione. Fieri namque potest, vt ratio differentialis seorsim considerata, non superaddat secundum se, lethalem, sed venialem tantum malitiam. Si enim alter ex duobus, modo alioquin prorsus simili, intendentibus occisionem Caij, intendat præterea indiuisim inferre Sempronio, per eandem actionem leue nocumentum in pecunia, vel honore, vel salute; differentia erit penes solam malitiam, secundum se, venialem, ideóque non necessario manifestanda erit in confessione.

Art. 8. Exposita, in hunc modum multiplicitate formali, tum numerica, tum specifica peccatorum, facile intelligitur, quomodo, & quando multiplicentur æquialenter, seu numero, seu specie. Quando enim vnus actus, indiuisibilis in se physicè, æquialet pluribus actibus lethaliter peccaminosis distinctis inter se formaliter, seu numero, seu specie; tunc dantur æquialenter plura numero, aut specie peccata lethalia. Tunc autem vnus actus æquialet pluribus, quando ipse præstat ex sua natura, aut intendit, quantum plures actus præstarent, aut intenderent, vti clarius manifestabitur in responsione ad octauum.

Art. 9. Quando peccata omnia lethalia explicantur confessario, quoad speciem, & numerum iuxta expositionem præmissam; Confessio dicitur, & est integra, & materialiter, & formaliter. Quando autem aliquod, vel aliqua subticerentur, vel propter impotentiam physicam ea explicandi, vel propter inaduertentiam, aut obliuionem inculpabilem, vel propter vitandum nocumentum aliquod graue; spirituale, aut temporale; proprium, vel alienum; quod imminet per accidens ex confessione expressa peccati; confessio dicitur, & est integra formaliter; tametsi non sit integra materialiter; & perindè sufficit, atque si esset integra etiam materialiter, ad valorem, & fructum sacramenti, ac inducit remissionem indirectam eorum etiam peccatorum lethalium, quæ non manifestantur. Quia Deus non obligat homines ad operandum, nisi modo humano, & præterea institutio sacramentorum est, vel maximè gratiosa, ac paterna, vt sæpè notatum est in superioribus. Non autem esset talis, nec esset accommodata humanæ conditioni, si vltra grauamen, coniunctum per se cum isto sacramento, doloris, confessionis, & satisfactionis, exigeret præterea victoriam aliarum difficultatum, & incommodorum grauium, quæ superueniunt accidentaliter, pro consecutione gratiæ, & remissione peccatorum; neque hanc concedere vellet confitenti de facto, quantum potest, & physicè, & moraliter, vel etiam moraliter tantum.

Art. 10. Si tamen culpabiliter, & absque iusta causa, prætermittatur explicatio alicuius peccati lethalis; nec materialiter erit integra confessio, nec formaliter; id, est

id est, nec erit qualis præcipitur per se, & seclusis circumstantiis accidentalibus, nec sufficiet ad valorem, & fructum sacramenti. Quia eo ipso erit confessio peccaminosa, vtpotè contraria iuri Diuino, vt apparet clarè ex fundamento superius posito pro necessitate confessionis sacramentalis. Confessio autem peccaminosa est impeditiua potius infusionis gratiæ, & remissionis peccatorum, atque istam impeditionem, dictum est iam pluries esse incompossibilem cum valore istius sacramenti.

Art. 2. Cetèrùm huiusmodi confessionem, & explicationem peccatorum omnium lethalium post Baptismum, vel materialiter, & formaliter simul, vel saltem formaliter integram ita esse necessariam, vt etiam sufficiat ad valorem, & effectum sacramenti, absque vlla venialium explicatione, quantum est ex natura, & institutione ipsius sacramenti secundum se, certissimum est. Primum ex Tridentino apertè id docente cap. illo 5. sess. 14. Deindè quia perseuerantia mali leuis ad tempus breue, non est graue malum. Peccata autem venialia sunt malum in primis absolutè leue, vtpotè compossibile cum amicitia Dei, & cum iure beatitudinis æternæ. Et præterea perseuerantia eorundem peccatorum, tametsi non exponantur in confessione, nec deleantur per istud sacramentum, est ad tempus absolutè breue, si comparetur cum perseuerantia animæ, quæ est æterna à parte post. Quapropter omissio confessionis venialium nunquam potest reddere sacramentum, aut nullum, aut informe ex sua natura, seu ex se præcisè. Quod nimirum est peccaminosum, atque malum absolutè magnum. Concluditur itaque solam confessionem omnium lethalium post Baptismum esse necessariam, simúlque sufficientem modo dicto, ac proindè omnia, & sola peccata lethalia hominis baptizati esse materiam necessariam simul, & sufficientem confessionis sacramentalis.

Art. 1. Ad 1. Sequela de constitutione intrinseca huius sacramenti per peccata, quæ ipsum destruit, neganda proculdubio est cum Diuo Thoma quæst. 84. art. 2. & cum communi, ac indubitato Theologorum consensu ibidem aduersus Cardinalem de Lugo, disput. 12. Ad probationem sequelæ, qua eadem probatione vnice nititur Cardinalis, dicitur non posse cætera omnia, quæ ad hoc sacramentum requiruntur ex Conciliis, & communi auctorum consensu, tanquam partes ipsum intrinsecè constituentes, manere eadem in se intrinsecè, ac entitatiuè, non præexistentibus reipsa peccatis, quæ exponuntur in confessione, & sunt materia absolutionis.

Art. 2. Ratio est. Quia dolor, & odium de peccatis, per quod est certum constitui intrinsecè sacramentum, pendet essentialiter à cognitione vera præexistentiæ eorundem peccatorum. Nempè quod concipitur dependenter à cognitione falsa, non est sufficiens, nec constituit sacramentum. Quia eo ipso non dantur peccata reuera, & consequenter neque materia, supra quam cadat absolutio. Vnrsus veritas eius cognitionis pendet essentialiter à reali præexistentia peccatorum, vt per se patet. Cognitiones autem experimentales, & memoratiuæ propriarum cuiuscunque operationum maximè internarum, quæ reipsa sunt veræ (quidquid sit de alio cognitionum genere) habent veritatem adæquatè sibi intrinsecam, ac essentialem. Quia immediatè, ac essentialiter dependent à speciebus impressis productis per actus reipsa præcedentes, atque ad eosdem actus feruntur, tanquam ad obiecta sua formalia motiua, atque quibusuis actibus, tam intellectus, quàm voluntatis est intrinsecus, ac essentialis ordo ad ea determinatè motiua formalia, ad quæ feruntur de facto, quidquid sit de obiectis materialibus, seu cognitis, seu volitis mediatè, & per speciem penitus alienam. Vnde cognitiones huiusmodi experimentales, ac memoratiuæ peccatorum, quæ de facto sunt falsæ, essentialiter sunt falsæ propter similè dependentiam ab aliis aliorum similium actuum speciebus, quæ inducunt æquiuocationem, ideóque eædem cognitiones sunt intrinsecè ineptæ, vt dirigant actus voluntatis sufficientes ex se ad suscipiendum validè sacramentum Pœnitentiæ.

Art. 3. Itaque peccata sunt materia tantum remota, non ex qua fit, & constat sacramentum, sed circa quam versatur sacramentum, & quidem versatur destruendo ipsam, cùm nihil sit destructiuum alicuius ex iis, quibus intrinsecè constituitur, cùm primum existit. Peccata igitur sunt quidem essentialiter requisita ad validitatem finis sacramenti, non tamen requiruntur immediatè ratione sui, sed mediatè ratione specierum impressarum, quas gignunt. Quæ rursus species requiruntur itidem mediatè ratione cognitionis memoratiuæ eorundem peccatorum. Atque hæc demum cognitio requiritur etiam mediatè ratione contritionis, seu attritionis, quæ sola, quod attinet ad hanc rerum seriem, requiritur ratione sui, & constituit immediatè, ac formaliter sacramentum. Aliam responsionem, cum multiplici simul impugnatione Cardinalis de Lugo prosequitur fusè Dicastillo, disputation. 4. dubitation. 5.

Ad 2. Loca Scripturæ de peccatis, vt apparet, irremissibilibus explicata iam fuere suprà in simili quæstione 78. Peccata verò, quæ committuntur in ipsa confessione, sunt delebilia per aliam confessionem, vel etiam vi eiusdem confessionis, si ante absolutionem exponantur confessario, superaddito verò de illis dolore. Peccata denique præexistentia, ante Baptismum fictè, sed validè susceptum, delentur nihilominus directè, & formaliter per eundem Baptismum, recedente postea obice; id est accedente contritione, vel sacramento Pœnitentiæ cum attritione. Quia gratia subsequens, ad istum recessum fictionis, procedit etiam à baptismo, eidémque formaliter, & directè correspondet; quatenùs est remissiua, ac deletiua peccatorum præexistentium ad ipsum Baptismum adæquatè sumptum: sicut correspondet soli, seu contritioni, seu sacramento Pœnitentiæ, quatenus est remissiua, ac deletiua peccatorum baptizati, ex quo baptizatus fuit; Virtus enim Baptismi expedita, per subsequentem recessum fictionis, operatur, in eo ipso instanti totum effectum, quem operata fuisset initio, si tunc non adfuisset obex, & quantam tunc contulisset gratiam seorsim, confert in casu argumenti, simul cum gratia, quæ confertur ex vi solius, vel contritionis, vel sacramenti, vt dictum est suprà quæst. 48.

Art. 1. Ad 3. Distinguenda est difficultas, & incommodum temporale confessionis, prouenientis per se ex natura, & magnitudine peccati, à difficultate, & incommodo aliundè redundanti per accidens. Difficultas confessionis ex priori capite, eo est maior ex natura rei, quo maius est peccatum. Verum, quia iustæ æquitatis est, vt maius onus imponatur deteriori, nunquam potest quisquam, ob eiusmodi præcisè difficultatem excusari ab obligatione explicandi peccatum.

Art. 2. Sed neque ea infamia excusat, apud Sacerdotem Dei Vicarium, quæ ex integra explicatione peccati redundat ineuitabiliter in eius auctorem, siue indistinctum à pœnitente, siue complicem eius. Quia vterque excidit eatenus à iure suæ famæ, & honoris, ratione delicti; atque Deus præcipiens integram peccatorum confessionem, eo ipso intelligitur indicere peccantibus eam iacturam honoris, quæ ineuitabiliter consequitur ad secretam, sed plenam

expressio

expressionem peccati. Vndè non solum certum est neminem excusari propter magnitudinem propriæ infamiæ, seu dehonorationis; sed etiam est probabilius, iacturam complicis esse eatenùs posthabendam integræ explicationi peccati etiam externi quoad speciem, quando hæc explicatio fieri non potest absque ea illius iactura.

Art. 3. At infamia personæ non complicis excusat ab integritate materiali confessionis, quatenùs necesse erit, omittere istam integritatem, ad vitandam illam infamiam. Quia cùm hoc iudicium sit priuatum, atque ordinatum directè ad bonum priuatum solius pœnitentis (quo inter alia differt à iudicio fori externi) non licet, vt exerceatur cum nocumento innocentis, quoad peccata propria pœnitentis. Excusat similiter quoduis nocumentum graue, seu spirituale, seu temporale, seu proprium, seu alienum, succrescens extrinsecus, nec per se, ac inseparabiliter coniunctum cum integritate materiali confessionis ex natura ipsa peccatorum secundum se præcisè. Quia cum præceptum de ea integritate, sit positiuum, non obligat, cum damno notabili per accidens adiuncto, iuxta communem, & legitimum sensum auctorum. Nempè quæ sunt eiusmodi, debet Legislator seorsim exprimere, si velit, cum tanto etiam grauamine, obligare: Vndè dum illud non includit expresè, censetur excludere implicitè; Eiusmodi autem expressio non datur in præsenti.

Art. 4. Verùm quia absolutè, & loquendo per se, quæri possunt confessarius, & circumstantiæ cum quo; & pro quibus cessent talia inconuenientia, circa confessionem eiusmodi peccatorum, atque pœnitens tenetur adhibere eatenus diligentiam, quantam commodè, seu sine magno incommodo potest; propterea dicitur absolutè, omnia peccata lethalia esse materiam necessariam confessionis modo superius explicato. Quare negandum est suppositum obiectionis quoad hanc postremam eius partem.

Ad 4. Nunquam possumus esse omninò certi, certitudine euidentiæ, aut fidei, de remissione peccatorum, dum sumus in via. Vndè, iuxta prouidentiam ordinariam Dei semper supererit aliqua solicitudo, saltem leuis, de ea nondum obtenta. Atque hæc solicitudo habet rationem pœnæ peccati, quæ pœna minuitur repetendo sæpiùs contritionem, aut confessionem. Eo enim solicitudo est minor de perseuerantia peccati, & de pœna, atque maior spes, & certitudo de salute æterna, & de totali abolitione peccatorum. Quapropter peccata, tam lethalia, quàm venialia prudenter exponuntur eadem sæpius in confessione, atque significatio formæ absolutoriæ semper habet, vnde verificetur, non solùm conditionatè, sed etiam absolutè. Quia semper potest remittere illa, saltem quoad partem pœnæ per diminutionem solicitudinis, saltem illius pœnalis. Quoad culpam verò impenditur absolutio conditionatè, seu formaliter, seu virtualiter, ac implicitè, vt expositum suprà in communi quæstione 16. Peccata igitur semel commissa semper per totam vitam sunt materia sufficiens huius sacramenti, licet non sint materia necessaria eiusdem, quatenus repetiti circa eadem peccata.

Art. 1. Ad 5. Certum est necessariam semper fuisse, & esse agnitionem, & veram coram Deo contritionem de peccatis lethalibus prudenter dubiis, siue dubium sit iuris, siue sit facti. Quia alioquin liceret ex natura rei, mori cum dubio prudenti de peccato lethali nondum condonato, atque ideò cum dubio prudenti de incurrenda æterna damnatione, & quin adhiberetur diligentia sufficiens ad certitudinem moralem contrariam. Quod tamen licere est prorsus improbabile, & absurdum, nec est quisquam, qui de hoc puncto dubitauerit vnquam, aut dubitare potuerit. Ostensum est autem suprà quæstione 87. atque in hac ipsa quæstione inculcatum iterum est, totam obligationem, quæ inerat, & inest ex natura rei, agendi pœnitentiam internam coram Deo, post institutum istud sacramentum, esse coniunctam iure diuino cum obligatione peragendi eam pœnitentiam coram sacerdote, atque debere quoad fieri potest, confessionem, & manifestationem, exteriorem peccatorum esse omninò conformem internæ eorum agnitioni, & dolori. Itaque peccata lethalia dubia, dubitatione prudenti, sunt materia necessaria huius sacramenti. Quæ quidem est communissima Theologorum præsertim optimorum sententia, eadémque est procul dubio verissima. Rationem eius nostram fundamentalem indicat Caietanus tom. 1. opusc. tract. 18. quæstione 2. dicens pœnitentem debere se submittere confessario per confessionem sicut submittit se Deo per contritionem; itavt vtraque eadem omnia complectatur peccata, quoad fieri potest; fieri verò manifestè potest, vt complectatur peccata dubia, quorum, vt talium adest pœnitenti memoria præsens.

Art. 2. Ex aliis porrò dubiis voti debiti, & similibus contemptim transmissis, ac si non essent, quoad alios effectus temporales, nullum imminet periculum damni grauis irreparabilis, atque incompensabilis, & quod caput est, per contrariam dubiorum æstimationem, & praxim imponitur ipsi dubitanti onus certum ratione incerta, cùm nullum eidem immineat incommodum, aut iactura, eodem dubio contemptim transmisso, quoad vllum effectum. Vndè ex eiusmodi dubiis, & ex suspensione, seu frustratione omnis eorum effectus, nulla est paritas pro re præsenti. In qua videlicet nihil omninò refert, sicut in illis aliis materiis, an sic, vel secus concipiatur præsumptio, seu fictio iuris, vt apparet ex ratione fundamentali veritatis. Quia fieri potest, vt dubitans æternum damnetur, peccato dubio silenter transmisso in confessione, præcisè, quia silenter transmissum est, cuiusmodi nihil euenire potest in aliis materiis, neque absolutè, neque proportionaliter.

Art. 3. Iam scrupulosi non dubitant prudenter, nec discernere valent dubium reipsa prudens, ab imprudenti, ideóque ad nihil inde tenentur; nec enim militat in ipsis ratio data, vtpote petita ex dubio prudenti damnationis æternæ. Quapropter satisfaciunt toti suæ obligationi per solam, tum contritionem, & confessionem sub conceptu eatenùs vniuersali, & communi. Verùm, & à scrupulosis, & à cæteris quibusuis debet in confessione adiungi peccatis dubiis aliquod peccatum certum, cùm id fieri potest, ita monente Suarez, & aliis communiter. Ne nimirum absolutio impendatur purè conditionate. Quod si fieri id non possit; facienda nihilominus erit sola dubiorum confessio, ad quam deinde subsequatur absolutio purè conditionata, vti in aliis quoque sacramentis proportionaliter fieri sæpè posse, ac debere obseruatum ex communi fuit in quæstione nuper memorata.

Art. 1. Ad 6. Sufficit in primis, quoad speciem cuiusque peccati, & quoad circumstantias mutantes speciem, si eas exponat peccator secundum conceptum, quem præhabuit, dum peccaret; idque quatenùs meminisse poterit. Quod difficile nequaquam est ex sua natura; sed cuiuis vtcumque rudi facile peruium, ac manifestum. Deinde, quoad diuersitatem specierum, & quoad numerum sub vnaquaque specie, sufficit, si adhibeatur tanta diligentia, quantam communiter adhibent homines, humana prudentia præditi, quoad rem pecuniariam, aliáque tempo-

talia magni momenti negotia, id est qualis plerumque sufficit pro rei cuiusque difficultate, ac dignitate, vt nihil lateat eorum, quæ dicta sunt, quæque agenda supersunt.

Art. 2. Quod si adhibita huiusmodi diligentia in scrutinio conscientiæ, sinuumque omnium, & latebrarum eius, aliquod adhuc, vel aliqua lateant peccata, nec omnia vsque ad vltimas fibras, certissimè discernantur; confessio nihilominùs erit formaliter integra, & peccata, quæ latuere, remittentur simul cum explicatis in confessione, vt tradit Concilium Trident. c. illo 5. sess. 14. Nec enim imposita est pœnitentibus obligatio adhibendi diligentiam metaphysicè, aut physicè summam, tametsi superesset spes discernendi aliquod præterea peccatum, per vlteriorem pertinacem inspectionem phantasmatum, & mutuam præcognitionum collationem. Nempe sacramentum istud, cùm sit iterabile, atque singulis, vt minimum annis iterandum ex præcepto Ecclesiastico, ex consilio verò frequenter repetendum, non debuit grauari, & reddi moraliter impracticabile iniecto onere exquisitissimæ diligentiæ, & explicationis peccatorum, vltra conatum, aut intelligentiam communem, ac ordinariam hominum prudentum in re graui.

Art. 3. Id præterea certum videtur, standum esse testimonio conscientiæ propriæ; itavt, si quis ab alio moneretur de talibus determinatè peccatis ab eo commissis, ipse tamen nullum illorum vestigium aduertere posset in sua conscientia, ad nihil inde teneatur. Primum, quia malitia actionis exterioris tota formaliter consistit in actu interno, de cuius qualitate solus potest vnusquisque sibi testimonium perhibere naturaliter. Certè dictamen propriæ conscientiæ, tam positiuum, quam negatiuum præeminet quoad hoc, apud vnumquemque, cuiusuis alterius hominis testimonio humano, seu connaturali. Deindè idipsum haud obscurè insinuat Tridentinum eodem illo cap. 5. post medium, dum solùm exigit examen conscientiæ propriæ, solámque iniungit confessionem eorum, quæ quisque meminit. Quorum enim verò neutrum aptè cadit in notitiam subortam formaliter, & non solùm occasionaliter ex sola notitia, & testimonio alterius.

Art. 4. Quod si peccatum, vel peccata aliqua lethalia inculpabiliter omittantur in confessione propter obliuionem, ac posteà in memoriam reuocentur, exponi ea proculdubiò debent in confessione sequenti, vt fert vnanimis Theologorum consensus, necnon communis fidelium praxis, & traditio, atque conuincit à fortiori ratio paulò priùs proposita, circa peccata dubia. Eò vel maximè, quia licet ea peccata verè remissa fuerint, cùm inculpabiliter omissa fuere, vel penitus, vel certè in particulari, nondum tamen Sacerdos, qui est vniuersalis Vicarius Dei quoad peccata post Baptismum commissa, sententiam de illis iudicialem tulit cum integra causæ cognitione, nec vindicatiuam circa eadem potestatem exercuit, iniuncta salutari pœnitentia, nec iudicare potuit, an expediret alia præterea remedia adhibere. Vndè nondum est adæquatè satisfactum iurisdictioni sacerdotali, & toti ad ipsum subordinationi fidelium, quales institutione Christi Domini stabilitæ sunt, vti superius demonstratum est. Quapropter libenter assentior P. Lessio dicenti q. 9. de pœnit. art. 2. dub. 3. sententiam communem esse indubitatam, nec esse inter probatos auctores, qui de hoc legatur dubitare.

Art. 1. Ad 7. Actiones exteriores lethaliter peccaminosas esse necessariò explicandas, nec sufficere, si explicentur soli actus interni secundum se præcisè, est omninò certum, ac indubitatum, quidquid non nemo nuper tentare in contrarium ausus sit. Est inquam omninò certum, ac indubitatum; non solùm ex vniuersali fidelium praxi, & vnanimi auctorum consensu, atque constanti traditione; sed etiam ex Concilio Tridentino definiente, loco sæpius indicato, post alia Concilia, explicari debere omnia peccata lethalia. Nempè actiones exteriores homicidij, periurij, & similes, exercitæ cum deliberatione in sacris litteris, & ex communi modo loquendi dicuntur absolutè, & sunt verè peccata lethalia. Licet enim malitia moralis principaliter, & tanquam in forma præexistat tota in actu interiori; inde tamen communicatur actione exteriori, tanquam materiæ, & subiecto immediato; ideóque peccatum secundum suum conceptum adæquatum, & vt communiter dicitur consummatum, constituitur ex vtroque: ad eum ferè modum, quo constituitur homo ex anima, & corpore. Non igitur explicatur adæquatè totus conceptus peccati actione exteriori consummati, nisi actio ipsa exterior exprimatur.

Art. 2. Accedit sæpè contingere, vt concepto proposito de incendenda domo, de conuitiando, aut occidendo homine, quod putabatur sufficiens ad executionem; reuocetur nihilominùs, cùm ventum est ad opus, deterrente animum præsenti rei fœditate viuacius tunc apprehensa, atque in eum statum perducta, vt si auctor sceleris pergat vlterius, totum malum reddatur iam irreuocabile, ac irremediabile. Ex quo apparet actionem exteriorem, quatenùs de facto superadditam interiori, manifestare sæpè nouum obstinationis genus, aliundè incredibile ipsi etiam peccatori, ne dum Confessario vtcumque aliter, quam per ipsius executionis exterioris explicationem, informato. Cui veritati attestatur difficultas, ex verecundia, & confusione, longè maior exponendi Confessario internam malam voluntatem simul cum operatione exteriori, quam sine ipsa. Hoc enim nequaquam contingeret, si manifestata executione exteriori, non innotesceret magis Confessario peruersitas interior peccatoris. Necessaria itaque est, saltem, vt plurimum, confessio, ac manifestatio executionis exterioris, ad manifestandam totaliter malitiam moralem peccati. Leges autem vniuersales, & vniuersaliter obligantes feruntur iuxta plerumque contingentia, in his præsertim materiis, qualis est præsens, in quibus facilè contingit vnumquemque deludi amore proprio in fauorem sui, si obligatio legis, & intentio Legislatoris, hic, & nunc vigens, vel non, priuato cuiusque committatur arbitrio.

Art. 3. Accedit rursus consequenter executionem exteriorem, cum re ipsa superadditur actui interno malo, relinquere saltem vt plurimum in animo peccatoris, dispositionem imposterum longè diuersam ab ea, quam gignit solus actus interior, etiam per accidens impeditus ab intrinseco agente, quo minùs prodeat in opus. Primum propter peculiarem complacentiam, & delectationem prouenientem ab actu completo, quæ est irritatiua ad eam repetendam. Deindè propter memoriam facti expressiorem, & diutius durantem, ideóque diutius allicientem ad similia. Demum propter maiorem pudoris iacturam, postquam peccatum redditum est sensibile, impressitque phantasiæ expressiorem, & magis perceptibilem imaginem sui. Ob hæc igitur necessaria omninò est Confessario notitia actionis ipsius exterioris malæ, pro arbitrio prudenti circa satisfactionem medicinalem, quæ ab ipso imponi debet.

Art. 4. Verùm istæ rationes non conuincunt, vt apparet consideranti, necessariam esse explicationem totius effectus secuti, ac præintenti, sed solùm quousque liberum de nouo fuit impedire progressum vlteriorem executionis externæ. Et quidem prima actio exterior immediatè prouenies ab actu interno malo, semper impedibilis, quousque executioni

tioni mandetur. Actiones verò exteriores intermediæ, ad vltimum vsque effectum, aliæ sunt impedibiles immediatè, aliæ non sunt amplius impedibiles, præsuppositis aliis anterioribus actionibus, & effectibus. Quando autem datur huiusmodi series actionum externarum, sufficerit eo vsque explicare, quousque peruenit nouus vsus libertatis, prætermisso vltimo effectu, quando talis libertas non peruenit vsque ad ipsum immediatè. Quæ sententia plures habet pro se auctores, quam opposita, vt videre est apud Dicastillum disp.9. dubit.1. in dubio incidenti. Tutissimus tamen, ac expeditus, miniméque scrupulosus modus explicandi totam libertatem impensam actioni exteriori malæ,est, exprimere vltimũ effectum secutum per se ex operatione peccaminosa cum præuisione peccatoris, atque ita communiter fieri à fidelibus solet. Qui proinde non sunt aliter instruendi, saltem sine magno delectu, magnaque cautela. Quotus enim quisque est aut pœnitens, aut etiam Confessarius, qui non facilè hallucinetur circa nexum ineuitabilem aliarum cum aliis actionibus, & circa explicationem,ac perceptionem iustè, ac legitimè præcisiuam illius?

Art.1. ad 8. Omnis, & quælibet ratio differentialis vnius peccati ab alio, quæ secundum se præcisè, ac seorsim considerata continet in se malitiam lethaliter peccaminosam, est necessario explicanda in confessione,non vagè tantùm,aut in confuso, sed determinatè, ac distinctè. Idque, siue differentia à reliqua malitia actus peccaminosi, sit secundum conceptum specificum diuersum, siue secundum eundem. Necesse nimirum est explicare in confessione omnia peccata lethalia secundum speciem, & numerum, vt dictum est supra ex Concilio Tridentino,& indidem confirmatum ratione, tum iudicij exercendi à Confessario, tum satisfactionis imponendæ pœnitenti. Parum autem refert, vt patet consideranti eas rationes; an ea differentia, & multiplicitas sit realis ex parte obiecti,& actus simul, an ex parte solius actus, an ex parte solius obiecti. An videlicet, per plures actus specie, aut numero realiter distinctos, intenta sint plura mala specie,aut numero, distincta realiter; aut vnum malum constans ex pluribus partibus realiter distinctis,siue homogeneis,siue heterogeneis,quarum quælibet seorsim sufficiat ad peccatum lethale. An verò plures actus realiter distincti repetiti fuerint circa idem numero obiectum. An denique eodem numero actu intenta fuerint plura mala realiter inter se distincta, seu vnum malum continens in se formaliter, vel æquialenter plures partes realiter inter se distinctas, quarum quælibet seorsim sit materia sufficiens prohibitionis grauiter obligantis de facto. Istiusmodi, inquam, differentiæ parum referunt, pro necessitate manifestationis faciendæ in confessione, dummodo vnaquælibet vnius peccati differentia ab alio, sit secundum se, ac seorsim peccaminosa lethaliter. Quia eiusmodi differentiæ, siue sint secundum actum, siue secundum obiectum tantum, siue secundum vtrumque, semper pertinent, & requiruntur ad integram cognitionem causæ quoad substantiam eius, & diuersificant substantialiter iudicium Sacerdotis, atque exigunt impositionem satisfactionis, & pœnitentiæ notabiliter diuersam.

Art.2. Quapropter qui eodem actu, & opere extinxit iniustè familiam,aut pagum, manipulum, centuriam,aut legionem hominum; & qui eodem modo furatus est centum, vel mille aureos, aut equum, vel gemmam valentem tantundem, perinde explicare tenentur numerum occisorum, & quantitatem rei ablatæ; atque tenetur explicare numerum actuum, qui sæpius, ac interpolatè intendit occisionem eiusdem hominis,aut ablationem eiusdem rei alienæ; nec non qui singulos homines, aut singulas partes pecuniæ, secundum se,graues, occidere, aut eripere intendit; occidit, aut eripuit seorsim. Negandum itaquè omnino est antecedens obiectionis, cum Suarez disp.22. sect.3. Maldonato tom.2. de sacrament. parte 4. de pœnit. cap.4. in 5. reg. de circumstantiis, & pluribus aliis aduersus Vasquez quæst.91. art.1.dub.2.& plures alios. Posteriores hi auctores tuentur illud antecedens, aut vnicè, aut certè præcipuè auctoritate Concilij Tridentin. cap. illo 5. sess.14. vbi definit eas circumstantias explicari debere, quæ speciem peccati mutant; & nihil interim dicit de aggrauantibus intra eandem speciem, siue notabiliter, siue leuiter aggrauent. In materia porrò doctrinali silentium, & negationem perinde æstimari, quando opportunum erat dicere,immo, & necessarium, si quod non dicitur verum erat,sicut est quod dicitur.

Art.3. Obseruandum serio est, pro legitima intelligentia Concilij, rationes eas differentiales cuiusque peccati, quarum quælibet, seorsim, & secundum se præcisè considerata, includit in se malitiam lethaliter peccaminosam,præsertim si non præsupponat rationem aliam specificam peccati logicè priorem,non numerari ab Auctoribus antiquis, ac præcipuis inter circumstantias, sed dici pertinentes ad substantiam actus peccaminosi. In hunc modum, atque hoc penitus sensu loquuntur inter alios cæterorum antesignani, Alex.Alens.p.4. quæst.18. memb.4. art.3. D.Thom. in 4. distinct.16. quæst.3.art.2. quæstiunc.4. & 5. Scotus ibidem distinct.17. quæst. vnica,art.2. Qui proinde,& alij circà eadem tempora Scriptores sub nomine circumstantiarum complectuntur sola prædicata secundaria cuiusque peccati, quæ vel ipsum transferunt ad aliam speciem, iuxta expositionem datam supra in responsione ad quæstionem, vel ita augent eius malitiam intra eandem speciem, vt seorsim, ac secundum se præcisè considerata nullam formalem malitiam contineant. Huius posterioris rationis sunt intensio actus, & aduertentia, ac præcognitio maiores, necnon duratio longior absque interruptione: Quæ sanè prædicata sunt,secundum se, indifferentia. Perinde namque augent æstimationem actus,seu boni, seu mali,vtriuis eorum adiuncta.

Art.4. Vigeat porro, circa secundum istud genus circumstantiarum, ponderatio nuper proposita aduersariorum,dum Concilium determinat tantummodo circa primum circumstantiarum genus, de quo solo genere vnicè, aut certè præcipuè disputauerant auctores nuper indicati, quorum profecto maximè ratio haberetur, atque obseruaretur phrasis à Patribus Concilij, quodque ipsum genus, erat materia definitionis longè dignior, & magis necessaria. Cæterum augmentum malitiæ, intra eandem speciem, prouenientes ex multiplicitate reali, seu formali, seu æquiualenti,obiectorum,quorum vnumquodque seorsim sit materia sufficiens peccati lethalis, non censuit Concilium esse circumstantiam, sed reposuit inter prædicata substantialia actus,iuxta phrasim,& sensum antiquorum, ac præcipuorum Auctorum, nec oppositum huius suaderi vnquam poterit ratione, aut indicio vllo sufficienti ad probabilitatem, quod ad sensum Concilij attinet. Dicendum itaque potius est Concilium iniunxisse, vt explicaretur in confessione augmentum eiusmodi extensiuum, seu quasi extensiuum,dum iniunxit integram explicationem peccatorum, quoad eorum speciem simul, & numerum, vt apparet ex ratione producta in principio huius responsionis.

Ad 9. Confessio vocalis,vt est pars sacramenti non consideratur secundum suum esse physicum, sed secundum esse morale. Potest autem esse eiusdem infimæ speciei moraliter, tametsi variet speciem physicè.

Quia lex præcipiens confessionem obligat diuersimodè pro diuersis circumstantiis. Nempe obligat ad integritatem materialem, quoad fieri poterit. Potestas autem ad hanc integritatem est diuersa pro diuersis circumstantiis. Vndè, licet hoc sacramentum possit aliquando esse validum, & formatum, exhibita confessione materialiter non integra, ob impossibilitatem, seu physicam, seu moralem huius integritatis; non propterea semper tale esse potest absque eadem integritate. Quæ videlicet plerumque est possibilis, tum physicè, tum etiam moraliter. Fallit itaque obiectio, quatenus loquitur de hoc sacramento, tanquam de toto quodam purè physico, cum sit quoddam totum morale, vti apparet clarius ex vnitate specifica eiusdem sacramenti impensis habentibus peccata specie diuersa, quorum proindè confessiones, & exteriores manifestationes sunt diuersæ speciei physicè, vt alia eiusmodi prætermittam innumera.

Art. 1. Ad 10. Peccata lethalia sunt materia directè necessaria huius sacramenti, quatenus ratione eorum necesse est suscipere hoc sacramentum, & consequenter necesse est omnia illa, & singula in ipso explicare. Peccata verò venialia solum possunt esse materia indirecta necessaria, quatenus imponitur alicui præceptum obligans directè ad hoc suscipiendum hoc sacramentum, siue commiserit sola venialia, siue non. Cui præcepto satisfit explicato aliquo veniali, & prætermissis reliquis; imo, & prætermissis omnibus, si adsit aliquod lethale. Quod contingere minimè posset, si præceptum obligaret directè ad confessionem venialium, seu si venialia, ex natura rei, essent materia necessaria.

Art. 2. Cæterum communis eademque verè proculdubio sententia est posse, per legem, præceptum, aut votum, imponi obligationem grauem suscipiendi istud sacramentum, tametsi non adsint nisi peccata venialia. Quia licet deletio venialium secundum se sit absolutè quid leue; susceptio nihilominus sacramenti est res magni absolutè momenti, & multiplici ex capite valde vtilis; ac necessaria ad plures fines minimè leues; ideóque est materia sufficiens obligationis grauis. An talis sit obligatio resultans ex præcepto annuæ confessionis omnibus adultis fidelibus, communi? an verò illi satisfaciat venialium tantum reus præsentando se Parocho, & monendo se solis venialibus premi? In vtramque partem probabile est.

Art. 3. Longè tamen probabilius videtur, pro eo casu, non esse impositam obligationem grauem sacramenti reipsa suscipiendi. Quia Concilium Lateranense, ex quo emanauit ista annuæ confessionis obligatio eam imponit his verbis: *Omnes vtriusque sexus fideles, postquam ad annos discretionis peruenerint, omnia peccata saltem semel in anno confiteantur*; vt habetur cap. *Omnes vtriusque sexus*. Sub ea autem peccatorum omnium expressione non potuere comprehendi venialia. Si enim ea quoque comprehenderentur, imposita fuisset obligatio vniuersalis confitendi omnia venialia. Quod est planè absurdum, & impossibile. Accedit Concilium Tridentinum declarans capite illo quinto, Ecclesiam, per hoc præceptum, solam addidisse præcepto diuino determinationem temporis. Dictum autem est supra, præceptum diuinum esse de solis lethalibus. Quapropter, qui non habet, nisi sola venialia, non tenetur de facto loquendo per se, ad annuam confessionem ex vi præcepti illius vniuersalis.

Ad 11. Communis, & vera Suarez, aliorumque responsio est, Nectarium solam prohibuisse confessionem publicam, quæ prius fuerat in vsu, præsertim circa peccata aliqua grauiora, & scandalosa. Chrysostomus deinde fouit hanc eandem prohibitionem. Licet autem aliquoties vtatur formulis, quæ videri possent complecti confessionem etiam secretam coram solo sacerdote, vt Vicario Dei; nihilominus, quia controuersia tunc celebris feruebat de sola confessione publica, facile eo omnia trahebantur ab audientibus, quocunque demum modo efferrentur. Nempe testimonia, quæ hac de re proferuntur omnia sunt ex homiliis ad populum. A nobis verò ideo sunt certiùs eum in sensum accipienda, quia idem Chrysostomus, aliis in locis clarissimè docet confessionis auricularis secretæ vtilitatem, & necessitatem, vt videre est apud Suarez disput. 16. sect. 1. & 4. Qui præterea obseruat optimè disput. 12. sect. 2. sub finem, eundem Chrysostomum in quibusdam locis, & Ambrosium in testimonio obiectionis; tantum docere, deleri posse peccata per contritionem extra sacramentum. Idque ipsum tantummodo colligitur ex locis illis Scripturæ, quæ indicantur ex Decreto. Quod nequaquam tollit, aut necessitatem confessionis vocalis postea superaddendæ, aut eiusdem confessionis votum inclusum in ipso actu contritionis, post institutum sacramentum pœnitentiæ, iuxta ea, quæ superius dicta sunt.

---

## Qvæstio XCI.

### *Vtrùm peccata venialia sint materia sufficiens huius sacramenti?*

Videntur non esse. 1. Quia ea sola peccata sunt materia sufficiens huius sacramenti, quæ possunt remitti, ac deleri per ipsum. Peccata autem venialia non possunt remitti, ac deleri per istud sacramentum. Quia hoc sacramentum non confert vllum effectum incompossibilem cum peccatis venialibus; quandoquidem ipsum sacramentum, & omnes eius effectus suscipi possunt cum quouis peccato veniali, etiam actuali, atque cum eodem componi. Fieri enim alioquin posset, vt quis peccaret lethaliter, præcisè, quia accederet ad sacramentum pœnitentiæ cum aliquo peccato veniali, actuali. Quod videlicet redderet sacramentum, aut inualidum, aut informe. Quæ tamè sequela à nemine admittitur, nec admitti potest.

2. Qui non habet peccata, nisi venialia, necesse vtique est, vt habeat in se gratiam iustificantem. Necesse verò insuper est, ad validam susceptionem sacramenti pœnitentiæ, vt pœnitens adiiciat eidem gratiæ actum contritionis, vel saltem attritionis, ante absolutionem. Vterlibet autem ex his duobus actibus, simul cum gratia habituali, est sufficiens ad deletionem venialium. Ad quam nimirum sufficit quilibet motus pius conferens ad feruorem charitatis, iam præexistentis, vt dictum est quæst. 5. de iustific. ad 9. ex D. Thomæ, aliorumque communi sententia. Nunquam ergo contingere potest, vt peccata venialia tollantur vi huius sacramenti, sed semper sunt, aut iam ablata ante absolutionem sacramentalem, aut non proximè auferibilia per ipsam. Non sunt igitur materia idonea, ac sufficiens huius sacramenti.

3. Non contingit, aliquid vnum ac prorsus idem esse materiam sufficientem duorũ sacramentorũ. Ergo nec esse materiam alicuius sacramenti simul, & sacramentalium. Patet consequentia. Quia sacramentalia omnia differunt multo magis à quolibet sacramento, quàm quælibet duo sacramenta inter se. Necesse igitur est materiam etiam cuiusuis sacramenti differre multo magis à materia quorumlibet sacramentalium, quam materiam vnius sacramenti à materia alterius sacramenti. Peccata autem venialia sunt materia propria sacramentalium; Nullius igitur sacramenti materia esse possunt.

Art. 1.

Art.1. Respondetur peccata venialia non esse materiam necessariam sacramenti pœnitentiæ, ex natura, & institutione ipsius sacramenti; apparet satis ex quæst. præcedent. & clarius ex quæst.87. Eadem nihilominus esse sufficientem,ac idoneam eiusdem materiam, habetur ex Trident. sess.14. cap.5. & can.7. Idem colligitur clarè ex ipsa institutione Christi Domini ponderata in eadem quæstio.87. Amplissima namque illa formula collatiua potestatis. *Quorum remiseritis peccata, &c.* æquè complectitur omnia vniuersaliter peccata absque vlla exceptione. Peccata autem venialia verè, ac propriè sunt aliqua peccata. Ergo verè, & propriè sunt materia subiecta potestatis sacerdotum,supra quam eorum remissio, & retentio,seu negatio remissionis cadere possit.

Art.2. Accedit traditio perpetua Ecclesiæ, & vsus frequens fidelium maximè piorum confitentium venialia, etiam sola,ac seorsim. Accedit rursus id Concilium cit. dicens ibidem peccata venialia multis aliis remediis expiari posse. Ergo à fortiori expiari possunt sacramento pœnitentiæ, vtpote directè instituto in remedium peccatorum, cum iterabilitate, vt peccata, quæ iterum, atque iterum committuntur de nouo, qualia sunt venialia, tolli possint per ipsum, quoties libet.

Art. 3. Quæ quidem argumenta probant, remitti posse,per hoc sacramentum, peccata venialia, non solum quoad pœnam, aut partem pœnæ minus principalem, sed etiam quoad culpam, & quoad totam pœnam, saltem alterius vitæ. Quia nomina peccatorum,quorum remittendorum vniuersalis potestas concessa est sacerdotibus, potius intelliguntur actus mali quoad ipsorum malitiam, quam quoad pœnam eisdem debitam. Quoad pœnam verò, tunc maximè remitti dicuntur, cum remittitur tota pœna, saltem quæ manet post hanc vitam. Rursus, per alia remedia, quibus istud æquiparatur,si etiam non præfertur à Concilio, tolluntur venialia quoad culpam, & totam eiusmodi pœnam. Ergo quoad vtramque, vi huius quoque sacramenti, tolluntur. Ex opere operato non minus,aut aliter,proportione seruata, quam peccata lethalia. Itaque peccata venialia, tam quoad culpam,quam quoad pœnam,sunt materia, proculdubio sufficiens huius sacramenti.

Art.1. Ad 1. Nullum peccatum actuale, seu dum actu est,remitti potest, vel quoad culpam, vel quoad pœnam. Quia vt dictum est quæst.8. de iustific. ad 6. & alibi, tota cuiusuis peccati malitia est identificata cum eodem, & rursus reatus pœnæ est etiam identificatus cum malitia; atque Deus non aliter remittit peccata, quoad culpam, quam auferendo eorum malitiam,& reddendo hominem, de malo, seu simpliciter, seu secundum quid: bonum, seu simpliciter, seu secundum quid; & similiter remissio, quoad reatum pœnæ fit reddendo hominem, de digno pœna, indignum pœna. Quapropter peccata, nec lethalia, nec venialia, remitti vllatenus possunt, nisi ablata imprimis actuali eorum existentia, per liberam, aut necessariam cessationem ab illis, & impediendo deinde, atque remouendo moralem eorundem perseuerantiam. Hoc autem fit,nec aliter fieri potest,quam substituendo in peccatore,bonitatem,ac dignitatem contrariam priori malitiæ, ac indignitati, ideóque incompossibilem cum eadem.

Art. 2. Iam verò peccata venialia nullum donum habituale auferunt authori suo, suntque præterea cõpossibilia cum quibusuis auxiliis actualibus gratiæ, quæ Deus in nobis, sine nobis liberè, operantibus operatur. Ad istas autem duas classes, rediguntur effectus omnes positiui,quos, ex sua natura,& conceptu vniuersali confert necessario sacramentum pœnitentiæ. Quapropter non est de ratione huius sacramenti,vt non possit suscipi, tum validè,tum etiam fructuosè, absque remissione,& deletione vllius peccati venialis. Verum neque est de ratione eiusdem, vt non remittat peccata venialia, vel aliqua, vel etiam omnia. Cum enim vna pars huius sacramenti sit retractatio peccatoris, si ea fuerit de peccatis venialibus,aut aliquibus,aut omnibus; poterit vtique sacramentum coniunctum cum tali retractatione, seu per talem retractationem partialiter constitutum remittere peccata venialia, aut aliqua, aut omnia, provt fuerit retractatio.

Art.3. Vnde quod dicitur, sacramentum pœnitentiæ nullum conferre effectum incompossibilem cum peccatis venialibus, etiam actualibus indiget distinctione. Conceditur enim, nullum conferre effectum, qui secundum se præcisè sit incompossibilis cum illis. Negatur verò, non conferre aliquem effectum, qui sit incompossibilis cum eisdem,provt coniunctus cum retractatione peccatoris, circa talia determinatè peccata venialia. Quæ quidem retractatio, secundum se præcisè est intrinsecè incompossibilis cum permanentia actuali peccatorum, quæ retractantur; cum permanentia verò habituali eorum, & cum reatu pœnæ aliquando est incompossibilis secundum se præcisè, aliquando non nisi vt coniuncta cum sacramento,& eius effectibus, vti mox ponetur ob oculos distinctius.

Art.1. ad 2. Malum proueniens ex peccato veniali, ratione cuius habitualiter perseuerat, est diminutio feruoris charitatis, vt dictum est in quæstione nuper indicata de iustific. cum D.Thom. in præsenti q.87. art.2. Ista autem diminutio feruoris, quatenus proueniens ex peccato veniali, tolli nullatenus potest absque eiusdem retractatione formali, vel saltem virtuali. Quia, dum non retractatur,permanet habitualiter adhæsio ad bonum temporale charitati contrarium secundum quid, ideóque grauans aliqualiter animum, quo minus feratur ad Deum per charitatem,eo modo, quo ferretur si non retardaretur eiusmodi adhæsione ad bonum temporale. Permanet, inquam, interim habitualiter per memoriam, aut per speciem memoratiuam sui,tanquam vltimi actus, vltimæque electionis liberæ circa tale obiectum. Memoria enim vltimæ electionis nondum retractatæ circa aliquod obiectum,habet peculiarem quandam vim, eamque magnam inclinandi ad actum similem, & consequenter retrahendi ab obiectis quomodocumque illis contrariis. Qua de causa in repentinis deliberationibus, atque operationibus determinamur, saltem vt plurimum conformiter ad eam inclinationem vltimæ electionis, insidentis adhuc animo habitualiter affectiuè.

Art. 2. Verum contingere potest retractationem esse talem, vt licet sit necessaria, non tamen sufficiat se sola ad ablationem, & remissionem peccati venialis. Necesse nimirum est, vt id,per quod tollitur peccatum aliquod veniale,tantundem conferat ad feruorem charitatis, quantum valet idem peccatum ad diminutionem eiusdem feruoris. Nullum namque malum tolli potest, non inducto toto bono ablato per ipsum. Patet autem retractationem posse esse vsque adeo debilem quoad speciem, ac intensionem; & è contra peccatum veniale posse esse tantæ malitiæ; & vsque adeò retardatiuum charitatis, ex sua specie, ac intensione; vt non detur æquiponderatio, nedum excessus boni, posita retractatione. Ex quo vlterius apparet retractationem sufficientem, se sola ad remissionem vnius venialis leuioris, posse nihilominus esse insufficientem, se sola,ad remissionem alterius peccati venialis grauioris, esto retractet vtrumque simul,ac indiuisim. Fieri igitur potest, non solum circa lethalia, sed etiam circa venialia,vt detur retractatio sufficiens, ad sacramentum validum, ac

fructuo

fructuosum, simulque insufficiens ad deletionem, tum lethalium, tum etiam venialium, vel omnium, vel aliquorum, ante realem susceptionem sacramenti. In hoc autem casu poterunt remitti, vel omnia, vel aliqua venialia, etiam quoad culpam, accedente sacramento, & per causalitatem eiusdem sacramenti.

Art. 3. Nempe sacramentum legitimè susceptum confert plurimum ad feruorem charitatis, non solum quoad substantiam, collata gratia, & charitate, vel eius augmento, quod non sufficit secundum se præcisè, ad remissionem venialium, sed etiam accidentaliter quoad facilitatem, & suauitatem, atque intensionem actuum charitatis. Excitando nimirum peculiarem quendam deuotionis, atque consolationis spiritualis motum, quo animus ad Deum erigitur. *Difficultas namque confessionis* vt tradit Concil. Trident. sess. 14. cap. 5. *tot, tantisque commodis, & consolationibus leuatur, quæ omnibus dignè ad hoc sacramentum accedentibus per absolutionem certissimè conferuntur, &c.* Licet autem tot ista, tantaque commoda, & consolationes sint indifferentes, ex natura sacramenti secundum se ad erigendum, ac stabiliendum animum aduersus prauam inclinationem, frigus, aut tepiditatem prouenientem ex præcedentibus qualibuscunque peccatis, seu lethalibus, seu venialibus; determinantur nihilominus, per dolorem, ac detestationem præexistentem aduersus ea determinatè peccata, quæ exponuntur de facto in confessione cum vero de illis dolore, ac detestatione, & ex intentione ea determinatè tollendi. Quia motionem spiritualem sacramenti, quæ quantum est ex se, est inductiua feruoris indifferenter, trahit determinatè in scopum suum dolor, ac detestatio talium determinatè peccatorum venialium, necnon intentio suscipiendi Sacramentum, vt eadem determinatè deleantur. Occursus etenim obiectorum, & causarum indifferentiam ex se ad excitandum, & fouendum motum deuotionis, ac feruoris in hac, vel illa materia, accipit necessariò determinationem à præexistenti cogitatione, ac intentione, qua quisque antecedenter disponitur. Omnis enim causa, ex se indifferens ad plures effectus, pluresque modos operandi, operatur determinatè iuxta dispositionem præexistentem in subiecto. In hunc igitur modum fieri potest, vt detestatio peccatorum venialium, vel aliquorum, vel omnium, quatenus adiuta, ac promota per accessionem sacramenti, sufficiat ad deletionem illorum, & ad restituendum eum feruorem charitatis, qui per eadem imminutus fuerat, tametsi esset insufficiens, se sola, ad hunc ipsum effectum.

Art. 4. Nec obstat accidere posse, vt pœnitens nullum actum deuotionis, aut noui feruoris adiiciat, ex motione sacramenti, vltra actum detestationis, quem præmiserit ad idem sacramentum, vel propter diuersionem ad alia, vel propter alienationem à sensibus, vel propter omissionem immediatè liberam omnis eiusmodi actus, dum perficitur, & vltimo completur sacramentum. Non, inquam, hoc obstat, quia nihilominus accipit pœnitens augmentum gratiæ habitualis, & inde ius ad vberiora auxilia gratiæ actualis, iuuantia specialiter ad finem, specialiter intentum in susceptione sacramenti, idest ad depulsionem tepiditatis inductæ, aduersus feruorem charitatis, per peccata venialia exposita in confessione, & terminantia detestationem eorum, quæ de facto fuerit pars sacramenti. Percipitur præterea per sensum, actu, vel potentia proxima, significatio symbolica sacramenti, & quæ de facto deuincta illi est prærogatiua largitatis, ac beneficentiæ diuinæ peculiaris contentæ in eodem sacramento, & inuitantis ad gratitudinem, atque ad fouendam, ac promouendam amicitiam cum Deo per obsequia charitatiua erga eundem. Quæ omnia, vti expositum est supra in communi quæst. 11. 24. & 25. circa conuenientiam, & causalitatem sacramentorum, disponunt animum validissimè ad feruorem charitatis contrarium diminutioni eius, quam induxerant peccata venialia. Per hæc igitur omnia reponitur animus pœnitentis, ex vi sacramenti in statu contrario illi, in quo fuerat constitutus per peccata venialia exposita in confessione, ac proinde extinguitur vis, quæ ipsis inerat, ad minuendum, ac retardandum feruorem charitatis.

Art. 5. Timendum verò nequaquam est, ne bona animi dispositio inducta per Sacramentum, ad eum vsque gradum, non perueniat, quem attigerat prana, animi dispositio inducta prius per peccata venialia, quæ clauibus Ecclesiæ legitimè subiiciuntur. Quia sicut ex definitionibus fidei statuentibus peccata lethalia esse materiam sufficientem, & necessariam huius sacramenti, & absolutionis Sacerdotalis, rectè colligitur conferri, ex vi sacramenti, omnibus ad ipsum ritè dispositis tantum bonum, tantamque animæ perfectionem, quantum eiusdem animæ malum, atque defectus præcesserat in peccatore ob peccata lethalia: Ita etiam, ex definitionibus fidei statuentibus peccata venialia esse materiam sufficientem, æquè benè deducitur, omnibus quoad eorumdem remissionem ritè dispositis; idest confitentibus illa cum vera de ipsis cõtritione, aut attritione, & proposito emendationis, conferri ex vi Sacramenti tantum bonum, tantamque perfectionem, quantum malum, quantusque defectus præcesserat ex vi eorundem peccatorum; & quidem bonum, ac perfectionem formaliter contrariam talibus peccatis, atque incompossibilem intrinsecè cum morali permanentia eorum. Nempe declarare, peccatum aliquod esse materiam idoneam sacramenti instituti ad deletionem, ac remissionem peccatorum; perinde est, atque declarare, idem peccatum esse remissibile, ac auferibile per idem Sacramentum.

Art. 6. Quoniam autem quæst. 8. de iustific. pluribus efficaciter ostensum est, nullum peccatum remitti à Deo posse, nisi inducendo perfectionem illi contrariam, atque intrinsecè incompossibilem cum eodem; concluditur hoc sacramentum, quatenus coniunctum cum legitima contritione, aut attritione de venialibus, aut omnibus, aut aliquibus, semper conferre dispositionem perfectiuam pœnitentis intrinsecè incompossibilem cum morali eorum perseuerantia, atque adeo restitutiuam feruoris charitatis, quatenus diminuti per eadem venialia. Si enim non induceretur huiusmodi effectus per sacramentum, dum remittit aliquod peccatum; fieri vtique posset, vt peccator, post remissum, ac deletum aliquod suum peccatum, maneret nihilominus in eodem statu malæ inclinationis, ac dispositionis positiuæ, & negatiuæ, in quo erat ante deletionem talis peccati; idest vt nihilo esset melior, cum iam non est peccator, quam dum esset peccator. Quòd profecto repugnat non minus, quam hominem esse corporaliter iam sanatum, & nihilominus non melius habere in se intrinsecè, in ordine ad operationes proprias hominis sani, quam dum ægrotaret. Quam notationem, & comparationem oportet, habere præ oculis diligenter aduersus quasdam alias aliquorum auctorum doctrinas, & euasiones, circa præsentem difficultatem, quæ non videntur satis solidæ.

Art. 7. Notandum insuper est, ad remissionem, & deletionem venialium minuentium feruorem charitatis, non sufficere, quod reponatur, seu acquiratur tantundem feruoris vtcumque compensans tepiditatem inductam per venialia. Fieri namque potest, vt qui est in maiori perfectionis gradu constitutus, ac proinde est feruentior absolutè in charitate, habeat nihilominus aliquod peccatum veniale, siue actuale,

actuale, siue habituale; nullum verò tale peccatum habeat, qui est minus perfectus, minorisque absolutè feruoris in charitate. Nemo enim est tam perfectus, iuxta prouidentiam ordinariam Dei, qui non possit peccare venialiter in sensu composito totius suæ perfectionis, quasi substantialis; & vice versa nullus est tam imperfectus, qui non possit in Sacramento, vel extra Sacramentum, delere omnia sua venialia peccata, & abstinere per aliquod tempus, & breue interuallum, ab omni veniali, quin propterea pertingat ad eum gradum perfectionis, & feruoris in charitate, qui priori illi absolutè inest. Necesse igitur præterea est, ad remissionem, & deletionem venialium, vt subinducatur formaliter, aut virtualiter feruor charitatis, qui sit directè contrarius diminutioni eiusdem feruoris inductæ prius per veniale, seu venialia, quæ præextitere, ita vt non solùm compensetur, sed etiam tollatur vis retardatiua, seu tepefactiua charitatis, quæ iisdem peccatis peculiariter inest. Qua de causa requisitus supra à nobis est determinatè dolor, & detestatio vniuscuiusque venialis, seu venialium, pro remissione, ac deletione eorum, tam in sacramento, quam extra.

Art. 8. Sed quia dolor, & detestatio, quæ est pars materiæ huius Sacramenti, debet esse coniuncta cum proposito non peccandi de cætero, vt dictum est supra quæst 88. ex Concil. Florent. & Trident. difficile apparet, quomodo deleri possint, per istud Sacramentum, omnia peccata venialia. Cum enim à nemine caueri imposterum possint omnia peccata venialia collectiuè, vt dictum est quæst. 14. de grat. atque propositum de re impossibili sit impossibile, certè prudenter concipi nequaquam possit, ad Sacramenti verò constitutionem pertinere minimè possit propositum imprudens, idest non procedens à virtute; videtur neminem disponi sufficienter posse, vt consequatur, per istud sacramentum, remissionem omnium venialium, quorum est reus. Dicendum autem est ex communi Theologorum consensu, quod docetur ab vtroque eo Concilio, circa propositum non peccandi de cætero, accipiendum esse, quoad venialia, cum hac limitatione, quantum patitur humana fragilitas. Ita videlicet, vt verè proponat pœnitens emendationem imposterum quoad multudinem, & magnitudinem venialium, velitque adhibere diligentiam, quantum fieri potest, magnam in illis vitandis, licet non concipiat propositum efficax de totali vitatione eorum omnium collectiuè.

Art. 9. Nec obstat, quod alicui dum disponitur ad confessionem, atque in ipso actu confessionis, videatur se totidem, & talia imposterum commissurum esse peccata, quot, & qualia eo vsque commisit, nullamque subsequuturam esse emendationem. Quia propositum humanum, vtcunque efficax intrinsecè, re ipsa est mutabile, ac frustrabile, adeóque compossibile cum iudicio, in experientia, aut aliunde, satis fundato, de frustratione, ac mutatione subsequutura de facto. Nempè alterum horum pertinet ad voluntatem, alterum ad intellectum; atque actus vtriusque huius potentiæ, alter proponens, alter coniiciens de futuro, nituntur diuersis motiuis, nullam includentibus in se contradictionem, vel mediatè, vel immediatè. Sufficit itaque quòd propositum emendationis sit incompossibile, dum perseuerat, cum euentu contrario, sitque intrinsecè sufficiens ad inducendum se solo euentum sibi conformem, Deo bene iuuante per suam gratiam, & ad fundandam, quantum est ex se, siue nisi impediatur aliunde, spem prudentem de eadem emendatione subsecutura re ipsa, quæ doctrina, à Suarez, & aliis communiter tradita, locum habet, proportione seruata circa peccata quoque lethalia.

Ad 3. Peccata sunt materia tantum remota, tam huius Sacramenti, vt superius dictum est, quam aliorum, seu sacramentorum, seu sacramentalium. Nullum autem est inconueniens, quòd detur conuenientia quoad materiam remotam, dummodo proxima, & intrinsecè constituens sit diuersa. Hæc autem, præsertim adæquatè sumpta, est longè diuersa in hoc sacramento, & in aliis, tam sacramentis, quàm sacramentalibus, vt apparet ex dictis supra. Opportunum præterea est, vt hic aliquid obiter subiiciatur circa suppositum obiectionis quoad vim sacramentalium ad delenda venialia.

## Qvæstio XCII.

### *Vtrùm peccata venialia remittantur etiam per Sacramentalia ex opere operato?*

Videntur remitti. 1. Quia antiqua ab initio nascentis Ecclesiæ, traditio de qua constat ex communi fidelium consensu vti affirmant, Soto, Ledesma, & nonnulli alij, tribuit sacramentalibus vim remittendi venialia ex opere operato. Ergo ea illis certissimè inest re ipsa.

2. Eadem vis remittendi venialia tribuitur. Primo orationi Dominicæ, tunsioni pectoris, & eleëmosynæ, c. *Tres sunt*, c. *Medicina*, c. *Medicamentum*, c. *Quamobrem* de Pœnit. d. 1. &c. *Quotidianis* de Pœnitentia d. 3. Deinde Aquæ Benedictæ canon. *aquam*, de consecratione, d. 3. ex Alexandro, 1. qui fuit quintus à D. Petro, & colligitur ex eius benedictione in qua petitur, *vt sit in satisfactionem*; in quam certè non esset, si neque venialia remittere posset. Tertiò, Pani benedicto, canone *cum omne crimen*: de consecratione d. 2. Quartò, Benedictioni Sacerdotali, & maximè Episcopali, necnon vnctioni sacræ in genere, canone *Benedictio* canone *maledicam*, canone *Dictum*, 1. quæst. 1. & specialiter id colligitur de vnctione ex c. *Vgico* de sacra Vnctione. Idem denique colligitur de oratione in Ecclesia consecrata, ex illo Regum 3. 8. 43. *si quis cognouerit plagam cordis sui, & expanderit manus suas in domo hac, tu exaudies, &c.* Hæc igitur omnia habent vim remittendi venialia ex opere operato. Alioquin enim nullam prorsus vim peculiarem haberent aduersus illa, quam tamen illis peculiariter inesse, ex Textibus relatis, certissimum est, cum æquè certum sit apud omnes eadem non sufficere aduersus lethalia. Eadem porrò ratio est de aliis quoque eiusmodi cæremoniis, & rebus sacris. Ergo sacramentalibus eiusmodi omnibus inest vniuersaliter vis remissiua venialium.

3. Potuit imprimis Deus Ecclesiæ suæ conferre potestatem, & auctoritatem instituendi sacramentalia cum virtute remittendi peccata venialia, de quo nemo dubitat, nec potest assignari ratio vlla dubitandi, quæ sit alicuius momenti. Deinde, vt dentur sacramentalia, prædita eiusmodi virtute, confert plurimum ad consolationem fidelium, & ad excitandam in ipsis deuotionem, piosque motus affectiuos erga res sacras, & earumdem appretiatiuos. Denique hoc idem est valde necessarium: certè est valdè opportunum, ac rationabile. Vt nimirum adsint remedia facilia, & frequentissimè iterabilia aduersus malum, quod facillimè, & frequentissimè incidit: Cuiusmodi profecto remedium, & malum sunt sacramentalia, & peccata venialia. Christus autem Dominus contulit facto D. Petro, & successoribus eius potestatem, & auctoritatem ad ea omnia, quibus tanta, ac talis inesset vtilitas, opportunitas, ac necessitas respectu fidelium. Contulit inquam per illa verba Ioann. 20. 17. *Pasce oues meas*, Matth. 16. & 18. *Quæcunque solueritis: Quæcunque*

*cunque ligaueritis*,& Ioan.20.*Accipite Spiritum sanctũ: Quorum remiseritis peccata*,& Matth.16.19. *Tibi dabo claues regni Cælorum.* Nempe in ista ampla verborum vniuersalitate continetur indiscriminatim potestas & auctoritas ad ea omnia, cum quibus potest, & sine quibus non potest vtiliter, commodè, ac opportunè pasci, ac regi grex fidelium. Quo fundamento deducitur communiter & rectissime deducitur potestas Pontificum ad statuendas, & ferendas, atque remittendas censuras, nullo vtique titulo magis necessarias ad ædificationem,& optimum regimen fidelium, quam necessaria sint sacramentalia, quatenus remissiua venialium. Eadem ponderatio, & ratio paritatis locum similiter habet in potestate ad Indulgentias, & Iubilæa, quæ potestas ex iisdem Euangelij locis, ab omnibus Doctoribus Catholicis, rectè deducitur, inque eisdem contenta agnoscitur indubitanter.

4. Si aquæ benedictæ, orationi in Ecclesia consecrata,& similibus non inesset vis remissiua venialium ex opere operato, sed tantùm ex opere operantis, quatenus excitare valent in animis fidelium pios, ac salutares motus deuotionis, & feruentis charitatis, quibus solis immediatè, ac directè delerentur venialia; nihilo plus interesset aspergi aqua verè benedicta,aut orare in Ecclesia verè consecrata, quam aspergi aqua, aut orare in Ecclesia,falsò putata, seu benedicta, seu consecrata, & sic de similibus. Quia pij,& charitatiui motus animi exurgunt in vnoquoque,iuxta cuiusque existimationem,seu veram,seu falsam,quæ de facto prælucet voluntati,& non iuxta realem qualitatem obiectorum, circa quæ versantur intellectus, & voluntas. Consequens autem est manifestè absurdum ac intolerabile, vt liquet ex textibus Canonicis nuper indicatis, & ex communi, ac indubitato fidelium sensu.

5. De aqua nominatim Benedicta multipliciter, & magnificè prædicant vim emundatiuam animæ, atque absterſiuam peccatorum S.Clemens Rom.lib.3. instit. cap.44. & lib. 8. & cap.29. Cyrill. Catech.3. Tertull. lib. de Baptismo cap.4. Carthag. cap.18. Innocent.III. sermone 3. in Pentec. Idem perhibent de signo Crucis in fronte, & in pectore, quoad vim roborandi animam,præseruandi,ac liberandi à peccatis, ijdem Clemens,& Tertullianus, nec non Cyprianus, Augustinus, Hieronymus, Chrysostomus, & Lactantius apud Thomam. Hurt. tract. vltimo, Mor. Resol. 9. §.3. Idem denique, & quidem significantius traditur de eleëmosyna à Concilio Cabillonensi cap.36. ex illo Eccles.33. *Sicut aqua extinguit ignem,ita eleemosyna extinguit peccatum.* Vnde D. Cyprianus lib. de opere, & eleemosyna dicit, quod eleemosyna *Baptismum imitata, Dei indulgentiam largitur.* Certum autem imprimis est eiusmodi testimonia accipi non posse de vi remissiua lethalium, quæ per sola sacramenta remitti possunt ex opere operato. Certum rursus est ob similes loquendi modos circa Sacramenta quoad remissionem lethalium, & quoad collationem gratiæ, nulloque alio fundamento, tribui iisdem sacramentis vim remissiuam lethalium, & collatiuam gratiæ ex opere operato, cum vox ista operis operati in nullis antiquis, aut Patribus, aut Conciliis formaliter reperiatur. Eodem igitur fundamento tribuenda certissimè est aquæ benedictæ, signo Crucis, & eleemosynæ, virtus remissiua peccatorum venialium ex opere operato.

6. Concil. Trident. sess.14. cap.5. ante med. tradit peccata venialia *multis aliis remediis expiari posse*; præterquam videlicet sacramento Pœnitentiæ. Hæc autem & multa alia remedia,sunt procul dubio sacramentalia, provt distincta à sacramentis omnibus. Quia sacramenta non sunt multa, atque vt essent absolutè, non tamen contraponerentur idoneè sub ea generalitate, sacramento particulari, de quo ibi agitur. Ergo venialia, non solùm per sacramenta, sed etiam per sacramentalia expiari, ac remitti possunt ex opere operato. De quo nimirum remittendi modo determinatè ibi agit Concilium, & non etiam de remissione ex opere operantis.

Art.1. Respondetur sacramentalia non sumuntur in præsenti strictè pro iis ritibus, & actionibus, quæ sacramentis adiacent, tanquam circumstantiæ, & accidentia quædam ipsorum ordinata ad eorumdem ornatum, vsumque decentiorem. Sub qua significatione dictum de illis est suprà quæst.36. Sed sumuntur latius, pro variis & rebus, & actionibus sacris vsque adeò dissidentibus inter se, vt sub nullo genere proximo contineantur propriè, ideoque nec definiri possint vna aliqua definitione propriè tali. Dici verò vt cunque possunt operationes sensibiles ordinatæ ad excitandam deuotionem fidelium, & ad remissionem peccatorum venialium. Verùm melius dignosci valent per sufficientem partium enumerationem quæ communiter exhibetur ex hoc versu.

*Orans, Tinctus, Edens, Confessus, Dans, Benedicens.*

Per quæ directè, & principaliter intelliguntur, recitatio Orationis Dominicæ, aspersio aquæ benedictæ, panis benedicti comestio, confessio generalis extra sacramentalis, quæ dici solet in principio Missæ, atque in Officio Diuino, largitio eleemosynæ, benedictio Episcopi,necnon Abbatis consecranti. Reuocantur præterea ad orationem quidem, ingressus in Ecclesiam consecratam coniunctus cum religiosa aliqua actione exteriori, & cultu Dei, atque Sanctorum maximè verò actus ipse orandi, quatenus complectens circumstantiam loci sacri, & Ecclesiæ consecratæ. Ad tincturam verò, vnctio quælibet sacra; distincta ab ea,quæ sacramentum est, & non purè sacramentale. Tunsio denique pectoris coniuncta cum exteriori pietatis specie reuocatur, tum ad orationem, tum ad confessionem, provt contigerit exteriorem apparentiam inclinare ad indicandum motum internum, vel orationis, vel compunctionis, atque doloris de peccatis. Ad orationem etiam reuocatur signum Crucis in fronte, & in pectore, provt communiter fieri à fidelibus consueuit,vtpotè petentibus liberationem ab inimicis nostris.

Art. 2. Certum est hæc omnia prædita esse vi aliqua peculiari ad inducendam remissionem venialium, atque in hunc finem aliquatenus valere actiones ipsas eiusmodi exteriores, & non solos actus internos, quibus præexistentibus, & imperantibus, illæ exercentur. Hoc enim efficaciter euincunt auctoritates inductæ in rationibus dubitandi, necnon vsus, atque consensus communis fidelium, doctis, & indoctis vbique gentium altissimè insidens, itavt oppositum absque magna, ac manifesta temeritate, ac impietate dici nequaquam possit. Nempe, *si quid per vniuersum orbem frequentat Ecclesia de eo, quin rectè fiat disputare, insolentissima insania est*; vti meritò pronunciat August. Epist.118. Vnde Theologi omnes in hoc vnanimiter conueniunt apud magistrum dist.16. & 21. cum D.Thoma in hac quæst.87. art.3.

Art.3. Porrò certitudo hæc virtutis alicuius peculiaris,conuenientis sacramentalibus prædictis, aduersus venialia non habet vnum, idemque aut vniforme in omnibus illis, ac singulis fundamentum, nec ipsa virtus eisdem omnibus, ac singulis,ex vno eodemque capite certissimè inest. Oratio namque Dominica, Confessio generalis,& tunsio pectoris, conferunt specialiter ad deletionem venialium, quatenus exercentur ex sua natura cum aliquo motu detestationis peccatorum, vt obseruat D. Thomas in prædicto art.3. In oratione namque Dominica continetur petitio remissio

remissionis peccatorum, dum dicitur: *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Tunsio etiam pectoris, & confessio generalis exhibentur ad significandam, atque excitandam internam peccatorum detestationem. Constat autem ex quæstione præcedenti istum animi motum valere ad remissionem venialium. Vnde quæ conferunt ad illum excitandum, fouendum, ac perficiendum, vti conferunt prædictæ exteriores actiones, conferunt vtique eo ipso ad remissionem venialium. Huc etiam aliquatenus pertinet signum Crucis in fronte, & pectore, quatenus exercetur cum petitione liberationis ab inimicis nostris, à quibus videlicet, eatenus præcipuè liberamur, quatenus liberamur à peccatis, in quæ illi assiduè tentant nos inducere. Qua de causa pronum est, vt actio signandi se Cruce, coniuncta cum ea oratione, proficiscatur ex detestatione dæmonis, quatenus per trahentis ad peccata, ac proinde ex detestatione ipsorum maximè peccatorum. Aspersio verò aquæ benedictæ, comestio panis benedicti, & actus orandi, quatenus exercitus in Ecclesia consecrata, vigent in eundem finem remissionis venialium, ex vi orationis, & precum Ecclesiæ, quæ præmittuntur in benedictione, tum aquæ, tum panis, necnon in consecratione Ecclesiæ. Quia Ritus Ecclesiasticus benedicendi, & consecrandi continet in se orationes, quibus inter alia petitur implicitè, vel explicitè, tum præseruatio à venialibus in futurum, tum remissio venialium iam commissorum, respectu eorum, qui aspergentur ea aqua, eo pane cibabuntur, & orabunt in ea Ecclesia. Nec dubitari potest quin orationes eiusmodi præambulæ fusæ nomine publico Ecclesiæ, atque continentes, ex vi primævæ suæ institutionis, applicationem aliquam thesauri ipsius Ecclesiæ, vim plurimam habeant ad impetranda à Deo auxilia gratiæ opportuna pro eliciendis piis animorum motibus, deletiuis venialium ex sua natura, respectu eorum omnium, qui provt oportet, vtentur ea aqua, & eo pane, eámque frequentabunt Ecclesiam, & orabunt in eadem. Idem dicitur eadem ratione, de qualibet sacra vnctione. Idem quoque dicitur suo modo de benedictione Episcopali, quatenus ea quoque coniuncta esse solet cum applicatione meritorum Ecclesiæ, aut cum concessione indulgentiæ, quæ indulgentia, licet non valeat ad remissionem quoad culpam, valet tamen ad remissionem quoad pœnam, atque pœna ipsa intelligitur frequenter nomine peccatorum, vt notatum est in quæstione præcedenti. Istum modum deletionis venialium tribuit pariter D. Thomas prædictis sacramentalibus in dicto artic. 3. ibidémque, cæteri communiter. Quod ad eleemosynam attinet, eius largitio hoc habet ex sua natura, vt animum auocet ab adhæsione ad bona temporalia, in quorum nimio amore consistit fundamentaliter origo peccatorum maximè venialium. Eadem mouet pauperes ad orandum pro eo, à quo sibi subuenitur. Atque ex vtroque capite eleemosyna est validum aduersus omnia peccata præsidium, & aduersus venialia facilè inducit actus, qui se solis sufficiunt ad remissionem eorum, etiam quoad culpam in pio eleemosynarum largitore iam aliunde iusto. Demum omnes indiscriminatim actiones exteriores hucvsque enumeratè exercentur vt plurimum cum pio aliquo motu reuerentiæ in Deum, & res Diuinas, atque ex sua natura excitant in animo eundem pietatis motum, qui est detestatiuus peccatorum venialium, vel explicitè, vel saltem implicitè. Dictum autem est in quæstione præcedenti ex communi consensu expresso D. Thomæ in eo articulo tertio, detestationem eiusmodi valere ex sua natura ad remissionem venialium. His itaque modis, & rationibus certissimum est sacramentalia prodesse ad remissionem venialium.

Art. 4. Cæterum eadem in eundem finem prodesse ex opere operato, quod docent Victoria, Dominicus Soto, Valentia, Ledesma, & nonnulli alij, nullo satis firmo nititur fundamento; & adest potiùs fundamentum in contrarium. Nullum eam in rem sufficiens fundamentum apparere, constabit ex dicendis inter soluendum rationes dubitandi. Et quidem hoc solùm omninò sufficeret ad negandam sacramentalibus eam vim remittendi venialia ex opere operato. Cum enim hic effectus, & eiusmodi efficacia dependeat ex libera voluntate Diuina, quatenus absoluta ab exigentia innata rerum, nihil de ea pronunciari debet, præsertim quia res est magni momenti, absque fundamento itidem magno, in doctrina reuelata. Quale tamen, ne quidem mediocre adesse pro affirmatiua, apparebit, vt spopondi, ex dicendis. Fundamentum præterea positiuum partis negatiuæ accipi potest satis efficax, ex natura peccatorum venialium, comparata cum institutione, & natura prædictorum sacramentalium.

Art. 5. Is nimirum, & per ea inducere potest remissionem venialium ex opere operato, qui, & per quæ inducere potest ex opere operato bonum compensatiuum malitiæ, quæ inest peccatis venialibus, seu restituere potest bonum sublatum per eadem venialia, atque eisdem oppositum. Hoc autem bonum est feruor charitatis, vt sæpè dictum est ex D. Thoma, aliorúmque communi consensu, atque hic feruor dupliciter in animum inducitur. Primum immediatè, & formaliter inducendo actus ipsos bonos, qui contineant in se eum feruorem charitatis, vel formaliter, vel æquiualenter. Manifestum verò est nullius, aut Sacramenti, aut sacramentalis causalitate induci immediatè posse eiusmodi actus ex opere operato. Secundò inducitur idem feruor mediatè, & radicaliter, inducendo immediatè auxilia gratiæ habitualis, vel actualis, ratione quorum animus reddatur bene dispositus ad actus charitatis feruenter exercendos. Huiusmodi autem auxilia, cum sint supernaturalia, in nullius causæ secundæ actiuitate continentur, sed in sola virtute omnipotentiæ Dei, atque ab eius libera, ac gratiosa voluntate immediatè dependent, non minus, quam gratia sanctificans. Dictum porrò est cum D. Thoma, aliorúmque communi consensu supra quæstione 10. Sacramenta causatiua gratiæ sanctificantis ex opere operato sola Diuina voluntate institui potuisse, eadémque sola oportuisse, vt primò, ac principaliter designarentur, ac determinarentur materiæ, & formæ, quibus virtus eiusmodi causatiua communicaretur; idque ob hanc præcisè rationem, quia gratia sanctificans in sola omnipotentia Dei continetur, atque ab eius sola libera, & gratiosa voluntate dependet. Eadem igitur ratione, qua ex communi Theologorum consensu oportuit, vt Sacramenta instituerentur immediatè ab ipso Deo, oportuisset etiam, vt sacramentalia instituta fuissent ab eodem, si haberent virtutem inducendi ex opere operato auxilia gratiæ habitualis, vel actualis, reparatiua feruoris charitatis. Est autem in confessio, apud aduersarios quoque nostros sacramentalibus non inesse talem virtutem immediatè ex institutione Diuina; neque de hoc dubitari vllo pacto potest; cum liquidè constet de humana sacramentalium institutione per voluntatem, atque designationem Pontificum. Dicendum igitur est sacramentalia prædicta non esse remissiua venialium ex opere operato, seu non esse prædita virtute inducendi ex opere operato, vlla dona supernaturalia gratiæ, quibus tollatur, aut compensetur iactura feruoris charitatis, quæ inducta fuerat per peccata venialia.

Art.1. Ad 1. Duo sunt, quæ efficaciter persuadent non subsistere traditionem antiquam à tempore Apostolorum, & communem consensum fidelium de remissione venialium per sacramentalia ex opere operato. Alterum est Diuum Thomam, D. Bonauenturam, Alensem, Durandum, Ricardum, Abulensem, Turre-Crematam, Suarez, Vasquez, & alios non paucos refragari virtuti sacramentalium ad remittenda venialia ex opere operato. Fieri enimverò minimè potuit, vt tot, tantique Authores, & Antiqui, & Moderni, aut ignorarent communem traditionem, & consensum, aut eidem contradicere auderent. Et quidem de reliquis præter D. Thomam Authoribus minimè dubitatur, quin pro hac parte, legitimè adducantur à Suarez disputatione 12. sect. 2. & ab aliis in præsenti. Sed neque de D. Thoma dubitari rationabiliter potest. Quia in hac quæstione 87. art. 3. quæ benedictæ, aliisque similibus, tribuit remissionem venialium præcisè, *in quantum sunt cum aliquo motu detestationis peccatorum, in quantum sunt cum aliquo motu reuerentiæ in Deum, & ad res Diuinas.* Quales sanè reduplicationes nostrorum actuum pro remissione ex opere operato nullibi vsurpantur, aut vsurpari idoneè possunt, siquidem quæ habent vim causatiuam ex opere operato, transcendunt limites actuum nostrorum, ac proinde inducunt effectum, qui iisdem actibus cum tali reduplicatione adscribi minimè possit, vt apparet ex declaratione operis operati, præmissa supra in communi quæstione 19. Certè ipse D. Thomas ibidem in principio corp. non adhibet eiusmodi nostrorum actuum reduplicationem circa remissionem venialium per Sacramenta, sed hanc aliam: *In quantum in eis infunditur gratia. Quia per infusionem gratiæ tolluntur venialia peccata, vt supra dictum est. Et hoc modo per Eucharistiam, & Extremam Vnctionem, & vniuersaliter per omnia Sacramenta nouæ Legis, in quibus confertur gratia, peccata venialia remittuntur.* Vnde, dum immediatè subiungit secundum, & tertium modum omninò diuersum remissionis per sacerdotalia, cum prædicta reduplicatione nostrorum actuum, manifestè excludit à sacramentalibus remissionem ex opere operato, quam attribuerat Sacramentis. Hoc ipsum apparet clariùs ex his, quæ dicit in 4. distinct. 16. quæst. 2. art. 2. fine, vbi ad 1. respondet: *Sed ista (sacramentalia) dicuntur peccatum veniale remittere in quantum vi actuum nostrum feruorem excitant*, & similiter ad secundum. *Ista sine contritione non delent peccatum veniale; sed dicuntur delere, in quantum contritionem causant*; quam tamen certum est non causari ex opere operato, vt prænotatum iam supra est. Quæ cum satis manifestent mentem D. Thomæ pro hac parte, non multum curandum est, quid deinde dixerit, vel non dixerit Additionator eius de hac re.

Artic. 2. Alterum eandem in rem fundamentum est, fideles non adhibere communiter, cum ea firmitate fiduciæ, & spei remissionis venialium sacramentalia, qua cum adhibent Sacramenta. Quæ autem sunt certa ex traditione, & tenentur vt talia ex communi consensu, adhibentur eatenus cum totali securitate, ac firmitate spei, atque fiduciæ. Accedit eosdem fideles non perinde angi scrupulis propter sacramentalia nulliter vsurpata, ex defectu dispositionis sufficientis, sicut anguntur circa Sacramenta nulliter suscepta eadem de causa; cum tamen si perinde sibi persuaderent de institutione sacramentalium, & Sacramentorum cum virtute remissiua ex opere operato, perinde, aut ferè deberent vereri nullitatem vtrorumuis, cum agitur de delendis solis venialibus. Accedit rursus eosdem fideles, postquam susceperunt benedictionem Episcopalem, cui, & aquæ benedictæ, aliisque similibus eandem prorsus virtutem, & causalitatem, attribuit Diuus Thomas vbi supra, subiicere nihilominus Sacramento Pœnitentiæ eadem illa venialia, quibus erant obnoxij, ante talem benedictionem, cum tamen quæ semel exposuerint in sacramento, non soleant simili cum diligentia, & frequentia exponere iterum in eodem Sacramento. Non igitur agnoscunt in sacramentalibus virtutem remittendi ex opere operato, qualem agnoscunt in Sacramentis. Apparet itaque gratis affirmari prædictam traditionem, & communem fidelium consensum. Crediderim æquiuocationis causam fuisse, quod fideles communiter agnoscant peculiarem aliquam vtilitatem sacramentalium pro delendis venialibus. Eam nimirum, quæ asserta, & exposita supra est art. 2. & 3. ad quæstionem. Et quia ea vtilitas non satis distinctè apprehenditur, ac discernitur vulgariter, propterea confusa incautè est, cum assensu, & traditione operis operati.

Ad 2. Pater Suarez vbi supra, Martinon, & alij in præsenti, clarè, & fusè, ostendunt in nullo ex illis canonibus quidquam haberi de remissione ex opere operato, seu formaliter, seu æquiualenter, ac conuertibiliter. Solùm namque statuitur in genere specialis vtilitas sacramentalium ad delenda venialia. Quam tamen specialem vtilitatem optimè subsistere absque virtute remittendi ex opere operato, liquido apparet ex iisdem art. 2. & 3. Certè locum illum ex 3. Regum 8. nihil concludere vltra id, quod dictum à nobis est in illo artic. 3. apparet clarè ex ratione illius effectus, *tu exaudies*, quæ subiungitur ibi v. 43, *Vt probent, quia nomen tuum inuocatum est super domum hanc, quam ædificaui.* Per quæ verba, effectus orationis quatenus sanctæ in Templo consecrato, reuocatur, vti reuocatus à nobis est, in orationem, & inuocationem præmissam in consecratione Templi. Quapropter locutiones eiusmodi circa sacramentalia, vtcunque aliquatenus similes locutionibus communibus circa Sacramenta, temperandæ sunt, atque in legitimum sensum reducendæ ex diuersitate materiæ subiectæ, iuxta normam rationis Theologicæ, quæ superius præmissa est. Quod quidem sæpissimè fit ab interpretibus sacræ Scripturæ, & à nobis præstabitur infra ex communi, ac indubitato consensu quæst. 99. ad 1.

Ad 3. Quando aliquid conceditur explicitè, ea omnia & sola subintelliguntur concessa implicitè, quæ necessaria sunt, vt subsistat, vtque bene habeat, quod conceditur explicitè. Eiusmodi autem sunt potestas pascendi, atque regendi gregem Christi expressè concessa Petro, & successoribus eius, & potestas coërcendi per censuras; necnon potestas Clauium ad ligandum, & soluendum, & potestas ad concedendas Indulgentias per dispensationem thesauri Ecclesiæ, vt dicetur in loco, & communiter deducunt, atque conuincunt Doctores Catholici aduersus Hæreticos. Non sunt autem eiusmodi, eadem potestas pascendi, & regendi gregem Christi, eidémque claudendi, & recludendi regnum Cœlorum, & potestas instituendi causas instrumentales remissiuas venialium ex opere operato. Quia independenter ab hac institutione suppetunt remedia satis multa, & efficacia ad obtinendam remissionem venialium, vt est notum apud omnes, & notabitur in responsione ad 5. Quod ad consolationem fidelium per remedia facilia venialium, non facilè est arbitrari, quantam præcisè oporteat esse eiusmodi, & consolationem, & facilitatem. Hoc vnum est certum, peccata venialia; quæ sæpè minuunt feruorem charitatis erga Deum; & plectuntur grauissimo supplicio ignis Purgatorij, non esse malum facilè contemnendum, propterea que expedire, ne credatur, neve re ipsa fit nimium facile remedium eorum ex

opere

opere operato per actiones exteriores facillimæ executionis. Vnde ex hoc capite suaderi magis potest sacramentalibus eam vim nequaquam inesse. Conceditur itaque, concedere Deum potuisse absolutè potestatem instituendi sacramentalia cum virtute remissiua venialium ex opere operato, quod attinet ad designationem, ac determinationem materiæ,& ritus exterioris, iuxta dicta supra in quæstione illa, 10. quam recolere oportet. Sed negatur expediuisse, vt eandem potestatem concederet, aut concessam de facto fuisse propterea, quæ ponderata iam sunt.

Ad 4. Aquæ reipsa benedictæ, & orationi in Ecclesia re ipsa consecratæ, suffragantur specialiter orationes, & applicationes meritorum Ecclesiæ,quæ interueniunt in benedictione, & consecratione. Vnde,cæteris paribus, vberiora auxilia gratiæ inde proniunt, quam ex vsu aquæ, & Ecclesiæ cum falsa existimatione de benedictione, & consecratione. Pij autem animorum motus dependent multo magis ex vbertate auxiliorum gratiæ, quam ex peculiari cuiusque existimatione,qualiscunque ea sit. Idem porrò dicitur de similibus.

Ad 5. Vt ea omnia verissimè dicantur de aqua benedicta, & de signo Crucis, quæ dicuntur ab illis Patribus, abundè sufficiunt, pro aqua quidem benedicta orationes Ecclesiæ, quas illi diximus suffragari, pro signo verò Crucis oratio, quæ ab vnoquoque funditur in ipso actu signandi se simul cum piis vtrobique animorum motibus, qui excitantur ex vi intentionis purgandi,ac præmuniendi animam, qua intentione saltem vt plurimum exercentur eiusmodi actiones, atque ex memoria, & repræsentatione Crucis Christi, dum fit signum Crucis in fronte, ore, & pectore. Notius est, quam vt doceri adductis testimoniis debeat, similibus laudum titulis solere commendare; atque magnificare sanctos Patres, aliosque viros pios, aliàs quoque operationes exteriores, mortificationis, humiliationis, charitatis in proximum, quæ inter sacramentalia à nemine numerantur, & quibus à nemine tribuitur vllus effectus ex opere operato. Nihil igitur ex eiusmodi encomiis, vtcunque magnificis, ac illustribus deduci vlla probabilitate potest pro scopo præsenti, maximè cum in Euangelio retribuatur Regnum Cœlorum potui aquæ frigidæ misericorditer subministrato,quo nihil maius, aut illustrius dici potuit, & tamen ille tantus effectus à nemine censetur prouenire ex opere operato, sed ex solo opere operantis. Hinc sponte apparet, quid putandum sit de vi extinctiua peccatorum, quæ prædicatur de eleemosyna. Nempe eam prædicationem niti virtute meritoria eleemosynæ, & non propter vim, extrinsecus sibi superadditam, remittendi peccata ex opere operato. Deinde vis extinguendi peccata, quæ attribuitur eleemosynæ, perperam, & sine fundamento restringitur ad venialia, cum in textibus, qui opponuntur, aliisque similibus permultis eleemosyna contraponatur peccatis, absque ea restrictione, atque nomine peccatorum absolutè prolato, potissimum intelligantur lethalia, & eleemosynæ consilium principaliter ordinetur ad remedium eorundem lethalium. Demum, quod ad Sacramenta attinet, & paritatem, ex illis deriuatam ad sacramentalia, constat aliis loquendi formalis comprobari virtutem causatiuam gratiæ, & remissionis peccatorum ex opere operato, Sacramentorum propriam, vt patet ex iis, quæ superius ea de re producta sunt. Adde verba sacramentalia, aliásque operationes exteriores,quibus Sacramenta perficiuntur, secluſa Diuina institutione,eleuante illa ad agendum ex opere operato, ad nullam virtutem pertinere, ideoque virtuti eorum meritoriæ, seu operi operantis adscribi minimè posse effectus, qui illis tribuuntur, sicut adscribi possunt, qui de sacramentalibus prædicantur,vt apparet ex dictis.

Ad 6.Quin sacramentalia habeant virtutem remittendi venialia ex opere operato, dantur remedia satis multa distincta à Sacramento Pœnitentiæ, de quo ibi agit Concilium; nempe cætera in primis omnia Sacramenta, quibus delentur ex opere operato; Sacramentalia deinde quibus delentur ex opere operantis, modis, & rationibus explicatis supra art.2.& 3. operationes denique omnes virtuosæ, quæ continent in se explicitè, vel saltem implicitè detestationem aliquam eorundem venialium. His namque omnibus, & singulis, quæ profectò sunt bene multa, attribuit D. Thomas in dicta quæst.87. præsertim in dicto art.3.& cum eo communiter,& meritò reliqui Theologi vim sufficientem ad delendum venialia, vel vniuersim omnia coniunctim, vel seorsim aliqua pro modo dispositionis, ac detestationis ab vnoquoque præconceptæ.

---

## QVÆSTIO XCIII.

### *Vtrùm omnis, & solus Sacerdos sit Minister idoneus huius Sacramenti?*

VIdetur nec omnis Sacerdos, nec solus esse idoneus. 1. Quia Iacob.5. 16. dicitur: *Confitemini ergo alterutrum peccata vestra, & orate pro inuicem, vt saluemini.* Vbi nulla fit mentio de Sacerdote, sed sermo est de omnibus, & quibusuis indiscriminatim promiscuus. Et præterea præceptum de mutua confessione coniunctum,sub eadem formula; ac periodo, cum præcepto de oratione mutua, clarè indicat eandem esse vtriusque indifferentiam, & vniuersalitatem in quolibet,respectu cuiuslibet.Vnde D.Cyprian. lib.2. epist.17. *Si quis*, ait, *oppressus infirmitate non potuerit expectare aduentum Sacerdotis reconcilietur per Diaconum facta priùs confessione.* Magistèr etiam in 4. distinct.17. docet disertè, in defectum Sacerdotis, faciendam esse confessionem coram laico. Quod ipsum traditur à D.Thom. ibidem quæstione 3. art.3. quæstiunc.2. Ergo Minister idoneus, seu absolutè sufficiens, ac præcisè necessarius huius Sacramenti non est solus Sacerdos.

2. Sacramentum Pœnitentiæ est necessarium ad salutem necessitate medij, sicut Baptismus, vt superius dictum est. Sacramentum autem Baptismi à quolibet, siue Sacerdote, siue laico administratur validè; idque concessum, ac benignè prouisum à Deo est ob eam eius Sacramenti necessitatem, ne cui videlicet tam facilè deesse posset medium simpliciter necessarium ad consecutionem vitæ æternæ, quàm facilè fieri potest, vt desit præsentia Sacerdotis. Ob eandem igitur rationem quilibet, siue Sacerdos, siue laicus potest ministrare validè Sacramentum Pœnitentiæ, saltem in casu vrgentis necessitatis. Credendum enim nequaquam est, nolle Deum, sua misericordia, cuius non est numerus, atque potentia, quæ est infinita, supplere idoneitatem absolutè, & secluſa tali necessitatis vrgentia, requisitam ex parte ministri,exhibente pœnitente, quantum potest, & pertinet ad ipsum.

3. Sacerdos non approbatus non confert validè absolutionem; & is qui est approbatus cum aliqua limitatione, si prætergrediatur limites sibi præfixos nulliter absoluit,siue limitatio versetur circa personas, siue circa peccata. Vnde à casibus reseruatis nulliter absoluit, qui non est superior reseruante, aut non est delegatus ab eodem. Idem dicitur de appro-

bato pro vno sexu, si absoluat personas alterius sexus; nec non de Episcopo, aut Parocho absoluente extra suam Diœcesim, aut Parochiam; Ergo omnis Sacerdos, est minister idoneus, aut etiam absolutè sufficiens huius Sacramenti, sed vltra potestatem ordinis, indiget iurisdictione sibi concessa mediatè, vel immediatè à summo Pontifice. Neque enim, vel ab ipso, vel ab inferioribus aliis Prælatis possent alioquin reddi nullæ, aut omnes, aut aliquæ vllius Sacerdotis absolutiones, circa determinatas personas, aut determinata peccata; sicut nequeunt reddi nullæ consecrationes corporis, & sanguinis Christi Domini.

4. In quouis Iudice ferente legitimè sententiam, & in medico spirituali adhibente medicinam requiritur scientia, probitas, atque prudentia sufficiens ad discernendam qualitatem criminum, imponendam pœnam congruentem, & adhibendam medicinam opportunam. Desunt autem in multis Sacerdotibus, Doctrina, Probitas, & Prudentia sufficientes ad fines prædictos. Ergo non omnes Sacerdotes sunt idonei, & sufficientes ministri huius Sacramenti.

Art. 1. Respondetur. Certum in primis est solos Sacerdotes esse ministros idoneos absolutionis sacramentalis, nec vllum alium, qui non sit Sacerdos, Sacramentum istud perficere validè posse pro vllo euentu; ita definiente Concilio Trident. sess. 14. cap. 6. & clarius can. 10. atque continua Ecclesiæ traditione merito accipiente, de solis Sacerdotibus illud Ioan. 20. *Accipite Spiritum sanctum, &c.* vt pote dictum immediatè solis Sacerdotibus, exinde solis subintellectis eorum successoribus in dignitate, & ministerio sacerdotali.

Art. 2. Certum rursus est quemlibet Sacerdotem posse absoluere validè in articulo mortis, quamlibet personam à quibusuis peccatis, & censuris saltem si non adsit proprius Parochus, aut Sacerdos, qui velit fungi munere suo; ita declarante Tridentino ibidem cap. 7. saltem sub limitatione modo adiuncta, de qua controuertitur apud Auctores. Verum quia non adhibetur à Concilio expressè vlla talis limitatio, nec eadem, ex eodem, aut aliunde concluditur efficaciter; videtur reiicienda potius omnino, quod ad valorem attinet absolutionis. Eadem est vniuersalitas potestatis absoluendi in quouis Sacerdote respectu quarumlibet personarum, quoad venialia, necnon quoad mortalia iam iterum confessa. Quod ex consuetudine fidelium, atque traditione est satis manifestum.

Art. 3. Certum tertio est ad valorem absolutionis, extra articulum mortis, & exceptis peccatis venialibus, nec lethalibus iterùm confessis, requiri iurisdictionem ordinariam, vel delegatam, eámque esse absolutè separabilem à potestate ordinis. Iurisdictio porrò Confessarij est authoritas, seu potestas eius circa aliquem in foro interno; hoc est ad remittendum & retinendum peccata. Iurisdictio ordinaria est, quæ conuenit ratione officij habentis curam animarum. Delegata est, quæ legitimè confertur ab eo, qui habet iurisdictionem ordinariam. Colligitur iam conclusio clarè ex Tridentino in primis in eadem sessione cap. 7. & canon. 11. Deinde ratio ordinis Hierarchi in Ecclesia Dei postulat, vt vnusquisque ordinarius habeat iurisdictionem fori etiam interioris, contentam intra limites suæ Diœcesis ita vt nemo immiscere se validè possit, quoad actus iuridicos circa oues alterius, seu circa subditos pertinentes ad alium in spiritualibus, præterquam de eius consensu, ac delegatione.

Art. 4. Certum denique est, ex eodem Concilio sess. 23. cap. 15. absolutionem sacramentalem datam secularibus à Sacerdote, siue seculari, siue regulari, nec habente Parochiale beneficium, nec approbato ab Episcopo esse nullam. Nempe alteruttum horum est præcisè necessarium ad validam administrationem huius Sacramenti, vtpote continentis in se exercitium iurisdictionis, cum necessitate peculiaris scientiæ, & probitatis in ministro, qui proinde, pro valido vsu ministerij, rationabiliter subiicitur iudicio, & auctoritati Episcopi, vel eligentis in Parochum, vel directè approbantis ad confessiones. Hoc nimirum pacto vitari possunt, & aliter vitari non possent, maxima inconuenientia, quæ sequerentur in Ecclesia Dei, si totidem in ea necessariò, ac ineuitabiliter essent ministri huius Sacramenti præditi vniuersali, ac illimitata iurisdictione circa personas, & peccata, quot Sacerdotibus eidem Ecclesiæ, opus est; nec posset ab ipsa conferri ordo Sacerdotalis, nisi conferendo simul vniuersalem huiusmodi iurisdictionem omninò expeditam quoad validitatem exercitij ad quod illa ordinatur.

Art. 5. Controuertitur iam, Vtrum omnes sacerdotes ex vi ordinis obtineant iurisdictionem adæquatam, & completam, & quantum est ex se, omnino sufficientem ad absolutionem sacramentalem circa quaslibet personas, & peccata, si non impediatur aliunde, aut totaliter, aut partialiter? An verò accipiant inadæquatam tantùm, & incompletam iurisdictionem? An denique solam accipiant aptitudinem proximam, vt eadem iurisdictio illis conferatur à summo Pontifice, aut ab inferioribus Pastoribus; Cardinalis de Lugo; & nonnulli alij censent quæstionem istam esse de sola voce; quandoquidem certum, ac indubitatum apud omnes est ex præmissis, absolutiones esse nullas ob defectum iurisdictionis, nisi superaddatur officium Pastorale, aut delegatio, ac approbatio, vltra ordinem, seu potestatem ordinis. Verum hi auctores, nisi omnino fallor hoc tantummodo in animo habuere, parum aut nihil interesse, quod ad praxim attinet, vtro modo resoluatur quæstio proposita. Quod fortassis verum est. Cæterum capacitas proxima ad recipiendam iurisdictionem distinguitur reipsa, & non solum vocetenus, ab ipsa iurisdictione; nec minus, aut aliter distinguitur; tum iurisdictio completa ab incompleta; tum impedibilitas iurisdictionis ab eiusdem auferibilitate; tum non impeditio à collatione. Quapropter quæstio proposita cum inter hæc extrema versetur, est clarissimè realis, & non de sola voce.

Art. 6. Dicendum autem videtur, omnes sacerdotes ex vi sui ordinis, habere potestatem sacramentaliter absoluendi completam, & vniuersalem circa quaslibet personas, & quælibet peccata; sed eandem potestatem esse nihilominus capacem exceptionis, ac limitationis inducentis nullitatem in exercitio ipsius, seu in actu secundo. Ad eum videlicet ferè modum, quo is, qui inducitur in dominium rei alicuius temporalis, ex vi talis actus, accipit quidem potestatem completam, & vniuersalem ad contractus emptionis, & venditionis, alioque similes, circa talem rem; sed cum capacitate exceptionis, ac limitationis apponibilis à Republica, seu à Principe, dante tutorem, aut curatorem, alijsque modis.

Art. 7. Prior pars de potestate completa, & vniuersali, ex vi ordinis suadetur dupliciter. Primò, quia ordinatio sacerdotis perficitur, tanquam per formam partialem, per illud Ioan. 20. *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis, &c.* Quæ verba significant potestatem eiusmodi completam, & vniuersalem, vt ex se satis patet, & ex eo colligitur præterea efficaciter, quia illis solis significauit Christus Dominus, & contulit discipulis talem potestatem. Verba autem sacramentalia operantur, quantum significant, vt dictum est suprà in communi. Vnde necesse est, vt

fortiantur

sortiantur eundem effectum, cum enunciantur à legitimo Christi ministro, quem sortita sunt ipso Christo Domino eadem enunciãte; siquidem in vtroque euentu retinent eandem significationem. Deinde omnes sacerdotes habent eiusmodi potestatem omnino completam circa venialia, & circa lethalia iterum expiata per confessionem. Non autem habent ex speciali aliqua concessione Summi Pontificis, aut inferiorum aliorum Pastorum. De qua videlicet speciali concessione, quatenus seorsim superaddita ordinationi, nullum vllibi apparet vestigium. Habent igitur omnes Sacerdotes eiusmodi potestatem ex vi ordinis non impediti eatenus exceptione aliqua, aut limitatione contraria: ex vi autem ordinis; ideſt ex vi formæ ordinationis modò ponderatæ, nullum est discrimen potestatis quoad aliquas potiùs, quam alias, seu personas, seu peccata. Quia verba formæ sunt prorsus vniuersalia. Istam denique sententiam omnino præseferunt verba illa Tridentini sess. 14. cap. 6. sub initium: *Dominus noster Iesus Christus, è terris ascensurus ad Cœlos Sacerdotes*, (vtique qua tales, *vsui ipsius Vicarios reliquit tanquam præsides, & Iudices ad quos omnia mortalia crimina deferantur, in quæ Christi fideles ceciderint, quo pro potestate clauium*, (quas sanè, tunc accipiunt, cum audiunt: *Accipite Spiritum sanctum, &c.*) *remissionis, aut retentionis peccatorum sententiam pronunciat.*

Art. 8. Altera pars, de capacitate exceptionis, ac limitationis inducentis nullitatem in actu, apparet imprimis clarè ex duabus posterioribus assertionibus nuper prælatis ex communi consensu art. 3. & 4. vbi etiam insinuatæ sunt rationes ob quas oportuit, vt inesset supremo Ecclesiæ Pastori, & particularibus deinde aliis Episcopis, potestas excipiendi, limitandi, ac impediendi, provt expedire videretur eam ligandi, atque soluendi potestatem, quæ inferioribus Sacerdotibus ex vi sui ordinis inest. Summa ratio autem est, quam adhibet Concilium Tridentinum dicta sess. 14. cap. 7. Quòd videlicet potestas sacramentaliter absoluendi, est potestas iudicialis, & continens in se veram iurisdictionem supra eos, quibus impenditur absolutio. Necesse autem est, vt in quauis Republica bene ordinata detur subordinatio cæterorum, qui iurisdictionem exercent, respectu supremi in illa Iudicis, & aliorum, qui ad eundem potestate, & authoritate proximè accedunt. Necesse igitur fuit, vt D. Petro, & eius successoribus, ad quos pertinet illud Christi Domini; *Pasce oues meas*, & illud: *Tibi dabo claues Regni Cœlorum*; conferretur potestas, vti est certum ex fide, iuxta dicta ex Tridentino collatam de facto esse, ad excipiendum, tum personas, tum peccata, provt expedire videretur à potestate inferiorum Sacerdotum, inducendo nullitatem; quoad actiones iuridicas, quæ excesserint limites vnicuique præfixos.

Art. 9. Potestas ad absoluendum propria sacerdotum inferiorum, provt, vel præscindit à consensu, & dissensu superiorum, vel est coniuncta cum eorundem dissensu, exceptione, seu limitatione, dicitur communiter potestas ordinis; Iurisdictionis verò quatenus est coniuncta cum eorundem superiorum, vel non impeditione, vel consensu, approbatione, & applicatione ad determinatas, seu personas, seu peccata. Quod tamen non tollit; quominus ea potestas vtrouis modo considerata, sit propriè iurisdictionalis, & essentialiter ordinata ad ius dicendum, ferendámque sententiam authoritate propriè iudiciali. Verùm, quia expediebat indere tali potestati diuersum nomen pro diuersitate status inducentis valorem, & nullitatem sententiæ; percommodè appellata est potestas ordinis, quatenus est inseparabilis ab ordine, & charactere sacerdotali; iurisdictionis verò, quatenus est expedita, & libera, ab omni impedimento, ad dicendum validè ius, & ferendam liberè sententiam circa tales determinatè, vel personas vel peccata.

Art. 10. Quapropter dicendum absolutè est, non omnes sacerdotes habere iurisdictionem, in foro pœnitentiæ, circa omnes personas, omniáque peccata; sed solùm circa eas & ea, quæ vnicuique determinatè subiiciuntur, ratione delegationis; licèt potestas ordinis omnibus ad omnia competat indiscriminatim modo explicato. Solus itaque Sacerdos est minister idoneus huius Sacramenti, idque indispensabiliter. Omnis item Sacerdos est idoneus eiusdem minister, sed cum subordinatione ad supremum Ecclesiæ caput, & ad alios inferiores prælatos potentes respectiuè excipere, limitare, ac impedire; idque vel totaliter, vt in degradatis, aut non toleratis; vel partialiter, vt in plerisque aliis modo itidem iam dicto.

Ad 1. D. Iacobus loquitur præsupposita institutione huius Sacramenti, eiusque promulgatione, ex qua sufficienter innotesceret audientibus, seu legentibus, accipienda esse dissimiliter ratione materiæ, quæ similiter dicerentur de oratione, & confessione; itavt vtraque exhiberetur, provt exigit vtriusque natura, & institutio, iam ante manifestata per doctrinam exhortationis præambulam. Nempe in sermone exhortatorio, qualis est ille D. Iacobi, præsupponitur, & non semper distinctè traditur doctrina dogmatica, & speculatiua in qua fundatur exhortatio. D. Cyprianus non loquitur de reconciliatione absolutoria fori interni, vt apparet clarè ex contextu, sed de publica reconciliatione ad tollendum scandalum, si quidem præcessisset. Demum sententia illa magistri, & D. Thomæ est legitimè interpretanda: Intenderunt enim proculdubio illam confessionem laico factam absolutè sacramentalem non esse, sed ad summum valere ad humiliationem pœnitentis, eiusdémque instructionem, consolationem spiritualem, & exhortationem ad actum contritionis, exhibendas per laicum deficiente Sacerdote, qui per absolutionem possit liberare à peccatis.

Ad 2. Baptismus in re est magis necessarius, quatenus nequit suppleri à paruulis per contritionem. Deinde præcipua eius materia est peccatum originale, pro cuius punitione, & medela, non est opus scientia, & prudentia Sacerdotis; sicut pro peccatis personalibus. Sola autem personalia perinent ad Sacramentum Pœnitentiæ; atque hoc Sacramentum est supplebile, per contritionem ab omnibus qui sunt eius capaces. Ad tertium patet ex dictis ad quæstionem ab articulo 8.

Ad 4. Requiritur quidem pro licita administratione huius Sacramenti, scientia Ministri sufficiens ad discernenda lethalia à venialibus, saltem in genere, & dignoscendas species vtrorumque, saltem frequenter occurrentes, & obuias, necnon casus reseruatos, & censuris obnoxios; vel certè ad dubitandum de his omnibus, vti oportet, & ad inquirendum postea. Requiritur etiam prudentia, vt minimum mediocris pro pœnitentiis præsertim medicinalibus conuenienter imponendis, vtque pœnitentem dirigere corripere, consolari, hortarique idoneè, ac vtiliter possit. Requiritur demum probitas expers, tum actualiter peccati lethalis, tum habitualiter scandali pœnitentium. Cæterum ad validam administrationem sufficit potestas ordinis non impedita à superiori, seu iurisdictio, vt dictum est. Plura nempe requiruntur in aliis quoque materiis ad licite posse, quam ad simpliciter posse.

## QVÆSTIO XCIV.

*Vtrùm Confessarius teneatur, pro omni euentu ad veram absoluendi intentionem, & ad secretum?*

VIdetur ad neutrum teneri pro omni euentu. 1. Quia sæpè contingit exponi in confessione peccata iam priùs deleta per contritionem, vel per aliam anteriorem confessionem. Tunc autem perperam adhiberetur vera intentio absoluendi.

2. Istud Sacramentum, ex vi suæ institutionis, est ordinatum ad omnem eam pœnitentiam vtilitatem, quæ ex confessione peccatorum percipi potest. Sæpè autem potest esse multipliciter vtile pœnitenti, vt aliquod eius peccatum manifestetur per confessarium, vel superioribus, vel amicis ipsius, à quibus corripiatur, ac præmuniatur aduersus reincidentiam. Ergo non semper est obligatus confessarius ad sigillum confessionis totaliter obseruandum.

3. Prædurum videtur, atque omnino irrationabile, vt coniiciat confessarius, manifestato peccato pœnitentis, vitari posse, nec vitari aliter posse subuersionem Patriæ, suam ipsius necem, aut simile ingens, ac irreparabile incommodum, & nihilominus teneatur non manifestare, nec vllo pacto indicare tale peccatum; Deus autem, cuius iugum suaue est, & onus leue, prædura, & irrationabilia nunquam iubet.

4. Aliæ obligationes confessarij, imponendi pœnitentiam, adhibendi medicinam, monendi, interrogandi, ac instruendi circa ea, quæ vincibiliter, aut inuincibiliter ignorantur à pœnitente, & quæ sunt his similes, cessant multiplici de causa, vt est in confesso apud omnes. Fieri igitur similiter potest, vt pro aliquo euentu cesset etiam obligatio, tum seruandi secretum, tum præhabendi veram absoluendi intentionem.

Art. 1. Respondetur. Circa alias obligationes confessarij erga pœnitentem, præterquam ad veram absoluendi intentionem, & ad secretum, vix vlla occurrit ratio dubitandi, & sufficienter innotescunt ex obiter, vel iam dictis, vel dicendis. Quod ad primum attinet ex his duobus punctis: certum, atque apud omnes indubitatum est prolationem verborum absolutionis, absque intentione conformi significationi eorum, & simul absque exteriori aliqua manifestatione de defectu eiusdem intentionis esse intrinsecè turpem, nec licitam vnquam esse posse. Quia esset locutio ficta, mendax, ac deceptiua. Quia verò deceptio esset in re graui, & insuper esset iniuriosa Sacramento, atque contemptiua Dei quatenus ipsum instituentis; peccatum foret proculdubio graue, & in specie sacrilegij constitutum ex sua natura, seu loquendo per se.

Art. 2. Forma porrò absolutionis constat essentialiter his verbis: *Ego te absoluo à peccatis tuis.* Quibus æquiualent hæc verba: *Absoluo te*; nec non fortassis hæc: *Absoluo à peccatis tuis.* Nempe particula *Ego* sufficienter subintelligitur, vtpotè virtualiter inclusa in verbo *absoluo*; sicut etiam subintelligitur, & includitur particula *te* in particula *tuis*, nec non particula *à peccatis tuis*, dum dicitur præeunte immediatè confessione peccatorum; *absoluo te.* Hæc autem verba, quocumque ex his modo, aut alio æquiualenti, enuncientur, non sunt purè deprecatoria aut declaratoria, sed operatoria, vt apparet ex naturali ipsorum significatione. Idem apparet rursus clarè ex Ioan. 20. & Matth. 18. vbi non dixit Christus Dominus: *Quæcumque petieritis, vt remittantur*, aut *declararitis remissa*; sed *Quorum remiseritis peccata.* Idem denique constat clarè ex Tridentino dicente sess. 14. cap. 5. & can. 9. hoc Sacramentum institutum esse per modum iudicij, atque ideo formam eius esse actum iudicialem, propriúmque iudicis verè remittentis, & non tantùm deprecantis, aut declarantis. Necesse igitur est pro valore huius Sacramenti, atque pro vsu licito formæ absolutoriæ in actu confessionis, vt confessarius præhabeat veram intentionem absoluendi pœnitentem, atque remittendi peccata eius. Cæterum quo pacto possit, & quo non possit esse conditionata ea intentio, constat satis ex dictis in communi quæstione 16. vti etiam constat ex dictis, & multipliciter confirmatis quæst. 13. & 14. de necessitate modo asserta intentionis in ministro circa effectum cuiusque Sacramenti.

Art. 3. Quoad alteram partem de secreto, seu sigillo confessionis; certum imprimis est teneri confessarium ad non manifestandum peccata pœnitentis non solum ratione vniuersali secreti naturalis, quatenus ea notitia est priuata, & confidentialis, sed etiam specialiter, & multo magis ratione Sacramenti, quatenus pœnitens detegit confessario peccata sua, non purè, ac præcisè, vt homo homini, sed potius, vt Vicario Dei, & solum in ordine ad finem supernaturalem remissionis illorum. Quapropter confessarius, manifestando peccata, aut peccatum aliquod pœnitentis, non solum committeret peccatum iniustitiæ ex læsione famæ, & violatione contractus seu impliciti, seu expliciti, de seruando secreto; ex quo capite secundum se præcisè, peccatum posset esse, aut veniale propter paruitatem materiæ, aut nullum ob causas prævalentes in contrarium, verum etiam committeret peccatum sacrilegij propter violatam Sacramennti dignitatem, institutionem, legem atque naturam; sub qua ratione nullus est locus paruitati materiæ, aut vlli alij causæ excusanti à lethali.

Art. 4. Hinc certum rursus consequenter est, pro nullo prorsus euentu, nulliusque boni acquirendi, aut mali vitandi causa, vtcunque vtrumuis magnum esse, ac latè patere contingat, licere vnquam confessario, vt reuelet cuiquam, vllo modo, vel etiam insinuatiuè tantum, vllum peccatum notum per solam confessionem sacramentalem, seu quatenus notum per eandem; nisi pœnitens sponte consentiat. Ita docet vnanimis, ac indubitatus Theologorum omnium consensus ex perpetua Ecclesiæ traditione; & colligitur ex can. *Sacerdos*, de pœnit. dist. 6. & ex cap. *Omnis vtriusque sexus* sed de penit. & remiss.

Art. 5. Ratio est. Quia Christus Dominus, dum instituit hoc Sacramentum, indixit eo ipso peccatoribus confessionem suorum peccatorum faciendam sacerdotibus, tanquam Vicariis ipsius, vti superius illatum est quæst. 87. eámque notitiam sacerdotum vnicè ordinauit ad vtilitatem pœnitentium, consistentem in remissionem eorundem peccatorum, quam conferri voluit ab iisdem sacerdotibus proferentibus sententiam absolutoriam, tanquam legitimis earumus iudicibus. Quod quidem apparet clarissimè, tum ex ipsa natura rei, ex eius expositione præmissa sub initium posterioris huius partis de pœnitentia. Quapropter, post prolatam eam sententiam, nullus amplius supereſt vsus licitus notitiæ habitæ in confessione, cum nullus alius permissus sit sacerdotibus à Christo Domino. Qui autem transgreditur limites sibi præfixos à Deo, & progreditur vltra finem ab eo intentum, quoad vsum rei sibi commissæ, eo ipso abutitur concessione sibi facta, & peccat; vt pote operans absque iure, & contra ius. Quia verò transgressio ista iuris, & vsus permissi, est in re graui, & grauiter nociua respectu pœnitentium, quatenus continet

tinet in se abusum Sacramenti, atque auertit fideles ab eius vsu, procul dubio est lethaliter peccaminosa per se pro omni euentu; tametsi violatio secreti possit aliquando esse materialiter parua propter tenuitatem, vel manifestationis, vel rei manifestatæ.

Art. 6. Confirmatur, simúlque ostenditur præterea (quod tamen non est æquè certum vniuersaliter, nec inconcussum apud omnes authores) illicitum similiter esse, pro omni prorsus euentu vsum extra sacramentalem notitiæ habitæ in confessione sacramentali, & pertinentis ad hanc ipsam confessionem, prætèrquam consentiente implicitè, vel explicitè ipso pœnitente; consentiente verò sponte, & cum plena voluntarietate; idque etiam si vsus talis notitiæ nullam omnino in se contineat, aut manifestationem peccatorum, aut periculum manifestationis. Quia videlicet; si permitteretur, aut manifestatio aliqua peccatorum, aut aliquis extra sacramentalis vsus, notitiæ habitæ in confessione atque arbitrio confessarij committeretur, quænam esset iusta opportunitas, aut manifestandi peccata, aut vtendi eorum notitia, confessio in primis redderetur odiosa, nimísque difficilis, atque hoc ipso contradiceretur fini præindicato institutionis Christi Domini, vtpote intendentis, vt hoc Sacramentum esset remedium frequens, & quotidianum pro expiatione conscientiæ, & remissione peccatorum, ac proinde vt esset liberum, quantum fieri posset ab omni sollicitudine & perturbatione animi circa manifestationem, & vsum extra sacramentalem confessionis sacramentalis.

Art. 7. Deinde titulo, & interuentu, ac prætextu Sacramenti, læderetur, quod est valdè nefarium ius pœnitentis ad se certum, circa sua peccata, & ad vsum notitiæ communicatæ confessario præcisè, vt Vicario Dei, atque in ordine ad solam remissionem peccatorum, solámque sententiam sacramentalem. Ad hunc enim præcisè effectum iuncta est à Deo pœnitentibus manifestatio suorum peccatorum respectu confessarij, cum esset alioquin omnino indebita. Quapropter ius vniuersale, quod vnicuique inerat ex natura rei ad totalem occultationem suorum peccatorum, & consequenter ad impediendum omnem omnino alienum vsum, notitiæ eorum manet perfectissimè illæsum quoad omnem, & qualemcunque vlteriorem tum manifestationem peccatorum, tum vsum notitiæ sacramentalis eorum. Itaque firmissimè, vt mihi quidem videtur tenendum est confessarium, nonnisi abutendo per summum scelus, Sacramento, eiúsque institutione, posse aliquatenus, pro vllo euentu, propagare vlterius notitiam sacramentalem quæ pars est certa apud omnes, aut vsum eiusdem, cum dissensu, & displicentia pœnitentis, aut absque eius consensu.

Art. 8. Ex iisdem istis rationibus colligitur præterea, comprehendi sub eadem obligatione secreti, & non vsus uotitiæ sacramentalis, reliquos etiam homines, qui in opere confessionis quoquo modo interueniunt, & quibus aliquid inde translucet, vt superior dans facultatem absoluendi, vir doctus, qui consulitur à confessario, interpres, qui adhibetur à pœnitente; nec non eos indiscriminatim omnes, ad quos notitia sacramentalis quomodolibet, casu, vel consilio transmissa est, dante primitus causam, vel occasionem notitiæ intentione Sacramenti, & opere ad Sacramentum ordinato. Nempe omnis huiusmodi notitia proficiscitur ex sola institutione supernaturali Sacramenti, & consequenter subest semper, ac vniuersaliter iuri pœnitentis, ne ad vllum alium vsum prætèrquam sacramentalem, cuiquam vnquam deseruiat, vtque sit penitus exempta, de reliquo ab omnibus humani consortij, ac commercij vsibus, nec quisquam immiscere se illi eatenus possit absque læsione Sacramenti, & institutionis eius.

Art. 9. Concluditur demum ex doctrina data eiusque rationibus, omnem eiusmodi hucusque assertam obligationem secreti, solidissimè fundari, in præcepto naturali Diuino, ex suppositione institutionis huius Sacramenti, qualis de facto datur; ac proinde decretum Clementis VIII. prohibens regularibus vsum notitiæ habitæ in confessione, aut occasione eius, pro exteriori gubernatione, esse potius declaratiuum, & confirmatiuum, quam extensiuum, ac ampliatiuum iuris naturalis Diuini, atque continere virtualiter doctrinam in hac materia omnino vniuersalem, respectu quorumlibet confessorum, & interuenientium vtcunque in opere confessionis, vt optimè notant, deducúntque diligenter Cardinalis de Lugo, Dicastillus, & alij.

Ad 1. Obseruatum iam iterum est suprà quæst. 91. ad 4. Ex quouis peccato superesse semper aliquid, dum sumus in via, remissibile adhuc per subsequens Sacramentum. Vnde intentio remittendi, ac absoluendi, quæ implicitè, vel explicitè est de remittendo, ac absoluendo, quantum hic, & nunc fieri potest, semper sortitur verum remissionis effectum existente idonea dispositione ex parte pœnitentis, nec contingere potest, vt illum non sortiatur ob defectum materiæ, siquidem exponatur in confessione verè aliquod peccatum, siue remissum prius, siue non remissum quoad culpam, & partem pœnæ.

Ad 2. Pro dignoscenda vniuersali obligatione legis, capaci, vel incapaci exceptionis, & epikeiæ, non est consideranda sola conuenientia, vel disconuenientia, quæ aliquando aderit, vel fieri potest, vt adsit interueniente contrauentione materiali legis in talibus, vel talibus circumstantiis peculiaribus; sed considerandum prætèrea est, idque maximè: An, & quale sequatur, vel non sequatur inconueniens, si committatur arbitrio, & iudicio eius cui lex imponitur, quod hic, & nunc, & in talibus circumstantiis vigeat, vel non vigeat, obligatio legis. Si enim, ex ista permissione, ac licentia circa aliquam legem, sequatur magnum inconueniens, dicendum est talem legem obligare vniuersaliter pro omni euentu, esséque incapacem exceptionis, & epikeiæ, tametsi transgressio eius materialis, non contineat in se magnum inconueniens, vel etiam nullum contineat inconueniens pro aliquo euentu absolutè possibili, siue per se accidens. Rationes autem superius propositæ ostendunt talem esse legem obligantem ad sigillum, & ad non vtendum notitia sacramentali, extra Sacramentum; quatenus, ex oppósito huius, confessio sacramentalis redderetur odiosa, nimisque difficilis, & frustraretur magna saltem ex parte, finis, ob quem institutum est Sacramentum, & ob quem lata est lex de eodem sigillo, & non vsu extra sacramentali. Quod ergo in casu particulari non appareat magnum inconueniens, sed potius conuenientia, respectu huius pœnitentis, hic, & nunc; Nequaquam sufficit ad honestandam fractionem sigilli, aut vsum extra sacramentalem, notitiæ sacramentalis. Quia nihilominus est magnum inconueniens, quod hoc ipsum subiiciatur iudicio, & voluntati confessoris, aut cuiusquam alterius præter pœnitentem.

Art. 1. Ad 3. Non videntur satis considerasse, aut penetrasse naturam notitiæ sacramentalis, eiusque discrimen à notitiis aliis ordinatis ad fines naturales, quibus prædura videtur; & irrationabilis doctrina superius tradita, de obligatione, & amplissima & incompensabili sigilli confessionis. Pro tollenda autem ea, seu admiratione, seu abominatione, ponuntur imprimis ob oculos, mendacium, & hæresis

externa, occisio innocentis, & similes actiones illicitæ pro omni euentu, ex omnium consensu, absque exceptione casuum similium casibus obiectionis. Quidni autem tantumdem tribuatur sigilio confessionis vsque adeo necessario pro facilitate salutis animarum, & pro tranquillitate, & consolatione, interna pœnitentium, quantùm tribuitur veracitati necessariæ pro commercio humano naturali? & sic de similibus.

Artic 2. Considerandum rursus est in particulari, notitiam, quæ habetur ex confessione sacramentali, esse indebitam absolutè humano generi, nec ducere originem ex indigentia mutuæ communicationis secretorum cordis, quæ impellit homines naturaliter ad reuelandum aliis sua quémque secreta, sed oriri solum ex indigentia remissionis peccatorum, coniuncta cum benignitate Dei, volentis illa remittere mediante confessione ideoque inducentis, in hunc præcisè finem, reuelationem istam peculiarem secretorum cordis, supra omnem exigentiam, & vltra omne ius hominum, etiam vagum, ad talem notitiam circa aliorum peccata. Vnde, negata omni vniuersaliter facultate vtendi tali notitia extra confessionem, nihil propterea negatur exigentiæ naturali, & mutuis hominum iuribus, aliquatenus debitum; nec de ea negatione ex suppositione institutionis huius Sacramenti, quisquam vnquam conqueri magis potest, quam posset conqueri si Sacramentum ipsum institutum non fuisset, atque ita fuisset intercluſus omnis aditus ad huiusmodi notitiam habendam; & à fortiori ad omnem eius vsum, pro quouis euentu.

Artic. 3. Considerandum tertio est, si pœnitenti innotescat confessarium absque eius consensu velle vti extra confessionem notitia habita in confessione, de tali determinatè peccato, & in talibus determinatè circumstantiis, aut deesse periculum proximum huius rei; eo ipso liberari ab obligatione explicandi tali confessario tale peccatum, in talibus circumstantiis, vt aduertit inter alios Dicastillo, nec negant authores exceptionum, quæ à nobis reiiciuntur. Quia videlicet pœnitens non obligatur à Deo ad manifestationem sacramentalem suorum peccatorum, nisi in ordine ad effectum ipsius Sacramenti. Quapropter qui docent exceptiones legis vniuersalis à nobis traditæ, magis inducunt licentiam, non confitendi, quam licentiam vtiliter vtendi notitia confessionis extra confessionem.

Artic. 4. Considerandum denique est, casus, pro quibus communiter ponderatur, vt difficilis, & dura praxis doctrinæ traditæ, & rarissimè contingere, & esse casus potius metaphysicos, vt aduertit inter alios Patres Suarez, & pro quibus pœnitens tenetur consentire reuelationi secreti, seu vsui extra sacramentali notitiæ sacramentalis, nec potest absque insigni nequitia, nouoque peccato velle redigere confessarium in angustias, quales meditantur prædicti auctores. Commune autem est aliis, quoque multis legibus vniuersalibus, vt pro aliquo rarissimo, & metaphysico, & quasi, obligent ad opera difficillima, præsertim dependenter à nequitia alterius, vt circa exempla primæ considerationis, & alia similia facilè cuiuis apparebit. His itaque omnibus bene perpensis euanescit durities, quæ opponitur in obiectione aduersus doctrinam traditam, nec non ratio, qua nititur eadem, obiectio.

Ad 4. Quod aliæ obligationes confessarij sint capaces exceptionis multiplici de causa, confert ad finem Sacramenti, & ad vtilitatem animarum. Opponitur verò vtrique, vt ostensum est, capacitas exceptionis, & interpretationis arbitrariæ, seu epikeiæ quoad obligationem, tum habendi veram intentionem absoluendi, tum seruandi secretum, nec vtendi extra Sacramentum, notitia sacramentali,

## QVÆSTIO XCV.

### *Vtrùm confessarius debeat imponere, & exhibere pœnitens satisfactionem congruentem peccatis?*

VIdetur neuter debere. 1. Quia Satisfactio non erat debita, nec necessario exhibenda iure naturali ante institutionem Sacramenti Pœnitentiæ. Ergo nec post eius institutionem est debita, aut necessaria. Patet consequentia, quia hoc Sacramentum inductum est ad leuamen, & non ad grauamen peccatorum. Antecedens autem suadetur efficaciter, tum quia nullum est vestigium legis vllius naturalis obligantis ad satisfaciendum pro peccatis, tum quia sufficit peccatori, si se humiliter submittat satisfactioni, qua est dignus, pro arbitrio offensi, ac proinde non tenetur ad quærendum modum vitandi incommodum maius satisfactionis, placando offensum per opus facilius satisfactionis, tum denique quia nemo tenetur ex natura rei ad impediendum, aut minuendum malum suum cuius inflictione, & perpessione dignus est, vti certè dignus est peccator, qui satisfactiatur.

2. Opus satisfactorium est eiusdem naturæ, & virtutis, siue exhibeatur sponte ab vnoquoque, siue præcipiatur à sacerdote, atque homo homini ritè satisfacit independenter ab omni alterius iudicio, & præcepto taxante modum satisfactionis. Ergo necesse nequaquam est, vt Sacerdos imponat pœnitenti satisfactionem, sed ipse potest æquè benè, ac fructuosè eam exhibere pro suo arbitrio, & voluntate.

3. Oportet pœnitentem satisfeciſſe pro peccatis, antequam impendatur ei absolutio à Sacerdote, vt colligitur ex S. Leone epist. 91. vbi tradit Præpositis Ecclesiæ tributam esse potestatem, *vt confitentes salubri satisfactione purgatos, ad communionem Sacramentorum, per ianuam reconciliationis admitterent.* Idem sensus apparet apud Innoc. 1. in epistola 1. decretali capite 7. Potestas autem sacerdotalis exercetur solum in actu ipso, & opere absoluendi, & non in tempore priori. Ergo satisfactionis impositio non pertinet ad Sacerdotem, sed solum iudicium de ea iam exhibita sufficienter à pœnitente per propriam electionem.

4. Sacramenta nouæ legis, causant gratiam, vt dictum est supra in communi. Vnde quod non habet vim collatiuam gratiæ, non, potest pertinere ad constitutionem vllius Sacramenti nouæ legis. Satisfactio autem non est causatiua gratiæ. Quia solum est instituta pro remissione pœnæ. Et propterea pœnitens satisfacit toti suæ, quoad hanc partem, obligationi; tametsi exhibeat satisfactionem in statu peccati, in quo tamen est certum, nullum opus esse causatiuum gratiæ, aut inductiuum augmenti gratiæ iam præhabitæ.

5. Fructus pœnitentiæ non potest esse pars eiusdem pœnitentiæ. Quia fructus rei præsupponit totam rem, cuius est fructus. Satisfactio, autem est fructus pœnitentiæ, vt apparet ex Lucæ 3. 8. *Facite fructus dignos pœnitentiæ.* Ergo satisfactio non pertineat ad Sacramentum Pœnitentiæ tanquam pars eius.

Art. 1. Respondetur dictum est supra quæst. 85. ex Concilio Florentino, & Tridentino, satisfactionem pœnitentis

pœnitentis esse partem intrinsecè constitutiuam huius Sacramenti, licet non sit pars essentialis, sed integralis tantùm: Ex hoc autem efficaciter colligitur teneri per se, tum sacerdotem ad imponendam congruentem peccatis, & pœnitenti satisfactionem, tum pœnitentem ipsum ad eam, & acceptandam, & præstandam re ipsa. Quia vterque tenetur per se ad præstandam adæquatè integritatem substantialem Sacramenti. Hæc enim est vniuersalis, & communis obligatio respectu omnium Sacramentorum, quoad ea omnia, quæ spectant ad vnumquemque. Ne nimirum opus Dei euadat imperfectum, ac defectuosum absque suo complemento.

Artic. 2. Præterea sacerdotes absoluunt à peccatis, tanquam Iudices à Deo eatenus constituti. Iudex autem tenetur per se ad imponendam reo pœnam satisfactoriam. Quia est vindex criminum ex officio. Vnde Concilium Tridentinum sess.14.cap.8. *Debent ergo*, definit, *Sacerdotes Domini quantum spiritus, & prudentia suggesserit pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate salutares, & conuenientes satisfactiones iniungere, ne si fortè peccatis conniueant, & indulgentius cum pœnitentibus agant leuissima quædam opera grauissimis peccatis iniungendo alienorum peccatorum participes efficiantur.* Quod si sacerdotes tenentur ad iniungendam satisfactionem; tenentur vtique pœnitentes ad eam acceptandam, & exhibendam. Quia Iudici legitimè iniungenti aliquid, vti omninò iniungit id ad quod iniungendum tenetur ex officio, nequit subditus absque peccato negare obedientiam, & plenam executionem.

Artic. 3. Hæc pœnitentium obligatio colligitur iterum efficacissimè ex eodem Concilio ibidem. Quia cum præmisisset satisfactionem debere imponi, non solùm medicinalem in futurum, sed etiam vindicatiuam, & castigatiuam præteritorum peccatorum; subdit immediatè istam causalem: *Nam claues sacerdotum non ad soluendum duntaxat, sed & ad ligandum concessas esse antiqui Patres & credunt, & docent.* Eadem igitur iudiciaria clauium potestate, eadémque iurisdictione, qua absoluunt & liberant à peccatis, ligant etiam, & obligant sacerdotes ad opera satisfactoria, quæ imponunt. Quapropter istam pœnitentium obligationem ad acceptandam pœnitentiam rationabiliter impositam à sacerdote, & ad eandem postea exhibendam, nonnulli existimant certam ex fide, vt Vasquez; alij vt Suarez, oppositam sententiam dicunt, vt minimum temerariam, ac improbabilem, aliique aliis censuris meritò eam vexant, maximè post prædictam Tridentini declarationem fundatam in textu Euangelij de potestate remittendi, simúlque retinendi, & soluendi, simúlque ligandi.

Artic. 4. Itáque audiendi nequaquam sunt Scotus, Gabriel, Nauarrus, & pauci alij dicentes absolutè, aut putantes probabile, integrum esse pœnitenti acceptare pro libito, vel non acceptare, ac deinde explere, vel non explere pœnitentiam sibi impositam, eiusque arbitrio relinqui liberam electionem, vel satisfaciendi in vita præsenti, vel satispatiendi in futura. Nempe non teneri sub peccato, vt vtatur priuilegio sibi oblato, seu concesso liberandi se per exiguam pœnalitatem præsentem, à magnitudine tormenti futuri. Sed perperam appellatur purum priuilegium, quod, vt apparet ex dictis, est rigorosum præceptum, & vera sententia legitima Iudicis, constituti à Deo, & agniti, atque acceptati vt talis, hic, & nunc ab ipso pœnitente, dum se constituit reum coram illo, eiusque postulat sententiam supra delicta sua; eáque de causa non iam amplius liber, vt per eandem sententiam, & liberetur à peccatis, & obligetur ad satisfactionem, vel non. Quod profecto non aliud est reipsa quam pœnitentem non esse amplius liberum, vt pro arbitrio suo obtineat, vel non obtineat vnum purum fauorem liberationis à peccatis coniunctum cum fauore alio aliquatenus grauante per satisfactionem leuissimam, comparatione satispassionis grauissimæ, à qua liberat.

Art. 5. Dictum porrò initio est teneri, per se, confessarium ad imponendam, & pœnitentem ad acceptandam, exhibendamque satisfactionem. Quia fieri potest, vt vtérque liberetur, per accidens ab ea obligatione. Primò ratione impotentiæ physicæ, aut etiam moralis solum, sed distinctæ à malitia actuali, vel habituali pœnitentis. Secundò ratione pœnitentiæ, & satisfactionis iam ante sufficienter peractæ à pœnitente, quantum Confessario videtur. Tertiò ratione indulgentiæ, aut iubilæi. Postremò si pœnitenti videatur irrationabilis, aut nimis dura pœnitentia sibi imposita, potest quærere beneficium commutationis in aliam satisfactionem mitiorem respectu sui.

Art. 6. Verum commutationem istam, sua ipse pœnitens authoritate, nec etiam in melius facere vnquam potest. Sed neque alius Confessarius commutare potest, nisi præhabita notitia peccatorum, saltem plus minus, ob quæ imposita fuit pœnitentia, de cuius commutatione agitur. Non quidem potest commutare pœnitens sua auctoritate. Quia reus sistitur alij tanquam Iudici, vt vitetur periculum erroris in taxatione pœnæ, si ea committatur iudicio partis. Quod incommodum non vitatur, sed totum iterum redit, si commutatio, & quasi emendatio sententiæ à Iudice prolatæ permittatur eidem reo, etiam cum euidentia de meliori putata ab ipso. Alia longè ratio est de commutatione voti. Quia in eliciendo voto nullus eiusmodi finis præfigitur, vel formaliter, vel æquiualenter, si quidem concipitur dependenter à iudicio, & per liberam voluntatem, atque electionem ipsius vouentis, ideoque potest votum saltem in melius commutari ab ipso vouente, licèt non possit commutari pœnitentia ab ipso pœnitente. Nouus verò Confessarius indiget notitia præuia priorum peccatorum, ne iudicialiter pronunciet, vel formaliter, vel æquiualenter, incognita causa. Quæ ratio persuadet similiter, neque eundem Confessarium posse commutare pœnitentiam, quam imposuit, nisi meminerit; aut reddatur de nouo conscius præcedentis confessionis, saltem in confuso, & æquialenter, & vt dicitur, plus, minus.

Art. 7. Quodlibet autem opus de se honestum, ac meritorium; siue internum, siue externum, siue præceptum alioquin ex alio fine, siue non præceptum, potest imponi in pœnitentiam. Quia quodlibet opus honestum, ac meritorium, quantum est de se, habet essentialiter sibi adiunctam difficultatem aliquam, atque pœnalitatem, ratione cuius possit esse satisfactorium, vt apparet ex dictis quæst. 31. de act. hum. præsertim ad 8. atque eodem opere potest satisfieri pluribus præceptis, nec inutiliter multiplicantur præcepta de eodem opere, saltem in ordine ad diuersos fines de quo alibi cum communi Theologorum consensu. Verùm pœnitentia, quæ non est purè, aut præcipuè vindicatiua, seu compensatiua delicti commissi, sed medicinalis in futurum, debet insuper esse specialiter proportionata indigentiæ pœnitenti. Qua de causa eadem hæc medicinalis pœnitentia prætermitti minimè potest ratione Indulgentiæ, aut Iubilæi; atque, pro eius commutatione, requiritur in commutante, speciali, eodémque manifestiori titulo, notitia præcedentium peccatorum, & status pœnitentis de præsenti.

Art.

Art. 8. Qualiscunque verò fuerit pœnitentia debet adimpleri in statu gratiæ, vt sortiatur protinus effectum remissionis pœnæ Purgatorij. Quia opera facta in statu peccati sunt mortua, vt communiter, & verissimè dicitur, nec obsequia præstita ab inimico dum detinetur in inimicitia, possunt habere sufficientem efficaciam ad inducendam remissionem amicabilem pœnæ, quæ debetur propter peccata præcedentia. Cæterum, non obstante ea circumstantia, satisfiet præcepto confessarij; & subsistet complementum integrale Sacramenti. Atque recedente obice inducetur, ex opere operato remissio pœnæ Purgatorij, non minus, aut aliter, quam si ab initio præstitum fuisset opus satisfactorium in statu gratiæ.

Art. 9. Satisfiet quidem præcepto confessarij, & integritati Sacramenti. Quia iudex imponens pœnam respicit solam qualitatem operis eiusque proportionem cum delicto, & non qualitatem dignificatiuam operantis, cum operabitur, atque sub eadem ratione, sub qua imponitur, pertinet, ad integritatem Sacramenti. Operatur verò idem opus effectum remissionis pœnæ, recedente obice. Quia ostensum est supra in communi quæstione 30. Sacramentum validè, sed fictè susceptum operari suum effectum, cum primum, recedit fictio, seu obex; idque locum similiter habet, in parte Sacramenti, validè superaddita, licet cum obice. In hunc igitur modum tenetur confessarius imponere, & pœnitens acceptare, atque exhibere satisfactionem congruentem peccatis.

Ad 1. Conceditur antecedens cum Suarez, & aliis quod bene ibi probatur, & confirmari potest ex dictis supra quæst. 87. pro negando præcepto confessionis ante articulum mortis ex natura rei præcisè. Eadem namque ratio est, vt negetur præceptum obligans ex natura rei, seu iure præcisè naturali ad quærendum remedium pro vitandis, aut minuendis pœnis temporariis Purgatorij, iam debitis ratione præcedentium peccatorum. Sed neganda est consequentia, quia institutio Sacramenti pœnitentiæ coniuncta cum præcepto obligante ad impediendas, vel certè minuendas pœnas Purgatorij per satisfactionem exhibitam pro statu viæ est beneficia absolutè, atque subleuatiua, miniméque aggrauatiua, quatenus liberat à grauissima molestia, & cruciatu incomparabiliter maiori, per leuissimam tribulationem præsentem, vt dictum est: Vnde quod obligemur ad huiusmodi permutationem, est gratiosa, & liberalis indulgentia propria noui testamenti.

Ad 2. Sicut attritio ex adiuncto Sacramento, acquirit vim deletiuam peccatorum, & inductiuam gratiæ sanctificantis, quam ex se non habet, ita opus satisfactorium; quod quatenus impositum à sacerdote, pertinet ad constitutionem intrinsecam Sacramenti, ex eodem Sacramento euadit multo efficacius ad remissionem pœnæ Purgatorij. Quod autem oportuerit, vt satisfactio exhibeatur à pœnitente, non ex proprio ipsius, sed ex sacerdotis arbitrio optima ratione concluſum est supra art. 6.

Ad 3. Vsus publicæ pœnitentiæ fuit frequentior antiquis Ecclesiæ temporibus, quam iam sit, vnde apud antiquiores scriptores solemne fuit, vt nomine pœnitentiæ, & pœnitentiam absolutè prolato solam intelligerent publicam pœnitentiam, eosque solos, qui illam publicè peragerent, vt obseruant, & euincunt, post alios, Patres Petauius, & Martinon. Huiusmodi autem pœnitentes non admittebantur ad absolutionem sacramentalem, antequam exhibuissent satisfactionem sufficientem pro tollendo scandalo, & inducenda ædificatione, cæterorum fidelium. De hac itaque pœnitentia loquuntur Innocentius, & Sanctus Leo, vt apparet ex contextu, atque iidem illi authores luculenter demonstrant. Verùm hoc non tollit quo minus in actu ipso absolutionis imponeretur denuo secreta pœnitentia pro tollendis pœnis Purgatorij, si sacerdoti absoluenti videretur ea esse ad id necessaria, multo verò minus concludi potest ex illo antiquo ritu esse de ratione Sacramenti Pœnitentiæ, vt præmittatur, ante absolutionem satisfactio aliqua, seu publica, seu occulta. Qua de re videri multa possunt apud prædictos authores diligenter, & eruditè tractata aduersus modernos nouatores. Nobis enim, & omnibus verè catholicis abundè sufficit vniuersalem Ecclesiæ catholicæ consuetudinem, esse conformem doctrinæ à nobis traditæ circa modum confessionis, atque satisfactionis sacramentalis.

Ad 4. Causant quidem gratiam sacramenta nouæ legis, sed causant tamen per partes ipsorum essentiales, & cum primum sunt completa quoad essentiam. In qua, videlicet includitur tota significatio, atque adeò tota vis inductiua gratiæ iuxta dicta suprà in communi præsertim quæstione 29. Vnde; cum satisfactio sit pars solùm integralis sacramenti, non est seorsim inductiua gratiæ ex opere operato, sed ad solam ordinatur remissionem pœnæ, eámque inducit protinus, si exhibeatur in statu gratiæ sin minus, cum primum remotus fuerit obex. Præterea cum exhibetur in statu gratiæ, inducit ex opere operantis augmentum gratiæ, idque euadit maius ex dignificatione peculiari, quam impertitur gratia, seu augmentum gratiæ præexistens ex vi essentiæ sacramenti; atque hoc solum intendisse videtur D. Thomas, dum dicit quæst. 90. art. 2. ad 2. satisfactionem sacramentalem valere ad augmentum gratiæ. Verùm hoc est commune aliis quoque omnibus operibus, cæteroquin meritoriis, quæ exhibentur post Sacramentum validè, & fructuosè susceptum.

Ad 5. Idem opus satisfactorium est fructus pœnitentiæ virtutis, & pars pœnitentiæ Sacramenti, vt dicit ibidem D. Thomas ad 3. qui meritò accipit in hunc sensum verba illa Euangelij de fructibus dignis pœnitentiæ, sed non tollitur per hoc, quominus eadem sacramentalis satisfactio, habeat aliquo modo rationem fructus, comparatione etiam ipsius Sacramenti Pœnitentiæ, considerati secundum essentiam suam, quatenus gratia præhabita ex vi essentiæ, iuuat ad opus satisfactorium postea exhibendum, atque auxilia gratiæ actualis ibidem præhabita cooperantur eidem operi peragendo, atque præoperantur in animo pœnitentis, vt illud operetur. Hoc nempe modo viuentia omnia materialia, cum primum existunt quoad essentiam suam incipiunt superaddere sibi actiuitate sua partes integrales substantiæ suæ; atque Sacramentum est principium vitæ spiritualis, ideóque potest vi essentiæ suæ, inducere similiter partem aliquam integralem sui; ita vt idem opus sit simul, & fructus essentiæ sacramenti, & pars vltimo completiua eiusdem integraliter.

## QVÆSTIO XCVI.

### *Vtrùm merita mortificata per peccatum reuiuiscant per pœnitentiam, cum tota priori gratia?*

VIdentur non reuiuiscere merita, nec redire tota gratia, 1. Quia Ezech. 18. sicut dicitur v. 21. de peccatore, deinde pœnitentiam agente: *Si autem impius egerit pœnitentiam, &c. omnium iniquitatum eius*

*eius non recordabor*: ita dicitur v. 24. de Iusto, qui delabitur in peccatum, *si autem auerterit se iustus à iustitia sua, & fecerit iniquitatem, &c. Omnes iustitiæ quas fecerat, non recordabuntur.* Ita autem obliuiscitur Deus præcedentium peccatorum ratione pœnitentiæ subinde peractæ, vt eadem peccata nequaquam redeant, aut renouentur practicè in memoriam, tametsi peccator iustificatus postea iterum relabatur. Quòd quidem est iam, apud omnes Theologos omninò indubitatum, quidquid olim dubitauerint nonnulli cum magistro. Ergo ita obliuiscitur Deus præcedentium etiam meritorum ratione peccati, deinde superuenientis, vt eadem merita, nequaquam reuiuiscant, nec Deus amplius eorum meminerit practicè; tametsi peccator pœnitentiam ritè peragat, & iustificetur. Patet consequentia. Quia eodem prorsus modo asseritur apud Ezechielem, tum obliuio peccatorum ratione iustificationis, tum obliuio meritorum ratione peccati. Ergo siquidem altera obliuio nempe peccatorum, non est conditionata, sed omninò absoluta, altera quoque obliuio, nempe meritorum, est pariter omninò absoluta, nec subintelligi potest hæc conditio; *nisi subsequatur pœnitentia, & iustificatio.*

Accedit nullam esse capacitatem ex parte materiæ ad intelligentiam eatenus diuersam, & contrariam locutionis propheticæ vtrobique vniformis. Quia vis demeritoria, & prouocatiua iræ Dei, quæ inest peccato lethali non est minor, sed multo maior, quam vis demeritoria, & conciliatiua amoris Diuini conueniens pœnitentiæ. Ergo siquidem pœnitentia delet peccata præcedentia omninò absolutè, & irredibiliter; multo magis peccatum subsequens extinguit merita præcedentia, omninò absolutè, & irreparabiliter.

2. Concilium Tridentinum sess. 6. cap. 16. sub initium, non aliter promittit bonis iustorum operibus coronam gloriæ, quam superaddita eorum perseuerantia, vsque ad finem, dum dicit: *atque ideo bene operantibus vsque in finem, & in Deo sperantibus proponenda est vita æterna, & tanquam gratia, &c. tanquam merces.* Ii autem qui ita bene operantur; vt postea labantur in peccatum, non possunt dici benè operantes vsque in finem quandoquidem eo ipso interrumpunt seriem, & propositum bonæ operationis. Igitur merita, quæ seu moriuntur, seu mortificantur per subsequens peccatum, non reuiuiscunt vnquam, nec valent amplius inducere mercedem vitæ æternæ; tametsi peragatur postea perfecta pœnitentia de peccato, eiusque remissio tandem obtineatur.

3. Opera vtcunque alioquin bona, & supernaturalia facta in statu peccati, quæ propterea communiter dicuntur mortua, non viuificantur ad meritum vitæ æternæ per subsequentem iustificationem. Ergo opera eiusdem rationis facta in gratia, ideoque viua pro tunc, siue deinde mortificentur, seu potius moriantur vi subsequentis peccati, nequaquam reuiuiscunt; tametsi deleatur postea peccatum per subsequentem pœnitentiam, & iustificationem. Antecedens est certum apud omnes. Probatur consequentia. Quia gratia habitualis, quatenus existens, & subinducta pro tempore posteriori, perinde non afficit, nec informat opera bona temporis anterioris, siue fuerint facta in gratia, siue fuerint facta in statu peccati. Ergo neutrum potius, quam alterum eorum operum genus, potest vigere, & viuificari ratione gratiæ, quatenus subinductæ, & existentis pro tempore posteriori. Imo quia difficilius est, eum resurgere, qui vixit, & mortuus est, quod est miraculum, quam vt incipiat viuere, qui nunquam vixit, quod naturaliter euenit; conuincitur difficilius reuiuiscere merita prius viua, & deinde mortificata, aut mortua, quam viuificari, quæ nunquam fuere viua.

4. Non repugnat, vt remittatur peccatum totaliter, & absolutè quoad culpam, simúlque non remittatur quoad pœnam, saltem partialiter. Imò certum est ex fide id sæpè euenire. Certum namque ex fide est, sæpè euenire, vt supersint pœnæ in Purgatorio luendæ propter peccata, tum lethalia, tum venialia iam ante remissa quoad culpam per contritionem, vel Sacramentum. Præterea in hoc ipso Pœnitentiæ Sacramento imponitur satisfactio, per quam obtineatur remissio pœnæ temporalis, postquam obtenta iam est remissio culpæ per absolutionem, vt paulò prius dicebatur. Mortificatio autem præcedentium meritorum, & ablatio gratiæ habent rationem pœnæ respectu subsequentis peccati, per quod mortificantur, seu perimuntur merita, & excluditur gratia. Fieri igitur potest, vt subsequens istud peccatum remittatur quoad culpam, & supersit nihilominus absque remissione, pars illa pœnæ, quæ consistit in mortificatione præcedentium meritorum, & in priuatione gratiæ præexistentis, vel saltem, quæ in alterutra consistit, ac proinde fieri potest, vt neque merita reuiuiscant, neque redeat gratia prius amissa, tametsi subsequatur iustificatio, atque peccatorum remissio quoad culpam, necnon quoad pœnam damnationis æternæ.

5. Deus operatur circa vnumquodque subiectum, pro vnaquaque temporis differentia, iuxta præsentem pro tunc dispositionem eius, & non iuxta dispositionem existentem pro alio tempore priori, aut posteriori. Ergo si dispositio peccatoris dum iustificatur non sit tantæ proportionaliter intensionis, quanta erat intensio gratiæ præhabitæ ratione præcedentium meritorum, ac dispositionum, non infundetur iterum tota ea gratia in instanti subsequentis iustificationis; sed infundetur, vel quanta correspondet præsenti intensioni dispositionis; idque indiuisim ex toto cumulo gratiæ prioris, vel ex vna qualibet eiusdem parte seorsim quatenus collata propter vnumquodque ex meritis præcedentibus, vel quanta præcisè danda erat independenter à meritis præcedentibus, superaddita sola multiplicitate specialium titulorum, ob quos ea quantitas gratiæ conferatur iuxta multiplicitatem eorumdem meritorum, vel denique conferretur de præsenti, solum semel recipiendæ totius gratiæ prioris in termino vitæ. Quibus omninò modis expediunt præsentem difficultatem nonnulli Theologi, præsertim ex Thomistis.

6. Merita mortificata per peccatum non possunt in primis viuificari iterum ratione iustificationis deinde subsequentis, redeundo physicè secundum se formaliter, vt per se patet; quandoquidem permanent nihilominus in ratione purè præteritorum formaliter, secundum se præcisè. Deinde neque viuificari iterum possunt, redeundo moraliter ratione alicuius effectus physicè præsentis, & inducti de præsenti vi eorundem meritorum. Quod duplici argumento efficaciter concluditur. Alterum est, quia nullus effectus procedere potest, de præsenti, à causa quæ non subsistit de præsenti, pro priori naturæ, independenter ab eodem effectu, & cuius inducendæ nullam vim habet causa, vt aliunde præexistens, vel de præsenti, vel saltem de præterito. Alterum est, quia effectus sufficiens ad reditum, & præsentiam moralem priorum meritorum, nullus alius esse, aut probabiliter excogitari potest, quam prior gratia habitualis, quæ præhabita fuerat ex vi talium meritorum. Reditus autem prioris huius gratiæ, non sufficit ad reditum, & præsentiam moralem priorum meritorum. Quod duplici rursus argumento conficitur: Alterum est, quia reditus prioris priuationis gratiæ, ex communi, & certissima

certissima Theologorum sententia est insufficiens ad reditum, & præsentiam moralem priorum peccatorum quibus per iustificationem deletis succedit denuo aliud peccatum, vi cuius inducitur denuo priuatio totius gratiæ quantacunque, & quandocunque præcesserit. Alterum est, quia si reditus gratiæ, essentialiter inclusæ in conceptu iustificationis, vt dictum est quæst. 8. de iustificatione, redderet moraliter præsentia, atque viuificaret præcisè ratione sui, omnia merita præcedentia; ne quidem de potentia Dei absoluta fieri posset, vt iustificaretur peccator, qui prius fuisset iustus, ac meruisset, quin eo ipso reuiuiscerent, quæcunque merita præcessissent in ipso. Id quod nonnullis doctis Theologis videtur prædurum, miniméque ferendum. Quale etiam eisdem videtur, quòd de potentia absoluta fieri non possit, vt redeant denuo peccata semel delata per pœnitentiam, si eidem pœnitentiæ deinde succedat aliud peccatum. Nullo igitur pacto reuiuiscere possunt merita semel delata per peccatum.

Art. 1. Respondetur. Opera bona supernaturalia facta in statu gratiæ dicuntur communiter, & sunt interim viua. Quia procedunt à principio vitæ spiritualis; quod est gratia, & inducunt augmentum eiusdem gratiæ, idest eiusdem vitæ, ideoque vitam præexistentem, & exercent, & promouent. Opera lethaliter mala dicuntur, non solùm mortua, idest carentia principio, & effectu vitæ; sed etiam mortifera, & mors ipsa; quia inducunt priuationem gratiæ, ideoque auferunt vitam spiritualem. Opera bona facta in statu peccati, dicuntur simpliciter, ac præcisè mortua, quia licet non noceant, sed aliquatenus prosint operanti, vt dicit ex Augustino, & Gregorio, D. Thomas in hac quæst. 89. art. 6. ad 3. carent tamen principio vitæ, nec prosunt efficaciter in vitam æternam.

Art. 2. Certum est, opera, tum mortifera, tum mortua, nunquam viuificari posse, aut reuiuiscere. Quia mortifera intrinsecè repugnant vitæ, & mortua carent principio vitæ, nec ab eo procedere possunt post iustificationem, quatenus præextiterunt tempore præcedenti. Opera viua, si deinde superueniat peccatum lethale, dicuntur, non quidem mori, seu esse mortua, quia id non tollit, quominus processerint à principio vitæ, & permaneant in mente Dei, quatenus procedentia pro tunc ab illo; bene tamen dicuntur mortificari, & esse mortificata. Quia, per peccatum superueniens, impediuntur ab operatione, & effectu vitæ, seu quominus prodesse re ipsa proximè possint in vitam æternam. Qua videlicet, & cuius omni iure proximo, ac absoluto, priuat peccatum lethale, quod interponitur. Eadem opera primum viua, ac deinde mortificata liberari, atque sanari ab ea mortificatione, ac proinde reuiuiscere per subsequentem iustificationem, nihil est aliud, quam redire in pristinum statum, quoad acceptationem, & practicam complacentiam Diuinam; id est quoad vim inductiuam præmij quod ratione illorum debebatur, & collatum, aut conferendum erat, nisi interuenisset peccatum, per quod mortificata fuere. Quæritur ergo, an talia opera in hunc modum reuiuiscant per subsequentem iustificationem, & reditum gratiæ habitualis.

Art. 3. Prætermissis pluribus hac de re opinandi modis, qui insinuati fere sunt in quinto argumento, & videri possunt fusius expositi, præsertim apud Suarez, in relect. de hac materia disputatione 2. & à nobis prætermittuntur, quia omnes vna, eadémque impugnatione reiicientur indiuisim, quatenus differunt à sententia quæ nobis videtur vera. Iis inquam prætermissis dicendum est primo repugnare, vt peccator postquam iustificatus est, luat nihilominus pœnam aliquam æternam, æternámque patiatur amoris erga se Diuini, aut alienationem, aut diminutionem, ratione præcedentium peccatorum. Quia peccator, per subsequentem pœnitentiam, & iustificationem reconciliatur perfectè cum Deo, & init veram, cum eodem amicitiam. Claris nimirum sacræ paginæ testimoniis, & efficacibus rationibus Theologicis ostensum est q. 39. de virt. Theol. intercedere veram, ac propriam, Deum inter, & iustos amicitiam; atque Sacramentum Pœnitentiæ est verè, ac propriè reconciliatiuum peccatoris cum Deo, vt innotuit supra quæst. 85. ex communi eius definitione, & ex Concilio Tridentino. Est autem, contra conceptum amicitiæ, & reconciliationis veræ voluntas infligendi amico sincerè reconciliato pœnam aliquam æternam in vindictam anterioris alicuius offensæ. Quia æternitas pœnæ, ac vindictæ, propter offensam, contradicit beatitudini, ac felicitati patientis, præsertim beatitudini consistenti in visione, & amore mutuo punientis, ac vindicantis, vt apparet ex quæstione 3. de act. hum. cum tamen sit de ratione amicitiæ velle beatitudinem, ac felicitatem amici, eámque sit certissimum esse volitam à Deo omnibus iustis, iisdémque amicis suis. Similiter est contra præceptum perfectæ, ac sinceræ reconciliationis, vt alteruter ex reconciliatis gerat animum offensarum præcedentium memorem adhuc practicè, ita vt, propter illas prosequatur alterum minori amore, quam prosequuturus foret, si non præcessissent offensæ. Nam qui propter offensas priores adhuc cohibet amorem alioquin impendendum, ac debitum, adhuc offenditur illis, eisdémque indignatur; ac proinde nondum est reconciliatus absolutè, nec tam deponit odium, quam minuit, & per consequens odit adhuc simpliciter. Certè non amat, nec reconciliatur simpliciter. Quia amor, ac reconciliatio vera, & absolutè talis totum odium, omnemque penitus offensionem, exterminat ex suo conceptu.

Art. 4. Dicendum rursus est, si peccatori pœnitentiam agenti, atque iustificato denegetur nihilominus aliqua pars gratiæ præhabitæ ante peccatum, aut merita priora non redeant totaliter ad priorem acceptionis Diuinæ gradum, cum omni suo effectu; eo ipso peccatorem iam iustificatum in sensu composito iustificationis, pati pœnam aliquam æternam, atque æternam amoris erga se Diuini diminutionem, propter peccata iam dimissa. Quia gratia habitualis, seu habitus charitatis est qualitas suapte natura permanens æternum, atque de facto confertur à Deo, cuicunque confertur, voluntate nunquam auferendi, nisi in pœnam peccati, vti ostensum est, ex conceptu præsertim amicitiæ modo notatæ cum Deo, in eadem quæstione 39. de virt. Theolog. ad 8. Consequenter merita, quæ aliquando fuere viua, habent effectum ex sua natura permanentem æternum, nec negabilem pro aliqua temporis differentia, nisi in pœnam peccati, quandoquidem effectus eorum meritorum, est ipsa gratia, & vita æterna. Præterea eadem habitualis gratia, secundum suam intensionem maiorem, vel minorem, est iusta mensura amoris Diuini, maioris, vel minoris erga vnumquemque, vti liquet ex quæst. 8. iustif. & colligitur clarè quæstione 25. de Deo. Patet autem, priuationem boni ex sua natura æterni, solúmque negabilis in pœnam peccati, atque mensurantis iustè amorem amicabilem diuinum erga vnumquemque habere rationem pœnæ æternæ, atque continere in se æternam diminutionem amoris Diuini, erga eum, qui priuatur tali bono, eámque inductam per peccatum, atque permanentem solùm propter peccatum. Certa igitur est conditionalis proposita; sicut certa itidem est prior positio absoluta.

Art. 5.

Art. 5. Ex his porrò duobus principiis apparet manifestè merita mortificata, per peccatum, redire, ac reuiuiscere, per subsequentem deinde pœnitentiam, ac iustificationem: idque cum tota gratia præexistenti; vndecunque demum ea prouenisset; nempè siue prouenisset ex iisdem meritis, siue ex opere operato per virtutem Sacramentorum. Priori namque gratia, aut aliqua eius, vel minima particula non redeunte post iustificationem, aut aliquo priori merito manente adhuc impedito à plenario suo effectu, ac præmio, homo iustificatus pateretur nihilominus pœnam aliquam æternam præcedentium peccatorum, atque æternam amoris erga se Diuini diminutionem propter eadem peccata. Quam sequelam esse legitimam, atque consequens esse absurdum constat clarè ex prædictis duobus principiis immediatè præmissis. Ergo merita, mortificata per peccatum, reuiuiscunt, cum tota gratia præcedenti, ex vi pœnitentiæ, & iustificationis subsequentis.

Art. 6. Communis Theologorum consensus, pro hac sententia, vsque adeò vna, nimis, vt oppositam reddat improbabilem, ac temerariam sub terminis generalibus reuiuiscentiæ meritorum, habetur inter alios apud Suarez vbi supra, disp. 1. sect. 2. Superaddit præterea idem author ibidem plura valdè efficacia SS. PP. præsertim Augustini testimonia pro eadem veritate. Idem insuper præmittit, in eumdem scopum sect. 1. aliqua sacræ paginæ, & Concilij Tridentini testimonia cum multiplici, & accurata ponderatione. Verum, quantum ego assequi possum, & ipse quoque Suarez partim agnoscit, sacer Textus, non tam efficaciter fauet huic sententiæ directè, & immediatè, quàm indirectè, & mediatè, quatenus efficacissimè fauet immediatè duobus illis principiis, ex quibus ea deducitur legitimè, ac manifestè. Ob ea igitur sola, & ob consensum Theologorum, & SS. PP. firmissimè tenenda est reuiuiscentia meritorum & reditus totius gratiæ prioris per subsequentem pœnitentiam, ac iustificationem; ita vt nemo patiatur, pativè possit vllum, vel etiam leuissimum alioquin nocumentum æternum, dependenter à vi demeritoria peccati iàm à Deo condonati.

Art. 1. ad 1. Ex illis duobus locis Ezechielis, aliisque quoad vtramque partem similibus hoc solum concluditur legitimè, Deum obliuisci practicè, quantum absolutè fieri potest; tum peccatorum ratione pœnitentiæ, & iustificationis subsequentis; tum meritorum ratione peccati, & inimicitiæ pariter subsequentis. Verùm capacitas obliuionis practicæ est longè diuersa, circa peccata, & circa merita. Quia obliuio meritorum, ratione peccati superuenientis, non potest esse talis, vt non redeat eorundem memoria practica redeunte amicitia, & facta perfecta reconciliatione, vti conuincit superior discursus. At obliuio peccatorum, inducta per pœnitentiam, & iustificationem subsequentem, talis necessariò est, vt eorumdem memoria practica redire nequaquam possit, redeunte offensione, & inimicitia. Quia non est de ratione offensionis, & inimicitiæ de nouo conceptæ, vt renouetur totum odium præcedens; quandoquidem qui offenditur de nouo, potest esse inimicus offendentis, per solum odium commensuratum soli postremæ offensæ secundum se, quin reassumatur odium vetus, quod conceptum olim fuerat propter offensas iam deinde remissas. Imo est contra conceptum veræ remissionis, vt tale odium reassumatur aliquando, redditurque iniqua reassumptio ista, per eam remissionem. Eadem namque ratio, quæ probat nihil perire posse demeritis præexistentibus ante peccatum, ratione peccati, iam condonati, atque in veram cum Deo reconciliationem, & amicitiam commutati, probat etiam, & quidem probat æquè efficaciter, eodemque prorsus modo, peccata semel remissa per eandem veram cum Deo amicitiam, sinceramque reconcilianem redire deinde numquam posse. Æquè enim nocet, ac contradicit veræ amicitiæ veræque reconciliationi augmentum malorum, & diminutio bonorum, idest reditus peccatorum, ac demeritorum, & impeditio bonorum operum, ac meritorum pro quouis imposterum euentu, postquam eadem peccata abolita iam semel fuere per veram reconciliationem, & amicitiam, qua superinducta, & nullo alio pacto Deus potest condonare peccata, vt dictum est ex professo quæst. 8. de iustif. Itaque diuina peccatorum remissio, talis necessariò est, qualis exprimitur Micheæ 7. 19. Vbi præmisso Deum esse, *qui aufert iniquitatem*: subiicitur: *Proiiciet in profundum maris omnia peccata nostra.* Nempè non contentus ea simpliciter demergere, impetu insuper facto, proiicientis proprio, ita à se eadem propellit, vt nullum, apud ipsum, supersit illorum vestigium, atque in eam immensæ vastitatis voraginem detrudit, vndè transparere, aut emergere amplius nunquam possint. De meritorum verò per peccatum submersione, nulla talis expressio vllibi reperitur.

Art. 2. Manifestatur magis ista bonorum, & malorum operum differentia, atque confirmatur vlteriori ista ratione discriminis: Quia videlicet ius resultans ex peccato fauet soli offenso, & non offendenti. Vnde offenso renunciante iuri suo simpliciter, & absolutè, quod necessariò facit, quicunque sincerè reconciliatur, & init veram cum offendente amicitiam, eo ipso non solùm impeditur ad tempus, sed etiam euanescit penitus, & interit irreparabiliter totum ius fundatum in offensis remissis, nec fieri potest, vt redeat vnquam pro vllo euentu, aut sub vlla conditione: Quia iura cuiusque pendent in esse, & conseruati ab ipsius voluntate, & acceptatione, vt dictum est quæst. 4. de iustitia, ideóque volente aliquo renuntiare absolutè alicui suo iuri, eo ipso euanescit penitus, atque interit, & non solùm impeditur, & ligatur idem ius, nec fieri potest voluntate taliter renunciantis, vt iterùm aliquando redeat, seu reassumatur validè, renitente parte, in cuius fauorem facta erat renunciatio. At ius resultans ex meritis fauet merenti, eique inhæret. Vnde peccatori, qui prius meritus fuerat, impeditur quidem, & ligatur ius fundatum in prioribus meritis; non tamen interit, ac penitus euanescit. Quia qui peccat, non propterea intendit renunciare iuribus suis, sed nocet sibi in actu exercito, quam minimum fieri potest. Non ergo extinguit iura meritorum suorum, sed impedit tantum, ideóque iterùm ea vigent, cum primum impedimentum peccati amotum fuerit per subsequentem iustificationem. Quapropter, licet vis demeritoria peccati sit maior, quam vis meritoria boni operis, dum vtraque subsistit; tamen vis meritoria, succedente deinde peccato, & inimicitia cum Deo, impeditur tantùm & non moritur omninò: vis verò demeritoria interit penitus, nec solùm impeditur, succedente deinde iustificatione, reconciliatione, & amicitia cum Deo.

Art. 3. Confirmatur rursus eadem ratio discriminis. Quia tota malitia peccati consistit adæquatè in priuatione, vt dictum est quæst. 29. de act. hum. Priuatio autem quælibet interit totaliter, & non solum impeditur, ac ligatur superinducto deinde bono, cuius erat priuatio. Certum verò est, per remissionem peccatorum, & iustificationem subsequentem, superinduci bonum illud, in cuius priuatione consistit malitia peccati lethalis; quandoquidem superin-

ducitur gratia habitualis, & coniunctio amicabilis, & charitatiua hominis cum Deo, à quo fuerat auersus per peccatum. Intereunt igitur penitus, nec solùm impediuntur, aut ligantur peccata, ratione subsequentis iustificationis, nec amplius permanent vllo pacto quoad suam malitiam, vel secundum se, vel in aliquo suo effectu conseruatiuo ipsorum habitualiter. Quod autem semel definit esse totaliter in rerum natura, nunquam deinde potest operari quidquam, aut vllum deinceps effectum inducere pro vllo euentu, aut sub aliqua conditione. At bonitas operum salutarium, & vis eorum meritoria adæquatè est aliquid positiuum. Vnde esse ipsorum, & vis eorundem meritoria, impediuntur quidem atque ligantur per subsequens peccatum, non tamen intereunt, aut penitus desinunt esse, sed permanent nihilominus in mente Dei, cum tota sua virtute inductiua præmij, eruptura proindè in actum, atque inductura de facto eorum suum præmium, cum primum sublatum fuerit impedimentum peccati, quod aufertur per subsequentem eius remissionem. Nempè permanentia habitualis meritorum non ita constituitur per actualem permanentiam gratiæ sanctificantis pro tempore sequenti, sicut constituitur per actualem perseuerantiam priuationis gratiæ pro tempore sequenti, permanentia habitualis peccatorum; sed illa vigent ex se præcisè, quatenus permanentia in mente Dei; hæc verò ratione sui effectus, qui est priuatio gratiæ, & coniunctionis amicabilis cum Deo. Ex his itaque omnibus, & singulis patet aditus dispari intelligẽtiæ rextuum inter se similium Ezechielis, & aliorum, nec possunt verificari iuxta sensum, quem permittit materia vtrobique subiecta, quin mortificata reuiuiscant per subsequentem iustificationem, peccata verò remissa non similiter redeant superueniente nouo peccato.

Art. 1. Ad 2. Perseuerantia vsque in finem accipitur, vbique à Concilio iuxta phrasim, & communem intelligentiam Augustini, & aliorum SS. PP. pro clausula vitæ in gratia, siue status iustitiæ fuerit sæpius interruptus, siue nunquam interruptus fuerit. Patet verò hunc sensum benè operantis vsque in finem, seu perseuerantis finaliter nihil obstare assertæ reuiuiscentiæ meritorum.

Art. 2. Imo eidem fauet plurimum initium illius capitis 16. Quod sic habet: *Hac igitur ratione iustificatis hominibus, siue acceptam gratiam perpetuo conseruauerint, siue amissam recuperauerint, proponenda sunt Apostoli verba: Abundate in omni opere bono, scientes quod labor vester non est inanis in Domino: Non enim iniustus est Deus vt obliuiscatur operis vestri, & dilectionis, quam ostendistis in nomine ipsius.* Vbi duo occurrunt obseruanda. Alterum est, proponenda esse iustificatis Apostoli verba non solum iis, qui acceptam gratiam perpetuò conseruauerint, sed iis etiam, qui iam amissam denuo recuperauerint. Quæ partitio non satis apparet, quam foret opportuna, aut qua vtilitate, aut etiam veritate posteriori eius pars superadderetur priori, si recuperata gratia amissa, non simul redirent, ac reuiuiscerent priora merita. Alterum est, prius illud Testimonium ex 1. ad Corinth. 15. *abundate &c.* pertinere ad priores illos, qui acceptam gratiam perpetuo conseruant: posterius Testimonium, ex cap. 6. ad Hebr. *Non enim iniustus est Deus &c.* Videri similiter pertinere ad posteriores illos, qui gratiam amissam recuperant. Vt videlicet Hebræi allicerentur multo magis adiuncta spe obtinendi præmia priorum etiam operum, & dilectionis quam tempore antecedenti ostenderant in nomine Dei. Ex vtroque autem capite promouetur plurimum doctrina tradita de reuiuiscentia meritorum.

Art. 3. Eodem pertinet, quod dicitur ad medium eiusdem capitis 16. Bonis iustorum operibus, quæ in Deo sunt facta nihil deesse, quominus vitam æternam promereantur, & consequantur, si tamen in gratia decesserint. Quod non verificatur si vltra decessum in gratia requireretur etiam status eiusdem gratiæ nunquam interruptus post opera facta in Deo. Itaque Concilium potius fauet, fauetque plurimum nostræ sententiæ.

Ad 3. Opus bonum redditur meritorium de condigno, per gratiam quatenus influit in ipsum, dum fit, & non præcisè quatenus informat operantem, vt dictum est quæst. 32. de act. humil. Vnde paritas obiectionis est nulla. Iam opera, quæ aliquando fuere viua, non tam moriuntur, quam mortificantur, & impediuntur ab opere vitæ, per subsequens peccatum, vt apparet ex superioribus. Quapropter vox reuiuiscendi non vsurpatur in toto suo primæuo rigore, quoad ea merita, ideóque non est locus ponderationi obiectionis, vt apparet clarius ex dictis ad 1.

Ad 4. Pœnalitates ad tempus non opponuntur simpliciter felicitati, nec vlli gradui dilectionis diuinæ erga patientem, vt patet exemplo Christi Domini, & felicissimi, à Deo dilectissimi, dum erat passibilis, & plurimum patiebatur. Opponitur verò, tum felicitati, tum amicabili dilectioni Dei mortificatio meritorum, & denegatio gratiæ præcedentis, in pœnam peccati subsequentis, non obstante eius remissione, ac iustificatione, vt apparet ex dictis. Vnde posteriora ista mala superesse, nullo pacto, nullaque ex parte possunt post iustificationem; licet priora illa superesse nihilominus possint in aliqualem pœnam peccati, quatenus fuit conuersio ad creaturam, & delectatio circa illam non remissa. Nempe peccatum sub hoc conceptu, est quid positiuum, ideóque potest manere aliqualiter, & inducere pœnam aliquam temporalem, non obstante iustificatione, per quam solum aboletur, & extinguitur totaliter, quatenus est auersio à Deo, & habet vim inducendi pœnam æternam. Cuius distinctionis claritas apparet ex dictis art. 3. ad 1.

Ad 5. Concesso antecedenti negatur consequentia. Quia dispositio sufficiens ad iustificationem est eo ipso sufficiens ad perfectam reconciliationem, & amicitiam cum Deo; & consequenter ad præsentem redintegrationem adæquatam omnium iurium, & possessionum præcedentium, quæ sunt permanentia ex sua natura, æternumque permansura erant, nisi interuenisset peccatum. Quod postea deletum est per iustificationem, quæ est indistincta à reconciliatione, & amicitia perfecta cum Deo, vt dictum est quæst. 8. & 9. de iustif. fallit nonnullos in hac re paritas falsæ apparentiæ ex dispositionibus purè physicis, à quarum natura, & modo operandi quam longissimè distant dispositiones morales, vtpotè inducentes suum effectum morali causalitate, quatenus cognoscuntur à Deo, & media cognitione permouent eius voluntatem. Ea, quæ vlterius superaddunt in obiectione de titulis multiplicatis, de dilatione præmij vsque ad mortem, & similia reiecta sunt in simili opportunè quæst. 42. de virt. Theol.

Ad 6. Merita mortificata per peccatum semper nihilominus permanent physicè præsentia intentionaliter in mente Dei, atque mediante ea cognitione possunt exercere denuo vires suas, & inducere gratiam, cum primum amotum fuerit impedimentum peccati; inducta verò gratia redduntur de nouo præsentia moraliter in ipso merente, eumdemque afficientia intrinsecè, quatenus physicè ipsi inhæret gratia infusa intuitu illorum. Hinc patet ad rationem obiectionis in contrarium. Primùm enim causa

vno

vno modo præsens, independenter à suo effectu, potest rursus reddi alio modo præsens per eundem suum effectum, neque in hoc apparet vllum inconueniens. Deinde homini iustificato redditur prior gratia ratione priorum meritorum. At priuatio gratiæ, quæ consistit in indiuisibili secundum se, inducitur solum ratione peccati subsequentis, vt liquet ex tota responsione ad 1. Postremò fundamentum conclusionis, & ratio discriminis reddita in eadem illa responsione concludunt, nec de potentia Dei absoluta, fieri posse, vt vel non reuiuiscant priora merita per iustificationem, vel redeant priora peccata ratione relapsus. Quod quidem cedit potius in maiorem Diuinæ potentiæ commendationem, vtpotè non potentis iustificare peccatorem, eique reconciliari imperfectè, aut factè, quod facit imperfectio potentiæ humanæ; sed tantùm realiter, ac perfectè, quod est proprium perfectissimæ potentiæ. Quare moderni illi Theologi audiendi nequaquam videntur, quatenùs adhærent nimium modo operandi humano, cum agitur de modo operandi Diuino, eoque quodammodo diuinissimo in remissione peccatorum, vt dictum est quæst. 5. de iustificatione.

## INCIPIVNT QVÆSTIONES de Sacramento Extremæ-Vnctionis.

### QVÆSTIO XCVII.

*Vtrùm Extrema-Vnctio sit verum Ecclesiæ Sacramentum?*

VIDETVR non esse. 1. Quia non legitur in sacris litteris institutum fuisse à Christo Domino tale sacramentum, nec in sacramentis veteris legis, quæ fuerunt figuratiua sacramentorum nouæ legis, reperitur sacramentum, aliquod assimilatiuum Extremæ-Vnctionis, qua vtitur Ecclesia. Ergo Extrema Vnctio non est verum nouæ legis sacramentum institutum à Christo Domino.

2. Diuus Dionysius, exponens cap. 2. Eccles. Hierarch. sacramenta à Christo Domino instituta, non meminit Extremæ-Vnctionis; Immo ipsum excludit à numero sacramentorum, dum statuit cap. 3. Omne sacramentum, esse, vel ad purgandum, vel ad illuminandum, vel ad perficiendum. Nihil enim horum præstat Extrema Vnctio, vt colligitur ex eodem ibidem. Quia purgationem, & illuminationem soli tribuit Baptismo, vtriusque verò perfectionem soli Confirmationi, & Eucharistiæ. Nullus igitur effectus sacramentorum proprius supereſt, quem conferat Extrema Vnctio.

3. Vnctio infirmorum, quam præscribit Iacobus Apostolus cap. 5. epistolæ suæ, est eiusdem rationis cũ ea Vnctione, qua Marci 6. 13. perhibetur, vsos fuisse Discipulos in subsidium infirmorum, vt apertè significant, inter alios, Beda, Theophylactus, Lyranus, Dionysius Carthus. Franc. Lucas, & alij in dictum caput Marci, dũ alteram alteri Vnctioni adiungunt, & vtramque simul exponunt, tanquam pertinentem ad eandem rem. Vnctio autem de qua meminit Marcus, non erat verum sacramentum, vt communiter docent Authores, & tanquam indubitatum supponunt, atque ex eo efficaciter conuincitur, quia passim adhibebatur quibusuis ægrotis etiam non baptizatis. Ergò nec Vnctio, de qua loquitur Iacobus, est verum sacramentum. Nullum autem est fundamentum pro astruenda ratione sacramenti in Extrema Vnctione, secluso illo Iacobi testimonio, Quia videlicet vnicè nituntur assertores huius sacramenti, omnesque aliæ auctoritates, quæ in eandem rem adducuntur.

4. Vnctio Extrema, quam adhibet Ecclesia moribundis, pluribus substantialiter differt ab Vnctione, de qua loquitur Iacobus Apostolus, quia Apostolus pluraliter inducit Presbyteros ad infirmum; eius deinde saluationem attribuit soli Presbyterorum orationi, & non etiam Vnctioni; rursus orationis efficaciam fundat in fide orantium; ac demum eiusmodi subsidium ponit Apostolus pro quouis indiscriminatim infirmo. Quæ omnia patebunt clarè ex verbis Apostoli paulò post producendis. Ecclesia autem vnicum tantum Presbyterum adhibet pro vngendo vnoquoque infirmo, eumque putat esse sufficientem pro effectu desiderato, tametsi hæreticus sit, & careat consequenter omni vera fide; eundemque effectum attribuit Vnctioni non minus, quam orationi; solisque demum moribus applicat istiusmodi Vnctionem. Quæ patent ex communi sensu Theologorum, & ex Pontificali Romano. Ergo, Vnctio Extrema, qua vtitur Ecclesia, non est verum sacramentum, tametsi tale esset Vnctio, de qua loquitur Iacobus.

5. Extrema Vnctio constituitur actione vngendi, tanquam materia, & oratione vngentis, tanquam forma. Vnicuique autem infirmo adhibentur plures Vnctiones inuicem discontinuatæ; cum totidem orationibus distinctis inter se adæquatè, vt patebit in quæstione sequenti. Ergo Extrema Vnctio, vt esset verum Ecclesiæ sacramentum, non tamen esset vnum numero, pro vnoquoque subiecto, sed realiter multiplex.

Art. 1. Respondetur. Proponenda sunt initio verba Iacobi Apostoli, quibus præcipuè nititur fides, & notitia huius sacramenti. Iacobus autem cap. 5. 14. Epistolæ suæ sic habet: *Infirmatur qui in vobis, inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, vngentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei saluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus, & si in peccatis sit, dimittentur ei.* In quibus exprimuntur clarissimè omnia, ad rationem veri nouæ legis sacramenti, spectantia. Primum enim exprimitur Vnctio olei, quod est symbolum significatiuum nitoris conscientiæ, vt apparet ex verbis Florentini indicatis supra, quæst. 52. art. 1. circa sacramentum confirmationis, idemque tradit Conc. Trid. circa hoc sacramentum sess. 14. cap. 1. de eodem, his verbis: *Nam Vnctio* (olei, de quo loquitur) *aptissimè Spiritus Sancti gratiam, qua inuisibiliter anima ægrotantis inungitur, repræsentat.* Eandem significationem continet in se expressius oratio Presbyteri, vt patebit quæst. sequenti. Additur deinde promissio gratiæ alleuiantis, & saluantis infirmum, atque remittentis peccata; idque ex vi vnctionis, & orationis. Quibus videlicet præmissis subinfertur eiusmodi effectus, tanquam procedens ex ipsis, atque existens dependenter ab eisdem, quod clarè denotat particula, & ter repetita post inductionem Presbyterorum, atque Vnctionem infirmi; *& saluabit, & alleuiabit, & dimittentur*, hæc autem constituunt re ipsa rationem veri nouæ legis sacramenti, vt liquet ex dictis supra in communi, quæst. 1. Constat igitur ex prædictis Iacobi verbis Extremam Vnctionem esse verum Ecclesiæ sacramentum; ita vt sola ista vox sacramentum in illis desideretur, quæ etiam ipsa desideratur in sacris litteris, pro reliquis sacramentis. Pro nullo namque sacramento significando, vsurpatur in illis ista vox, sed sola exprimitur res ipsa, cui deinde eadem vox opportunè accommodata est. Nusquam verò res ipsa sacramenti

clariùs, aut distinctiùs, exprimitur, quam exprimamatur res huius sacramenti in verbis Iacobi. Perabsurdè igitur negatur, extremam Vnctionem esse verum Ecclesiæ sacramentum à Lutheranis, & Caluinistis, & olim à Vvaldensibus agnoscentibus alia Ecclesiæ sacramenta.

Art. 2. Verùm hanc eorum absurditatem præter authoritatem productam, ratio quoque ipsa efficacissimè demonstrat. Credi enim absque manifestissima absurditate non potest, alicui alij mortalitatis enostræ imbecillitati, ac indigentiæ subuenisse misericordiam Diuinam peculiari sacramento, & nullo nihilominus eiusmodi beneficio prouidisse vltimæ vitæ mortalis periodo, pro qua est summa Diuinæ subuentionis necessitas. Quam rationem placet exprimere significantissimis Concilij Tridentini verbis, loco nuper indicato in procemio. *Primum itaque*, inquit, *circa illius* (huius sacramenti) *institutionem, declarat & docet, quod clementissimus Redemptor noster, qui seruis, quouis tempore voluit de salutaribus remediis aduersus omnia omnium hostium tela esse prospectum, quemadmodum auxilia maxima in sacramentis aliis præparauit quibus Christiani conseruare se integros, dum viuerent ab omni grauiori spiritus incommodo possint; ita Extremæ Vnctionis sacramento finem vitæ, tanquam firmissimo quodam præsidio munierit. Nam etsi aduersarius noster occasiones per omnem vitam quærat, & captet, vt deuorare animas nostras quoquomodo possit; nullum tamen tempus est, quo vehementius ille omnes suæ versutiæ neruos intendat ad perdendos nos penitus, & à fiducia etiam si possit, Diuinæ misericordiæ deturbandos, quam cum impendere nobis exitum vitæ perspicit.* Nullum igitur tempus est pro quo, promptius, certius, ac confidentius credendum sit, prouidisse nobis benignissimum Dominum peculiare sacramentum, quod esset firmissimum, aduersus insidias diaboli tunc, vel maximè, ac sæuissimè furentis præsidium, atque leuamen miseris mortalibus, corpore pariter, & animo tunc, vel maximè vexatis. Institutum itaque est istud sacramentum à Christo Domino, vt definiunt Conc. Florent. in decreto Eugenij. §. *septem sunt*, & §. *quintum sacramentum*, & Trid. sess. 7. can. 1. *de sacramentis in genere*, & sess. 14. prædicto cap. 1. & can. 1. tametsi non certò constet, quo determinatè tempore institutum fuerit.

Art. 3. Ex iis, quibus D. Iacobus descripsit istud sacramentum, & ex iis, quæ eiusdem causalitati attribuentur infrà quæst. 100. deduci potest hæc ipsius definitio, quasi metaphysica, cui in quæst. sequenti adiicietur definitio alia, quasi physica: Extrema-Vnctio est *Sacramentum finaliter perfectiuum remissionis peccatorum* Cui definitioni plurimum suffragantur verba Concilij Tridentini in præindicato procemio: *Quod* (Sacramentum Extremæ-Vnctionis) *non modo pœnitentiæ, sed & totius Christianæ vitæ, quæ perpetuo pœnitentia esse debet, consummatiuum existimatum est à Patribus*, cum igitur effectus pœnitentiæ sit remissio peccatorum atque consummatiuum alicuius dicatur, quod est vltimo perfectiuum eius, & effectus ad quem ordinatur, atque Extrema Vnctio adhibeatur in fine vitæ; rectè dicitur ipsam esse finaliter perfectiuam remissionis peccatorum. Accedit non modo indigentiam remissionis peccatorum, sed etiam periculum saluationis, atque angustias, & vexationem animæ, & corporis, quibus per saluationem, alleuiationem, ac dimissionem, subuenit hoc sacramentum, prouenire ex peccatis, quæ ante eius susceptionem supponuntur, saltem loquendo per se iam esse remissa per Baptismum, & Pœnitentiam, atque ideò solam huic sacramento reseruari vltimam perfectionem, & consummationem remissionis peccatorum, quoad ipsorum reliquias, & effectus impeditiuos salutis, qui adhuc supersunt; per quam proinde vim perfectiuam, & consummatiuam finaliter remissionis peccatorum, maximè omnium declaratur conceptus quidditatiuus huius sacramenti. Quapropter Extrema Vnctio comparatur cum Baptismo, & Pœnitentia, sed magis cum Pœnitentia, sicut dictum est supra comparari Confirmationem cum Baptismo. Vnde conferet non parum ad intelligentiam eorum, quæ dicta, & dicenda sunt de hoc sacramento, si recolantur, quæ dicta sunt de sacramento Confirmationis, quæst. 51. atque deinceps. Videri etiam potest, si placet definitio alia ex parte similis definitioni datæ apud Suar. disp. 40. sect. 4. quæ tamen non satisfacit omninò ob ea, penes quæ ab eodem Suarez consequenter recedemus in dicta qu. 100.

Ad 1. Non omnia, quæ fecit, ac instituit Christus Dominus, traduntur in sacris litteris, sed quæ sunt fundamentalia, ac necessaria, aut difficilis fidei, vt prænotatum est supra circa confirmationem quæst. 51. initio, & obseruat in præsenti D. Thom. quæst. 29. art. 3. ad 1. Non est autem eiusmodi sacramentum Extremæ Vnctionis, vt patet ex eius conceptu, & facili credibilitate expositis nuper art. 1. & 2. Idem verò sacramentum est perfectiuum, & quidem perfectione immediatè, vel citò perducente ad Gloriam. *Nihil autem ad perfectum adduxit lex* vetus, multo verò minus perduxit quemquam ad gloriam immediatè, vel etiam citò. Vnde nullum sacramentum potuit esse in ea lege, quod perfecta analogia corresponderet nostræ Vnctioni Extremæ, sed solæ præcessere aliquæ Vnctiones sacræ, quæ genericè tantùm, & valdè confusè illam adumbrarent.

Ad 2. Institutum D. Dionysij in illo libro est, exponere ordinatam dispositionem Ecclesiasticæ Hierarchiæ. Vnde de his solis sacramentis agit, ex quibus innotescit ordo Hierarchicus ministrorum, & suscipientium, & quia nihil conferunt ad hunc scopum, Pœnitentia, Extrema Vnctio, & Matrimonium, ipsorum ibi non meminit. De reliquo certum est Extremæ Vnctioni inesse vim, & purgatiuam, & illuminatiuam, vt apparebit q. 100.

Ad 3. Qui putant eiusdem rationis esse Vnctionem præscriptam à Iacobo Apostolo, & eam, de qua loquitur Marcus Euangelista, consequenter dicunt Vnctionem quoque illam apud Marcum fuisse verum nouæ legis sacramentum. Vnde nihil præsenti dogmati, aut nocet, aut contradicit authoritas taliter interpretantium Marcum, sed longè probabilius est, vt docet ex communi Interpretum Corn. à Lapide Vnctionem Apostolicam apud Marcum, non fuisse sacramentalem, sed solum præambulam, ac figuratiuam, vt indicat Concilium Tridentinum cap. illo primo huius sacramenti, & pertinuisse re ipsa ad donum curationis iuxta illud Christi Domini, apud Matth. 10. 8. *Infirmos curate*, cui consonat Marcus, dicens, *vngebant ægros, & sanabant.* Longè inquam probabilius hoc est: tum quia Apostoli nondum erant sacerdotes, cum ita vngebant: tum quia vngebant indiscriminatim infirmos quoslibet, siue baptizatos, siue infideles, siue moribundos, siue leuius ægrotantes, siue dispositos, siue indispositos ad effectum sacramenti; tum quia omnes indiscriminatim sanabant corporaliter, quotquot vngebant: tum denique, quia in illa Apostolorum Vnctione nullum apparet vestigium virtutis sacramentalis, quam in sua exprimit Iacobus, quam clarissimè, vt visum est. Ex qua postrema ratione euanescit ratio obiectionis.

Ad 4. Extrema Vnctio, qua vtitur Ecclesia, nihilo differt ab Vnctione, quam præscribit Iacobus. Quia Iacobus inducit pluraliter Presbyteros cum accommoda distributione singulorum ad singulos infirmos, vt dicetur quæstion. 99. Quo etiam pacto Presbyteros

inducit

inducit Ecclesia ad infirmos. Ad infirmos verò vltimo periclitantes tantùm, quam itidem circumstantiam determinat verbum Græcum, quo vtitur Apostolus, vt obseruant in præsenti Valentia, Coninch, Martinon, & alij. Demum alleuiationem infirmi, & remissionem peccatorum attribuit Apostolus, sicut, & attribuit semper Ecclesia Domino Deo, mediante non minus vnctione, quæ fit in nomine eius ex præscripto eiusdem Apostoli, quam oratione, quæ funditur ad eundem Dominum. Ratio autem, ob quam saluatio infirmi tribuitur specialiter orationi fidei, exponetur quæst. 100. ad 3. Atque indidem apparebit nihil conferre illam orationem fidei ad scopum obiectionis.

Ad 5. Licet hoc sacramentum perficiatur multiplici vnctione, & multiplici enunciatione formæ, omnes tamen vnctiones, & enunciationes constituunt vnum tantùm numero sacramentum respectu vniuscuiusque infirmi, & infirmitatis. Quia omnes pertinent ad perfectionem, & totalem integritatem eiusdem totius, sicut plures partes vnius domus pertinent ad perfectionem, & totalem integritatem eius, quatenus sicut posteriores istæ partes coniunguntur inter se physicè coniunctione aggregatiua; ita priores illæ partes connectuntur inuicem moraliter, ex intentione operantis; & ordinatione ad vnum, eumdemque finem respectu eiusdem subiecti, & ex ipsa operatione exteriori moraliter continuata, seu non multum interpolata. Videri potest quid simile circa Eucharistiam quæst. 58. ad 4.

---

## QVÆSTIO XCVIII.

### *Vtrùm materia, & forma Extremæ-Vnctionis sint oleum ab Episcopo consecratum, & oratio Presbyteri?*

VIdentur non esse. 1. Quia homines moriuntur vbique. Ergò materia sacramenti subuenientis moribundis deberet esse aliquid vbique prouenies, eo vel maximè, quia non patitur moram indigentia moribundi. Oleum autem non prouenit vbique.

2. Extrema Vnctio est sacramentum medicinale. Vinum autem est tam aptum ad medicandum, quam oleum, vt patet ex parabola Sauciati, cui applicatur vinum cum oleo. Lucæ 10. Ergo vinum tam potest esse materia huius sacramenti, quam oleum.

3. Incorruptio Gloriæ, ad quam proximè disponit Extrema Vnctio, correspondet balsamo iusta analogia, quod proindè deberet esse materia huius sacramenti, vel solum, vel simul cum oleo. Confirmatur, quia Innoc. I. in Epistola ad Docentium cap. 8. vt refertur in Concilio Vvormatiensi, & in decr. 96. dist. can. *illud superfluum*, dicit Extremam Vnctionem solere fieri Chrismate, quæ vox significat oleum mixtum balsamo, vt dictum est supra, circa Confirmationem.

4. Absurdum est dicere, eum qui sufficit ad perficiendum sacramentum non sufficere ad sacramentale quoddam præuium respectu eiusdem sacramenti. Sufficit autem simplex sacerdos ad perficiendum hoc sacramentum. Ergo idem sufficit multo magis ad consecrandum oleum, nec præcisè requiritur, vt ea consecratio fiat ab Episcopo. Confirmatur, quia apud Græcos ex antiquissima consuetudine Presbyteri benedicunt oleum infirmorum de licentia, & commissione Episcopi, vt testatur Arcudius lib. 5. de sacram. c. 2. vbi addit eam consuetudinem approbatam fuisse à Clemente VIII. in quadam instructione de ritibus Græcorum, atque Caiet. Palud. Soto, Victoria, & Valentia dicunt sufficere ad valorem sacramenti, benedictionem Presbyteri saltem benedicentis commissione summi Pontificis.

5. In reliquis omnibus sacramentis forma est affirmatiua, & indicatiua, idque videtur esse de ratione sacramenti, vtpotè operatiui, & efficacis ex suo conceptu, & non idonei tantum, ad impetrandum aliquid à Deo, sicut impetrat oratio, si expediat, quod petitur, & non aliter, seu non absolutè, ac infallibiliter. Ergo male adhibetur in hoc sacramento forma pure deprecatiua, ac optatiua. Confirmatur, quia tempore Diui Ambrosij forma Ecclesiæ Mediolanensis erat affirmatiua, ac indicatiua: *Vngo te oleo sanctificato &c.* vt refert Bonau. dist. 23. p. 1. art. 1. q. 4. simulemque formam refert ibidem Palatios ex lib. Sacramentali Venetorum approbato, vt ipse dicit à Leone X.

Art. 1. Respondetur, materia remota huius sacramenti est oleum simpliciter dictum, ideſt oleum oliuarum consecratum ab Episcopo, vt tradunt Concilium Florentinum, in dicto §. *Quintum Sacramentum*, & Trid. in prædicto cap. 1. sess. 14. addens id Ecclesiam didicisse ac intellexisse ex Apostolica traditione, per manus accepta. Materia proxima est Vnctio, vt colligitur ex verbis Iacobi supra relatis, & ex eo etiam deprehenditur, quia hoc sacramentum non est permanens sicut Eucharistia, sed consistit essentialiter in vsu, sicut reliqua sacramenta. Forma, quam itidem tradunt Florentin. & Trident. est hæc: *Per istam sanctam Vnctionem, & piissimam suam misericordiam indulgeat tibi Dominus, quidquid deliquisti per visum &c.*

Art. 2. Circa istam formam supponitur iuxta dicta supra in communi, & deinde in particulari, præsertim circà baptismum, & confirmationem quæst. 40. & 53. quamlibet aliam illi æquiualentem, perfectè sufficere ad valorem sacramenti. Cæterum necesse est formam esse explicitè, vel saltem implicitè, deprecatiuam, atque modi optatiui, quia quæ est purè affirmatiua, & modi indicatiui, nec congruit verbo orationis expressè à Iacobo *orent super eum*, nec potest æquiualere formæ determinatè præscriptæ à Conciliis, ideóque venienti ti ex determinata quoad substantiam institutione Christi Domini, iuxta Doctrinam sæpe repetitam superius de materiis, & formis sacramentorum omnium institutis determinatè à Christo Domino, & inuariabilibus ab Ecclesia quoad substantiam ipsarum. Circa materiam remotam non est omnino certum ex fide, quòd sit necessarium necessitate sacramenti, seu vt sacramentum validè perficiatur, oleum esse consecratum ab Episcopo, dicentibus, Cajetano, & aliis cum fundamento paulo prius indicato, sufficere, quod sit benedictum à Presbytero ex commissione Episcopi, vel saltem summi Pontificis, cæterum ego dimoueri non possum, circa hoc etiam sacramentum à sententia, quam tenui in simili circa confirmationem, de qua videri potest quæst. 53. Nempè vtrumque Concilium Florentinum, & Tridentinum definit apertè, materiam huius sacramenti esse oleum Benedictum ab Episcopo, nec video, qua, seu ratione, seu tergiuersatione persuaderi satis possit oleum oliuarum, esse determinatè necessarium necessitate sacramenti propter auctoritatem Conciliorum, & tamen non esse similiter necessarium oleum benedictum ab Episcopo, seu quod sit benedictum ab Episcopo, propter eamdem auctoritatem; quandoquidem Concilia æque, eodemque prorsus modo exprimunt entitatem rei, & qualitatem benedictionis Episcopalis.

Art. 3. Quoad materiam proximam, & formam,

sciendum est septem vnctiones, in septem corporis partibus, cum totidem repetitionibus formæ exprimentis singulas partes, dum singulæ vnguntur præscribi à Concilio Florentino; Nempè in vtrisque oculis propter peccata visus, & similiter in auribus, in naribus, in ore, in manibus, in pedibus, in renibus. Certum porrò est sextam & septimam vnctionem pedum, & renum non esse essentiales, & quidem septima renum communiter prætermittitur præsertim in vnctione fœminarum propter honestatem, ob quam sexta quoque pedum in eisdem est difficilis, atque in multis Ecclesiis prætermittitur, etiam quoad masculos. Certum rursus est reliquas quinque vnctiones esse necessarias saltem necessitate præcepti: tum quia omissa aliqua earum, valor sacramenti redditur dubius, asserente D. Thoma & pluribus aliis, omnes quinque esse essentiales; tum quia vsus communis, ac vniuersalis Ecclesiæ eas omnes adhibet, nec ab vsu Ecclesiæ vsque adeo vniuersali, in re vsque adeo graui receditur absque graui peccato. Cæterum probabile videtur, quamlibet vnam vnctionem cuiusvis vnius partis, cum vnica formæ enunciatione, præsertim exprimente omnes sigillatim sensus, sufficere ad essentiam, & valorem sacramenti. Quia ea sola sufficiunt ad essentiam, & valorem sacramenti, quæ sufficiunt se solis ad significandum effectum eius. Videtur autem sufficere ad significandum effectum huius sacramenti, quælibet seorsim vnctio, coniuncta cum vnica enunciatione formæ, exprimente specialiter omnes quinque sensus. Quia repetitio formæ repetit, non verò auget, seu extendit significationem effectus, sed semper eundem effectum significat; atque vnctio quælibet totum hominem denominat vnctum, sicut quælibet ablutio baptismalis facta, licet in determinata corporis parte, totum hominem denominat ablutum, atque ideo quælibet vnctio videtur sufficere ad significandum effectum interiorem, totalis sanationis animæ. Probabile igitur est sacramentum essentialiter subsistere, cum primùm existit aliqua alicuius sensus vnctio, coniuncta cum forma exprimente omnes quinque sensus.

Art. 4. Inquam verò exprimente omnes quinque sensus. Quia forma exprimens vnum tantum sensum, vel duos tantum &c. non significat adæquatè effectum sacramenti, neque quidquam operari potest ex vi suæ significationis. Nihil enim inducitur per hoc sacramentum, quod habeat vim remittendi, aut perfectius remittendi peccata pertinentia ad vnum sensum potius, quam ad alium, sed quidquid inducitur, vniuersaliter, & æqualiter, opponitur omnibus omnium sensuum peccatis, vt infra patebit, & est in confesso apud omnes, nec ex parte suscipientis sacramentum datur aliquid, quod vim eam vniuersalem restringere, seu determinare possit ad certum genus peccatorum; Vnde parum prohabilitatis habet, si & aliquid habet, valor sacramenti peracti per vnicam vnctionem formæ exprimente vnicum tantum sensum. Quapropter in nullo vllius necessitatis euentu, puto esse licitam administrationem huius sacramenti, per solam vnam vnctionem, & vnam eiusmodi prolationem formæ. Licet verò in morbis contagiosis, aut aliqua simili vrgente necessitate si exprimantur omnes quinque sensus, dicendo: *Quidquid deliquisti per visum, auditum odoratum, gustum, & tactum.* Cui operandi modo plurimum suffragatur, & magnum authoritatis, ac probabilitatis pondus adiicit, vltra suffragium Scoti, & aliorum non paucorum, Pastorale Ecclesiæ Mechlinensis, quòd vna cum Archiepiscopo tota vniuersitas Louaniensis approbauit anno 1588. præscribit enim can. 9. *de Extrema-Vnctione* prædictum vngendi modum pro tempore pestis.

Art. 5. Verum longè probabilius est, quod docent Albert. Mag. dist. 23. art. 18. D. Thomas ibid. quæst. 1. a. 1. quæst. 2. Suarez disp. 43. sect. 2. & plerique alij Theologi, pertinere ad essentiam huius sacramenti omnes quinque vnctiones, simul cum forma exprimente seorsim omnes sensus. Ratio est; quia sicut prolatio formæ cum expressione vnius tantùm sensus, restringit significationem, adeóque, & efficaciam sacramenti ad peccata illius sensus; ita etiam vnctio facta in oculis, exempli gratia; habet symbolicam significationem restrictam ad remissionem peccatorum eiusdem sensus. Vnde non datur completa significatio vllius effectus sacramentalis, vtpotè æquè, ac indiuisim respicientis omnia omnium sensuum peccata, quousque perficiantur omnes vnctiones, cum verbis exprimentibus seorsim omnes sensus. Neque quoad hoc tenet paritas ablutionis baptismalis. Quia hæc non fit supra sensum aliquem determinatum, cum linitione ibidem hærente determinatè, sed finitur aqua excurrere in quamcunque partem, atque eo ipso demonstratur actionem ablutiuam, ex intentione abluentis, respicere totum hominem; & præterea forma baptismi penes quam est præcipua vis, & vltima determinatio significandi, terminatur ad totum hominem; cuius oppositum vtrinque apparet manifestè in hoc sacramento. Ergò essentia, & valor huius sacramenti, tunc primum datur, cum primum existit quinta vnctio cum expressione vltimi sensus ex parte formæ. Ex his porrò, quæ hucusque dicta sunt colligitur esse legitimam definitionem huius sacramenti quasi physicam, quæ vulgò circumfertur, Extrema Vnctio est *sacramentum vnctionis in oleo consecrato, morientis corpori adhibita, sub præscripta forma verborum.*

Ad 1. Licet oleum non proueniat vbique, vbique tamen habetur facile, quantum sufficit ad vnctionem sacramentalem, quia facilè transfertur de vno loco in alium quemlibet, deinde hoc sacramentum non est necessarium ad salutem, sicut Baptismus.

Ad 2. Mordacitas vini non ita congruit debilitati morbundi, sicut lenitas olei, & quia Deus voluit ostendere in hoc sacramento piissimam suam misericordiam, quæ, & exprimitur in eius forma, oleum potius instituere voluit, atque de facto ipsum solum instituit.

Ad 3. Hoc sacramentum solam confert immediatè serenitatem, & nitorem conscientiæ, quem significat oleum, vt dictum est alibi ex Florentino, ideóque solo oleo perfici debet. Quia odor bonæ famæ, quem potissimum denotat balsamum non est amplius necessarius iam decessuris. Innocentius vsurpat in illo loco vocem Chrismatis in latiori significatione pro liquore idoneo ad vngendum, vti sæpè aliàs etiam vsurpatur.

Ad 4. Perindè est argumentari in re morali à potestate perficiendi sacramenti, ad potestatem perficiendi sacramentalis, quod est minus; atque argumentari in re physica à virtute producendi formam, ad virtutem producendi materiam primam, quæ est minus perfecta. Quare sicut ab omnibus meritò reprobatur posterius hoc argumentum; ita, & prius reprobari debet. Ratio vniuersalis est, quia pro sufficientia alicuius virtutis ad aliquid, non solum consideratur perfectio termini ad quem, sed etiam defectus perfectionis, & inchoationis ex parte termini à quo; quatenus sicut facilè est inuentis addere; ita etiam facilè est superædificare maiorem perfectionem, præsupposita tanquam

fundamento

fundamento, perfectione aliqua minori; difficillimum verò est, operari penitus de nouo; atque extrahere rem ex infinita nihili profunditate. Mirum igitur non est ad consecrationem materiæ penitus profanæ requiri excellentiam Episcopalis potestatis, nec sufficere virtutem præsbyteralem, quæ sufficit deindè ad perficiendum sacramentum; atque hoc modo Episcopum subordinare sibi presbyteros; sicut de causa prima subordinat sibi causas secundas, creatione materiæ. Quod ad Græcos attinet, eorum Extrema Vnctio facta oleo benedicto simplici presbytero, est apud me valdè dubia. Certè Clemens VIII. non approbauit eam eorum consuetudinem in instructione, cuius meminit Arcudius, sed solùm dixit, non esse cogendos Presbyteros Græcos, ad mutandam consuetudinem. Quod non est approbare, sed tantum tolerare quoad rem in qua neutra pars est omnino certa ex fide.

Ad 5. Hoc inter alia differt Sacramentum Extremæ Vnctionis, quod reliqua Sacramenta semper, ac infallibiliter operantur aliquem effectum, positis omnibus pertinentibus ad constitutionem eorum, simul cum consensu recipientis, necnon verba Eucharistica independenter ab omni alterius consensu. Quia Baptismus. Confirmatio, & Ordo; semper inducunt characterem, & Matrimonium inducit similiter mutuam socialis vitæ obligationem, nec minori necessitate absolutio sacramentalis remissionem peccatorum, si adsit in pœnitente contritio, vel attritio, quæ pertinet ad essentiam eius sacramenti, vt dictum est suprà. Quapropter in reliquis sacramentis semper, ac necessariò adest, aliquis effectus, ratione cuius verificentur forma modi indicatiui, ac affirmatiui. Nihil autem eiusmodi necessariò, adest in Sacramento Extremæ Vnctionis. Quia fieri potest, vt dentur omnia, quæ pertinent ad intrinsecam eius constitutionem, & nullius nihilominùs sequatur effectus ob defectum dispositionis ex parte suscipientis, quæ non pertinet similiter ad essentiam sacramenti, oportuit igitur formam eius esse deprecatiuam, & modi optatiui, ne exponatur periculo falsitatis. Accedit hoc Sacramentum solis dari moribundis, qui propterea sunt viribus propriis destituti, & relinquuntur misericordiæ diuinæ implorandæ per orationem aliorum. Quod attinet ad formulas Ambrosianam, Venetam, & si quæ sunt similes modi indicatiui, ac affirmatiui dicendum est, vel esse æquialenter deprecatiuas, vel potius semper præmitti, aut superaddi orationem propriè talem, atque hanc solam habere rationem formæ, vt dicit, D. Th. qu. 29. art. 8. ad 3.

## Qvæstio XCIX.

### *Vtrùm minister, & subiectum extremæ vnctionis sint Presbyter, & moribundus.*

Vidētur non esse. 1. Quia efficacia huius sacramenti nititur oratione, vt patet ex verbis Iacobi. Oratio autem laici potest esse tam efficax, & sæpè est efficacior, quàm oratio sacerdotis. Ergo laici sunt idonei ministri huius sacramenti, & nonnulli sunt magis ideonei, quàm aliqui sacerdotes.

2. Solus Episcopus est minister idoneus Sacramenti Confirmationis, quod peragitur vnctione, & materia remota ab eodem consecrata, sicut hoc sacramentum. Ergò solus Episcopus est idoneus minister huius etiam sacramenti, sicut solus ipse est sufficiens ad consecrandam eius materiam.

3. Illi omnes, & soli sunt capaces alicuius sacramenti, qui sunt capaces recipiendi eius effectum, eoque indigent. Huiusmodi autem capacitatem, ac indigentiam, nec soli, nec omnes moribundi habent. Non quidem soli, quia etiam sani, sunt capaces perfectæ remissionis peccatorum, eaque indigent, nec etiam omnes, quia pueri, aliique expertes rationis non sunt capaces perfectæ remissionis peccatorum, eo genere perfectionis, quæ est propria huius sacramenti, vt patebit quæst. sequenti. Et præterea aliqui moribundi sunt incapaces ipsius etiam vnctionis sacramentalis, quia sunt mutilati, & carent partibus, in quibus debet fieri vnctio. Rursùs aliqui moribundi præsupponuntur iam vncti in alio priori vitæ periculo, atque hoc sacramentum videtur esse iterabile: sicut Confirmatio, cui est vsque adeò simile.

Artic. 1. Respondetur sacramentum Extremæ Vnctionis est nobilius, quàm Sacramentum Pœnitentiæ, vt dictum est quæst. 35. art. 4. Et confirmatur, quia hoc sacramentum est consummatiuum, atque vltimò perfectiuum Pœnitentiæ, vt dictum est ex Concilio Tridentino quæst. 97. artic. 3. ideóque comparatur cum pœnitentia, tanquam formale cum materiali, & tanquam actus cum potentia, & præterea subuenit homini in maiori debilitate constituto, vehementius impetito ab hoste, magisque periclitanti de salute animæ, cui proindè valentius, ac præstantius subsidium adhiberi debeat. Cùm igitur ob hæc istud sacramentum præemineat pœnitentiæ, minister eius non potest esse inferioris gradus, quàm sit minister pœnitentiæ, qui est sacerdos, vt dictum est suprà. Quia verò idem sacramentum est minus perfectum, quàm Confirmatio, & Ordo, vt liquet ex eadem quæst. 35. nec confert peculiarem aliquem gradum dignitatis in Ecclesia, sed est promotiuum pœnitentiæ intra idem genus perfectionis, non requiritur in eius ministro, præeminentia apicis Episcopalis, sed sufficit simplex sacerdos. Quilibet igitur sacerdos validè perficit hoc sacramentum, tametsi extra casum necessitatis, & defectus Parochi nolentis, aut non valentis ministrare, solus idem Parochus, licitè illud administret. Confirmatur ex verbis Iacobi, *inducat Presbyteros*, quisque nimirum suos si possit, sin minus quosuis alios. Iam verò obseruatum est iterum suprà, quod dicit Apostolus pluraliter, Presbyteros, accipiendum esse cum distributione accommoda singulorum infirmorum, ad singulos Presbyteros, provt accipiunt Concilium Florentinum, & Tridentinum vbi suprà, atque conuincit perpetua Ecclesiæ, & traditio, & consuetudo; licet autem citra necessitatem, recedendum nequaquam sit ab vsu Ecclesiæ communi, vt vnus vni administret; si tamen contingat sacerdotem, postquam cæpit vngere mori, aut aliter impediri, quo minus absoluat, ac perficiat opus, potest pergere, atque addere, quod deest alius sacerdos, vt docent D. Thomas, & alij communiter. Imò licet vrgente necessitate, vt plures sacerdotes vngant singuli singulos sensus cum forma congruente, vt docent Henriquez, Martinon, & alij. Quia videlicet nullus textus suadet oppositum, nec natura ipsa sacramenti contradicit, sed annuit magis, vt patet consideranti. Ratio porrò ob quam, quilibet sacerdos validè perficiat hoc sacramentum, etiam extra casum necessitatis, & præsente, ac renitente Parocho; id verò ipsum fieri non possit in administratione pœnitentiæ, fundatur in eo quod absolutio sacramentalis est actus iurisdictionis, vt dictum est in loco, vnctio verò non est actus iurisdictionis, sed solius ordinis sacerdotalis.

Artic. 2. Ex parte suscipientis requiritur imprimis, vt sit baptizatus, cum baptismus sit Ianua sacramen-

torum, vt sæpè dictum est. Requiritur deindè, vt sit compos rationis, & capax peccandi, vt colligitur ex illo Iacobi, inducat presbyteros. Nec enim præcipi, aut suaderi potest, vt inducat presbyteros, ei, qui ne desiderium quidem concipere potest inducendi presbyterum, nec indicium præbere vllum desiderij, tunc, vel antea concepti, vt idem ab aliis inducatur. Colligitur rursùs efficacius; tùm ex illis aliis verbis eiusdem Iacobi, *alleuiabit, remittentur*; tùm ex forma huius sacramenti, *indulgeat tibi Dominus, quidquid peccasti per visum, &c.* Nec enim est capax alleuiationis spiritualis, & remissionis peccatorum, qui non est, aut saltem antecedenter non fuit compos rationis, & capax peccandi. Sufficit verò vsum rationis præextitisse, tametsi non adsit, tùm, cum suscipitur sacramentum, quia vsus rationis antecedens sufficit, vt tolli possint reliquiæ peccatorum, necnon peccata ipsa, si quæ supersint nondum condonata, qui est effectus proprius huius sacramenti. Vndè pueri ante septennium, & perpetuo amentes non sunt capaces huius sacramenti; sunt verò capaces omnes adulti baptizati, qui sunt, vel aliquando fuerunt capaces peccandi propria voluntate, sed requiritur præterea vltimò, vt suscipiens hoc sacramentum sit moribundus, seu in supremo vitæ periculo constitutus, per dispositionem lethalem sibi inhærentem. Ita definiunt Concilium Florentinum, & Tridentinum vbi suprà, & colligitur ex verbo Iacobi, *infirmatur quis in vobis*, cui vulgatæ nostræ verbo, correspondet in Græco vox significans infirmitatem grauem, & periculosam. Vndè non vltimò periclitanti nulliter hoc sacramentum daretur. Neque verò sufficit quælibet proxima mortis instantia, qualis datur in iis, qui proximè suspendendi sunt, vel aliter necandi violenter; cùm in se sint benè dispositi ad viuendum. Quia hi eo ipso sunt sufficienter dispositi ad orandum pro se ipsis, & ad quærendum per se ipsos alia salutis æternæ remedia, nec patiuntur specialem illam debilitatem mentis, & corporis, cui subsunt ij, quibus intrinsecè inest dispositio proximè pertrahens ad mortem. Nihil verò interest, vndè ea dispositio prouenerit, an ex morbo naturali, vulnere, veneno, senio, vel alio simili accidenti, quæ est doctrina communis Theologorum in præsenti. Quia vndecunque proueniat, dummodò insit intrinsecè; semper est coniuncta cum prædicta debilitate fundante necessitatem, & opportunitatem huius præsidij.

Artic. 3. Cæterum necesse non est, nec expedit expectare, donec infirmus constituatur in vltima agonia sitque semimortuus, ac sensibus penitus, aut ferè destitutus. Sufficit enim maiorem esse timorem mortis proximè superuenturæ, quam spem infirmitatis superandæ, atque prouidendum est, vt sacramentum conferatur, dum sensus vigent, & ratio, vt dispositio sit melior maiorque deuotionis, & consolationis spiritualis fructus, atque in dubio satius est, præuenire, quàm nimium differre. Quod si morbus eo vsque processerit, vt iam sensus, ac ratio desit, imò etiamsi dubitetur, an iam sit mortuus infirmus, ne tùm quidem negandum est sacramentum, quia tunc etiam est spes, quod prosit interius, per collationem gratiæ. Quæ omnia docet ex communi, & fusius confirmat Suarez ex communi cæterorum Theologorum. Quorum communis itidem obseruatio est, quando hoc sacramentum datur carenti actualiter vsu rationis, oportere, vt in eo præcesserit consensus, & voluntas explicita, vel implicita, suscipiendi huius sacramenti, quæ tamen voluntas semper sufficienter præsumitur in homine non improbo, nec admodum suæ salutis incurio. Non ita facilè præsumitur contritio, vel attritio, sed necesse est, vt eius peculiare aliquod indicium exterius præfuerit, si constiterit infirmum, dùm esset sui compos peccasse lethaliter, nec iustificatum fuisse per aliud medium. Ex his itaque apparet ministrum huius sacramenti esse Presbyterum, subiectum verò esse moribundum, & quænam ex parte vtriusque conditiones requirantur.

Ad 1. Oratio, quæ est forma huius sacramenti, quatenùs forma, & pars eius est, non inducit suum effectum ex opere operantis, sed ex opere operato, nec funditur à ministro, tanquam à persona priuata, sed in persona totius Ecclesiæ. Propterea nihil impedit efficaciam sacramenti improbitas ministri, etiam infidelis, ac hæretici; requiritur verò, vt idem minister sit Sacerdos, qui solus, & non laïcus potest orare tanquam persona publica, nomine totius Ecclesiæ, & tanquam eatenùs vicarius Christi, qui est sacerdos in æternum.

2. Patet ex dictis suprà quæst. 54. vbi innotuit confirmatum adscribi permanenter militiæ spirtuali, eidemque imprimi characterem huius militiæ, propterea que opus esse Episcopo, qui est Dux in Ecclesia. Nihil autem eiusmodi datur in Extrema Vnctione. Et præterea hoc sacramentum est maioris necessitatis, quàm confirmatio, vt dicetur quæst. 101. ideóque oportuit ministrum eius esse magis obuium, quique facilius adire possit infirmum, quandocumque indiguerit.

Ad 3. Quoad priorem eius partem sani non indigent ea perfectione remissionis peccatorum, quam donat hoc sacramentum, vt paulò post apparebit. Quoad alteram partem conceditur intentum de pueris, deque aliis perpetuò expertibus rationis; negatur verò imprimis, eos, qui aliquando vsi sunt ratione, tametsi actu ea destituantur esse incapaces omnium effectuum specialium huius sacramenti, esto potiri non possint omnibus eius effectibus, vt apparebit in eadem quæst. seq. Deindè, qui carent aliquo sensu, aut parte vngenda, non propterea necesse est, vt careant peccatis internis, circa obiectum eiusdem sensus, aut partis, quæ propterea nihilominùs dicuntur peccata eiusdem sensus, aut partis. Vndè vtiliter, & opportunè vnguntur taliter mutilati, seu defectuosi in parte propinquioti, respectu eius, quæ deest. Demum quoties recurrit nouum periculum vitæ ex morbo, vel alia simili indispositione lethali corporis, toties repetitur hoc sacramentum, ideóque omnis moribundus, & quoties de nouo est talis, de nouo est capax huius sacramenti. Quod videlicet non imprimit characterem, sicut imprimit confirmatio.

---

## Quæstio C.

### *Vtrùm effectus huius sacramenti sit perfectio sanitatis spiritualis?*

Videtur non esse. 1. Quia perfectio sanitatis spiritualis habetur per exclusionem omnium peccatorum. Quæ videlicet sola opponuntur sanitati spirituali, eiusque perfectioni. Exclusionem autem omnium peccatorum operantur Baptismus, & Pœnitentia. Ergò eadem hæc duo sacramenta operantur perfectionem sanitatis spiritualis, & non Extrema-Vnctio.

2. Omnes, & semper indigent perfectione sanitatis spiritualis, atque ad eandem procurandam omnes, & semper tenentur, iuxta illud: *Estote perfecti sicut Pater vester Cælestis perfectus est.* Non autem omnes, & semper tenentur ad suscipiendum hoc sacramentum, aut ad habendum hoc sacramentum, vt patet

ex

ex nuper dictis. Ergò perfectio sanitatis spiritualis, non habetur per hoc sacramentum. Accedit Christum Dominum, & Beatam Virginem habuisse in summo gradu eiusmodi perfectionem, quam etiam suo modo maximam consecuti sunt Sancti Martyres, qui tamen non perceperunt effectum huius sacramenti, cùm nec ipsum sacramentum perceperint.

3. Aqua Baptismalis ita abluit spiritualiter animam, vt simul abluat materialiter corpus, vbi ipsum contingit. Ergò similiter oleum, quod ex sua natura est lenitiuum, ac mediatiuum, ita causat interius sanitatem spiritualem, vt simul etiam causet sanitatem corporalem. Ergò effectus huius sacramenti, non est perfectio solius sanitatis spiritualis.

4. Non minus distinguitur vnctus à non vncto, quàm baptizatus à non baptizato, & propterea hoc sacramentum perficitur vnctione, sicut ordo, & confirmatio. Ergò hoc sacramentum, vltra perfectionem sanitatis inducit characterem, sicut inducunt illa alia tria sacramenta. Accedit in omnibus sacramentis dari aliquid, quòd sit res, & sacramentum simul, iuxta commune Theologorum axioma. Nihil autem eiusmodi daretur in hoc sacramento, si non imprimeret characterem.

Artic. 1. Respondetur, Sicut per baptismum regeneratur homo spiritualiter, & per pœnitentiam suscitatur, ac reuiuiscit; ita per Extremam-Vnctionem sanatur, & vita præhabita promouetur ad integram virium firmitatem. Vndè sicut medicina corporalis sanatiua corporis, & reparatiua virium naturalium, præsupponit vitam corporalem in eo, cui adhibetur, ita hoc sacramentum præsupponit vitam spiritualem, ac proindè deletionem peccatorum omnium lethalium, solamque inducit per se remissionem venialium de nouo, tollitque effectus peccatorum lethalium adhuc superstites, quatenùs labefactant vires animæ, ad retundendos viriliter hostiles assultus. Qua de causa hoc sacramentum dicitur viuorum, nec potest suscipi per se absque nouo sacrilegij peccato, ab eo qui est sibi conscius peccati lethalis, vt docent omnes Theologi cum D. Thoma quæst. 30. suppl. artic. 1. Prædictam virium reparationem, & ablationem peccatorum præcedentium, quoad eorum reliquias debilitatiuas vigoris spiritualis esse effectum proprium huius sacramenti colligitur imprimis ex promissionibus diuinis illi adiunctis per Iacobum capite illo 1. Epistolæ suæ, dùm dicit: *Saluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus.* Quia saluatio, quæ restat superaddenda infirmo, consistit in reparatione virium, quas attenuat infirmitas, idque ipsum ponit ob oculos distinctius alleuiatio, quæ non aliter fit, quàm superinducto vigore, qui deerat viuenti. Idem effectus manifestatur clarissimè à Concilio Tridentino cap. 2. de hoc sacramento, dùm dicit esse de eius effectu: *Res hæc gratia est Spiritus Sancti, cuius vnctio delicta, si quæ sint adhuc expianda, ac peccati reliquias abstergit, & ægroti animam alleuiat, & confirmat, magnam in eo Diuinæ misericordiæ fiduciam excitando, qua infirmus sublenatus, & morbi incommoda, ac labores leuius fert, & tentationibus Dæmonis, calcaneo insidiantis, facilius resistit.* Idem denique colligitur ex ipsa sacramenti significatione. Ex parte quidem materiæ; Quia vnctio olei, quod est medicatiuum, ac lenitiuum iuxta illud Isaiæ 1. 6. *Plaga tumens non est creata medicamine, neque fota oleo*, quatenùs adhibita infirmo ex sua natura ordinatur ad significandam reparationem virium eius, & quia idem oleum est valdè penetratiuum, significat idoneè remedium, quod adhibetur, peruadere vsque ad vltimas reliquias plagarum, & ad minimas vsque plagulas peccatorum venialium. Ex parte verò formæ, quia per eam imploratur misericordia Dei, quæ piissima est, quæ superlatiua significatio pertinet ad remissionem peccatorum, tùm grauium, quoad accidentales eorum reliquias, tùm leuium, quoad substantiam etiam ipsorum. Nempè primus gradus misericordiæ erga peccatorem est, condonare peccata lethalia secundùm se, alter verò est condonare tùm eadem peccata grauia quoad reliquias accidentales ipsorum, tùm leuia, quoad totum ipsorum malum.

Artic. 2. Quia verò hoc sacramentum solis confertur moribundis, ideóque destitutis vigore mentis, & corporis, ex conditione subiecti restringitur prædictus sanationis effectus, eiusque significatio sacramentalis, ad ablationem debilitatis eius spiritualis, quæ opprimit infirmum, vltimò periclitantem, dùm ita ægrotat, atque in eo versatur periculo: Vndè transacto eo morbi periculo, siue succedat mors, siue salus, nihil amplius operatur directè, ac immediatè, hoc sacramentum. Hinc apparet primò ratio cur hoc sacramentum non imprimat charitatem, vt tradunt omnes cum D. Thoma prædicta quæst. 30. artic. 3. Quia videlicet character est effectus permanenter inhærens, & conferens ius itidem permanens, ad auxilia gratiæ opportuna, quoties recurrerit occasio, & necessitas eorum, pro fine aliquo peculiari, ad quem toto vitæ decursu tendere tenetur, qui suscepit sacramentum, eiusque characterem. Indidem rursus apparet ratio, ob quam toties iterandum est hoc sacramentum, quoties ingruit de nouo periculum vitæ coniunctum cum virium debilitate. Quia videlicet solis adhibetur moribundis, adeóque morituris per se loquendo, quin recurrat occasio noua auxiliorum gratiæ, quæ subministrat: apparet denique pro hoc sacramento validè, ac licitè suscipiendo, non esse præcisè necessariam peculiarem aliquam dispositionem actualem vltra statum gratiæ, quæ dictum est requiri, solumque sufficere per se consensum suscipiendi implicitum, vel explicitum, quia in homine absolutè iusto, & sancto, nullum est impedimentum argumenti gratiæ, & auxiliorum actualium, quod sit ex sua natura incompossibile cum ipsis, ac proindè causa horum præcisè effectuum inductiua per se non indiget; vt operatur, dispositione peculiari. Cæterùm quia sacramenta omnia eo plus operantur, quo subiectum melius est dispositum, consultius est vt infirmus disponatur per actus, quantum fieri potest intensos, ac feruentes spei, præsertim, & charitatis. Expedit præterea præmittere actum attritionis, circa peccata venialia, quorum dimittendorum vim habet hoc sacramentum sicut sacramenta cæterea, nec dimittere ea potest, non præeunte aliquo motu doloris, & pœnitentiæ, vt dictum est superius non semel.

Artic. 3. Atque hæc quidem sunt in confesso apud omnes, aut ferè. Illud superest iam controuersum inter Theologos an hoc sacramentum possit remittere saltem per accidens peccata lethalia, nondum condonata secundum se. Videtur probabilius posse ea remittere, existente in moribundo bona fide, quod sit in gratia, simulque præeunte contritione perfecta, vel attritione, totaque dispositione requisita ad iustificationem per sacramentum, iuxta dicta suprà circa baptismum, & pœnitentiam. Ita docet D. Thomas prædicta quæst. 30. artic. 1. aliique communiter ibidem, fundamentum adest ad ita affirmandum in illa Apostoli conditionali, *& si in peccatis fuerit, remittentur ei.* Hæc enim promissio, quatenùs conditionaliter effertur, & subiungitur post promissiones alias absolutas, *saluabit, alleuiabit*, indicat vim remittendi peccata lethalia, non pertinere ad primarium huius sacramenti conceptum, nec ipsam remissionem

remissionem prouenire ex eo per se, sed per accidens, & consequenter tantum; cæterum eadem promissio non verificatur, vt iacet, & secundum totam latitudinem suæ propriæ significationis, si idem sacramentum in nullo prorsùs euentu potest remittere ex opere operato peccata etiam lethalia, quæ, vel maximè intelliguntur nomine peccatorum absolutè prolato, vsque adeo vt sola ipsa satis frequenter intelligantur sub ea voce secundùm se, tùm in sacris litteris, tùm apud Auctores alios. Quid quod incongrua esset eiusmodi locutio, si sola intelligenda essent peccata venialia, vel solæ reliquiæ peccatorum lethalium. Quia vtrumque hoc malum est commune, & familiare, cum tamen conditionalis eiusmodi locutio vsurpari non soleat, nisi circa raro contingentia, & quæ non præsumuntur per se. Eadem ponderatio aptè cadit in verba Concil. Trid. sess. 14. cap. 2. *Res hæc gratia est Spiritus Sancti cuius vnctio delicta, si quæ sint adhuc expianda, ac peccati reliquias abstergit.* Vbi præterea est obseruandum, delicta non tam dici solere peccata venialia, quàm grauia, ac lethalia; nec tam propriè adhuc expianda dici absolutè, quæ sunt iam remissa quoad substantiam, quàm quæ nullatenùs adhuc remissa sunt; ac demum siquidem peccati reliquiæ intelliguntur, tam lethalis, quàm venialis, delicta quoque intelligi debere tam lethalia, quam venialia, eaque secundùm se, & non tantum quoad aliquas reliquias, & secundarios effectus, ne idem bis dicatur, aut in vniuersaliori significatione vsurpetur *Tò peccati*, quàm *Tò delicta* absque fundamento in textu, aut in ratione aliqua vrgenti ad tale discrimen. Adde hunc effectum sufficienter significari per formam huius sacramenti, dùm dicitur: *Indulgeat tibi Deus quidquid peccasti per visum, &c.* ex his apparet ratio discriminis, quo minus eadem virtus remittendi per accidens peccata lethalia, attribuatur reliquis sacramentis viuorum. Nempè in reliquis nullum apparet simile fundamentum, aut ex parte significationis formæ, aut ex authoritate aliqua sacra, sed magis oppositum, vt patet ex dictis, & dicendis circa singula, necnon in communi quæst. 26. ratio conuenientiæ, ob quam Deus ita instituere voluerit, est, quia suscipienti reliqua sacramenta viuorum in statu peccati, superest adhuc tempus repetendi cum fructu sacramentum pœnitentiæ, supersunt quoque vires ad recogitandum peccata, & ad conandum, vt de ipsis conteratur perfectè. Vtrumque autem deest suscipienti hoc sacramentum, ideóque æquum specialiter, atque conueniens fuit, vt hoc sacramentum institueretur cum plenissima indulgentiæ vi, respectu suscipientis ipsum bona fide, & cum præindicata bona dispositione.

Artic. 4. Nihil necesse est hic dicere circa instans, pro quo Extrema-Vnctio inducit suos istos effectus. Quia ex dictis quæst. 98. liquet eos induci, iuxta sententiam probabiliorem, & apud me veram, pro eo instanti pro quo primum essentialiter completur vltima vnctio cum sua forma; iuxta sentiam verò aliam absolutè probabilem, eosdem induci pro eo instanti, pro quo primum essentialiter completur prima vnctio cum sua forma, cuiuscunque demum sensus ea fuerit. Videatur Doctrina data suprà in communi quæst. 29. Atque hoc dictum sit de gratia solum habituali. Nempè auxilia actualia suppeditantur ex vi huius sacramenti pro toto tempore, quo durat periculum vitæ, ratione cuius datum est sacramentum, idque quoties opportunum est, & indiget de nouo infirmus ad superandos dæmonis assultus, ad tolerandam patienter infirmitatem, atque ad alios similes pios, & salutares animi motus, alioquin retardandos vi præcedentium peccatorum, & præsentis virium debilitatis. Quia verò hæc omnia conferuntur in vltima vitæ periodo, atque tunc de vnoquoque dicitur, quod assequatur suam perfectionem, cum ei vltima manus adiicitur, atque acquirit id, quod ex sua natura est vltimò perfectiuum ipsius; concluditur omnes effectus huius sacramenti, propriissimè pertinere ad perfectionem sanitatis spiritualis, omnesque summatim sub hoc conceptu comprehendi.

Ad 1. Ad perfectionem sanitatis spiritualis, vltra exclusionem peccatorum requiritur, vt excludantur eorum etiam effectus, & reliquiæ, quod non habetur, saltem per se, per vllum aliud sacramentum eo modo, quo per illud obtinetur.

Ad 2. Non tenentur omnes, & semper, vt habeant vltimum complementum sanctitatis, & iustitiæ, quod solum adiicitur in articulo mortis. Dictum autem est nomen perfectionis sanitatis spiritualis, propriissimè conuenire soli eiusmodi complemento. Christus autem Dominus, & Beata Virgo, habuere cumulatissimam sanitatem, ideóque non eguere accidentali aliqua eiusmodi perfectione sanitatis spiritualis. Sed nec sancti Martyres aut alij decedentes absque præuia dispositione physica corporis, debilitante vires corporis, atque indè animi, indiguere auxiliis actualibus gratiæ, quæ intrinsecè ex sua natura subuenirent tali virium debilitati, quæque propterea essent vltimò completiua, ex sua natura, sanitatis spiritualis.

Ad 3. Aqua baptismi non abluit corpus, quatenùs est pars sacramenti, & ex opere operato, sed virtute sua naturali, qua etiam subuenit oleum infirmo, si quid patiatur, cui illud mederi naturaliter possit. Cæterùm sanitas corporalis non numeratur absolutè inter effectus huius sacramenti, sed indirectè tantum quatenùs conferre aliquando potest ad sanitatem spiritualem. Omnia namque sacramenta instituta sunt directè propter solum bonum spirituale hominis, nec operantur quidquam circa opus, nisi quatenùs interest ad bonum animæ consequi aliquid temporale, seu corporale; hac credo de causa attribuit Iacobus specialiter orationi fidei, salutem corporalem infirmi; vt nimirum indicaret salutem corporalem obtineri per hoc sacramentum, non cum ea infallibilitate, ac vniuersalitate, qua inducunt sacramenta suos effectus directè intentos in eorum institutione, sed ad eum modum, quo oratio impetrat, quod petit, nempè, vbi, & quando, & quatenùs oportet, relatè ad vltimum finem, & ad vitam æternam. Quo obiter satisfit argumento hæreticorum, inferentium indè solam fidem ministri operari in hoc sacramento, aut eandem in eodem omninò requiri, vt sacramentum valeat, ac prosit infirmo. Quia reliquos effectus speciales alleuiationis, & remissionis peccatorum non deuinxit similiter orationi fidei, sed ab ea omninò absoluit, vt patet ex contextu.

Ad 4. Iam reddita est superius ratio ob quam istud sacramentum, non imprimit characterem, atque ostensum est eam rationem non tenere in illis aliis sacramentis, cum quibus confertur. Iam sacramentum tantùm, dicitur in Extrema-Vnctione, vnctio ipsa simul cum forma, res tantùm, gratia habitualis, & auxilia actualia vltimò periclitanti opportuna; res simul & sacramentum dicitur à D. Thoma, & ab aliis communiter, deuotio quædam actualis, quam dat hoc sacramentum per se, & qualem requirit status ille angustiarum animi, & corporis.

QVÆST.

## QVÆSTIO CI.

*Vtrùm Extrema-Vnctio sit Sacramentum necessarium ad salutem vitæ æternæ.*

VIdetur esse necessarium necessitate, & medij, & præcepti medij quidem, quia fieri potest, vt quis damnetur, præcisè, quia caruit hoc sacramento, tametsi inculpabiliter caruerit; fieri siquidem potest vt decedat in statu peccati lethalis præcisè, quia non suscepit hoc sacramentum tametsi peccauerit omittendo illud, vt liquet ex quæst. præcedenti artic. 4. Præcepti verò necessitas probatur quia ex lege charitatis vnusquisque grauiter obligatur, vt sibi procuret, neque libere negligat hoc tantum præsidium pro articulo mortis. Accedit concilium Senonense decreto fidei. 10. dicens: *Ne hic noster vngendi infirmos ritus, Christi præceptum, non tamen sacramentum esse videretur, dicit Iacobus, infirmatur quis, &c.* Quæ ipsa Apostoli verba appellat mandatum Apostolicum Conc. Colon. anni 1536. p. 7. c. 50. Accedit rursùs peccare grauiter non solum Parochum, sed etiam in eius defectu quemlibet alium sacerdotem, si neget hoc sacramentum moribundo ipsum petenti; peccat igitur multò magis moribundus ipse, si illud non petat, aut reiiciat oblatum, quatenùs vnusquisque tenetur magis vt sibi prouideat, quàm aliis, vt prouideant eidem.

Respondetur: Nemo licitè accedere potest ad hoc sacramentum, aut fructuosè, ipsum suscipere, quin credat se esse in statu gratiæ ante susceptionem eius, vt liquet ex dictis in quæstione præcedenti. Vndè nemo tenetur in conscientia ad suscipiendum hoc sacramentum præcisè quatenùs tenetur ad deletionem peccatorum præcedentium, cum ante susceptionem credere debeat, iam se aliundè illam consecutum esse. Sed neque tenetur suscipere idem sacramentum, quatenus subministrat auxilia gratiæ ad vitanda peccata nondum commissa. Quia independenter ab hoc medio largitur Deus omnibus præsertim iustis auxilia ad id sufficientia; ad superabuntia verò procuranda nemo tenetur sub peccato. Quapropter nulla est obligatio saltem grauis suscipiendi hoc sacramentum præcisè ex natura rei secundum se. Sed neque constat de vllo præcepto Diuino, aut humano. Quia illud Iacobi *inducat Presbyteros* ex indifferens ex se, ad consilium, nec ex subiecta materia sufficienter determinatur ad præceptum propriè tale. Concilium verò Senonense loquitur de præcepto Christi circa curationem corporalem infirmorum, quòd habetur Marci 6. atque Concilium Colonienſe vsurpat mandatum vt frequenter solet, in latiori significatione, pro admonitione, seu manifestatione voluntatis superioris, siue purè consiliatiua, siue strictè præceptiua ea sit. Itaque solum per accidens fieri potest vt quis grauiter peccet omittendo hoc sacramentum, vel ex conscientia erronea, vel propter scandalum, si negligenter omittatur tale, ac tantum præsidium in tali articulo, vel quia infirmus non est satis tutus de sua iustificatione, nec suppetit copia confessionis pro sacramento Pœnitentiæ. Quia verò facilius suboritur scandalum ex voluntaria omissione huius sacramenti, quam aliorum sacramentorum, non certò conferentium primam gratiam; nec difficile admodum est vt insit infirmo exigua admodum certitudo iustificationis iam obtentæ, aut adhuc consequibilis aliundè, atque est longè probabilius, hoc sacramentum posse conferre primam gratiam quam alia sacramenta viuorum, vt liquet ex quæst. præcedenti; Quia inquam hæc ita se habent, facilius, & pluries occurrit casus grauis obligationis suscipiendi hoc sacramentum, pro tempore opportuno, quam suscipiendi alia sacramenta viuorum, de quibus non extat præceptum speciale. Quia ipsa ratione confirmatur efficaciter quod superius dictum est ex communi, hoc sacramentum posse dari moribundo, tametsi sensibus destitutus sit, nec sit petendo, nec prius dederit signum aliquod speciale petitionis, aut desiderij: Quia nihilominùs præsumitur prudenter voluntas saltem implicita huius sacramenti in quouis moribundo Catholico, & qui immediatè ante eum articulum vixerit Catholicè, dederitque signa animi Christianè & probè dispositi ad mortem.

Ex his patet ad rationem dubitandi. Constat enim imprimis hoc sacramentum non habere rationem medij vtilis ad salutem respectu eius, qui credit adhuc sibi deesse aliquod medium necessarium ad salutem, seu nondum se esse iustificatum, atque ideò ex hoc capite neminem obligari per se ad hoc sacramentum. Constitit rursùs nullum in illis textibus contineri præceptum propriè tale. Quòd postremò opponitur de Parochis, deque aliis sacerdotibus in defectu Parochorum obligatis grauiter ad vngendum, non vrget. Quia Parochi ex Iustitia, & in eorum defectu cæteri sacerdotes ex charitate tenentur, tanquam ministri Dei ad hoc deputati, ad subueniendum fidelibus, quando indigent, per media ordinaria, & sacramenta à Deo instituta; cum tamen nemo saltem grauiter obligetur ex studio propriæ salutis, ad id quod tutius, & melius est, sed necessarium minimè est, aut putatur ad delendum, aut vitandum peccatum, sed solum ad non omittendum ex contemptu, quæ sunt eiusmodi, vt obseruat Concil. Trident. circa hoc ipsum sacramentum sess. 14. cap. 3. sub finem.

# INCIPIVNT QVÆSTIONES de Sacramento Ordinis.

## QVÆSTIO CII.

*Vtrùm Ordo sit Sacramentum collatiuum potestatis ad Mysterium venerabilis Eucharistiæ rite peragendum?*

VIDETVR non esse. 1. Quia ordo ex suo conceptu, dicit præeminentiam alioquorum, & subiectionem aliorum. Huic autem præeminentiæ & subiectioni nullus est locus in Ecclesia Dei. Quia subiectio repugnat libertati, in quam vocati sumus omnes fideles per Christum. Præeminentia verò repugnat humilitati Christianæ, ratione cuius debet quilibet se reputare inferiorem, respectu cuiuslibet alterius, iuxta illud ad Philip. 2. 3. *Superiores inuicem arbitrantes.* Ac demum vtraque repugnat æqualitati omnium hominum in natura absque cuius inæqualitate, neque in Angelis, neque in substantiis irrationalibus, datur vlla inferiorum, & superiorum differentia, ac proindè, neque in hominibus vlla admitti debet. Nempè omnis inæqualitas æqualium in natura, est contra naturam, naturalemque rerum habitudinem mutuam. In Ecclesia autem nihil est contra naturam. Ergò in

Ecclesia

Ecclesia nullus est ordo præeminentiæ aliorum, suprà alios fideles.

2. De ratione sacramenti est elementum materiale, vt patet ex definitione Hugonis, de Sancto Victore iudicata suprà in communi quæst. 1. Item est de conceptu eius limitatio ad viatores, seu ad Ecclesiam militantem. Demum est de eiusdem conceptu, vt sit aliquid spirituale, & respiciens effectum itidem spiritualem, ac supernaturalem. Ordo autem, nec materiale aliquod elementum includit in suo conceptu, nec solis conuenit viatoribus, nec restringitur ad solas res spirituales, ac supernaturales. Quia adæquatus conceptus ordinis, consistit in relatione, & mutua quadam habitudine plurium inter se, daturque Ordo, tùm in Angelis, aliisque Beatis, & quidem perfectior, quàm in Ecclesia militante, tùm in Republica temporali; inter Reges, & subditos, aliosque eiusmodi. Ergò Ordo non est sacramentum.

3. Ordo aliquorum inter se, æqualiter reperitur in omnibus ordinatis; Quia relatio, quæ est genus respectu ordinis, æquè reperitur in omnibus mutuò relatis. Potestas autem ad peragendum mysterium Eucharistiæ, non conuenit æqualiter omnibus. Ergò Ordo non rectè exponitur per eiusmodi potestatem.

4. Iurisdictio spiritualis, est potestas spiritualis, quæ confertur per sacramentum, tùm Presbytero ad soluendum, & ligandum in foro interno, tùm Episcopo, etiam in externo. Et tamen iurisdictio spiritualis, non est potestas ad mysterium Eucharistiæ, vt patet. Ergò sacramentum Ordinis non benè restringitur ad vim collatiuam potestatis, circa mysterium Eucharistiæ.

5. Definitio proposita differt multum, etiam quoad substantiam, à definitionibus Ordinis communiter receptis. Quia hoc sacramentum definitur à Mag. dist. 24. *Signaculum quoddam Ecclesiæ, quo spiritualis potestas traditur ordinato.* A D. Thoma, quæst. 34. artic. 2. exponitur hoc sacramentum per characterem tantùm, concludit enim sic: *Vndè relinquitur quòd ipse character interior, sit essentialiter, & principaliter ipsum sacramentum Ordinis:* Rursùs definitio apud alios satis communis est hæc: *Actio consecratoria, qua gradus alicuius potestatis alicui confertur, ad aliquod Altaris mysterium.* Ab aliis denique hoc sacramentum dicitur: *Sacra cæremonia, qua traditur potestas spiritualis aliquod ministerium exercendi, simulque gratia sanctificans ad illud rite, & conuenienter obeundum.* Definitione autem proposita, nec exprimitur character expressus à magistro, & D. Thoma, nec extenditur potestas ad omne ministerium spirituale Altaris, vel extra Altare, nec denique notificatur vis causatiua gratiæ vti fit in aliis communibus definitionibus. Ergò definitio proposita est omninò reiicienda, vtpotè minimè congruens communi conceptui, ideóque proculdubio legitimo, circa hoc sacramentum.

6. Natura cuiusque causæ manifestatur præcipuè relatè ad principalem suum effectum. Inter effectus autem huius sacramenti principalior est collatio gratiæ, quàm collatio potestatis. Ergò manifestari potius deberet relatè ad gratiam, quam confert.

7. Sicut Ordo confert potestatem ad perficiendum, seu administrandum sacramenta; ita Baptismus confert potestatem ad suscipienda reliqua sacramenta, & nihilominùs Baptismus non definitur per vim collatiuam potestatis. Ergò neque Ordo definiri debet per eandem vim collatiuam potestatis.

Artic. 1. Respondetur. *Ordo est parium, dispariumque rerum, sua cuique loca tribuens dispositio*, vt dicit Augustinus lib. 19. de Ciuit. cap. 13. sed principaliter consistit Ordo in dispositione rerum inuicem disparium. Quia dispositio rerum inuicem parium, dùm manent pares, est ordo per accidens, vtpotè nihil ponens in ipsis, ratione cuius petant, seu adscribant sibi locum eum determinatum, qui vnicuique earum tribuitur. Hinc diuersi ordines vulgo in Republica dicuntur, atque distinguuntur, iuxta disparitatem graduum inuicem inæqualium, in quibus alij, atque alij collocantur, quales sunt ordo senatorius, equestris, plebeius. Eadem ratione in Hierarchia Cælesti constituuntur communiter nouem ordines Angelorum, iuxta totidem eorum differentias notabiliter dispares inter se. Cùm ergò Ecclesia Respublica quædam media inter humanam istam, ac purè naturalem, atque cælestem illam, ac supernaturalem perfectionem ordinis carere non potest, quæ ita imitetur ordinem Ecclesiæ triumphantis, vt superet perfectionem Reipublicæ purè naturalis, ac humanæ. Et quidem, cum *quæ sunt à Deo, ordinata sint*, vt dicitur, ad Rom. 13. atque necesse sit ordinem à Deo constitutum in operibus suis eò esse præstantiorem, quo ipsa opera præstantiora fuerint; Ecclesia verò sit à Deo, qui ipsam ædificauit sanguine suo, sitque nobilissimum, ac perfectissimum eius opus, in quo non est macula, neque ruga; clarè concluditur Deum in Ecclesia sua constituisse ordinem, eumque præstantissimum, ac perfectissimum.

Artic. 2. Perfectio porrò Ordinis elucet præcipuè in iis, quæ præeminent inter ea, quæ inter se ordinantur. Quia ex perfectione eorum dependet, atque dimanat inferiorum perfectio. Vndè in Ecclesia ordo adscribitur iis solis, qui gradum aliquem præeminentem in ea obtinent. Vsurpatur verò dupliciter Ordo, provt eisdem tribuitur, actiuè nimirum, & passiuè. Ordo actiuè sumptus, qui & ordinatio dicitur, est actio, per quam suus vnicuique præeminentiæ gradus tribuitur. Passiuè sumptus est ipse præeminentiæ gradus, qui inest vnicuique præeminentium. Ordinem vsurpat passiuè, pro ipso gradu ordinati, Conc. Trid. sess. 23. cap. 2. Dum dicit; *ab ipso Ecclesiæ initio sequentium ordinum nomina, atque vniuscuiusque eorum propria ministeria, Subdiaconi, scilicet; Acolythi, &c. in vsu fuisse, quamuis non pari gradu*; eodem sensu cap. 4. *Dicit insuper*, ait: *Sacrosancta Synodus in ordinatione Episcoporum, Sacerdotum, & cæterorum ordinum, nec populi, &c. authoritatem ita requiri, vt sine ea irrita sit ordinatio.* Ordo in hac passiua significatione non est sacramentum strictè, & propriè, sed effectus sacramenti. Idem Concil. vsurpat ordinem actiuè pro ordinatione, seu actione collatiua ordinis passiuè sumpti, simulque definit, secundùm eam significationem esse sacramentum, tùm sess. 23. can. 3. dicens: *Si quis dixerit Ordinem, siue sacram ordinationem, non esse verè, & propriè sacramentum à Christo Domino institutum; anathema sit*; tùm sess. 7. can. 1. de sacramentis, dùm definit ea esse septem, atque inter reliqua numerat ordinem. Quare posterior ista significatio actiua ordinis, pro ordinatione, seu actione exteriori significatiua simul, & collatiua gradus alicuius, & præeminentiæ spiritualis; vsurpabitur à nobis etiam plerumque, quæ aliis quoque authoribus est familiaris in præsenti.

Artic. 3. Itaque Ordinem esse verè Ecclesiæ sacramentum, quoad aliquem gradum sub ea voce contentum, præterquam quod constat clarè ex duplici definitione Tridentini, modo præmissa, & ex decreto Eugenij promulgato in Concilio Florentino, eodem sacro approbante Concilio; colligitur apertè ex sacris litteris. Primum enim constat ex Actor. 6. & ex ad 1. Timoth. 4. Apostolos vsos fuisse actione exteriori, symbolicè significatiua effectus, quem inducere volebant, cùm promouerent aliquem ad Diaconatum, vel Sacerdotium. Vtrumque enim conferebant imponendo manus super capita promouendorum, seu eorum, qui promouebantur, eundemque

modum

modum promouendi vsurpauit semper, & vsurpat Ecclesia, vt liquet ex omnibus eius Ritualibus antiquis, & modernis, atque ex frequentibus Pontificum, & Patrum testimoniis, quæ videri possunt apud Vasquez disp. 136. aliosque in præsenti. Impositio autem manuum significat symbolicè promotionem ad gradum aliquem præeminentem, quatenùs moris antiqui fuit, vt obseruat inter alios Vasquez, vt electio, & promotio candidatorum ad munera Reipublicæ, fieret per manus eleuationem, cui optimè correspondet impositio manus super caput promouendi, facta à promouente. Eadem symbolica significatio, & analogia apparebit clarè in actionibus aliis exterioribus, quibus vtitur Ecclesia in ordinando, dùm eas exponemus quæst. 104. apparet verò clarissimè ex adiuncta formula verborum, de qua dicetur ibidem. Constat rursùs actionem eiusmodi exteriorem, ac sensibilem fuisse collatiuam gratiæ, & consequenter, nunc etiam talem esse. Constat inquam id ex prædicta Epist. 1. ad Timoth. 4. 14. vbi Apostolus hortatur Timothæum his verbis. *Noli negligere gratiam, quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam cum impositione manuum Presbyterij.* Vbi turbare neminem debet. *Tò per prophetiam*, quasi determinet gratiam, quæ immediatè præcessit, ad gratiam gratis datam prophetiæ. Falsum enim hoc est. Primum, quia cum confertur alicui ab aliquo gratia aliqua gratis data, non id fit ex vi eiusdem gratiæ, quatenùs præsuppositæ in conferente, sed ex alia eiusdem ad id potestate, siquidem non quilibet præhabens gratiam aliquam, gratis datam, potest eo ipso, eam, cui volet, communicare. Deindè quia gratia absolutè sumpta, vti sumitur ab Apostolo, supponit pro gratia sanctificanti. Demum, quia, ex communi interpretum consensu, prophetia ibi ponitur, vel pro reuelatione Diuina, quam habuit Apostolus de ordinando, ac promouendo Timotheo, vel quod magis credo, pro formula verborum diuinitus instituta ad ordinandum, ac promouendum iuxta phrasim scripturæ vocantis prophetiam, quemlibet promiscuè diuinitus traditum sermonem, tametsi nihil prædicat de futuro, vt apparet inter alia ex 1. ad Corinth. 14. semel, atque iterum. Eadem collatio gratiæ per eandem exteriorem cæremoniam apparet rursùs ex verbis Apostoli, 2. ad Timoth. 1. 6. *Admoneo te, vt resuscites gratiam Dei quæ est in te per impositionem manuum mearum.* Vbi Tò *per impositionem* significat, quam clarissimè causalitatem intentam gratiæ. Ex his autem duobus consequitur manifestè, ordinem esse Sacramentum, quandoquidem conceptus Sacramenti saluatur re ipsa adæquatè in quolibet exteriori, & sensibili significante, & conferente gratiam, vt patet ex dictis in communi. Igitur Ordo, secundum aliquem saltem gradum, est verum Ecclesiæ sacramentum.

Artic. 4. Idem suadetur ratione Theologica. Quia cum Deus instituerit alia sacramenta omnibus fidelibus communia, quibus sensibiliter gratiam illis conferat, omninò oportuit, vt instituereret similiter sacramentum, per quod crearentur itidem sensibiliter, idonei ministri priorum sacramentorum iuxta illud 2. ad Corinth. 4. 1. *Sic nos existimet homo, vt ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei.* Nec enim existimari sic posset, si nullum daretur signum practicum sensibile per quod innotescerent simul, ac fierent eiusmodi ministri, ac dispensatores. Certè non vsque adeò conuenienter innotescerent, ac fierent, visibilium, ac sensibilium sacramentorum ministri, & dispensatores, si innotescerent, ac fierent absque sacramento sensibili itidem, ac visibili. Confirmatur, quia datur sacramentum Baptismi collatiuum gratiæ, & potestatis, vt quisque reddatur idoneus ad suscipienda sacramenta cætera. Ergò ratione multò maiori oportuit, vt institueretur sacramentum collatiuum gratiæ, & potestatis requisitæ, & sufficientis ad perficienda, & conferenda sacramenta cætera; quandoquidem non minus, sed multo magis requiritur ad actionem, quam ad passionem, atque ad agendum dignè, quam ad dignè suscipiendum.

Artic. 5. Quia verò sacramentum Eucharistiæ, est finis reliquorum omnium sacramentorum, ideóque est nobilissimum inter omnia sacramenta, vt dictum est suprà in communi quæst. 35. clarè apparet idem sacramentum esse finem præcipuum, ad quem principaliter ordinatur potestas omnis collata per sacramentum ordinis. Vniuscuiusque autem rei natura innotescit præcipuè, relatè ad suum finem principalem, ad quem cætera omnia, quæ eidem insunt reuocantur. Optima igitur ratione explicatur natura, & quidditas huius sacramenti, relatè ad venerabile Eucharistiæ sacramentum, licet autem Ordo simul cum potestate, ad peragendum mysterium Eucharistiæ, conferat etiam gratiam ad idem dignè peragendum, atque hæc gratia longè præemineat illi potestati; expositio nihilominùs eiusdem sacramenti, quoad conceptum eius specificum, fieri potius debet per expressionem eius potestatis, quam per expressionem gratiæ. Quia vis collatiua gratiæ est communis huic sacramento, cum reliquis omnibus sacramentis; vis verò collatiua potestatis ad peragendum mysterium Eucharistiæ, est propria, & peculiaris eidem. Quidditas autem, cuiusque rei manifestatur maximè per manifestam expressionem eorum, quæ sunt propria, peculiaria ipsius, cæteris subsignificatis obscurius, per prædicatum aliquod genericum, sicuti subsignificatur in definitione proposita, vis collatiua gratiæ per particulam *Sacramentum*, de cuius conceptu est vis collatiua gratiæ. Concluditur itaque ex his omnibus Ordinem esse sacramentum collatiuum potestatis, ad mystetium venerabilis Eucharistiæ ritè peragendum.

Ad 1. Gradus dignitatis, & præeminentiæ, qui acquiritur per sacramentum Ordinis ex sua natura est deuinctus vtilitati eorum, qui subiiciuntur ordinato, quia est gradus ministrantium, & dispensantium aliis mysteria Dei, vt nuper dicebatur ex Apostolo; subiectio autem, quæ est ad vtilitatem subiecti, non apponitur libertati, nec continet in se, aut inducit seruitutem, sed illam perficit, & ab ista liberat. Similiter præeminentia officij, quam confert sacramentum Ordinis, non repugnat humilitati, qua præeminens officio reputet se inferiorem merito, sed potius obligat ad peculiare studium eiusmodi humilitatis. Demum humana natura licet in omnibus hominibus sit vnius infimæ speciei formaliter: Æquialenter tamen multiplicatur specie in diuersis indiuiduis propter collectionem accidentium dissidentem specie formaliter, in diuersis indiuiduis, ratione cuius alij sunt melioris ingenij, iudicij, indolis, maiorisque probitatis, quam alij. Ideoque euadunt capaces diuersorum officiorum, atque operationum diuersarum. Cuiusmodi nihil contingere potest, aut in Angelis, aut in irrationalibus, ideóque non tenet paritas. Nullum igitur inconueniens sequitur ex obiectis in argumento.

Ad 2. Non consideratur Ordo in præsenti secundum suum conceptum genericum, nec quatenùs est indifferens ad significationem actiuam, & passiuam, sed sumitur determinatè provt significationem, qua homo homini confert gradum aliquem præeminentiæ spiritualis, respectu aliorum, vt prænotatum est initio. Ordo autem eo modo sumptus includit in se aliquid sensibile indicatiuum potestatis spi-

ritualis, quòd nomine elementi materialis intelligitur ab Hugone, ideóque non est communis Angelis, aliisque Beatis, qui non indigent materialibus signis; nec est communis gradibus dignitatum Reipublicæ tamporalis, qui nihil spirituale, ac supernaturale in se continent, eaque de causa sunt longè minoris momenti, quam gradus Ecclesiasticæ dignitatis, qui propterea soli congruenter intelliguntur antonomasticè, nomine Ordinis absolutè prolato inter fideles eleuatos lumine fidei ad veram rerum æstimationem, & graduationem.

Ad 3. Ordo non sumitur in præsenti pro relatione, & habitudine mutua superiorum, & inferiorum inter se, sed pro fundamento eius relationis, & habitudinis, quod est gradus vnicuique eorum determinatè conueniens. Et quia hic gradus præcellit in superioribus, ideò, nomen Ordinis attribuitur ipsi absolutè, nec res significata est inferioribus communis.

Ad 4. Potestas facti conueniens, ministris Ecclesiæ relatè ad mysterium Eucharistiæ est longè excellentior absolutè, quam potestas iurisdictionis, atque hæc in illa fundatur, vnumquodque autem debet exponi per id, quod est nobilissimum in ipso, & fundamentale respectu cœterorum.

Ad 5. Omnes illæ definitiones conuepiunt re ipsa cum nostra definitione. Quia omnes exprimunt prædicatum aliquod conuertibile re ipsa cum prædicato à nobis expresso, vt patet consideranti, solumque differunt à nobis, quatenùs non exprimunt formaliter, quòd est præstantissimum in hoc sacramento, nempè respectum ad sacramentum Eucharistiæ, quod est sacramentum sacramentorum, vt dicit Dionysius cap. 3. Ecclesiasticæ Hierarchiæ, ideóque omnis potestas spiritualis intrinsecè est in Ordine ad ipsum, vel in eo Ordine fundatur. Qua de causa D. Thomas quæst. 37. artic. 2. subdit sic: *Et ideò distinctio ordinum est accipienda secundum relationem ad Eucharistiam.* Adde æquè verè propter eandem rationem: *& ideò definitio Ordinum, ipsiusque Ordinis vt sic est, &c.* Nihil igitur peccatum est contra realem intentionem communiter definientium. Quod dicit D. Thomas, characterem interiorem, esse essentialiter, principaliter sacramentum Ordinis, non verificatur de sacramento strictè sumpto pro signo symbolico, sed de sacramento latè sumpto, pro quodlibet ducente in cognitionem alterius rei. Definiendum autem erat ipsum sacramentum strictè sumptum pro signo externo effectus interni, ac spiritualis.

Ad 6. Præeminet quidem collatio gratiæ collationi potestatis circa Eucharistiam. Sed illa est communis omnibus sacramentis, hæc verò conuenit specialiter Ordini, atque definitiones fiunt maximè per conceptus differentiales.

Ad 7. Potestas spiritualis collata per Baptismum, est passiua; actiua verò, quæ confertur per Ordinem. Vndè hæc est nobilior, quam illa, ideóque dignior, quæ per definitionem exprimatur. Adde cum D. Thoma qu. 34. artic. 2. ad 2. collationem gratiæ esse effectum principalem Baptismi propter quem ipse existeret, tametsi nullus imprimendus esset character, nullaque communicanda vlterius potestas ipsi Baptizato; in Ordine verò è conuerso, effectus principaliter intentus est collatio potestatis spiritualis, propter quam daretur hoc sacramentum, tametsi conferenda non esset gratia sanctificans. Ratio est, quia Baptismus Ordinatur ad bonum particulare baptizati, atque bonum eius maximum, est gratia sanctificans. At sacramentum Ordinis confertur, principaliter propter bonum communitatis, vt dictum est suprà quæst. 35. atque communitatem respicit ordinatus, non per gratiam sanctificantem, sed per potestatem spiritualem ministrandi fidelibus. Patet autem in definitione poni debere id, propter quod principaliter res est, & quo sublato ea non esset.

---

## Qvæstio CIII.

### *Vtrùm Ordines Ecclesiastici sint septem?*

Videntur non esse septem, sed plures, vel pauciores, vel vnicus tantum. 1. Quia vbi actio est vna tantum, necesse est potestatem quoque, quæ ad actionem ordinatur esse vnam tantum. Ordo autem est potestas ordinata ad actionem, qua peragitur sacramentum Eucharistiæ, atque hæc actio est vna tantum secundum speciem, sicut est vnum ipsum sacramentum, quod est eius terminus. Ergò Ordo Ecclesiasticus est vnus tantùm secundùm speciem.

2. Si Ordines Ecclesiastici essent plures; ordinationes quoque, & sacramenta ordinatiua essent plura. Sacramentum autem ordinis est vnum tantùm secundùm speciem, vt dictum est suprà in communi quæst. 34. Et confirmatur, quia, quo aliqua virtus est perfectior, eo minus multiplicatur. Sacramentum autem Ordinis est perfectius, quam alia sacramenta præter Eucharistiam, & tamen nullum ex reliquis sacramentis distinguitur in plura sacramenta, quæ recipiant prædicationem eiusdem nominis. Ergò multò minus sacramentum Ordinis potest sortiri eiusmodi distinctionem. Confirmatur rursùs, quia si essent plura sacramenta Ordinis, eadem essent plura sacracramenta simpliciter, quia multiplicato genere infimo necesse est multiplicari genus omne remotum, cui subest illud proximum, sicut multiplicatis specie animalibus, aut plantis, eo ipso multiplicantur viuentia, & substantiæ, & entia. Cum ergò Ordo sit vnum sacramentum tantum, necesse est Sacramentum quoque Ordinis esse vnum tantùm, ac proindè, & Ordinem etiam esse vnumtantùm.

3. Communitas quæ subest vni soli, est nobilior, quam communitas, quæ subest multis, ideóque præfertur Monarchia Aristocratiæ, vt habetur ex 8. Ethic. cap. 10. Ecclesia autem Dei est communitas nobilissima, & cœteris omnibus communitatibus perfectior, vtpotè à Deo immediatè constituta. Ergò tota subest vni soli. Ergò in Ecclesia Dei vnus tantùm datur præeminentiæ gradus, & Ordo.

4. Ordines, & gradus Hierarchici multiplicantur secundum multiplicitatem actuum Hierarchicorum, ad quos ordinantur. Actus autem Hierarchici tres tantum numerantur à Dionys. cap. 5. Eccles. Hierarch. Ergò Ordines Hierarchici, quales sunt omnes Ordines Ecclesiastici, sunt tantùm tres iuxta doctrinam eiusdem ibidem.

5. Ordines Ecclesiastici non sunt plures, nec pauciores, quam quos Christus instituit, & tradiderunt Apostoli. Non autem legitur Christum instituisse, aut Apostolos tradidisse alios Ordines, quam Presbyterorum, & Episcoporum. Quia vt dicit S. Anaclet. Epist. 3. cap. 2. *Amplius, quam isti duo Ordines Sacerdotum, Presbyterorum, & Episcoporum, nec nobis à Deo collati sunt, nec Apostoli docuerunt.* Ergò duo tantùm sunt Ordines in Ecclesia, Episcopatus, & Presbyteratus. Certè de nullis aliis constat, aut ex Actis Apostolorum, aut ex Epistolis Pauli, aut ex vlla alia scriptura Canonica.

6. Nulla est maior ratio annumerandi inter Ordines Ecclesiasticos, munera alia inseruiendi Ecclesiæ, quæ communiter Ordines nuncupantur, quam annumerandi inter eosdem primam tonsuram, ratione cuius redditur quis habilis ad psallendum in Ecclesia,

&

& ad habenda beneficia Ecclesiastica necnon Episcopatum ratione cuius redditur quis habilis ad confirmandum, & ordinandum, atquè ad alias functiones supremas Ecclesiæ. Admissis autem his duobus ordinibus, vltra communiter receptos, qui sunt septem, resultat nouenarius Ordinum numerus. Addi præterea debet Ordo fossariorum cuius meminit D. Ignatius in Epist. ad Antioch, & quem exponit auctor Epistolæ ad Rusticum Narbonensem apud Hieronymum tom. 9. dicens cap. 1. *Primus igitur* (infimus) *in Clericis fossariorum* (fodientium sepulturas) *Ordo est, qui in similitudinem Tobiæ sancti sepelire mortuos admonentur*; Ergò Ordines Ecclesiastici sunt plures quam septem.

Artic. 1. Respondetur. Septem esse Ordines, seu gradus Ecclesiasticos, & nec plures, nec pauciores, plura conuincunt grauissima testimonia, & ratio conuenientiæ efficaciter persuadet. Primum enim Concil. Trid. sess. 23. cap. 2. non solum septem istos ordines propriis nominibus enumerat, Sacerdotis, Diaconi, Subdiaconi, Acolyti, Exorcistæ, Lectoris, & Ostiarij, sed addit insuper de Sacerdotibus, & Diaconis sacras litteras apertam mentionem facere, atque Subdiaconatum ad maiores Ordines à Patribus, & sacris Conciliis referri, & in eisdem de aliis quoque quatuor inferioribus Ordinibus frequentissimè legi, ac demum cognosci eorumdem nomina, atque vniuscuiusque eorum propria ministeria, ab ipso Ecclesiæ initio in vsu fuisse. Idem apparet ex Clem. Rom. lib. 8. const. cap. vlt. S. Ignatio Epist. 11. ad Antiochenos Cornelio Papa in Epist. ad Fabianum Antiochenum apud Eusebium lib. 6. cap. 23. ac demum ex duplici Concilio, quorum alterum est Romanum sub Syluestro 1. cap. 3. alterum Carthag. 4. cui subscripsit Augustinus cap. 2. Eundem numerum ordinum, & ministrorum Ecclesiæ docent communiter Theologicum Mag. in 4. dist. 24. & cum Diuo Thoma ibidem qu. 2. artic. 1. quæ in suppl. sunt quæst. 37. arti. 2.

Artic. 2. Rationem pluralitatis ministrorum Ecclesiæ deriuat Concil. Trid. in dicta sess. 23. cap. 1. & 2. ex institutione sacro-sancti Eucharistiæ sacrificij, relatè ad quod explicata à nobis in qu. præcedenti essentia sacramenti Ordinis. *Sacrificium*, enim ait cap. 1. & *Sacerdotium, ita Dei ordinatione coniuncta sunt, vt vtrumque in omni lege extiterit. Cum igitur in nouo testamento sanctum Eucharistiæ sacrificium visibile ex Domini institutione Catholica Ecclesia acceperit, fateri etiam oportet, in ea nouum esse visibile, & externum sacerdotium, in quod vetus translatum est.* Ordine autem sacerdotij, hac ratione stabilito pluralitatis Ministrorum illi inseruientium rationem superaddit cap. 2. initio. *Cum autem diuina res sit, tam sancti sacerdotij ministerium, consentaneum fuit quò dignius, & maiori cum veneratione exerceri posset, vt in Ecclesia ordinatissima dispositione plures, & diuersi essent ministrorum Ordines, qui sacerdotio ex officio deseruirent.* Rationem istam vniuersalem Concilij attingit etiam D. Thomas loco indicato, eamque distinctè ad sex sub sacerdotio gradus ministrorum deducit. Quia nimirum ministri inferiores sacerdote, cooperantur ipsi, vel quoad ipsum sacramentum, vel quoad suscipientes, atque vtralibet cooperatio est triplex. Prima quoad ipsum sacramentum cooperatio est, dispensatio eius; Secunda est, materiæ consecrandæ ordinatio, ac depositio in sacris vasis. Tertia est eiusdem materiæ præsentatio, ac exhibitio ad Altare. Dispensatio sacramenti, pertinet ad Diaconum: Ordinatio, ac dispositio materiæ, ad Subdiaconum: eiusdem exhibitio, ac præsentatio, ad Acolytum, vt clariùs apparebit ex dicendis, quæst. 104. & quæst. 107. Iam cooperatio ministrorum, quoad suscipientes, versatur circa indignos, ac immundos, cum qui digni, ac mundi sunt nulla cuiusquam indigeant cooperatione, vt accedant ad sacramentum Eucharistiæ. Indigni autem, ac immundi, alij sunt pertinaciter infideles, alij infideles quidem, sed volentes fidem amplecti, Catholicè, ac sanctè viuere, alij fideles quidem, & benè instructi, sed impediti ex demonis potestate, nempè energumeni. Pertinaciter infideles, excludendi sunt totaliter à cætu fidelium, & non solum ab vsu, sed etiam à visione diuinorum, vt dicit Dionys. cap. 3. Eccl. Hier. atque iis arcendis inseruit Ostiarius, claudendo illis ostium, seu negando aditum. Volentes credere, & inire viam salutis, instruit lector; legendo prima rudimenta doctrinæ fidei. Obsessis demum à dæmone, subuenit Exorcista. His autem peractis cum aliis, quæ secundario pertinent ad eosdem respectiuè, nihil prætereà supereſt, in quo sacerdos indigeat cooperatione inferiorum ministrorum. Tot igitur, ac tales, & non plures sunt ordines, & gradus ministrorum Ecclesiæ.

Artic. 3. Sciendum porrò est tres priores ordines Presbyteri, Diaconi, & Subdiaconi, dici communiter, & esse maiores, vt liquet ex Concil. Trid. dicto cap. 2. Et quidem Presbyteratus meritò dicitur Ordo maior; quia immediatè exercetur circa corpus, & sanguinem Christi Domini. Diaconatus verò, & Subdiaconatus eodem nomine censentur, quia immediatè assistunt, & cooperantur sacerdoti in Altari modo dicto, ideóque ad dignitatem eius proximè accedunt. Quod reliquis quatuor ordinibus, minimè conuenit, ideóque dicuntur minores. Soli iidem tres ordines maiores, dicuntur sacri. Quòd nonnulli putant, ideò factum esse, quia sola eorum trium ordinum collatio est verum sacramentum. Sed hæc ratio non subsistit. Primò quia plures Authores putant reliquorum etiam quatuor ordinum collationem, esse sacramentum, & nihilominùs non dicunt illos sacros, sed non sacros, sicut è conuerso aliqui putant ordinationem Subdiaconi non esse sacramentum, & nihilominùs Subdiaconatum dicunt Ordinem sacrum. Secundò, & principaliter, quia Subdiaconatus non fuit olim Ordo sacer, sicut iam est, vt tradit Innocentius III. cap. *A multis* 9. de ætate, & qualitate ordinatorum. Constat autem non potuisse ordinationem Subdiaconi transire de non sacramento in sacramentum, quia quod talis sit, vel non sit, dependet ex institutione Christi, quæ inuariabiliter semper est eadem. Ratio igitur legitima est, quia Presbyteratus, Diaconatus, & Subdiaconatus habent annexum votum continentiæ, ratione cuius, Ordinati consecrantur Deo, in perpetuum, nec possunt denuo fieri seculares, olim poterat Subdiaconus, & modo quoque possunt, qui solos habet quatuor ordines minores.

Artic. 4. Superest determinanda difficultas modo attacta de ratione sacramenti conueniente, vel non conueniente ordinationi prædictorum septem ministrorum Ecclesiæ. Certùm primò est ex fide ordinationem, tùm Presbyteri, de quo nemo dubitat, tùm etiam, vt mihi quidem videtur, Diaconi, esse verè, & propriè sacramentum. Certum rursùs est, licet non vsque adeò, quatenùs non est certum ex fide, ordinationem quoque Subdiaconi esse similiter sacramentum. Probabilius denique est, reliquas etiam quatuor ordinationes habere rationem sacramenti propriè talis. Circa sacerdotium, de quo nemo dubitat, nullum necesse est superaddere argumentum, vltra ea, quibus in quæst. præcedenti ostensum est ordinem esse verum sacramentum. Quia loca Apostoli ibi producta loquuntur de ordinatione Presbyteri, atque Concilium Florentinum, ac Tridentinum definientia Ordinem esse sacramentum, inter Ordines primum numerant Presbyteratum, idemque procul dubio est præcipuus, ac proindè de ipso, vel maximè verificatur definitio, de ratione

sacramenti conueniente ordini, sed neque dubitari debet de Diaconatu. Tametsi enim Caiet. tom. 1. opusc. tract. 11. & Duran. in dicta dist. 24. quæst. 2. artic. 1. ausi sint dicere, nullam ordinationem Presbyteratu inferiorem, esse verum sacramentum; vnanimis tamen reliquorum omnium Theologorum consensus indubitanter tenet oppositum. Qui quidem Authorum firmissimus consensus, per se ipsum facit argumentum minimè contemnendum in hac præsertim materia, quæ ex traditione dependet. Traditio enim maximè innotescit ex Authorum Catholicorum olim, & nuper scribentium firma consensione. Accedit Diaconatum conferri per manus Episcopalis impositionem & dicente Episcopo: *Accipe Spiritum Sanctum*, vt liquet ex Actor. 6. & Rituali Romano. Impositio autem manus Episcopalis non est significatiua, & collatiua gratiæ, vt apparet ex locis suprà indicatis, 1. ad Timoth. 4. & 2. ad Timoth. 1. atque ibidem, & alibi obseruant communiter Sancti PP. aliique Interpretes. Verba item illa Episcopi: *Accipe Spiritum Sanctum*, esse similiter significatiua, & collatiua gratiæ, colligitur efficaciter ex definitione Trid. sess. 23. can. 4. *non frustra dicere Episcopum, Accipe Spiritum Sanctum*, idest, vt apparet ex periodo immediatè præcedenti, per ea verba dari Spiritum Sanctum. Canon enim est talis: *Si quis dixerit per sacram ordinationem non dari Spiritum Sanctum; ac proindè frustra Episcopos dicere. Accipe, &c. anathema sit.* Patet autem cæremoniam sensibilem, realem, & verbalem, significatiuam, & collatiuam gratiæ, esse sacramentum. Accedit rursùs Anastasium II. in Epistola ad Anastasium Imperatorem cap. 7. disertè docere, per ordinationem Presbyteri, & Diaconi, conferri gratiam sacramenti, de ratione sacramenti in subdiaconatu nullum est fundamentum vsque adeò vrgens, nec tanta illi fauet authorum consensio. Longè nihilominùs probabilius est, eum quoque esse verum sacramentum, quia hæc est magnorum, & longè plurium Doctorum sententia cum D. Thoma, & D. Bonaue. in illa dist. 24. & vltra fundamenta, quæ mox producentur circa ordines minores, id præterea non parum habet ponderis, quòd Subdiaconus, & exercet suam potestatem, circa rem consecratam, nempè circa vasa consecrata, sicut Presbyter, & Diaconus circa panem, & vinum consecratum exercentur, & habet votum continentiæ sibi annexum. Vtroque hoc titulo specialiter indiget gratia Spiritus Sancti, quam proindè credendum est eum accipere ex vi suæ ordinationis. Demum, vt asseram quatuor etiam ordinationes minores esse vera sacramenta, tria fundamenta sufficienter persuadent. Primum est, hanc esse communiorem Theologorum sententiam cum D. Thoma, quæst. 37. artic. 2. & 3. Nec enim in re vsque adeò graui, & pendenti à traditione, honestum, & laudabile est deferere communiorem sensum sapientissimorum hominum, vt obseruat inter alios Valentia disput. 9. qu. 1. p. 4. §. *atque hæc sententia.* Secundum maioris momenti fundamentum est, quia Concilium Florentinum, & Tridentinum vbi suprà, dùm definiunt ordinem esse sacramentum, nullam quoad id distinctionem, aut constitutum, aut etiam leuiter indicant, inter ordines maiores, & minores, tametsi de vtrisque seorsim meminerint. Et quidem Tridentinum, cum seriem, & nomina omnium septem ordinum distinctè præmisisset in illo 2. cap. mox in cap. 3. indistinctè pronunciat, Ordinem esse sacramentum. Florentinum verò præmisso, Ordinem esse sacramentum, subdit deindè materiam eius, esse rem, quæ traditur ab Episcopo, & formam, esse verba, quibus traditur, atque vtraque hac parte sacramenti distinctè tradita circa sacerdotium. Diaconatum, & Subdiaconatum, concludit demum, sic etiam intelligi debere in reliquis ordinibus. Non autem sic intelligi deberet, nisi sacramentales sic essent res etiam, & verba, quæ pro ipsis adhibentur. Tertium fundamentum est, quia non magis iterantur ordines minores, quàm maiores, & vtrique conferuntur per consecrationem quandam. Hæc autem duo simul, quam vim habeant ad persuadendam rationem sacramenti, colligi potest ex verbis Augustini lib. 2. contra Epist. Perman. cap. 13. vbi ordinem comparat cum Baptismo, dicens: *Vtrumque sacramentum est & quadam consecratione vtrumque homini datur. Illud cum baptizatur, illud cum ordinatur; ideóque in Ecclesia Catholica vtrumque non licet iterari.* Vndè concludit: *Vtrumque sacramentum est*, vtique sicut Baptismus, de quo nemo dubitat cum quo coniungitur Ordo. Accedit functiones, quibus exercentur quatuor minores ordines, tametsi secundùm se sint faciles, nec sint magnæ perfectionis, atque à laïcis quoque præstari absolutè possint esse nihilominùs valdè excellentes, quatenùs referuntur ad venerabile Eucharistiæ sacramentum, ad quod ipsi etiam ordines ex intentione Ecclesiæ referuntur, & præterea conferuntur inamissibiliter, ideóque addicunt Altari ordinatos permanenter, ac perpetuò, per se loquendo, licet cum permissione recedendi à ministerio, & habitu. Rationabiliter igitur creditur per prædictas ordinationes imprimi characterem, & conferri gratiam sanctificantem, atque peculiaria auxilia actualia, quibus prædictæ functiones, vt par est, exhibeantur.

Artic. 5. Circa Presbyteratum obseruare specialiter oportet, illum conferri per duas partiales ordinationes, vt dicetur in quæstione sequenti, quarum altera confert potestatem ad conferendum corpus, & sanguinem Christi, altera ad remittendum peccata. Potestas remittendi essentialiter præsupponit potestatem consecrandi, nec independenter ab eadem seorsim dari, aut existere potest. At potestas consecrandi potest existere absque potestate remittendi, nec ab ea essentialiter dependet. Vndè eatenùs potestas consecrandi ratione suæ maioris indifferentiæ, comparatur cum potestate absoluendi, tanquam materia cum forma, & sicut materia, & forma inuicem coniunctæ constituunt compositum, quod est vnum per se; ita vtraque ea potestas coniunctim existens, constituit vnum ordinem, vnitate per se. Eadem ratione, Episcopatus coniunctus cum Presbyteratu, constituit similiter vnum ordinem vnitate per se, & propriè tali. Quia videlicet Episcopatus supponit, & ipse essentialiter Presbyteratum, eidemque accedit, sicut virilitas iuuentuti. Quia verò Episcopatus minus perfectionis seperaddit per se seorsim, quàm quæ præsupponitur in Presbyteratu secundùm se, vt obseruant Vasquez, & alij, propterea, tùm gradus Presbyteri seorsim, tùm idem, vt coniunctus cum gradu Episcopali, eodem communiter nomine Presbyteratus censetur indiuisim, vnumque solùm ordinem constituit. Non est eadem quoad hoc ratio de reliquis gradibus Ecclesiasticis superius enumeratis, si inter se similiter conferantur. Quia nullus eorum reliquos gradus, aut aliquem ex reliquis gradibus essentialiter præsupponit, sicut dictum est Presbyteratum præsupponi ab Episcopatu. Vt dicetur quæst. 106. & 107. Vndè Presbyteratus exempli gratia, non est essentialiter modificatiuus, seu quasi modificatiuus respectu Diaconatus, aut Subdiaconatus, sicut dictum est Episcopatum esse intrinsecè modificatiuum Presbyteratus, eademque est ratio de reliquis gradibus, quoad mutuam non dependentiam essentialem, ideóque vnusquisque eorum constituit peculiarem ordinem distinctum simpliciter à reliquis. Ex his igitur omnibus apparet ordines Ecclesiasticos absolutè

lutè, & simplices esse septem, & non plures, nec pauciores, illisque omnibus conuenire rationem sacramenti propriè, & strictè talis, licet cum dispari certitudinis gradu, respectu singulorum.

Ad 1. Licet actio perfectiua Eucharistiæ sit vna secundùm speciem infimam, ipsiusque secundùm suam substantiam vnus tantùm sit minister, qui perficere possit nihilominùs ad tantum mysterium ritè peragendum plures præterea aliorum inferiorum ministrorum actiones, & cooperationes requiruntur, vt præmissum est artic. 2. ex Tridentino. Sacramentum autem Ordinis expositum à nobis est, relatè ad mysterium Eucharistiæ non vtcunque, sed quatenùs ritè peragendum.

Ad 2. Ratio ob quam ordines, & gradus Ecclesiastici absolutè dicantur pluraliter, & tamen non dicantur pluraliter absolutè ordinationes, seu sacramenta ordinis, tametsi actiones ordinatiuæ tantundem necessariò inter se differant, atque ordines per ipsas collati; hæc videtur esse legitima, quia videlicet actiones ordinatiuæ inducunt, circa vnumquemque ordinatum, gradus inuicem coniungendos ex intentione Ecclesiæ ordinantis, quousque ex omnibus gradibus inuicem coniunctis vnus demum efficiatur perfectus minister, qui est presbyter. Quam vnitiuam Ecclesiæ ordinantis intentionem, non obscurè significat Conc. Trid. sess. 23. cap. 1. dùm dicit in Ecclesiæ dispositione ita plures, & diuersos ordines esse distributos, *vt qui iam Clericali Tonsura insigniti essent, per minores, ad maiores ascenderent.* Mirum igitur non est, si actiones ex intentione operantis tendentes ad vnitatem, vna moraliter actio reputentur, atque eatenus dicantur vnum absolutè sacramentum. At verò ordines, & gradus in vnoquoque ordinato recepti non referuntur ad terminos similiter vniendos inter se quousque vnum aliquid perfectum ex illis omnibus inuicem coniunctis resultet, vt patet consideranti operationes ministrorum enumeratas, & subindicatas artic. 2. Atque manifestum est non ita coalescere vnum perfectum Eucharistiæ sacramentum ex iis, quæ peragunt Ostiarius, Lector, Acolythus, &c. sicut resultat vnus perfectus minister Eucharistiæ, qui est sacerdos, præmissis circa eundem actionibus ordinatiuis, Ostiarij, Lectoris, Acolythi, &c. Hæc igitur de causa ordines, actiuè sumpti, seu actiones ordinatiuæ, sunt omnes vnicum absolutè sacramentum, tametsi termini per eas actiones inducti, seu ordines passiuè sumpti, quatenùs ad suas vlterius actiones singuli referuntur sint plures, & pluraliter dicantur absolutè. Quapropter sacramentum ordinis est vnum quoddam totum, non integrale, aut vniuersale, sed potentiale, vt dicit D. Thom. quæst. 37. art. 1. ad 2. Nempè totum potentiale ex sua natura hoc habet, vt secundùm suam rationem completam sit in vno, sicut est ordo in Presbytero, in aliis verò sit per participationem tantùm, sicut est ordo in aliis quibusuis inferioribus ministris, multiplicando eatenùs tantùm, & non simpliciter genus, tam proximum, quàm remotum. Alia sacramenta non habent operationes ita inuicem subordinatas, sicut dictum est, esse inuicem subordinatas actiones pertinentes ad sacramentum Ordinis, ideóque non tenet paritas. Ex quibus patet etiam ad confirmationes.

Ad 3. Monarchiæ gubernatio non repugnat ratione suæ perfectionis multitudini ministrorum inferiorum, tùm æqualium, tùm inæqualium inter se, dummodo omnes ad vnum supremum demum reuocentur & sic est in Ecclesia Dei.

Ad 4. Dionysius in illo libro non considerat Ordines actiuè sumptos, quatenùs sacramenta sunt, nec passiuè sumptos, quatenùs referuntur ad actiones sacras, cooperantes sacramento Eucharistiæ ritè peragendo, sed solùm de illis loquitur passiuè sumptis, relatè ad solas actiones Hierarchicas, quæ sunt tres. Vndè eius authoritas eo in loco nihil facit ad propositum. Ita enim abstruit tres ordines Hierarchicos, vt nec totidem astruat, nec plures neget, ordines sacramentales.

Ad 5. Plures superioribus dictum est, non omnia, quæ Christus gessit, quæque ab eo Apostoli acceperunt reperiri in sacris litteris, sed plura haberi per traditionem, de qua quoad rem præsentem, certò, ac legitimè constat ex Conciliis, & Patribus superius indicatis. Deindè in Ecclesia primitiua propter paucitatem fidelium, ministri quoque Ecclesiæ erant admodum pauci, ideóque omnia ministeria committebantur solis Presbyteris, & Diaconis, quibus inest legitima facultas ad omnia, quæ præstare possunt ministri inferiores, de quibus proindè mentio fieri pro tunc nulla potuit, quia nondum erant. Cœterùm propagata deindè Ecclesia, & crescente numero fidelium, inducta est multitudo maior ministrorum, pro decenti cultu Diuino, iuxta tamen institutionem Christi Domini, & traditionem Apostolicam, quibus attestatur vsus, & sensus perpetuus Ecclesiæ. Quapropter dictum Anacleti, duos solos ordines collatos à Deo, & ab Apostolis edoctos esse, accipiendum est, de collatione immediata per se ipsum, non de institutione, atque de doctrina scripta, non de verbaliter tradita. In eundem sensum accipitur à D. Thoma, & ab aliis communiter, quòd dicit magister in 4. dist. 24. Ecclesiam alios ordines sibi instituisse, nempè institutione latè sumpta, vel pro prima ordinatione, vel pro lege ordinandi, incipiendo à tali determinata eò tempore; atque simili modo temperandæ sunt similes aliæ aliquorum locutiones, quandoquidem de asserta à nobis veritate, certò constat ex clarissimis, iisdemque maximis testimoniis. Deindè, quod ad Anacletum specialiter attinet, ipse non dicit, duos tantùm ordines vniuersaliter, sed sacerdotium, quos certum est apud omnes duplici tamen differentia contineri.

Ad 6. Omnes ferè Theologi excludunt primam tonsuram à numero, & ratione ordinum Ecclesiasticorum. Quia vt dicit D. Thomas, qu. 40. art. 2. de conceptu Ordinis est peculiaris potestas spiritualis ad functionem determinatam in cultu Dei, & in peragendo venerabili Eucharistiæ sacramento. Prima autem tonsura nullam eiusmodi peculiarem potestatem confert, sed solùm inducit ad ministerium dicendi laudes diuinas, quod est commune omnibus Ecclesiæ ministris. Vndè non est Ordo sed præambulum ad Ordines, eorumque basis, & fundamentum, vel vt dicit Vasquez pauimentum, & adhibetur homini, vt ordinetur, sicut oleo adhibetur benedictio, vt ex eo fiat sacramentum. Confirmatur ex Concil. Trid. sess. 23. semel atque iterum distinguente clarè primam tonsuram ab ordinibus, tanquam aditum, & dispositionem ad illas, cap. 2. & 6. Dicitur nihilominùs Ordo clericalis, in capite *cum contingat*, de ætate, & qualitate ordinandorum, & character clericalis, in Bulla Sixti V. quæ incipit, *sanctum & salutare*, ordine, & charactere latè sumptis, pro statu quodam spirituali, eiusque insigni, ratione cuius iurè Ecclesiastico confertur, initiatis prima tonsura, priuilegium fori, capacitas beneficiorum, & dispositio ad ordines. Ratione multò manifestiori negatur ratio ordinis muneri fossariorum. Qui videlicet, nullum obtinent præeminentiæ gradum, aut potestatem specialem in cultu Dei, & Altaris. Vndè ordo eorum latissimè talis dicitur pro deputatione ad opus pium. Demum Episcopatus certissimè est ordo, vt dictum est, & dicetur iterum infrà, sed non est ordo absolutè, & simpliciter distinctus à Presbyteratu, vt dictum est art. 5.

## Quæstio CIV.

*Vtrùm materia, & forma Ordinis sint institutæ à Christo Domino?*

VIdentur non esse institutæ à Christo. 1. Quia, quæ sunt instituta à Christo, obseruantur vniformiter in tota Ecclesia. Materia autem, & forma huius sacramenti non obseruantur vniformiter, sed sunt omninò diuersæ in Ecclesia Latina, & Græca, vt liquet ex Arcudio lib. 6. de Sacr. à cap. 2.

2. Tempore Apostolorum conferebantur Presbyteratus, & Diaconatus per solam manuum impositionem, vt liquet ex locis suprà indicatis 1. ad Timot. 4. & 2. ad Timot. 1. necnon ex ordinatione primorum septem Diaconorum Actor. 6. atque Dionysius cap. 5. Ecclesiasticæ Hierarchiæ: docet ex professo, Episcopum, Sacerdotem, & Diaconum, consecrari per manus impositionem, idemque constat de Presbyteratu simul, & Diaconatu; ex Conc. Carthag. 4. can. 2. & 4. & quoad Presbyteratum ex cap. *Presbiter.* 23. dist. & ex Gregorio VIII. cap. 3. de sacr. non iterandis: Nunc autem omnes ordines conferuntur per porrectionem instrumentorum cuiusque ordinis, vt liquet ex Concil. Florent. ex Pontificali Romano, & ex ordinaria praxi Ecclesiæ. Ergò, vel materia adhibita tempore Apostolorum, & tempore deindè proximè subsequenti, vel materia posterioribus temporibus adhibita, inducta est libera Apostolorum, vel posteriorum Pontificum electione, & authoritate, & neutra est instituta à Christo Domino, vel certè, quòd tamen perindè valet, alterutra saltem inducta est authoritate purè humana.

3. Materiæ sacramentorum, de quibus constat ex sacris litteris esse institutas à Christo Domino, non sunt res, circa quas, aut quibus, tanquam instrumentis operari debet, qui suscipit sacramentum, sed sunt res aliæ habentes analogicam proportionem cum effectibus sacramentorum, vt liquet ex dictis circa Baptismum, Eucharistiam, & Pœnitentiam. Materia autem huius sacramenti est porrectio instrumentorum, vt modo dictum est ex Florentino. Ergò materia huius sacramenti non est instituta à Christo Domino, siquidem discrepat à conditione, & natura materiarum, quas certò constat, ipsum instituisse.

4. Quæ non sunt conuenienter instituta, non sunt instituta à Christo Domino. Forma autem huius sacramenti non est conuenienter instituta. Quia constat verbis imperatiui modi absque expressione virtutis Diuinæ. Quod est inconueniens, quia modus imperatiuus est proprius habentis authoritatem, quæ quoad effectum sacramenti, non est penes ministrum, sed penes solum Deum, cuius etiam virtute, & causalitate, & non ea quæ est propria ministri inducitur idem effectus. Ergò forma huius sacramenti non est instituta à Christo Domino.

Art. 1. Respondetur difficultatem præcipuam ingerit in hac quæstione discrepantia Ecclesiæ Græcæ à Latina præsertim quoad Episcopatum, Presbyteratum, & Diaconatum. Quos nimirum Græci conferunt sola manuum impositione, Latini non ea sola, sed Presbyteratum, & Diaconatum; porrectione instrumentorũ, vel sola, vel simul cum eadem manuum impositione; Episcopatum verò superaddita impositione manuum vnctione capitis Chrismatica; nec est minor vtriusque Ecclesiæ discrepantia quoad formam verborum, vt appareat ex formulis, quas refert Arcudius vbi suprà.

Artic. 2. Negat Tannerus disp. 7. quæst. 2. dub. 4. Vllam esse quoad hoc punctum discrepantiam Græcorum ab Ecclesia Romana. Primò, quia nullus Actor vsquam meminit eiusmodi dissidij, cum cætera Græcorum instituta peculiaria, plures referant, expendatque diligenter circa singulas materias, etiam leuiores. Secundò quia cum in Concilio Florentino reliqua Græcorum à Latinis dissidia, non vsque adeo grauia serio, & admodum fusè, discussa sint; de hac re omnium grauissima, ne minimus quidem dissensionis index apparet. Tertiò, quia Eugenius IV. in decreto vnionis Latinorum cum Armentis, Græcorum per omnia fidem, ac ritus sectantibus, definit hoc sacramentum perfici porrectione instrumentorum. Credibile porrò non est Græcos: & Armenos in eodem Concilio Latinis quoad religionem vnitos, nihil in re tanta reclamaturos fuisse, si dissensissent, aut si iure reclamassent, non fuisse causam obtenturos, cum de vnione agetur enixe. Postremò quia Gabriel Metropolitanus Philadelphiensis in lib. Græco de sacramentis, Græcus & ipse, sic ait: *Est autem materia sacerdotalis Ordinis sacer panis, & certus ille sacrorum vasorum numerus, & reliqua cuiusque ordinis propria vti moris est.* Nihil igitur dissident Græci à Latinis, quoad materiam, & formam huius sacramenti.

Artic. 3. Verùm ista Tanneri opinatio subsistere nequaquam potest. Quia Arcudius lib. 6. cap. 3. vsque adeo nernosè, ac patenter probat adductis, quàm pluribus Conciliorum, Ritualis, Patrum, aliorumque Doctorum testimoniis constanti semper Orientalis Ecclesiæ more, solam manuum impositionem adhibitam esse, & adhiberi, tanquam materiam pro Presbyteratu, & Diaconatu, vt id in dubium reuocari amplius minimè possit, accedente præsertim attestatione Cardinalis de Lugo dicentis disput. 2. de sacramentis in genere sect. 5. vidisse se Romæ quod, & nuper ipse mihi dixit, Diaconatum, & Presbyteratum sola manuum impositione, tanquam materia collatum, per Episcopum Græcum sciente, & consentiente Romano Pontifice, nunquamque dubitantibus ipso, aut cæteris Romanis de legitima, & valida eorum Ordinum collatione; quandoquidem ex Presbyteris, & Diaconis sic ordinatis, non iterata ordinatione, Episcopi, & Cardinales non semel assumpti sunt à Pontificibus Romanis. Multo verò minus reuocari in dubium potest porrectionem instrumentorum adhiberi à Latinis tanquam materiam. Videtur igitur dubitari minimè posse de aliquo circa hoc punctum dissidio inter Ecclesiam Orientalem, & Occidentalem. Neque coniecturæ Tanneri quidquam euincunt. Quoad primam enim de authoribus constat satis ex modo indicatis, & ex aliis pluribus apud ipsos; quoad secundam, & tertiam, Græci non interfuere Concilio, dùm illud Eugenij Decretum conciperetur, ac euulgaretur; Armeni verò consensere Latinis quoad omnia pertinentia ad sacramentorum administrationem; vt obseruat Arcudius vbi suprà quod ad postremum attinet, quàm sit exiguæ fidei, quamque incuriosus Philadelphiensis ille Præsul in exponendis materiis, & formis sacramentorum, liquet abundè ex Arcadio lib. 2. cap. 13. & 23. lib. 3. cap. 20. lib. 6. cap. 8. & alibi sæpè fortasse ille intellexit nomine materiæ, totum rerum apparatum, quæ apponuntur ordinandis, siue accidentales illæ sint, siue substantiales; sicut nomine formæ non infrequenter intelliguntur cæremoniæ etiam accidentales sacramentorum, vt obseruat de Lugo disput. illa 2. sect. 2. & 5.

Artic. 4. Aliam concordiæ rationem inter vtriusque Ecclesiæ ritus meditatus est Arcudius ipse lib. illo 6. cap. 7. Obseruat ille primò, Eugenium in suo decreto

decreto non definire, materiam ordinum esse instrumenta eorum, sed porrectionem instrumentorum. Addit deinde Episcopalem instrumentorum porrectionem, non absonâ dicendi ratione, impositionem manuum nuncupari & re ipsa esse. Suadet id primum cum Vasquez assertore pariter eius locutionis, realisque identitatis inter eiusmodi porrectionem, & manuum impositionem, quia extensio manus Episcopalis ad confirmandos, vt eos inungat, & signet in fronte, dicitur impositio manuum à D. Thoma, Hugone de Sancto Victore, Thoma Vvaldensi, & Bellarmino locis ab ipso indicatis. Eandem vnctionem dicit impositionem manuum Suarez cum pluribus aliis, t. 3. in 3. p. disp. 38. sect. 4. adducitque eam in rem Innocentium III. qui cap. vnico. §. penultimo de sacra Vnctione dicit sic: *Per frontis chrismationem manus impositio designatur.* Placet Tannero quoque, & Moracio hæc locutio. Deinde rogatus Christus Dominus Marci 7. vt manus imponeret lunatico, non aliter annuit postulatis, quam linguam eius, & aures tangens digito. Quæuis igitur extensio manuum ad alterum, & contactus etiam mediatus, dicitur haud incongruè impositio manuum, maximè si sit extensio superioris ad inferiorem, & appareat ex circumstantiis, ea actione exerceri personam, atque munus superioris. Concludit iam ex his differentiam Ecclesiæ Orientalis, & Occidentalis quoad materiam sacramenti Ordinis, esse purè materialem, & accidentariam, quia vtrobique adhibetur impositio manus, solusque est diuersus modus imponendi, quatenus Græci vtuntur pura manus impositione super caput: Latini verò extensione manus porrectiua instrumenti sacri. Quæ differentia est similis differentiæ, quæ datur inter aspersionem, & immersionem, eamque triplicem, vel simplicem, prò Baptismo, inter panem azymum, & fermentatum pro Eucharistia; inter contractum clandestinum, & publicum prò matrimonio.

Art. 5. Confirmari potest hic modus dicendi, ratioque concordiæ, conferendo inuicem Concilium Florentinum, & Tridentinum. Quia Florentinum solam exprimit porrectionem pro materia huius sacramenti. Tridentinum verò sess. 14. cap. 3. de sacramento Extremæ Vnctionis sub initium, solam exprimit manuum impositionem, pro ordinatione sacerdotis. Credibile autem nequaquam est, aut Tridentinum excludere voluisse traditionem instrumentorum, aut Florentinum impositionem manuum. Quia Patribus Tridentinis erat notissimum, porrectionem instrumentorum haberi in Ecclesia Latina, hoc est apud ipsos eos Patres, materiam essentialiter requisitam. Nec Patribus Florentinis ignotum, aut dubium esse poterat, impositionem manuum esse materiam requisitam itidem essentialiter, cum ea sola pro hac re exprimatur in sacris litteris, atque communis Doctorum Catholicorum sententia sit, impositionem aliquam manuum esse materiam necessariam, vti modo indicauit Tridentinum. Cum ergo Tridentinum solius meminerit impositionis, Florentinum solius porrectionis, vtrumque, pro eodem vtramque eam vocem, quoad præsens attinet, vsurpasse credendum est; siquidem de neutro credi potest omninò re ipsa prætermisisse rem, & necessariam, & notissimam, quatenus talem.

Art. 6. Ista concordiæ ratio, vtcunque probabilis forte sit, satisfacere plenè non potest: Nec enim, qui tradit aliquid alicui, eo ipso dicitur illi manum imponere, siue tradat authoritatiuè, siue familiariter. Accedit Gregorium VIII. in cap. *Presbyter* de sacramentis non iterandis, apertè distinguere impositionem manuum à porrectione instrumentorum, dum dicit supplendam illam postea esse, si hæc sola initio adhibita fuit. Manifestius eandem diuersitatem agnoscit inter vtramque eam actionem Cõcilium Carthag. 4. can. 5. dicens, subdiacono cum ordinatur ideo dari Patenam vacuam, & Calicem, quia non accipit manus impositionem, vt Diaconus. Acciperet autem, nec verificaretur negatiua absoluta Concilij, si ipsa datio Patenæ & Calicis esset vera aliqua manuum impositio. Accedit rursus Concilia, & Patres non exigere qualemcumque impositionem manuum, sed determinatè, & expressè impositionem super caput ordinandi, vt apparet ex eorum testimoniis, quæ exhibet Cardinalis de Lugo; sect. illa 5. Atque his euanescunt omninò, quæ pro se adducit Arcudius.

Art. 7. Dicendum itaque est primò conditionaliter; si Græci sola manuum impositione, & Latini solà instrumentorum porrectione, aut hac vt coniuncta cum illa vsi sunt, tanquam materia sacrorum ordinum, eosque sic validè contulere, & conferunt, Christum Dominum vtramlibet sufficientem esse voluisse, & neutram diuisim, aut coniunctim requisiuisse; atque instituisse determinatè. Patet hoc ex Tridentino definiente sess. 21. cap. 2. inesse Ecclesiæ potestatem, circa sacramentorum dispensationem, statuendi, vel mutandi, non nisi salua eorum substantia, hoc est materia, & forma, quarum institutio pertinet ad solum Deum, vt dictum est supra in communi quæstion. 10. necnon quæstion. 4. Dicendum rursus est absolutè, tum traditionem instrumentorum congruentium vnicuique ordini, tum manuum impositionem esse materiam proximam sufficientem ad valorem huius sacramenti. Est quidem sufficiens traditio instrumentorum, propter auctoritatem Concilij Florentini, affirmantis expressè illam esse materiam Ordinis, eademque Ordinem conferri. Est itidem sufficiens impositio manuum, quia ex indicatis scripturæ locis constat per eam collatos fuisse, ac proindè, & conferri validè posse Episcopatum, Presbyteratum, ac Diaconatum. Accedit praxis, & auctoritas Ecclesiæ orientalis, & occidentalis, quarum altera nunc, & olim, vtitur traditione, altera impositione, tanquam materia huius sacramenti. Quòd proinde vtrouis modo validè perficitur. Tutissimus autem perficiendi modus est, quo vtitur Ecclesia Romana, quæ in ordinatione Prebyteri, & Diaconi adhibet, & manuum impositionem, & traditionem instrumentorum. Pro subdiaconatu verò, & ordinibus minoribus est materia proxima itidem tutissima, eadem instrumentorum porrectio, mutuaque receptio, vtpote expresse approbata in Concil. Florentin. & vsu perpetuo Ecclesiæ Romanæ recepta. Verum est satis impositio tuta quoque manuum, qua sola vtitur Ecclesia Græca pro subdiaconatu, & Lectoratu, quem solum ordinem minorem illa seorsim retinet. Est inquam satis tuta, quia illam semper vsurparunt Græci, etiam ante schisma, & modo retinent etiam Romæ cum consensu Pontificio. Dicendum itaque demum est itidem absolutè Christum Dominum instituisse, tum materiam remotam, tum proximam huius sacramenti, non vltima determinatione rei, & actionis, sed sub conceptu vniuersaliori rei, & actionis significantis analogicè effectum huius sacramenti; relicta Ecclesiæ libertate eligendi hanc, vel illam eiusmodi rem, & actionem determinatè, atque præcipiendi, vt eadem determinate vterentur ministri ipsius, peccaturi quidem, sed non inualidè operaturi, si adhibeant rem, & actionem alterius speciei, eatenus æquiualentem. Ita docent Cardin. de Lugo vbi supra, & frater eius Franciscus lib. 1. de Sac. cap. 1. quæst. 7. num. 78. cum plerisque aliis Theologis, qui egerunt de ista controuersia in propriis terminis.

Art. 8. Ratio ob quam non necesse fuit, vt pro isto sacramento institueretur materia à Christo Domino, tanta cum determinatione, atque pro aliis sacramentis, videtur esse. Quia materiæ hæ potius, quam illæ adhibentur in singulis sacramentis, vt suscipientibus significent effectus proprios illorum, atque significando eleuent animum ad dignam eorundem effectuum æstimationem, & pium affectum, vt dictum est sæpè in communi, maximè verò qu. 11. Qui autem suscipiunt Ordines, supponuntur per se magis instructi de rebus spiritualibus, ac Diuinis, quam cæteri, ideóque sunt facilius excitabiles ad conuenientem appretiationem effectus percipiendi quam cæteri, suscipientes alia sacramenta. Oportuit ergo, vt Christus susciperet in se totaliter magisterium erga reliquos susceptores sacramentorum, determinando per se vltimato rem, & actionem directricem, ac illuminatricem illorum, vt optimus magister, magis, ac melius subueniret, maiori ignorantiæ, maiorique indigentiæ eruditionis perfectæ; Potuit verò absque inconueniente admittere alios in consortium magisterij, & eruditionis pro ordinandis, vtpote proiectioribus in intelligentia rerum; ideóque capacibus, vt instruerentur sufficienter quolibet ex pluribus symbolis effectuum sacramentalium, siue humana prudentia, siue Diuina sapientia electis, atque vltimò determinatis.

Art. 9. Eadem ratione ita instituit Christus formam verborum, quatenus significatiuam effectus conferendi vnicuique ordinando, vt reliquerit liberam similiter facultatem eligendi qualemcumque formulam verborum, sibi inuicem æquiualentium, quoad id significandum. Hinc in Ecclesia latina, Episcopatus confertur per duplicem formam partialem, quarum altera, *Accipe Spiritum sanctum*, adiungitur impositioni manuum ordinantis supra caput ordinandi: altera, *vngatur & consecretur caput tuum cœlesti benedictione in ordine Episcopali, in nomine Patris & Filij, & Spiritus sancti Adiungitur.* Vnctioni Chrismaticæ, quæ fit in capite ordinandi. Vtraque verò hæc forma videtur esse substantialis. Prior quidem certò propter definitionem supra memoratam Tridentini sess. 23. can. 4. non frustra dici ab Episcopo: *Accipe Spiritum Sanctum*, sed per hæc verba dari Spiritum sanctum. Posterior verò, quia Anacletus Papa Epist. 2. dicit sic: *Omnis sanctificatio constat in Spiritu Sancto, cuius virtus inuisibilis Sancto Chrismati est permixta.* At Græci vna continuata oratione absoluunt totam formam Episcopalis ordinationis, eamque adiiciunt vni itidem soli impositioni manuum, cum pallio Episcopi ordinantis, dicendo: *Diuina gratia, quæ semper infirma sanat, & imperfecta perficit, promouet N. &c.* postea verò adiungunt cæremonias alias accidentales, quæ videri possunt apud Arcud. lib. illo 6. cap. 2.

Art. 10. Similiter in ordinatione Presbyteri, Ecclesia Latina vtitur seorsim duplici forma partiali, quarum alteram, *Accipe potestatem offerendi sacrificium Deo &c.* profert Episcopus, dum tradit ordinando Patenam cum Hostia superposita, & Calicem cum vino, præmissa prius impositione manuum ordinantis, & Vnctione manuum ordinandi: alteram *Accipe Spiritum sanctum, quorum remiseris peccata, remittuntur eis &c.* profert idem Episcopus ordinans, dum imponit manus ordinando, postquam simul cum ipso consecrauit corpus, & sanguinem Christi. Dubitari autem non debet vtramque formam esse substantialem, & verè operatiuam sacramentaliter: tum quia in neutra forma saluatur veritas enunciationis iuxta proprietatem verborum, nisi vtralibet conferat re ipsa potestatem Ordinis, quam distinctè, & adæquatè significat: tum quia post priorem formam: *Accipe potestatem offerendi*, exercet Ordinatus eam potestatem, offerendo de facto, & sacrificando; posterior verò forma: *Accipe Spiritum sanctum*; non frustra profertur, sed verè dat Spiritum sanctum, vt liquet ex definitione Tridentini, paulò prius indicata, idemque Concilium sess. 14. cap. 1. & can. 4. definit per eadem verba datam esse Apostolis, Ioann. 20. & dari legitimis eorum successoribus, potestatem remittendi peccata. Certum itaque est per priorem formam in Ecclesia Latina conferri potestatem supra Corpus Christi verum; per posteriorem verò supra corpus eiusdem mysticum, seu ad absoluendos fideles. Græci verò, ad vnicam manuum impositionem cum pallio, vnam itidem solam adiiciunt formam verborum. *Diuina gratia, quæ semper infirma sanat &c.* atque hac vna prolatione, ac impositione, vtramque cum potestatem conferunt indiuisim Presbytero.

Art. 11. Diaconus ordinatur similiter in Ecclesia Latina per duplicem formam partialem, quarum prior: *Accipe Spiritum sanctum ad robur, & ad resistendum Diabolo & tentationibus eius*, profertur, dum ordinando imponitur manus Episcopalis; altera verò: *Accipe potestatem legendi Euangelium in Ecclesia Dei*, dicitur dum eidem traditur ab Episcopo liber Euangeliorum. Posteriorem autem istam, & formam verborum, & traditionem Euangeliorum, esse substantialem, & sacramentaliter operatiuam, dubitare minimè licet, propter apertam definitionem Florentini loco præindicato. Sed nec de priori forma, & impositione manus dubitari potest, quin sit similiter substantialis, & operatiua, tum propter sæpè repetitam definitionem Tridentini illis verbis verè dari Spiritum sanctum; nec frustra ea dici ab Episcopo, tum quia Apostoli ordinauerunt septem primos Diaconos impositione manus, vt constat ex Actor. 7. atque Conc. Carthag. 4. can. 4. & 5. clarè significat Diaconum perinde ordinari per impositionem manuum, atque ordinatur subdiaconus per traditionem Calicis, & Patenæ. At Græci soli manuum impositioni sola hæc adiungunt verba: *Diuina gratia, quæ semper &c.* ac deinde superaddunt accidentalia quædam alia.

Art. 12. Demum Subdiaconatus, & quatuor Minores Ordines conferuntur in Ecclesia Latina per formam verborum modi imperatiui, significatiuam potestatis vnicuique Ordini conuenientis, dum vnicuique ordinando traduntur instrumenta sui Ordinis, seu quibus, & circa quæ potestatem suam peculiarem vnusquisque ordinatus exercet. Vnde Subdiacono, dum ad eum dirigitur forma verborum huic Ordini congruens, traduntur Calix vacuus, & Patena itidem vacua. Acolytho verò traduntur cereus extinctus cum peculiari sua forma, ac deinde Vrceolus cum forma itidem peculiari, & sic de reliquis vti videri fusius, ac distinctius potest in Pontificali Romano, & apud Vasquez disp. 237. cap. 3. & disp. 238. cap. 5. At Græci, præter Lectoratum, nullum Ordinem Minorem seorsim conferunt. Lectoratum verò, sicut, & Subdiaconatum conferunt variata sola forma verborum, provt congruit vnicuique Ordini, & retenta vbique eadem manuum impositione, vti videri plenius potest in Euchologiis Græcorum, & apud Arcudium vbi supra.

Art. 13. Æquiualentia inter formas prædictas Græcorum, & eas, quibus vtitur Ecclesia Romana est manifesta. Quia potestatem cuiusque Ordinis propriam, quam cum ipsius collatione distinctè exprimunt formæ Romanæ, subsignificant etiam haud obscurè formæ Græcæ, dum distinctè exprimunt gratiam Dei, quatenus promotricem ordinandi, ad eum determinatè gradum, ac ordinem, qui ipsi confertur. Nec obstat, quod Græci tandem

semper

semper materiam adhibent pro omnibus Ordinibus, nec pro singulis superaddunt aliquid, sicut Latini, quòd peculiari analogia ducat in cognitionem muneris peculiaris, ad quod destinatur vnusquisque Ordinatus, non inquam hoc obstat. Quia inde tantùm concluditur materiam Latinorum esse significationem, magisque accommodatam pro vnoquoque Ordine clarius representando, sicut, & formæ sunt significationis proculdubio clarioris; cæterum materia etiam Græca est de se sufficiens, quæ partialiter concurrat ad promotionem ad quemlibet præeminentiæ gradum, ratione cuius, qui ordinatur consequitur munus aliquod dirigendi infimum fidelium populum ad cultum Dei, & ad vitam æternam. Quia Duces, ac Principes populi inaugurabantur olim impositione manuum, vt apparet ex numero 27. & Deuter. 34. atque inde impositio manuum semper retenta est, tanquam promotrix ad gradum quemlibet similis aliquatenus præeminentiæ, ac muneris. Dictum præterea est supra in communi, cum Augustino, D. Thoma, & aliis Principatum significandi, in sacramentis, esse penes verba, atque hæc variantur, pro diuersitate Ordinum, non minus à Græcis, quàm à Latinis, tametsi materia non varietur apud Græcos. Dictum rursus est in quæstione præcedenti sacramentum Ordinis esse vnum potentiale, secundùm speciem infimam, tametsi Ordines ipsi, seu gradus, per illud collati sint plures. Vnde nullum est inconueniens, quòd pro pluribus ordinibus eadem materia adhibeatur, cum hæc non sit pars Ordinis collati, sed solius sacramenti conferentis Ordinem passiuè sumptum. Concluditur itaque, sicut materiam, ita, & formam instituisse determinatè Christum Dominum in genere, quoad conceptum rei, & verborum significantium effectum proprium vniuscuiusque Ordinationis, atque de cætero reliquisse Ecclesiæ potestatem eligendi, atque vltimò determinandi eadem, quoad speciem infimam entitatiuam ipsorum.

Ad 1. Quæ instituta sunt à Christo Domino, obseruantur vniformiter in tota Ecclesia, & pro omni tempore, quatenus instituta ab ipso sunt. Cæterùm non omnia instituta ab ipso sunt cum vltima determinatione, quoad species infimas rerum, & verborum, secundùm entitates physicas ipsorum; atque eatenus dari potest varietas, absque vllo inconuenienti. Neque verò vlterius progressa est varietas Ecclesiæ in re præsenti, vt liquet ex dictis.

Ad 2. In nullo ex testimoniis, quæ indicat obiectio pro alterutra ex materiis, quibus vtitur Ecclesia, tum Latina, tum Græca, reprobatur explicitè, vel etiam implicitè, altera materia. Vnde vtralibet agnoscitur verè sufficiens absque vlla contradictione testimoniorum vtriusque partis. Ratio porrò, ob quam Concilium Florentinum solam expresserit traditionem instrumentorum, atque omiserit impositionem manuum, duplex esse potuit. Prior est, quia cum instructio illa Eugeniana, edita sacro approbante Concilio Florentino, sit compendiaria, & breuis, id solum exprimere voluit, quòd est vniforme, & proportionaliter commune omnibus ordinibus, tum maioribus, tum etiam minoribus, atque eiusmodi est in Ecclesia Latina, sola, instrumentorum traditio. Altera, eaque præcipua ratio est, quia impositio manuum pro Episcopatu, Presbyteratu, & Diaconatu, est notissima ex sacris litteris, minimèque controuersa apud Ecclesiam Occidentalem, & Orientalem, ideóque subintelligi facilè potuit, quin secùs exprimeretur. In aliis verò textibus sola exprimitur eadem manuum impositio propter eandem sacrarum litterarum authoritatem peculiarem, & quia agitur de solis iisdem ordinibus, de quibus solis expressè legitur in iisdem sacris litteris.

Ad 3. In hoc sacramento confertur potestas ad operandum circa materiam exteriorem. Potestas autem ad aliquid innotescit principaliter per actum ipsius. Hinc est, quòd in aliis sacramentis adhibetur materia, significans potissimùm formam communicandam suscipienti sacramentum, consideratam secundum se. In hoc verò sacramento exhibetur materia potissimùm significans actum, quo exerceri debet, quòd illud suscipit, quatenus materia, circa quam versatur actio, refertur distinctè ad ipsam actionem. Atque hoc dictum sit de materia Ecclesiæ Latinæ. Quia de Græca, eiusque opportuna significatione paulo prius dictum iam est, quantum sufficit.

Ad 4. Istud sacramentum ordinatur principaliter ad effectus similes effectibus potestatis, per quam idem sacramentum confertur, cum quadam vniuocatione peculiari, inter virtutem propriam ordinantis, & eam virtutem, quæ communicatur ordinando. Propterea minister huius sacramenti, congruenter vtitur modo imperatiuo, tanquam specialiter communicans de suo, effectum sacramenti, quod confert; cum alia sacramenta non præsupponant necessariò ex parte Ministri, effectum, quem mediante illo Deus communicat. Obserua obiter formam huius sacramenti, quatenus continet verbum, *accipe spiritum*, *accipe potestatem*, nempè sensibiliter; atque materiam eius proximam, quæ est traditio instrumentorum denotare necessarium esse contactum materiæ remotæ, ex parte ordinandi, quatenus non verificatur perfectè, & completè acceptio sensibilis spiritus, & potestatis, & traditio instrumentorum, absque contactu materiæ remotæ ex parte accipientis. Vnde hæc videtur probabilior, & est communior Theologorum opinio cum D. Thoma quæst. 34. art. 5. ad 3. aduersus Caietanum in summa, & alios non paucos.

---

## QVÆSTIO CV.

### *Vtrùm Minister Ordinis sit solus Episcopus?*

VIdetur non esse. 1. Quia Episcopus potest ordinare Episcopum. Ergo, & Presbyter Presbyterum, & sic de cæteris proportionaliter.

2. Non solus Episcopus imponit manus sacerdoti ordinando, sed etiam sacerdotes adiuuantes. Sacerdotium autem confertur per impositionem manuum. Ergo non solus Episcopus ordinat sacerdotem; sed etiam simplices sacerdotes. Similiter Subdiaconis traditur ab Archidiacono vrceolus cum aqua, & manutergio, quæ sunt instrumenta eius Ordinis. Ordinatio autem fit per traditionem instrumentorum ipsius Ordinis. Ergo Archidiaconus etiam ordinat Subdiaconum, & non solus Episcopus.

3. Cui conuenit, quod est principale, conuenit etiam, quod est accessorium. Sed in Episcopo, qui proculdubio potest omnes Ordines conferre, potestas consecrandi Eucharistiam est; potestas eius principalis, respectu cuius comparatur, tanquam accessoria, & minus principalis potestas ordinandi. Ergo omnibus Presbyteris conuenit potestas conferendi omnes Ordines, quandoquidem eisdem omnibus conuenit potestas consecrandi Eucharistiam.

4. Chorepiscopi validè olim conferebant, non solum Subdiaconatum, & Diaconatum, sed etiam Presbyteratum, vt colligitur apertè ex Concilio Antiocheno can. 10. Neocæsarienſi can. 13. Ancyrano can. 13. Chorepiscopi autem non erant veri Episcopi,

vt

vt nititur probare Vasquez ex Damaso Papa Epist. 5. Ergo alij, quam Episcopi possunt validè ordinare Presbyteros, & à fortiori alios ministros inferiores, saltem ex commissione summi Pontificis.

5. Innocentius VIII. anno 1489. concessit Abbati Cistercienſi, vt monachos sui Ordinis posset ordinare Subdiaconos, & Diaconos, affirmante Vasquez se vidisse istud Priuilegium in Collegio nostro Complutensi, idemque affirmat Victoria de Bulla concedente Abbatibus Cistercienſibus facultatem conferendi Subdiaconatum religiosis sui Ordinis, similisque Bullæ meminit Nauar. lib. 5. conſ. 13. Ergo Diaconatus saltem, & Subdiaconatus possunt validè conferri à simplici sacerdote, ex concessione summi Pontificis.

6. Quod alicui conuenit ex vi sui Ordinis, in nullo euentu amitti potest. Episcopus autem potest amittere potestatem ordinandi. Quia Episcopus excommunicatus, aut degradatus, aut hæreticus nulliter ordinant, vt apparet, ex testimoniis Gregorij magni, Innocentij 1. Damasi, & Leonis I. quæ eam in rem producit Gratianus causa 9. qu. 1. initio. Ergo Episcopo non conuenit ex vi sui Ordinis potestas ordinandi.

Articul. 1. Respondetur certum primo est solum Episcopum esse ordinarium ministrum sacramenti Ordinis: ita definiente expresè Concil. Florent. in decreto Eugenij §. *Sextum sacramentum*, idemque apertè colligitur ex Trid. sess. 23. canon. 7. Quia videlicet Episcopi sunt Principes Ecclesiæ, ad quod proindè pertinet, vt consulant bono eius communi, collocando vnumquemque in eo gradu, & ordine, atque potestate, quam expedit vnumquemque habere, vt peculiari sua cura bonum commune tueatur, ac promoueat, iuxta documentum Philosophi 1. Ethic. cap. 2. ad supremum Principem pertinere, vt constituat ministros, quot, & quales, iudicauerit expedire, ad procurationem boni communis; vti ex eodem Philosopho obseruat D. Thomas quæst. 37. art. 1.

Artic. 2. Certum rursus est Episcopum, neque excommunicatione vlla, neque degradatione, neque hæresi impediri posse quominus ordines conferat validè, vti fert communis Theologorum consensus cum D. Thoma in eadem quæst. 38. art. 2. & confirmat antiqua Ecclesiæ consuetudo agnoscens, & acceptans pro veris sacerdotibus ordinatos ab Episcopis, tum schismaticis, tum hæreticis. Ratio est, quia ordinatio non est actus iurisdictionis, sicut absolutio sacramentalis, sed est actus Ordinis conueniens Episcopo, ratione suæ ordinationis, cuius effectus ineſt ipsi inamissibiliter, atque adeò ineſt eidem inamissibiliter, atque inimpedibiliter potestas ordinandi, sicut ineſt cuilibet sacerdoti potestas consecrandi Eucharistiam. Accedit sacramenta non accipere vim suam à ministro, eiusque, aut fide, aut probitate, sed à Christo, eiusque meritis, quæ semper vim suam retinent, possuntque cooperari ministro, etiam improbo, & præciso ab Ecclesia, vti iterum obseruatum est supra in communi, ex Augustino, atque pluribus illustrat Bellarm. lib. 1. de Sacr. cap. 26.

Artic. 3. Certum quoque est; tum Ordines minores, & primam tonsuram conferri posse, & validè, & licitè à simplici sacerdote ex commissione summi Pontificis; tum Episcopatum à solo Episcopo conferri validè posse, neque quemquam alium per vllum priuilegium sufficere ad validam Episcopi consecrationem. Prior pars de ordinibus minoribus, & prima tonsura est nota ex praxi Ecclesiæ, & ex declaratione Concil. Trident. sess. 23. cap. 10. de reformat. Abbates quosdam ex Priuilegio Summi Pontificis conferre posse suis Religiosis Ordines minores, & primam tonsuram. Posteriorem partem de Episcopatu firmat vnanimis Doctorum consensus, qui hac in re, maximè, quæ ex traditione dependet, plurimi faciendus est. Quia verò communis itidem authorum fere omnium sententia est, ne quidem Presbyteratum conferri valide posse, per vllum priuilegium, ab alio, quam ab Episcopo; hoc quoque firmiter tenendum est, quidquid singulariter renitantur Vasquez, & Mæratius attribuentes simplici sacerdoti validam ordinationem sacerdotis ex concessione Romani Pontificis, vel Concilij Generalis. Fauent plurimum huic parti assertionis Concil. Antioch. can. 6. & 10. Ancyr. can. 13. Leo Papa Epist. 88. affirmantes solius Episcopi esse, ordinare Presbyteros, & Diaconos, Greg. III. in Epist. postrema ad Bonifacium, decernens, esse iterum ordinandos, ab alio, quam ab Episcopo ordinatos Presbyteros, loco suprà citato. Athanasius in secunda Apologia pluribus efficaciter reprobans valorem, & veritatem Presbyteratus collati à Presbytero non Episcopo, inducta etiam eam in rem auctoritate Synodi Alexandrinæ, Epiphanius hæresi. 75. & Augustinus hæresi. 53. reprobantes Ærium, qui Presbyteros æquabat Episcopis, quoad potestatem præsertim ordinandi Presbyteros, quod quidem Epiphanius manifestæ dicit insaniæ esse. Quia soli Episcopi dant Ecclesiæ Patres, dando illi sacerdotes, cum sacerdotes ipsi dent eidem tantùm filios baptizando; ac demum Concil. Trident. sess. 23. canon. 7. de hoc sacramento definiens potestatem confirmandi, & ordinandi non esse Episcopis communem cum Presbyteris; agit verò, vel vnicè, vel certè præcipuè de potestate ordinandi Presbyteros. Fauent inquam plurimum hæc omnia assertioni nostræ, quia licet in præfatis Testimoniis non excludatur distinctè potestas Pontificis ad committendam Presbytero ordinationem Presbyteri, satis tamen subintelligitur exclusa, dum astruitur absolutè, ac illimitatè talis assertio absque modificatione, & exceptione potestatis Pontificiæ ad oppositum.

Artic. 4. Rationem, ob quam summus Pontifex potest committere simplici sacerdoti ordines minores, & nequit eidem committere Episcopatus, vel etiam Presbyteratus collationem talem, reddit D. Thomas in 4. dist. 7. quæst. 3. art. 1. quæst. 3. & in hac quæst. 38. art. 1. ad 3. Quod nimirum summus Pontifex habeat duplicem potestatem, alteram circa Corpus Christi verum, alteram circa mysticum. Quoad potestatem circa verum Christi corpus, est æqualis summus Pontifex omnibus aliis; non solum Episcopis, sed etiam Presbyteris. Quibus videlicet illa conuenit in summo. At quoad potestatem circa corpus Christi mysticum, excedit omnes alios Episcopos, & Presbyteros, eisque plurimum superaddit. Hinc fit summum Pontificem non habere plenitudinem potestatis, quoad ea; quæ ordinantur proximè ad sacramentum Eucharistiæ, eandemque habere, quoad alia non ita ordinata ad idem mysterium. Cum ergo ordo Episcopalis, & sacerdotalis immediatè referantur ad mysterium Eucharistiæ; ordines verò minores non nisi remotè, cum versentur circa solas actiones præparatorias, ac valdè remotas; concluditur Pontificem posse vti plenitudine potestatis in committendis Presbytero ordinationibus minoribus: eademque vti non posse in committendis eidem ordinationibus, vel Episcopi, vel etiam Presbyteri.

Art. 5. Ista ratione vtitur D. Thomas ad negandam similiter summo Pontifici potestatem, vt committat Presbytero ordinationem Diaconi quoque, & Subdiaconi. Verùm quoad istos duos ordines non videtur ea ratio esse vsque adeò efficax. Quia Diaconatus, & Subdiaconatus sunt medij inter ordines minores, & sacerdotium, & plus accedunt ad naturam, & gradum ordinum minorum, quam sacerdotij, cuius excessus supra illos est propemodum infinitus.

Quia

Quia tota potestas Diaconi, & Subdiaconi exercetur circa materiam Eucharistiæ, & circa eius dispensationem, soluíque Sacerdos perficit immediatè sacramentum corporis, & sanguinis Christi. Quapropter potestas summi Pontificis ad committendos Presbyteros eos duos ordines est magis ambigua, atque in vtramque partem absolutè probabilis. Et quidem si certò constaret Innocentium VIII. vel aliquem alium Romanum Pontificem concessisse de facto priuilegium Abbatibus Cistercienſibus, vel alicui alij Presbytero non Episcopo ad conferendum Diaconatum, & Subdiaconatum; dubitandum minimè esset: quin Pontifex possit tale priuilegium concedere, & quod ij ordines validè conferrentur ex vi eiusdem priuilegij. Quia dici non posset absque magna Sedis Apostolicæ iniuria, & insigni aduersus diuinam Prouidentiam irreuerentia Pontificem errasse in re tam graui. Cæterum de eiusmodi Cistercienſium priuilegio, quod quidem foret valdè insigne, ac notabile, & cuius vsus futurus fuisset notissimus, ac celebris pauci admodum meminerunt authores, qui proinde facilius decipi potuere falsis exemplaribus, quam potuerint cæteri omnes ignorare tale priuilegium, aut de illo penitus silere, vt nihil dicam de aliis deceptionis eius indiciis, quæ expendit Coninc disp. 20. dub. 9. concl. 4. Quapropter probabilius videtur Pontifici non ineſſe talem potestatem committendi prædictos duos ordines, aut alterutrum ex illis alicui non Episcopo, cuius videlicet nullum est exemplum satis certum, & cui, licet non concludenter, vi tamen, haud quaquam contemnenda contradicit ratio proposita D. Thomæ quatenus potestas propria Diaconi, & Subdiaconi habet actum valdè propinquum consecrationi Eucharistiæ.

Art. 6. Probabilius longe est, & comparatiue, & etiam absolutè, summum Pontificem dispensare posse in numero Episcoporum, requiritur de iure Ordinario ad ordinandum Episcopum. Tres enim Episcopi requiruntur de iure Ordinario ad ordinandum Episcopum, vt liquet inter alia ex Epist. Aniceti Papæ ad Episcopos Galliæ, & ex Epi. S. Damasi Papæ contra Chorepiscopos, & ex praxi communi Ecclesiæ. At Pontifex dispensare potest, vt vnus solus Episcopus ordinet Episcopum, vt probat Martinon post alios apud eumdem disp. 67. sect. 2. num. 21. exemplis S. Gregorij magni, & Gregorij XIII. qui de facto dispensarunt. Neque verò apparet vlla ratio, aut textus efficax in contrarium. Immo non est omnino improbabile valere ordinationem Episcopi factam ab vno solo Episcopo, absque dispensatione Pontificis, tametsi oppositum sit probabilius, sit verò certum talem ordinationem esse illicitam. Ex his igitur patet, solum Episcopum esse absolutè ministrum Sacramenti Ordinis, & quatenus id sit certum aut probabile.

Ad 1. Argumentum procederet, si potestas ordinandi fundaretur in vniuocatione seu propinquitate, vel affinitate inter gradum ordinantis, & ordinati. At non in eo fundatur, sed in potestate & munere prouidendi bono communitatis. Nempe ad eos, qui sunt in Republica summi, ideóque habent supremam eius curam, pertinet, non solum, vt adiungant sibi, cum opus fuerit, alios sibi pares, eiusdemque secum conditionis, sed etiam, vt promoueant inferiores alios cooperatores respectu boni communis. Quia non possunt aliter sufficienter, & perfectè prouidere eidem bono communi. Vnde, cum Episcopi sint supremi Ecclesiæ Principes, ad ipsos solos spectat, tum consecrare alios Episcopos, tum etiam ordinare Presbyteros alioſque inferiores Ecclesiæ ministros, non verò ad ipsos vel Presbyteros, vel alios inferiores ministros.

Ad 2. Sacerdotium non confertur per quamlibet impositionem manus, sed per eam solam, quæ fit ab habente potestatem ordinandi, & proferente formam. Hic autem est solus Episcopus; vt dictum est. Quapropter impositio manuum, quæ fit à Presbyteris supra Presbyterum est solum cæremonialis, ad denotandam clarius abundantiam gratiæ, quæ confertur nouo sacerdoti, atque authoritatem, qua Presbyteri sunt Episcopis propinqui, atque anterioritate Ordinis venerabiles respectu eius, qui ordinatur de nouo; Simili proportionaliter ratione cooperatur Archidiaconus Episcopo in ordinatione Subdiaconi exhibendo ipsi aliqua instrumenta sui Ordinis, sicut exhibet etiam Acolytho, quæ ad ipsum spectant. Cæterum instrumentum principale Subdiaconi est Calix, qui datur ab Episcopo, & præterea solus Episcopus profert formam collatiuam potestatis, tum Subdiaconi, tum etiam Acolythi. Vnde ipse solus ordinat vtrumque, tametsi alius tanquam eius administer porrigat materiam, vel totam, vt fit respectu Acolythi, vel partem eius, eamque minus principalem, vt fit respectu Subdiaconi.

Ad 3. Non quodlibet minus principale, dicitur accessorium respectu magis principalis, cui accedit, sed quòd præterea consequitur ad magis principale, tanquam subordinatum eidem. Non est autem eiusmodi Episcopatus respectu sacerdotis, quia Episcopatus superaddit potestatem subordinatiuam simplicium sacerdotum respectu Episcopi. Vnde Episcopatus non consequitur ad sacerdotium ex natura ipsius sacerdotij, atque hoc est aliquid eidem subordinatum, ideóque ratio obiectionis non tenet.

Ad 4. Si illud argumentum quidquam conuinceret, conuinceret plus etiam quam intendit author eius, & promotor Vasquez, & quam intendere liceat, nempe simplicem sacerdotem posse ordinare validè Subdiaconos, Diaconos, & Presbyteros, etiam absque commissione Summi Pontificis. Quia in textibus, qui adducuntur pro ordinatione illorum facta valide à Chorepiscopis, nulla fit mentio commissionis Summi Pontificis, sed solius Episcopi Diœcesani, vt obseruant Ægidius Coninc, Martinon; & alij in præsenti. Conceditur itaque, Chorepiscopos validè ordinasse Presbyteros, solumque caueri in illis canonibus, ne id facerent absque consensu, & mandato Episcopi Diœcesani. Sed negatur eosdem Chorepiscopos omnes, & vbique fuisse simplices sacerdotes. Aliqui enim erant veri Episcopi titulares, seu anulares, vt dicitur, alij non erant, vt iidem authores ostendunt. Nempè Chorepiscopus dicitur quasi Episcopus villanus, & re ipsa est nomen Vicarij substituti sibi ab Episcopo Diœcesano. Vicarius autem Episcopi potest esse, & sæpè fuit, & aliquando nunc quoque est alius Episcopus verè talis quoad ordinem, licet plerumque non sit Episcopus. Itaque canones Conciliorum probantes validam ordinationem Presbyterorum factam à Chorepiscopis, loquuntur de iis, qui erant veri Episcopi, vt patet de Concilio præsertim Ancyrano, quod in can. illo 13. sic habet: *Qui in villis, & vicis constituti sunt Chorepiscopi tametsi manus impositionem ab Episcopis susceperunt, & vt Episcopi sunt consecrati; tamen placuit sancta Synodo scire eos oportere, modum proprium retinere.* Damasus verò cuius authoritate nititur probare Vasquez Chorepiscopos non fuisse veros Episcopos, non loquitur in ea Epistola de Chorepiscopis vniuersim omnibus, sed de iis solis, qui non erant veri Episcopi. Vnde consequenter declarat, *quidquid ex supradictis ministeriis* (ordines conferendi) *Pontificalibus præsumebant, irritum fuisse, & nihil tactis profecisse.* Ex quo vlterius apparet eam Damasi auctoritatem vsque adeò nihil conferre ad scopum principalem ipsius

sius Vasquez, vt potiùs eum penitus euertat, dum manifestè declarat nullos ordines collatos à Chorepiscopis, qui non erant veri Episcopi, & præcisè, quia veri Episcopi non erant.

Ad 5. Patet ex dictis supra artic. 5. & similiter patet ad sextum ex dictis supra artic. 2. Testimonia porro, quæ habentur apud Gratianum pro nullitate Ordinum, quos contulissent hæretici, vel aliter præcisi ab Ecclesia, solùm probant ordinatos ab illis, non accipere gratiam, & manere suspensos ab exercitio ordinis suscepti, quatenus peccant suscipiendo ordines ab hæreticis, & præcisis, atque iure canonico suspenduntur ab exercitio potestatis acceptæ, vt dictum est iterum in simili circa sacramentum Confirmationis, vbi etiam notata est ratio differentiæ quoad hoc respectu Baptismi.

## QVÆSTIO CVI.

### *Vtrùm quilibet baptizatus sexus Masculini, sit subiectum Ordinum capax?*

VIdetur non esse. 1. Quia qui puerum infantem facit, seu intendit facere sacerdotem, vel Episcopum, rem facit ridiculam, & absurdam. Qui autem perficit sacramentum non facit rem ridiculam, & absurdam, cum sacramentum talis res esse nunquam possit. Ergo, qui intenderet infantem ordinare sacerdotem, vel Episcopum, non perficeret verum sacramentum. Ergo infans, tametsi baptizatus sit, est incapax Sacerdotij, & Episcopatus. Eadem autem videtur esse ratio de cæteris ordinibus, cum omnibus sit peræquè communis ratio sacramenti, vt dictum est supra.

2. Ad susceptionem validam huius sacramenti requiritur consensus ex parte suscipientis ordinem. Quia ordo transfert ordinatum ad peculiarem statum, & professionem vitæ, & imponit ordinato peculiaria aliqua onera maiora, vel minora, pro qualitate Ordinis. Nihil autem eiusmodi euenire cuiquam potest ex sola alterius voluntate, absque proprio consensu. Consensus autem nullus dari potest, in infante, vel amente, vt per se patet de consensu quidem formali. De præsumpto verò probatur, quia sacramentum Ordinis non est necessarium respectu vniuscuiusque, sicut est necessarius Baptismus, & præterea est specialiter onerosum. Nemo autem præsumitur consentire in rem sibi minime necessariam, sicut præsumitur consentire in eam, quæ sibi necessaria est, præsertim cum simul est onerosa. Sed neque parentes; aut alij paruulorum curam habentes, possunt consensum illorum supplere suo. Quia potestas, & vinculum Ordinis, est quid omninò supernaturale: atque quoad supernaturalia non subiacent pueri, aliique carentes vsu rationis, paternæ, aut aliorum curam gerentium voluntati. Ergo sacramentum Ordinis collatum infanti, aut amenti est nullum. Confirmatur, quia sacramentum Ordinis est perfectius, quam sacramentum pœnitentiæ, & matrimonij, vt dictum est supra in communi. Neutrum autem ex his duobus sacramentis validè suscipere potest, qui caret vsu rationis. Ergo multo minus sacramentum Ordinis,

3. Cuius potentia, eius est actus, vt dicit Philosophus de somno, & vigil. capit. 1. & cui repugnat actus, repugnat & potentia ad actum. Ordo autem est potentia ad actum repugnantem ei, qui caret vsu rationis. Ergo Ordo etiam ipse repugnat eidem, tametsi baptizatus sit.

4. Qui suscipit sacramentum Ordinis mancipatur Diuinis Officiis. Seruitus autem, propter obligationem ad Dominum impedit, quo minus seruus mancipetur Diuinis Officiis, cum quibus videlicet est incompossibile obsequium debitum respectu Domini. Ergo seruus non minus baptizatus, quam non baptizatus est incapax Ordinis, eademque est ratio de aliis statibus, & conditionibus personarum similiter impedientibus ab ordinum exercitio. Sed præterea in seruo est peculiaris incapacitas. Quia Ordo quilibet Ecclesiasticus, habet sibi adiunctum peculiarem aliquem præeminentiæ gradum respectu cæterorum, qui repugnat seruo, cuius est propria subiectio in summo, & multo magis, quam fœminæ, quæ tamen, propter subiectionem sibi naturalem ad virum, dicitur communiter, & est incapax Ordinis.

5. Eadem præeminentia, & specialis claritas propria ordinum Ecclesiasticorum repugnat obscuris quibusque hominibus, ac vilibus, vt illegitimis, infamibus ex delicto, vel turpibus ex defectu notabili corporis. Ergo omnes eiusmodi, etiamsi baptizati sint, sunt incapaces Ordinis Ecclesiastici. Specialiter verò sunt incapaces, qui carent membro aliquo necessario ad exercitium Ordinis.

6. Diaconissæ olim ordinabantur ad peculiare ministerium in Ecclesia, sicut Diaconi, & Sacerdotes, vt apparet ex multis, quæ habentur circa earum ordinationem in Concil. Chalced. can. 14. Aurelian. II. can. 18. Epaunensi can. 21. Clemente Romano lib. 8. constit. c. 26. & alibi sæpè Tertul. lib. de exhortatione ad castitatem c. vlt. Ergo non soli masculi, sed etiam fœminæ baptizatæ sunt capaces Ordinis Ecclesiastici.

Art. 1. Resp. Manifestum est prærequiri baptismum ad validam Ordinis susceptionem, non solum, quia Baptismus est ianua sacramentorum, vt dictum est supra, sed etiam, quia Ordo Ecclesiasticus continet in se peculiarem præeminentiæ gradum in Ecclesia Dei, qualem nemo nanciscì potest in aliqua communitate, quin ad eandem communitatem pertineat, sitque in eadem receptus, quod fit per Baptismum respectu communitatis Ecclesiæ.

Art. 2. Manifestum quoque est, vltra baptismum requiri masculinitatem. Quia fœminæ ne loqui quidem in Ecclesia permittuntur, vt apparet ex 1. ad Timotheum 2. nedum ministeria Ecclesiastica exercere, ad quæ ordines Ecclesiastici referuntur. Accedit mulieres ex sua indiuiduatione habere statum subiectionis, cum habens ordinem, eo ipso habeat statum quendam præeminentiæ vniuersalis. Accedit rursus easdem esse incapaces sacerdotij, vt dicitur in can. Diaconissam. 27. quæst. 7. docentque communiter Doctores cum D. Thoma quæst. 39. art. 1. ex Epiph. hæresi 49. & August. hæresi 27. aduersus hæresim Pepusianorum, qui fœminas ordinabant sacerdotes. Ergo sunt pariter incapaces ordinum quoque minorum, nec non primæ tonsuræ, vtpotè disponentium, ac præparantium, ad sacerdotium ex intentione Ecclesiæ, & ex Christi institutione.

Art. 3. Manifestum denique est plura præterea alia requiri ad licitam, ac honestam ordinum susceptionem, nempè statum gratiæ, qui requiritur ad omnia sacramenta viuorum, scientiam, actui, ac exercitio cuiusque Ordinis congruentem, probitatem morum, qualis decet personam Ecclesiasticam, atque ministeriis Ecclesiasticis specialiter deuinctam, sufficientiam facultatum temporalium, ad decentem habitus, & vitæ modum, iustam seriem promotionis, vt per minores ad maiores ordines, experimento in singulis præmisso, & non aliter transitus fiat, ætatem Ordini exercendo opportunam, qualis est septennium pro prima tonsura, & pro ordinibus minoribus, pro

Subdiaconatu

Subdiaconatu vigesimus secundus annus, pro Diaconatu vigesimus tertius, & pro sacerdotio vigesimus quintus, nimirum incepti; pro Episcopatu verò trigesimus completus: de quibus omnibus, deque aliis eiusmodi instruit exacte Conc. Trid. sess. 23. in decreto de reformatione per plura capita.

Art. 4. Nihil verò eorum, quæ recensita sunt pro licita, ac honesta ordinum collatione, & susceptione, est necessarium ad valorem sacramenti. Plura nimirum necessaria sunt, vt aliquid bene sit, quam vt sit simpliciter, tum in genere, tum maximè respectu sacramentorum. Quia si totidem necessaria essent ad valorem sacramenti, quot necessaria sunt ad ipsum laudabiliter perficiendum sæpissimè in dubium reuocaretur valor sacramentorum. Plurima namque sunt, quæ ad laudabilitatem operationis vsque adeo excellentis, requiruntur, & sæpissimè dubitatur, an omnia illa adfuerint. Magnum autem esset inconueniens, cum maxima fidelium perturbatione coniunctum, si toties meritò in dubium reuocaretur valor sacramentorum. Maximè verò valor huius sacramenti, quod, & initerabile est, & disponit ad sacramenta cætera dispensanda, & magna ex parte ad eadem validè perficienda. Hac igitur de causa sacramentum Ordinis validè confertur cuiuis masculo baptizato, cuiuscunque de cætero ætatis, qualitatis, & conditionis sit. Quæ est communis Theologorum sententia cum D. Thoma quæst. 39. ab artic. 2. Et suadetur efficaciter ex c. *vnico de Clerico per saltum promoto*, vbi præmisso quendam infra annos discretionis susceptisse ordines vsque ad Subdiaconatum inclusiue, respondet Innocentius III. validè id factum fuisse, nec obscurè innuit Diaconatum etiam valide tunc susscipi potuisse. Valet autem argumentum à pari, non solum pro Diaconatu, sed etiam pro sacerdotio, & Episcopatu, vt apparet ex rationibus dubitandi, quarum circa omnes, & quosuis ordines est vis eadem, excepta prima ratione, quæ etiam ipsa parum admodum refert, cui potissimum Ordini applicetur, vt apparebit in eius responsione. Vrget verò paritas apertiùs, posito omnes ordines, etiam minores habere rationem sacramenti, vti positum à nobis est supra, præsertim de Subdiaconatu. Probatur idem rursus ratione D. Thomæ eademque iam communi apud omnes. Quia sacramenta, de quorum ratione, & essentia non est actus aliquis suscipientis, qualia sunt sacramentum matrimonij, & pœnitentiæ, nec non præsuppositiuè sacramentum Extremæ-Vnctionis, validè conferuntur nondum habentibus vsum rationis. Qua de causa dictum est supra baptismum, Confirmationem, & Eucharistiam, validè & cum fructu conferri infantibus rationis expertibus. Sacramentum autem Ordinis nullum suscipientis actum in se includit ex conceptu suo, quia solam confert potestatem quandam ad sacramenta ritè peragenda, ac administranda, sicut baptismus confert potestatem ad eadem suscipienda, & vtraque potestas æquè bene intelligitur subsistens in subiecto, absque alio ipsius actu. Vnde vlterius colligitur, ne quidem consensum Parentum, aut aliorum gerentium curam paruuli, esse necessariam, necessitate sacramenti, vt valeat Ordo collatus paruulo, vt dictum est in simili circa baptismum. Eadem porrò ratio est de amentibus, cuiusuis ætatis, dummodo non fuerint prius rationis compotes. Nempe qui prius ratione vtebatur, si tunc dissentit, semper habitualiter dissentit, ideóque inualidè ordinaretur. Quia de ratione gaudentis libero arbitrio, vel tunc, vel prius, est vt non subeat aliquam eiusmodi variationem status, independenter à consensu suo absolutè, & simpliciter voluntario, ac libero, vt sæpè dictum est in simili: Omnes igitur ordines validè conferri possunt cuiuis masculo baptizato absque vlla exceptione. Nihil namque est, quod habeat apparentiam maiorem impedimenti irritantis ordinationem, quam defectus vsus rationis; quem tamen ostensum est, non irritare.

Art. 5. Notare specialiter oportet circa Episcopatum, duo in eo considerari posse, valde inter se diuersa. Alterum est Ordo ipse Episcopalis, seu potestas Ordinis collata ex vi sacramenti secundum se præcisè; & quoad hoc nullum est discrimen inter Episcopatum, & alios ordines, vt patet consideranti fundamentum nostrum. Alterum est iurisdictio, cura pastoralis, & matrimonium spirituale cum Ecclesia, cum onere eam gubernandi, & quoad hoc est magnum, ac manifestum discrimen. Quia eiusmodi onus imponi, seu suscipi nullatenùs potest absque consensu liberè suscipientis. Atque hoc posterius solum est, quod intendunt D. Thomas in 4. dist. 25. quæst. 1. artic. 1. quæst. 2. & D. Bonauentura ibidem, art. 2. quæst. 2. dum negant Episcopatum infanti, vel amenti validè conferri posse, neque aliud intendere consequenter possunt, quandoquidem negant ordinationem Episcopi habere rationem veri sacramenti, vt patet de D. Thoma in hac qu. 40. art. 5. & de D. Bonauentura in 4. dist. 24. parte 2. art. 2. qu. 3. Verum neque alij ordines collati rationis experti eum obligant ad aliquid, sed perinde relinquunt liberum, ac solutum ad omnia, quæ voluerit, atque si ordinatus nullatenus fuisset.

Art. 6. Est & aliud discrimen, idque maius inter Episcopatum, & alios ordines, quia alius quilibet Ordo ex superioribus, confertur validè prætermissis aliis inferioribus, idest per saltum, Episcopatus verò, non solùm illicite, sed etiam nulliter confertur ei, qui non fuerit priùs ordinatus Presbyter. Nempe inter alios ordines quilibet superior, ita est perfectior aliis inferioribus respectu sui, vt eos in se contineat eminenter, ideóque subsistit per se, etiam aliis non præsuppositis. At gradus Episcopalis, quatenus distinctus à Presbyteratu, seu quoad id præcisè, quod superaddit vltra Presbyteratum, ipsum nequaquam excedit, nec eundem in se continet eminenter, vt dictum est iterum supra ideóque collatus non Presbytero, est nullus. Concluditur itaque, quemlibet masculum baptizatum esse ex hoc præcisè capacem omnium ordinum, excepto Episcopatu, ratione modò signata.

Ad 1. Quæcunque fiunt peccaminosè, fiunt absurdè, & sunt absurda, & pleraque etiam ridicula. Sed non propterea non fiunt re ipsa, aut non valent, conceditur itaque ridiculè, & absurdè ordinari sacerdotem, aut Episcopum, eum qui caret vsu rationis, sed id conuenit sacramento ratione circumstantiæ accidentalis tantùm. Plures autem circumstantiæ perinde ridiculæ, ac absurdæ adiungi multipliciter possunt, tùm huic, tum aliis sacramentis, quin propterea annullentur, vt si consecretur, panis in ore canis. Adde in aliquo fortassis euentu, posse piè, ac laudabiliter conferri ex natura rei Presbyteratum, & Episcopatum nondum compoti rationis, vt si sperare non posset adfuturum esse prouinciæ alicui Catholicæ Presbyterum aliquem, vel Episcopum post aliquot annos, atque inde immineret periculum perituræ ibi Religionis, si eam non foueat Presbyter, aut Episcopus, cum peruenerit ad maturitatem, qui fuit ordinatus infans.

Ad 2. Quo præcipuè nititur Durandus oppositæ authoris sententiæ patet ex notatione nuper præmissa art. 5. Dictum enim est experti rationis nullum imponi onus per ordinationem, sed esse purum fauorem, puro autem fauori ipsa humana natura sufficienter ex se præcisè consentit. Neque quicquam specialiter conuincit in contrarium verbum, *accipe potestatem*

*statem accipe Spiritum Sanctum*, quod ordinans dirigit ad ordinandum. Quia similiter in baptismo, qui certissimè est conferibilis experti rationis, dicitur, *accipe signum Crucis, accipe sal sapientiæ*. Ratio vtrobique est, quia talia verba non dicuntur à ministro sacramenti per modum pacti, & contactus mutui; sed sunt operatoria se solis eius, quod significant, & solum dicuntur ad manifestandum voluntatem conferendi, ipsamque collationem potestatis spiritualis, & gratiæ, quæ collatio fieri potest absque consensu formali, & elicito suscipientis, ex sola voluntate Diuina, impertiente dona sua, cui vult. Quod ad confirmationem attinet, sacramentum Pœnitentiæ, & Matrimonij requirit essentialiter vsum rationis in suscipiente, non ex magnitudine suæ perfectionis, sed quia constituitur intrinsecè per actum liberem ipsius suscipientis. Quod in hoc sacramento locum non habet vt notatum est suprà.

Ad 3. Impedito posteriori non impeditur necessariò, quod prius est. Prior autem est potestas propria Ordinis quam actus eius. Vnde licet defectus vsus rationis impediat actus proprios ordinum, non propterea impedit Ordines ipsos, & potestates eorum proprias, vt dictum est iterum in simili circa baptismum, & confirmationem. Potest itaque inesse potentia ad aliquem actum subiecto absolutè capaci eiusdem actus, quæ est intentio Philosophi, etiam pro eo tempore, pro quo idem subiectum, est accidentaliter impeditum, quominus operetur.

Ad 4. & 5. Dictum iam est supra plura requiri, vt decenter, & conuenienter conferatur sacramentum Ordinis, quam vt simpliciter, seu validè conferatur. Eiusmodi autem sunt, quæ ponderantur in duplici ea obiectione. Quia nihil eorum est incompossibile cum potestate, & gradu præeminentiæ purè spirituali, ac interna, sed solum cum decenti eius exercitio: ad quod ipsa potestas refertur, ac ordinatur intrinsecè. Sed neque subiectio serui est similis obiectioni fœminæ, siquidem seruo inest accidentaliter, & ab extrinseco, fœminæ verò inest intrinsecè, ratione suæ individuationis. Similiter dicitur de mutilato, atque inde impedito ab exercitio Ordinis, nempe id esse per accidens.

Ad 6. Diaconissas, idest fœminas fœminis aliis instruendis, subleuandis, in necessitate iuuandis, ac tenendis in baptismo, aliisque eiusmodi piis operibus destinatas, atque ad id muneris cæremonia aliqua Ecclesiastica consecratas, virgines quidem per se, easque quadragenarias, in earum verò defectu, viduas sexagenarias, cæpisse à tempore Pauli Apostoli; atque durasse ad Leonem vsque primum, dictas quoque nonnullas fuisse Episcopissas, Presbyteras &c. non ratione sui muneris, sed ratione Ordinis ad quem assumpti fuerunt mariti, aliaque eiusmodi prosequitur fusissime Vasquez tota disp. 246. Hoc vnum est consecrationem, seu benedictionem mulierum, ad quæcunque demum munera destinarentur, nunquam fuisse ordinem verè, ac strictè talem, pro vt sumitur. Ordo in præsenti pro gradum disponente ad aliquod altaris ministerium, & præparante ad suscipiendos ordines sacros, qui illis repugnant, ex institutione Diuina manifestata per traditionem, & praxim perpetuam Ecclesiæ, ex qua similiter, & ratione, & auctoritate innotescit, mulieres esse pariter incapaces primæ tonsuræ, vtpote disponentis, ac præparantis ad ordines sacros, iuxta sensum, in quo ea vox vsurpatur communiter in præsenti, iam auctoritates inductæ in obiectione loquuntur de ordine, latè, ac impropriè sumpto, pro determinatione ad aliquod munus peculiare.

## QVÆSTIO CVII.

### *Vtrùm sacramentum Ordinis imprimat characterem, & conferat gratiam?*

VIdetur neutrum præstare. 1. Quia character Ordinis, est spiritualis quædam potestas, ad aliquid agendum, eaque inamissibiliter inhærens. Ministris autem Ecclesiæ, qui ex vi sui Ordinis sunt infra Presbyteros, nulla conuenit potestas peculiaris ad aliquid agendum; & si quæ conuenit est amissibilis. Quia quicunque agunt ministri Presbyteris inferiores, possunt etiam agere, qui nullum vnquam ordinem susceperè; ita vt nullum sit discrimen reale inter operationes, & effectus eorum, vt patet in lectione Euangelij, vel Epistolæ delatione candelabri, & similibus; & præterea, qui susceperè ordines minores: possunt redire ad vitam laïcalem, sicut prius. Ergo non est de ratione sacramenti Ordinis, vt imprimat characterem, saltem vniuersaliter, & secundum omnes suas differentias.

2. Sacramentum Ordinis præsupponit essentialiter sacramentum baptismi. Ergo character Ordinis, si daretur, præsupponeret similiter characterem baptismalem, hoc autem esse non potest. Quia character baptismalis est potentia passiua, ac receptiua aliorum sacramentorum, character verò Ordinis si daretur esset potentia actiua, & dispensatiua, aliorum sacramentorum. Potentia autem actiua non præsupponit essentialiter passiuam, sed è conuerso, vt patet in Deo, & creaturis inuicem collatis. Ergò nullus datur character Ordinis.

3. Si vnusquisque Ordo imprimeret peculiarem characterem, character Ordinis superioris præsupponeret intrinsecè characterem Ordinis inferioris, sicut omnes ordines præsupponunt characterem baptismalem, magis sibi dissimilem, quam sint ipsi inter se, & sicut calor intensus, præsupponit remissum, & adolescentia, pueritiam. Non autem datur eiusmodi præsuppositio, quia ordinatus per saltum, validè ordinatur, vt dictum est. In quæstione præcedenti. Ergo sacramentum Ordinis non imprimit characterem, saltem secundum omnes ordines.

4. Sacramentum Ordinis pugnat contra defectum ignorantiæ, vt vulgo dicitur, atque ex omnium sententia constituit distinctionem, & relationem inæqualitatis, inter ordinatum, & alios non ordinatos. Gratia autem habitualis non pugnat contra ignorantiam, sed contra solam peruersitatem voluntatis, & est communis omnibus diligentibus Deum. Ergo sacramentum Ordinis non est collatiuum gratiæ habitualis ex suo conceptu.

5. In promotione Episcopi ad Archiepiscopatum, aut Patriarchatum, vel etiam summum Pontificatum, in creatione Cardinalis, in collatione Archidiaconatus, Archipresbyteratus, nec imprimitur character, nec infunditur gratia habitualis. Ergo neque imprimitur, aut infunditur in ordinatione Episcopi, aut Presbyteri, & multo minus in collatione aliorum inferiorum ordinū. Consequentia tenet à fortiori, quia quæ præmissa sunt, sunt maiora, ac præstantiora, magisque ardui ministerij.

Art. 1. Respondetur. Omnia nouæ legis sacramenta conferunt gratiam sanctificantem, vt dictum est supra in communi quæstion. 19. & quæ sunt inter abilia atque collatiua potestatis alicuius peculiaris ad cultum Dei, imprimunt insuper characterem, vt dictum est itidem in communi quæstion. 31. Ordo autem est verum nouæ legis sacramentum, idque collatiuum potestatis peculiaris ad cultum Dei, nempe ad rite peragendum mysterium Eucharistiæ, vt

vt patet ex dictis hucvsque, præsertim quæst. 102. Ergo sacramentum Ordinis imprimit characterem, & confert gratiam. Quod etiam liquet, quoad characterem ex Concil. Florent. in decreto Eugenij §. *Hæc omnia*, & ex Trid. sess. 23. cap. 4 initio; quoad gratiam verò ex Florent. ibidem §. *sextum Sacramentum*, & ex Trid. ibidem cap. 3. Confirmatur, quia ij quibus confertur peculiaris aliqua potestas fori exterioris, ac sensibiles, præmuniuntur signo aliquo exteriori, aut instrumento publico, manifestativo potestatis acceptæ; eisdemque prouidentur adiutoria, & adminicula omnia exteriora, quæ sunt necessaria ad perfectum muneris, & potestatis collatæ exercitium. Ergo quibus confertur potestas spiritualis, insensibilis, ac interna, confertur similiter, iuxta perfectam prouidentiæ normam, signum internum, & spirituale manifestativum potestatis collatæ; necnon auxilium gratiæ, necessarium ad perfectum exercitium eiusdem potestatis. Per Sacramentum autem Ordinis confertur à Deo specialis potestas ad altissimum ministerium, quale est peragere ritè mysterium mysteriorum, vt liquet ex definitione, & fine huius sacramenti expositis, quæst. 102. & ex veritate verborum formæ eius, vt liquet ex formulis indicatis qu. 104. ab art. 9. *Accipe potestatem*, &c. Confert igitur Deus vi huius sacramenti signum spirituale, ac intelligibile (ideſt characterem) potestatis prædictæ simul cum ipsa potestate, necnon subsidia gratiæ, opportuna eidem potestati laudabiliter, & perfectè exercendæ, quorum per sacramenta conferendorum radix, & fundamentum necessarium est gratia habitualis, vt dictum est in communi. q. 28.

Art. 2. Confert porrò istud sacramentum vberiorem gratiam, quam vllum aliud sacramentum præter Eucharistiam. Quia videlicet est perfectius, quam reliqua quinque sacramenta, vt dictum est supra in communi, quæstion. 35. articul. 4. atque disponit ad altissimum ministerium eiusdem Eucharistiæ ritè peragendæ, quod proinde, vt dignè, & perfectè exhibeatur est opus maximè arduum, ac excellens; atque Deus, *cuius perfecta sunt opera*, dat vires operi, ad quod vocat, ac destinat pares. Dat verò istud sacramentum vbertatem istam gratiæ, præcisè præsupponendo primam gratiam, eamque augendo; idque cum primum confertur ipsum sacramentum, si tunc non adsit obex, sin minus postea recedente obice, iuxta dicta in communi, qu. 26. & 30. Auxilia verò gratiæ actualis confert, quoties, & quando occurrit occasio exhibendi ministerij congruentis vnicuique ordinato. Characterem verò confert in illo ipso instanti, in quo perficitur ipsum sacramentum, & cum primum existit adæquatè quoad conceptum suum essentialem. Quod si tunc adsit obex characteris, nunquam is imprimitur, aut fieri potest, vt imprimatur vi eiusdem numero sacramenti, quod videlicet eo ipso est nullum, vt liquet ex eadem q. 30.

Art. 3. Character Ordinis, essentialiter præsupponit characterem baptismalem; eadem ratione, quâ in qu. præcedenti dictum est sacramentum Ordinis soli baptizato conferri validè posse, atque adeò essentialiter præsupponere Baptismum. Characterem verò Confirmationis, non præsupponit essentialiter character Ordinis. Quia non est de essentia potestatis ad ministrandum Altari potestas ac idoneitas ad pugnandum fortiter pro fide. Congruum nihilominùs est, vt susceppturus Ordinem, susceperit prius confirmationem, qua redditur specialiter idoneus, ad actus Ordinis dignè, ac decenter exercendos, vt dicit D. Thom. qu. 35. artic. 4. aliique communiter. Qua de causa Concil. Trid. sess. 23. cap. 4. de reformat. cauet, ne vel *prima tonsura initientur*, *qui sacramentum Confirmationis non susceperint*; tametsi videatur id minimè prohibere sub lethali, eaque sit communis existimatio.

Artic. 4. An characteres singulorum ordinum, alij alios serie quadam necessariò præsupponant; non vna omnium Theologorum sententia est. Qui enim putant collationem ordinum minorum, aut etiam Subdiaconatus, & Diaconatus, non habere rationem sacramenti, consequenter dicunt, nullum per illam impressi characterem, idemque dicunt de consecratione Episcopi cui similiter ipsi negant rationem sacramenti, provt distinguitur ab ordinatione Sacerdotis. Sed nonnulli etiam ex iis, qui consecrationem Episcopalem putant esse seorsim sacramentalem, dicunt nullum nihilominus, characterem nouum per eam induci, sed solam superaddi nouam quandam denominationem, seu modum relatiuum characteri sacerdotali, quæ sunt opiniones Soti, & Vasquez. Idemque iidem dicunt, de posteriori Ordinatione partiali sacerdotis, per quam accipit potestatem remittendi peccata, vltra potestatem consecrandi, datam priori alia ordinatione partiali.

Art. 5. Dicendum inprimis est vnamquamque ordinationem, siue sacram, siue non sacram, peculiarem suum characterem imprimere. Quia qu. 103. stabilitum est, omnes ordines, siue sacros, siue non sacros, siue maiores, siue minores, habere rationem veri sacramenti. Certum autem est apud Theologos omnem, & quamlibet ordinationem, quæ habet rationem veri sacramenti, esse impressiuam veri characteris peculiaris, nec discrepant inter se quoad hoc punctum, nisi quatenus discrepant quoad rationem sacramenti. Vnde eundem proportionaliter certitudinis gradum obtinet, quod modo dictum est de charactere, quem obtinet, quod ibi dictum est de ratione sacramenti. Dicendum rursus est, post Concilium Tridentinum videri indubitabile per collationem Presbyteratus, Diaconatus, & Subdiaconatus, imprimi characterem. Quia sess. 23. can. 4. definitur à Concilio, per sacram ordinationem imprimi characterem. Ordinatio autem sacerdotis, Diaconi, & Subdiaconi, est sacra, quandoquidem isti tres ordines sunt sacri, vt dictum est supra, neque de hoc est controuersia inter authores. Dicendum tertio est Presbyterum accipere duplicem characterem partialem, ex duplici sua ordinatione partiali. Quia vtralibet ordinatio confert permanenter suam peculiarem potestatem spiritualem, ad cultum Dei, ac proinde, & peculiarem characterem imprimere debet, vt appareat ex ratione fundamentali istiusmodi characteris secundùm se, tum indicata prius, tum deinde ponderata artic. 1. Dicendum denique est, eadem ratione consecrationem quoque Episcopi, superaddere sacerdotio peculiarem characterem. Quia videlicet superaddit peculiarem potestatem spiritualem, eamque inamissibilem ordinandi ministros Ecclesiæ, confirmandi, aliaque plura peragendi, vt liquet ex definitione Tridentini prædicta sess. 23. cap. 4. post medium, ac proinde superaddit characterem similiter specialem. Quod quidem qua ratione positiua in dubium reuocetur, ego prorsus non video, nec assequor vllam doctrinæ, & fundamenti consequentiam, apud eos, qui agnoscunt characterem aliquem sacramentalem; præcipuè verò apud eos, qui agnoscunt aliquos duos characteres, seu partiales, seu totales, verè distinctos inter se, & negant nihilominùs peculiarem characterem, tum Episcopalem, tum Presbyteralem, indicatiuum, seu contentiuum potestatis ad remittenda peccata.

Art. 6. His ita suppositis tria facilè subinferuntur quoad punctum propositũ. Primum est, quod character sacerdotalis non præsupponit essentialiter characte-

res aliorum inferiorum ordinum, & sic de cœteris respectiuè. Alterum est; esse illicitam, ac inhonestam collationem, & susceptionem characteris pertinentis ad ordinem aliquem superiorem, non præsuppositio characterе pertinente ad ordinem, seu ordines inferiores respectiuè. Vtrumque hoc apparet clarè ex capite vnico superius considerato *de Clerico per saltem promoto*, necnon ex Concilio Trident. sess. 23. can. 2. vbi dicitur in Ecclesia Catholica esse alios ordines, præter sacerdotium, & maiores, & minores, *per quos velut per gradus quosdam, in sacerdotium tenditur*. Tertium est: characterem Episcopalem intrinsecè dependere à charactere sacerdotali, similiterque dependere characterem sacerdotis, quatenus potentis remittere peccata, ab eiusdem charactere, quatenus potentis consecrare. Vtraque pars huius assertі est communiter recepta apud omnes Theologos agnoscentes vtrumque eum peculiarem characterem; ij etiam, qui neutrum agnoscunt, fatentur nulliter promoueri ad Episcopatum, aut ad munus Confessarij, eum qui prius non est sacerdos, & præditus potestate consecrandi Eucharistiam. Quia videlicet potestas circa verum Christi, Corpus, est præcipua, & summa, inter omnes potestates spirituales seorsim consideratas, ideóque est fundamentum præcisè necessarium, vtriusque eius potestatis, supra Corpus mysticum Christi, quod promiscuè coalescit ex sacerdotibus, & non sacerdotibus. Alioquin enim fieri posset, vt inferior haberet potestatem supra superiorem se, non secundum quid tantùm, sed etiam simpliciter, & absolutè talem, nempè non sacerdos, supra sacerdotem. Quod est impossibile. Adde postremò non solum characterem Episcopalem cum sacerdotali, & characterem remissionis peccatorum, cum charactere consecrationis Eucharistiæ, sed etiam reliquos characteres superiores, cum inferioribus, comparari quodammodo sicut gradus intensionis, & remissionis, atque ex omnibus simul sumptis, coalescere demum vnum characterem perfectum, seu totalem, & adæquatum. Suadet hoc eadem ratio, qua supra quæstion. 103. Ostensum est omnes ordines esse vnum sacramentum, & constituere eatenus vnum quoddam potentiale, vnitate propriè tali, licet gradus, ex quibus consurgit, sint Heterogenei, ac dissimiles. Quia videlicet omnis character sacramentalis refertur intrinsecè ad vnum, idemque mysterium Eucharistiæ, modo ibi explicato. Ex his apparet sacramentum Ordinis, imprimere characterem, & conferre gratiam sacramentalem, idest coniunctam cum iure auxiliorum actualium, quando, & quatenus opus fuerit, & quo pacto præstet istos effectus.

Ad 1. Potestas Ordinum alia est iuris, & perfectionis tantum; alia verò, & facti, & iuris, ac perfectionis simul. Episcopatus enim, & Presbyteratus, quoad functiones ipsorum proprias, continent in se potestatem, non solum iuris, & perfectionis, itavt iure suo illas exequi valeant, & perfectè, ac decenter exequantur; sed etiam continet potestatem facti, itavt validè illas exequantur, & invalidè, ac nulliter eædem fiant, à non habente potestatem Ordinis. Alij verò ordines Episcopatu, & Presbyteratu inferiores, licet non conferant potestatem facti, quatenus functiones ipsorum propriæ, sistunt in opere exteriori, ac sensibili, ideóque in ipsa non potest cadere differentia valoris, & nullitatis, conferunt nihilominùs potestatem peculiarem iuris, & perfectionis, quatenus Diaconus, & Subdiaconus iure suo, & decenter exercent ex vi suorum ordinum, functiones aliquas peculiares, ad quas destinantur, vtque eas exequantur perfectè, accipiunt peculiarem gratiam, ex sua ordinatione, vt dictum est. Quæ omnia desunt non habentibus eosdem ordines. Idem dicitur proportionaliter de alijs ordinibus inferioribus. Quia verò eiusmodi potestas iuris, & perfectionis, confertur inamissibiliter, atque supernaturaliter, propterea confertur per impressionem characteris indelebilis, qui proinde permanet etiam in iis, qui cessant ab Altaris ministerio, & digrediuntur ad vitam laïcaliter agendam; itavt si iterum redire velint ad ministerium Altaris, nec indigeant noua ordinatione, nec desit specialis gratia ad illud rite, & perfectè præstandum.

Art. 1. Ad 2. Potentia actiua, quæ non conuenit alicui ex se, sed datur ab alio, necessariò præsupponit potentiam passiuam, per quam fiat susceptiuus illius. Quòd si neque potentiam ipsam passiuam, congruentem eidem potentiæ actiuæ habeat ex se, necesse est, vt eam quoque accipiat ab alio, vtque accipiat prius, quam potentiam actiuam, quia prius est esse susceptiuum alicuius, quam id suscipere. Potentia autem actiua perficiendi, & administrandi sacramenta, quæ habetur per ordinem, non conuenit homini ex se, sed datur à Deo, & rursus potentia passiua, & idoneitas ad suscipiendum ordinem, nec ipsa conuenit homini ex se, sed datur à Deo per Baptismum, vt ostensum est supra. Ergo character Ordinis, cui est deuincta potestas actiua administrationis sacramentorum, necessariò præsupponit characterem Baptismalem, cui est deuincta potestas susceptiua aliorum sacramentorum, nec ille haberi potest isto non præhabito. Potentia actiua Dei conuenit ipsi ex se, ideóque non præsupponit potentiam vllam passiuam, sed magis præsupponitur ipsa ad omnem potentiam passiuam aliorum.

Art. 2. Ex asserta præsuppositione omninò necessaria, characteris baptismalis, respectu characteris ordinum, suboritur difficultas. Quia inde fieret, vt si quis non ante baptizatus promoueretur, siue culpabiliter, siue inculpabiliter, ad Episcopatum, vel ad sacerdotium, promotio esset nulla, & consequenter essent nullæ consecrationes, absolutiones sacramentales, & ordinationes omnes deinde subsequentes, atque hoc inconueniens ita serperet temporis decursu, vt tandem aliquando nullus superesset in Ecclesia Dei verus Episcopus, veruve sacerdos. Ad quod respondetur cum D. Thoma, quæst. 35. art. 3. ad 2. cumque aliis communiter, Christum Dominum, qui est summus, & æternus sacerdos, nec habet virtutem ex sua natura alligata instrumentis sacramentorum, suppleturum esse virtute sua immediatè defectum sacramentorum quoad vltimos ipsorum effectus gratiæ, & remissionis peccatorum, nec permissurum esse, vt tale inconueniens diù lateret, multumque serperet in Ecclesia. Quia ex ipsius promissione habetur, quod portæ inferi non prævalebunt aduersus Ecclesiam suam, quo minus scilicet semper perseueret cum veris sacramentis, verisque eorum ministris; nec vnquam deest facientibus, quantum est in se bona fide.

Ad 3. Patet ex articulo 6. Patet insuper ex nuper dictis ratio discriminis, ob quam omnes ordinum characteres necessariò præsupponant characterem baptismalem, inter se verò non necessariò seruent similem seriem præsuppositionis. Quia videlicet character baptismalis ex sua natura, est susceptiuus, ac passiuus; character verò Ordinis principaliter est potius actiuus, ideóque non est de eius ratione, vt inferior præsupponatur necessariò ad susceptionem maioris, seu præstantioris.

Ad 4. Sacramentum Ordinis dicitur pugnare contra ignorantiam, non quòd eam pellat ab eo, qui ordinatur, sed quia disponit ordinatum, vt illam pellat ab aliis. Quia verò ad hoc est necessaria specialis

gratia

gratia, propterea hæc etiam datur per sacramentum Ordinis, & non vt distinguat ordinatum ab aliis, non ordinatis. Nec enim sacramentum Ordinis inducit distinctionem,& inæqualitatem per omnes suos effectus,sed per aliquem tantum.

Art. 1. ad 5. Summus Pontificatus, Cardinalatus, Patriarchatus, Archiepiscopatus, aliique similes gradus Ecclesiasticæ, aut temporalis dignitatis non conferunt potestatem ad inducendos immediatè operatione sua effectus supernaturales, purè spirituales, ac internos, neque quidquam eatenus superadduntsupra potestatem Episcopalem, ac Presbyteralem; sed solùm disponunt ad exteriorem, ac sensibilem directionem, ac gubernationem fidelium, nec effectum vllum supernaturalem, ac purè spiritualem inducere possunt, nisi per solam ad summum applicationem causæ immediatè, in se continentis effectus eiusmodi. Propterea promotio ad tales dignitatum gradus non imprimit characterem, qui est forma supernaturalis, purè spiritualis, & purè interna, sed insunt vnicuique ex vi signorum, seu suffragiorum exteriorum itidem,ac sensibilium. Oppositum accidit in ordinibus sacramentalibus,vti ponderatum est supra art. 1. Eadem ratio discriminis tenet etiam suo modo, quoad infusionem gratiæ, vt indidem apparet.

Art. 2. Datur nihilominus aliqua proportionalis similitudo inter prædicta extrema, quoad punctum intentum in obiectione. Quia dignitas Pontificalis, Cardinalitia, Archiepiscopalis, aliæque similes, etiam purè temporales insunt intrinsecè, & habentur ab vnoquoque habitualiter, ac permanenter per species impressas voluntatis, seu suffragiorum, vi quorum obtinent singuli suos peculiares dignitatis, ac potestatis gradus, vt dictum, ac expositum est quæst. 6. de virt. iust. similiter ergo gradus ordinum Ecclesiasticorum, & potestates eorundem propriè habentur per species impressas, repræsentatiuas gradus vnicuique conuenientis, nisi quòd posteriores istæ species impressæ, sunt intrinsecè supernaturales, atque incorruptibiles, inamissibiles, vtpotè, authorem habentes Deum immortalem, inhærentes immediatè animæ itidem immortali, expertes omnis contrariæ qualitatis, atque ordinatæ ad effectus intrinsecè supernaturales. Dictum nimirum est supra in communi qu. 31. characteres sacramentales intrinsecè, & adæquatè constitui per eiusmodi species impressas.

---

## Qvæstio CVIII.

### *Vtrùm Ordines Ecclesiastici sint inæquales, atque inuicem subordinati perfectè?*

Videntur esse æquales, absque vlla mutua subordinatione. 1. Quia media ordinata ad eundem finem, sunt eiusdem rationis, sicut fines consequibiles per eadem media, sunt eiusdem rationis, & æquales inter se absque vlla subordinationis differentia. Omnes autem ordines Ecclesiastici referuntur ad vnum, eundemque finem, ritè peragendi mysterium Eucharistiæ, vt dictum est supra. Ergo omnes ordines Ecclesiastici sunt eiusdem rationis, & prorsus æquales inter se.

2. Episcopatus non est superior Presbyteratu. Ergo nec Presbyteratus est superior Diaconatu, & sic de cæteris similiter inuicem comparatis. Patet consequentia, quia ita se habet Presbyter, ad Diaconum, & Diaconus ad Subdiaconum, &c. sicut se habet Episcopus ad Presbyterum. Probatur antecedens, quia nullum opus est maius in Ecclesia Dei, quam consecrare Corpus Christi. Ergo nullus gradus, nullaque potestas est maior in Ecclesia Dei, quam quæ sufficit ad tale opus: sufficit autem ad illud gradus, & potestas propria Presbyteri. Ergo gradus, ac potestas Episcopalis non est maior, ac perfectior, quam Presbyteralis.

Confirmatur auctoritate Augustini, & Hieronymi. Augustinus enim Epist. 19. ad Hieron. c. 4. fine: *Quamuis*, ait, *secundum honorum vocabula, quæ iam Ecclesiæ vsus obtinuit Episcopatus Presbyterio maior sit; tamen in multis rebus Augustinus Hieronymo minor est.* Censet igitur Augustinus differentiam Episcopatus à Presbyteratu esse purè accidentalem, & solum quoad aliquid extrinsecum. Significantius, & pluribus idem dicit; ac prosequitur Hieronymus ipse in cap. 1. Epist. ad Titum, circa illud, *& constituas per ciuitates Presbyteros*, vbi hoc statuit principium: *Idem est Presbyter, qui Episcopus*, scilicet primæua, ac Diuina institutione, multisque mox in eum scopum ponderatis, concludit demum sic: *Hæc adduximus, vt ostenderemus apud veteres, eosdem fuisse Presbyteros, & Episcopos. Sicut ergo Presbyteri sciunt se ex Ecclesiæ consuetudine ei, qui sibi præpositus fuerit esse subiectos: Ita Episcopi nouerint se magis consuetudine quam dispositionis Dominicæ veritate Presbyteris esse maiores, & in commune debere Ecclesiam regere.* Quod ipsum multipliciter vrget, atque confirmat in dialogo aduersus Luciferianos, & Epist. 165. ad Euagrium. Ergo Episcopus & Presbyter ex vi Ordinis,quem solum habent sacramentaliter ex dispositione,ac institutione Diuina sunt inter se prorsus pares,omnisque inter eos disparitas, ac inæqualitas, est extrinsecùs superaddita, ex lege, ac dispositione humana.

3. Summus Pontificatus non est Ordo maior, ac perfectior, quam gradus Episcopalis secundum se. Ergo nec gradus Episcopalis est maior, ac perfectior, quam Presbyteralis,& sic de cæteris simili modo. Cõsequentia tenet sicut in præcedenti. Probatur antecedens. Primo, quia quilibet Episcopus potest consecrare ac promouere summum Pontificem,& de facto,si prius non erat Episcopus,consecratur, ac promouetur ab Episcopo Ostiensi. Minor autem non potest consecrare, ac promouere maiorem; vt apparet ex Epistola ad Hebr. 7. 7. Deinde omnes Episcopi sunt successores Apostolorum. Omnes autem Apostoli fuere inter se æquales ordine, ac potestate. Quia potestas ligandi,atque soluendi data seorsim Petro, Marc. 16. similiter data est omnibus promiscuè Apostolis, Ioan. 20. 23.

4. Omnes, qui sunt destinati ad peragendum sacrificium Eucharistiæ, gerunt in Ecclesia figuram Christi,qui semetipsum obtulit Patri pro nobis. Omnes autem,qui vnius eiusdemque figuram gerunt,in ordine ad aliquid vnum,sunt inter se pares. Cum ergo omnes Ecclesiæ ministri ex vi sui Ordinis sint destinati ad peragendum sacrificium Eucharistiæ,vt dictum est,omnes vtique sunt inter se pares,eiusdemque rationis.

Art. 1. Respondetur. Perfectio potentiæ manifestatur ex perfectione sui actus, rursus perfectio actus ex perfectione sui obiecti. Actus autem proprius potestatis sacerdotalis, est offerre sacrosanctum corporis, & sanguinis Christi sacrificium, & remittere peccata per sacramentum baptismi, Pœnitentiæ, & Extremæ-Vnctionis, quibus actibus, & obiectis nihil potest esse maius, aut etiam æquale. Igitur Ordo sacerdotalis est maior ac præstantior, quam quilibet alius Ordo separabilis ab ipso; ideóque tenet primatum inter omnes ordines adæquatè distinctos ab ipso. Quòd autem est propinquius primo, est prius, vt dicit Philosophus, & per se satis patet. Quapropter Diaconatus, est Ordo post Presbyteratum potior cæteris. Quia actus eius est, exhibere immediatè materiam consecrandam in vasis sacris, & legere,ac annunciare populo inter Missarum solemnia, sanctum Iesu Christi Euangelium, quibus actibus, &

obiectis nihil supereſt maius ; aut æquale , atque muneri ſacerdotali æquè propinquum , pro reliquis ordinibus ; ſimili ratione Subdiaconatus præcellit ordinibus minoribus , quia ad Subdiaconum ſimiliter ſpectat legere , ac manifeſtare populo inter Miſſarum ſolemnia , Epiſtolam ſacram , & tradere Diacono in altari vaſa ſacra , Calicem , & Patenam , nec non materiam conſecrationis in illis reponendam , in quibus clarè apparet ſimilis exceſſus reſpectu actuum , & obiectorum ſpectantium ad Ordines minores. Inter Ordines verò minores præeminet Acolytus , qui videlicet ſimili miniſterij coniunctione annectitur immediatè Subdiacono , vtpote præparans vrceolos vini , & aquæ , ac deferens propè Altare totam conſecrationis materiam , & lumine , quod manu gerit , illuſtrans ſacrificij Diuini locum ; reliqui tres Ordines non verſantur circa materiam conſecrationis , aut conſecrationem ipſam ; ſed circa ſuſcepturos Euchariſtiam , ideóque longius recedente à ſacramento Euchariſtiæ , & à munere ſacerdotali , quod vtrumque eſt regula , & menſura totius in hoc genere perfectionis. Verſantur porrò tres prædicti ordines circa ſuſcepturos Euchariſtiam , mundando illos , ſeu purgando , ac diſponendo ad ſuſceptionem dignam. Vnde is eſt inter eos potior, ad quem pertinet cura de minus immundis , minuſque indiſpoſitis. Itaque Exorciſta, ad quem pertinent fideles iam inſtructi ; ſolumque extrinſecus impediti à Dæmone , eſt ſuperior Lectore , ad quem pertinet inſtructio catechumenorum volentium iam credere , & Oſtiario , cuius eſt remouere infideles nolentes credere , qui ſunt infimum hominum genus , ſicut eſt etiam infimum alterum oſtiarij miniſterium , vt pulſu campanæ conuocet populum ad Eccleſiam. Series igitur perfectionis, inter ordines Eccleſiaſticos inter ſe ſeparabiles, hæc eſt ſacerdos, Diaconus, Subdiaconus, Acolytus, Exorciſta, Lector, Oſtiarius.

Art. 2. Facta porro eſt comparatio inter prædictos Eccleſiæ miniſtros penes actus , & obiecta ſpectantia ad vnumquemque eorum , ex vi ſuæ ordinationis ; iuxta ſignificationem , & vim materiæ & formæ , quibus vnaquæque ordinatio peragitur , præſertim in Eccleſia Latina , provt indicatum eſt ſupra qu. 104. Nempe variæ aliæ functiones , & munera , quæ pro diuerſis temporibus diuerſa , nec vbique eadem commiſſa præterea , ac delegata ſunt vnicuique miniſtrorum , præſertim inferiorum generi , & latè referuntur à Vaſquez , Martinon , & alijs in præſenti nihil conferunt ad eorum dignitatem , & perfectionem intrinſecam dignoſcendam vtpotè per accidens adiuncta ex humana diſpoſitione. Quod ſi eodem modo comparetur Epiſcopatus cum Presbyteratu ; concludetur Epiſcopatum , ſecundum id , quòd ſuperaddit ſimplici ſacerdotio, & penes quod ab eo diſtinguitur , eſſe eodem inferiorem , minoriſque perfectionis. Propria namque , & peculiaris operatio Epiſcopi eſt ordinare miniſtros Eccleſiæ, conferre ſacramentum Confirmationis , aliaque ſimilia peragere. Hæc autem, tum ſingula ſeorſim , tum coniunctim omnia , ſunt multo minoris perfectionis , quam conſecrare Euchariſtiam, eo vtique diſtantiæ proportionaliter interuallo ; quo ſacramentum Euchariſtiæ ſuperat ſacramenta cætera , & ſacramentalia. Eſt igitur longè minor acceſſio perfectionis , quam Epiſcopatus ſpecialiter adiungit ſimplici ſacerdotio , quàm ſit cumulus perfectionis conueniens eidem ſacerdotio ſecundum ſe , vt liquet ex præmiſſa regula , & menſura perfectionis iſtiuſmodi poteſtatum. Gradus nihilominùs Epiſcopalis ſuperat perfectione ſibi intrinſeca abſolutè , & ſimpliciter gradum Presbyteralem , etiam quoad id præcisè , quod conuenit Epiſcopo ex vi Ordinis , & ſacramenti , quia illum eſſentialiter in ſe includit , eique ſuperaddit ; atque quodlibet finitum additione fit maius, tametſi additio ſecundum ſe ſit minor , quam id cui adiungitur.

Art. 3. Iam verò , quod in hoc diſcurſu ſupponitur ordinationem Epiſcopi habere veram rationem ſacramenti, & quòd conſequenter dictum eſt in quæſtione præcedenti , eandem imprimere peculiarem characterem partialem , & peculiarem itidem gratiam conferre ; præterquam quod ibidem ſufficienti ratione oſtenſum eſt , comprobatur etiam efficaciſſimè ex Concil. Trident. ſeſſ. 23. Primum enim cap. 3. cum definiſſet , *dubitare neminem debere , ordinem eſſe verè , & propriè vnum ex ſeptem ſanctæ Eccleſiæ ſacramentis* immediatè id probat ex verbis Apoſtoli 2. ad Timoth. 1. 6. *Admoneo te , vt reſuſcites gratiam Dei , quæ eſt in te per impoſitionem manuum mearum.* In quibus enimverò verbis ſermo eſt de ordinatione Epiſcopi , iuxta communem Patrum , aliorumque interpretum ſententiam , ſicut etiam, 1. ad eumdem Timoth. 4. 13. dum dicitur. *Noli negligere gratiam , quæ in te eſt , quæ data eſt tibi per prophetiam , cum impoſitione manuum Presbyterij.* Rurſus cum can. 3. ſimiliter præmiſiſſet ſacram ordinationem eſſe verè , & propriè ſacramentum, ſubiungit mox can. 4. eandem ſacram ordinationem dare Spiritum Sanctum , ideóque Epiſcopos non fruſtra dicere, *Accipe Spiritum Sanctum.* Dicunt autem hæc verba , etiam cum ordinant alios Epiſcopos. Ergo ordinatio etiam Epiſcopi , eſt collatiua gratiæ , & verè , ac propriè ſacramentalis. Demum cap. 4. & can. 6. ac. 7. definit non omnes ſacerdotes pari inter ſe poteſtate ſpirituali præditos eſſe , Epiſcopos in Apoſtolorum locum ſucceſſiſſe , atque ad Eccleſiaſticam Hierarchiam, ſeu Hierarchicum ordinem præcipuè pertinere, & Presbyteris ſuperiores eſſe , habereque poteſtatem cum ipſis minimè communem confirmandi , ordinandi, & alia pleraque peragendi. Quæ omnia cum aliis ſimilibus pertinentibus ad Epiſcopos , atque ordinationem eorum claudit poſtremò , dicto cap. 4. his verbis : *Hæc ſunt , quæ generatim ſacræ Synodo viſum eſt Chriſti fideles de ſacramento Ordinis docere.* Magnam autem partem, eamque immediatè præcedentem de ſacramento Ordinis minimè docuiſſet , ſi ordinatio Epiſcoporum rationem ſacramenti non haberet, nec Epiſcopis ex vi ſacramenti conuenirent , quæ ſunt ipſorum propria , & vt alia commemorata modo ſunt. Certiſſimum igitur eſt, ordinationem Epiſcopi habere rationem veri ſacramenti.

Art. 4. Accedit auctoritas Anacleti Papæ Epiſt. 2. c. 1. vbi loquens de Vnctione Chriſmatica, quæ fit ordinatione Epiſcopi , eam agnoſcit cauſatiuam gratiæ , adeóque ſacramentalem his verbis. *Omnis ſanctificatio conſtat in Spiritu Sancto , cuius virtus inuiſibilis ſancto Chriſmati permixta.* Similiter Epiſt. 3. cap. 1. gradum Epiſcopalem , perinde , ac Presbyteralem appellat ordinem , & vtrumque declarat à Domino conſtitutum , dicens : *Sacerdotum Ordo bipartitus eſt, & ſicut Dominus illum conſtituit , à nullo debet perturbari,* Additque poſt pauca : *Epiſcopi Domini Apoſtolorum , Presbyteri quoque ſeptuaginta diſcipulorum locum tenent.* Eodem pertinet , quod docet Dionyſ. c. 5. Eccleſ. Hierarch. Epiſcopo , Sacerdoti, & Diacono , cum ordinatur , *virtutem ſacratiorem, habitumque infundi.* Eandem gratiæ largitionem in ordinatione Epiſcopi , quæ proinde ſacramentalis ſit , neceſſe eſt , ſupponit potius, vt indubitatã, quam docet vt ignotam Ambroſius c. 5. de dignitate Sacerdotali *Quis dat*, ait , *Epiſcopalem gratiam? Deus, an homo ? Reſpondet ſine dubio Deus. Sed tamen per hominem dat Deus. Homo imponit manus, Deus largitur gratiã.* Idẽ eſt cõmunis Patrũ sẽſus apud Bellar. li. 1. de Clericis à cr. 4. atq; hæc eorũ cõſenſio ex eo vltcrius apparet, quia cõmuniter docet Epiſcopos noui Teſtaméti correſpõdere Aaroni, Presbyteros filiis Aaronis, Diaconos,

Diaconos, alioſque miniſtros Leuitis. Patet autem Aaronem ex vi ſui Ordinis, exque diuina inſtitutione, fuiſſe filiis ſuis, Leuitiſque ſuperiorem, ergò Epiſcopi ſunt ſimiliter ſuperiores Presbyteris, aliiſque miniſtris, ex vi ſui ordinis, ſeu prærogatiua, & poteſtate accepta per ſuam ordinationem, ſubſiſtentem inſtitutione diuina, proindeque ſacramentalem.

Artic. 5. Præter iſtum autem exceſſum, qui conuenit Epiſcopis ſuprà Presbyteros ex vi ſuæ ordinationis, & ratione characteris Epiſcopalis, ideóque inamiſſibiliter, & pro omni euentu, conuenit inſuper præeminentia iuriſdictionis, ad iudicandos Presbyteros, ad ſubiiciendum ſingulis eorum determinatum populum, ſeu numerum fidelium, circa quos exerceant iuriſdictionem fori interni, & ad inferendas leges conſeruandæ, ac promouendæ Eccleſiaſticæ diſciplinæ; atque animarum ſaluti congruentes. Nempè poteſtas, quæ non poteſt conuenienter exire in actum, niſi præſuppoſitis quibuſdam ordinationibus, ac diſpoſitionibus præuiis, pertinentibus ad aliam poteſtatem, ab hac alia poteſtate dependet ex natura rei, eidemque ſubordinatur. Poteſtas autem ſacerdotalis ad ſoluendum, & ligandum, non exit conuenienter in actum, niſi præſuppoſita conuenienti diuiſione fidelium, qui vniuſcuiuſque iuriſdictioni determinatè ſubdantur, eiuſdemque paſtorali curæ, ac vigilantiæ ſubiaceant. Hanc autem ſuperiorem, ac vniuerſaliorem poteſtatem, qui habet, dicitur Epiſcopus, ideſt inſpector, & curator. Vndè Hieronymus dicit in caput illud 1. Epiſt. ad Titum, Epiſcopum eſſe nomen officij, ideſt curationis, & gubernationis, atque Tridentinum loco nuper indicato definit Epiſcopos poſitos eſſe à Spiritu Sancto regere Eccleſiam Dei, & Presbyteris ſuperiores eſſe tanquam ſucceſſores eatenus Apoſtolorum. Quia verò poteſtas directiua eſt nimirum debilis, nec aſſequitur efficaciam quanta conueniens, & neceſſaria eſt, niſi præmuniatur poteſtate coërcitiua, ac iudiciali, iſtam quoque obtinent ſuper Presbyteros, quando non dubitatur Apoſtolos Epiſcoporum aliorum prædeceſſores habuiſſe; eandemque ad reliquos Epiſcopos deriuatam eſſe, colligitur inter alia ex prima ad Timotheum Epiſcopum 5. 19. vbi Apoſtolus præſcribit formam, qua Presbyteri iudicari, & puniri debent ab Epiſcopis, dicens: *Aduerſus Presbyterum accuſationem noli recipere, niſi ſub duobus, aut tribus teſtibus.*

Artic. 6. Neceſſe autem fuit, vt plures cum eiuſmodi poteſtate conſtituerentur Epiſcopi, in diuerſis orbis partibus. Quia fides Chriſti debeat in omnes eius partes propagari; nec poterat vnus Epiſcopus ſufficere pro immediata, vbique eiuſmodi gubernatione, directione, ac iudicio. Qua de cauſa Epiſcopi cæteris ſimiles Aaroni; quoad numerum ſunt diſſimiles eidem, qui fuit vnicus in pontificali dignitate conſtitutus, ſicut erat vnicus etiam populus legi veteri deuinctus, cum populus Chriſtianus legis Euangelicæ profeſſor, ſit per totum terrarum orbem diffuſus; neceſſe verò præterea fuit, vt præter Epiſcopos, ſingulos ſeorſim Diæceſibus regendis per varia loca diſtributos, conſtitueretur vnus alius Epiſcopus ſupremus, qui totius corporis Eccleſiæ, curam haberet, atque cæteris Epiſcopis vna cum fidelibus omnibus, ita præeſſet, ſicut ſinguli alij Epiſcopi præſunt vnicuique Eccleſiæ particulari, & Presbyteris aliiſque fidelibus ad ipſam pertinentibus. Quia vbique ſunt multa regimina ordinata ad vnum finem vniuerſalem omnium, oportet conſtitui vnum præeminentem cæteris omnibus, qui omnia, dirigat, ac dirigat ad eundem finem. Norma porrò directionis, & regiminis, in omnibus virtutibus, & artibus, ſequitur Ordinem finium. Finis autem totius populi Chriſtiani, quia Chriſtianus eſt, eſt vnus Dominus colendus ſub vna fide, & per vnum Baptiſma, Oportuit igitur vt præficeretur toti populo Chriſtiano vnus ſupremus Epiſcopus, qui cum ſumma poteſtate eum regeret, in vnitate fidei conſeruaret, & ad ſuum finem dirigeret; atque hic eſt ſummus Pontifex, Vicarius Chriſti in terris, & ſucceſſor D. Petri, cui pro ſe, & pro ſucceſſoribus tuis dictum eſt, Matth. 16. 18. *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ Inferi non prævalebunt aduerſus eam, & tibi dabo Claues Regni Cœlorum, &c.* Quæ vſque adeo ampla promiſſio ventura latè tempora reſpiciens, certiſſimè eſt aliquando adimpleta, vtpotè authorem habens infallibilem; cenſetur verò communiter adimpleta cum eidem Petro dictum eſt 21. Ioann. 15. *Paſce Agnos meos, paſce oues meas.* De iſta vniuerſali, ac ſuprema paſcendi cura, & poteſtate propria Petri, & ſucceſſorum eius, videri poſſunt, quam plura luculenter, & efficaciter eam confirmantia inter alios, apud Bellarm. lib. 1. & 2. de Romano Pontifice.

Artic. 7. Circa iſtiuſmodi præeminentiam iuriſdictionis, duo obſeruanda ſuperſunt, quæ ſunt præſentis inſtituti. Alterum eſt, exceſſum conuenientem Epiſcopo reſpectu Presbyteri, præcisè ex vi Ordinis, eſſe exceſſum quoad perfectionem eiuſdem generis, exceſſum verò conuenientem ratione iuriſdictionis, eſſe quoad perfectionem diuerſi generis. Ratio eſt manifeſta, quia iuriſdictio tota continetur immediatè intra limites fori exterioris, ideóque differt toto genere à poteſtate Ordinis, quæ tota eſt relatè ad ſacramenta, maximè verò ad ſacramentum Euchariſtiæ; Quod quidem per ſe patet de poteſtate propria Parochi. Sed neque obſcurum eſt de poteſtate propria Ordinis Epiſcopalis. Quia præcipuus eius actus eſt Ordinare miniſtros idoneos ad miniſterium Euchariſtiæ ritè peragendum. Vndè patet Epiſcopum ex vi ſui Ordinis, differre à Presbytero, ad eum ferè modum, quo differt magiſter à diſcipulo, & Dux exercitus à Duce legionis, vel centuriæ, quamquam exemplum non eſt omnino adæquatum. Exceſſus verò ſummi Pontificis ſuprà Epiſcopos alios particulares totus eſt eiuſdem generis, vt dicit D. Thomas qu. 40. artic. 6. ad 3. Quia quoad Ordinem, & adminiſtrationem ſacramentorum omnium ſunt prorsùs æquales, totaque proindè differentia eſt, quoad iuriſdictionem maiorem, & minorem, idcóque tota eſt intra idem genus. Alterum conſequenter notandum eſt: exceſſum Epiſcopi ratione Ordinis ſecundum ſe, eſſe inamiſſibilem, atque inauferibilem vi humana, amiſſibilem verò, atque auferibilem eſſe exceſſum quoad iuriſdictionem. Quia character Epiſcopalis perindè, ac Presbyteralis eſt indelebilis, ſemperque inhæret neceſſariò, vt dictum eſt in quæſt. præcedenti. At iuriſdictio eſt amiſſibilis per depoſitionem, vel dimiſſionem. Hoc igitur modo Ordines Eccleſiaſtici differunt, ſuntque inæquales inter ſe.

Ad 1. Media ſub eadem immediatione, vel, ſub eodem gradu diſtantiæ, ordinata ad eundem finem ſunt eiuſdem rationis & æqualia, ſicut ſunt æquales, & eiuſdem rationis fines, qui poſſunt obtineri per eadem media, tùm proxima, tùm remota; non verò, quæ inæqualiter, diſtant à fine, nec fines non conſequibiles per collectionem mediorum adæquatè eandem. Oſtenſum autem eſt Ordines Eccleſiaſticos, non omnes æquè diſtare ab eorum fine, qui eſt myſterium Euchariſtiæ.

Artic. 1. Ad 2. Eſto differentialis ratio Epiſcopatus reſpectu Presbyteratus, non ſit ſuperior ratione diffetentialis eiuſdem Presbyteratus, reſpectu Diaconatus, Subdiaconatus, &c. eadem nihilominùs ratio differentialis Epiſcopatus, coniuncta cum ratione differentiali Presbyteratus, provt coniungitur in Epiſcopo, eſt præſtantior, ac perfectior eodem Presbyteratu, vt dictum eſt. Vndè negatur antecedens. Sed

neque consequentia est omninò legitima ob inadæquationem paritatis. Primum, quia excessus Presbyteri suprà Diaconum, Subdiaconum, &c. est incomparabiliter maior, quam excessus Episcopi suprà Presbyterum, & præcisè ex vi Ordinis, vt patet ex actibus, & obiectis eorum, superius inuicem comparatis. Deindè, quia differentialis ratio Presbyteratus, continet in se omnem potestatem omnium inferiorum ordinum; id quod minimè verificatur de conceptu differentiali Episcopi respectu Presbyteri.

Artic. 2. Testimonia illa Augustini, & Hieronymi non sunt tam difficilis, & operosæ concordiæ, vt mihi quidem videtur, quam nonnullis aliis visum est. Quia neque Augustinus fatetur, honorum vocabula, secundum quæ dicit Episcopatum esse maiorem, esse vacua, & sine fundamento reali. Neque Hieronymus negat totaliter differentiam Episcopi à Presbytero ex vi Ordinis, quin eam affirmat diserte in Epist. 85. ad Euagrium, in qua, vel maximè Presbyteratum extollit. Dicit enim sic: *Quid facit Episcopus, excepta ordinatione, quod non faciat etiam Presbyter.* Præeminet ergò Episcopus Presbytero, ex confessione clara Hieronymi, quoad potestatem ordinandi itaque Augustinus supposita, idque modestissimè, ac mitissimè prærogatiua Episcopi, quæ fundat illa honorum vocabula, addit cum maiori expressione, pro leniendo, & consolando Hieronymo, Episcopum nihilominùs posse esse inferiorem Presbytero quoad multa, nempè quoad probitatem, doctrinam, ingenium, &c. Hieronymus verò supposita vbi cursim, vbi silenter notissima prærogatiua Episcopi quoad potestatem ordinandi, confirmandi, &c. totus est in comparatione quoad iurisdictionem, eamque prosequitur acriter, & fusè, dicens Episcopum absque iurisdictione esse posse, eandemque Presbytero posse adesse, atque ab initio penes conuentum Presbyterorum illam fuisse, vti modo quoque est penes capitula Canonicorum, vacante sede Episcopali. Quæ quidem vtriusque Sancti Doctoris assertiones, neque sibi inuicem quidquam contradicunt, neque doctrinæ à nobis traditæ.

Artic. 3. Illud vnum, in quod vehementer inclinare videtur Hieronymus in illo loco, necnon Ambrosius, siue quis alius author in Commentario c. 4. Epist. ad Ephes. ad illud, *Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos*, nempè Episcopos non esse iure Diuino superiores Presbyteris, etiam quoad iurisdictionem, neque ad eosdem pertinere regimen Ecclesiæ ex institutione Diuina. Id inquam ferendum nequaquam est, quia contradicit apertè definitionibus Tridentini suprà memoratis artic. 3. Verum hoc obiter à me dictum sit, quod alij alibi luculenter demõstrant. Quia ad præsens solum spectat directè, comparatio quoad ordinem præcisè, & quoad ea, quæ sunt ab Ordine penitus inseparabilia, non solùm in vniuersum, sed etiam respectu vniuscuiusuis Ordinati in Episcopum, vel Presbyterum, nec solum aptitudinaliter, sed etiam actualiter. Iurisdictio autem non est eiusmodi, respectu Ordinis Episcopalis, provt contracti ad vnumquemque Episcopum determinatè sumptum; sicut neque defectus iurisdictionis exterioris de qua est sermo, est talis respectu simplicis Sacerdotis.

Ad 3. Negatur paritas, quia summus Pontifex non præcellit cæteris Episcopis ex vi Ordinis, sed est illis eatenus prorsùs æqualis, ideóque potest consecrari, ac ordinari à quolibet Episcopo. At Episcopus præcellit ex vi sui Ordinis simplici Sacerdoti, vt dictum est. Vndè paritas non tenet. Quod deindè assumitur Episcopos esse successores Apostolorum, est verum, vt dictum est ex Concilio Tridentino, Anacleto Papa, & aliis. Sed verum nequaquam est, quod præterea additur Apostolos fuisse omnes inter se æquales potestate etiam iurisdictionis. Quia præter illam communicationem potestatis omnibus Apostolis æqualiter concessam, quæ obseruatur in obiectione, extat alia peculiaris prærogatiua potestatis, & iurisdictionis amplioris, atque omninò vniuersalis concessa speciali ter Petro Apostolo, & successoribus eius, vt liquet ex art. 6.

Ad 4. Sicut omnia creata entitatiua sua perfectione participant bonitatem diuinam, eamque repræsentant, & nihilominùs sunt inter se disparia, pro modo maioris, vel minoris participationis, & repræsentationis; ita etiam omnes Ecclesiæ ministri, participant de sacerdotio Christi, illudque figurant, & nihilominùs sunt inæquales inter se, propter inæqualem participationis, & figurationis gradum, vti expositum est suprà, cum propinquitate pariter inæquali respectu consecrationis Eucharistiæ.

---

## Qvæstio CIX.

### *Vtrùm votum continentiæ sit sacris Ordinibus annexum?*

Videtur non esse annexum. 1. Quia Matrimonium cum suo vsu, est iuris naturalis omnibus vniuersaliter à Deo concessum, vt patet ex illo Genes. 1. 28. *Crescite, & multiplicamini*, & ex naturali omnium propensione ad procreationem liberorum, propagationem, & conseruationem generis humani. Ergò nemini, aut debet, aut etiam potest negari matrimonium, & eius vsus, ac proindè nec ministris vllis Ecclesiæ.

2. Obligatio, & necessitas cælibatus, & continentiæ respectu ministrorum Ecclesiæ contradicit multis, & claris Apostoli Pauli documentis, vtpotè dicentis 1. ad Corinth. 7. 2. *Vniuscuiusque propter fornicationem vxorem suam habeat*; & rursùs ibidem: *Melius est nubere, quam vri*, ad Hebr. 13. *Honorabile*, dicit, *coniugium in omnibus*, ac proindè in Sacerdotibus etiam, & 1. ad Timoth. 3. 2. ad Tit. 1. 6. iubet Episcopum esse *vnius vxoris virum*, ac demum 1. ad Timoth. 4. 3. prædicit, *in nouissimis temporibus*, quosdam introductores esse *doctrinæ dæmoniorum prohibentes nubere*, quod faciunt Antistites Ecclesiæ. Ergò perperam, & nequiter interdicitur ministris Ecclesiæ connubium, & eius vsus, contradicente toties Apostolo.

3. Apostoli habuerunt vxores, easque habuerunt itinerum comites quocunque pergerent, vt apparet ex 1. ad Cor. 9. 5. Vndè in can. 6. eorundem Apostolorum consequenter præcipitur, ne Episcopus vxorem prætextu Religionis abiiciat; atque Conc. Gangrense can. 4. statuit sic: *Si quis discernit Presbyterum coniugatum tanquam occasione nuptiarum, quod offerre non debeat, & ab eius oblatione ideò abstinet: anathema sit.* Ergò coniugia sacrorum hominum exemplo, & canone Apostolorum, atque Concilij legitimi authoritate munita reprobati nequaquam debent.

4. Frequenter assumuntur ad sacros Ordines, iuuenes, iidemque diuites, & delicati, atque voluptatibus dediti, de quibus propterea nulla spes prudenter concipi possit, quod sint continentes victuri, & quibus proindè melius esset nubere, quam vri, vt dicebat Apostolus paulò prius; atque ex oppositio sequuntur frequenter magna incommoda, vti experientia docet clariùs, quam, vt scribere quidquam ea de re necesse sit, & colligi inter alia potest ex horrido illo euentu, quem describit Vdalric. in Epist. ad Nicolaum 1. vbi narrat à piscatoribus reperta fuisse capita infantium occisorum ad sex millia in piscina D. Gregorij, qui monitus desuper, suspendit interdictum, quo prius vt ferat sacros homines,

homines, ne matrimonia contraherent, necnon contractis vterentur liberè; coniiciens, vtique inde subsecutam fuisse monstrositatem illam. Cui enimverò semper est quadantenus obnoxia vniuersalitas eiusmodi legis. Iniquè igitur, pessimoque consilio Ecclesia interdicit connubia, & connubiorum vsum saltem omnibus vniuersaliter, quos ad sacros ordines admittit.

5. Permittuntur sacris hominibus diuitiæ, earumque vsus, imò eadem Ecclesia ex redditibus suis, magnas pluribus suis ministris prouidet diuitias, maximè verò Episcopis. Ergo non debet eisdem prohibere connubia, eorumque vsum liberum. Patet consequentia. Primum, quia abundantia diuitiarum, earumque procuratio, ac dispensatio, non minorem vim habet diuertendi animum ab attenta, ac deuota sacri ministerij assiduitate, quam vsus licitus sacramenti matrimonij, certè multo plures, multoque magis implicantur inextricabiliter negotiis pecuniariis, quam prouidentia coniugali. Deinde abundantia diuitiarum, & abundantia, quam illa suggerit delitiarum, vehementer contradicit seueritati, ac sobrietati continentiæ, eamque reddit moraliter impossibilem. Qua de causa Apostolus 3. ad Timoth. 5. a. v. 9. cauet ne iuniores eligantur in Diaconissas, quia videlicet, *cum luxuriatæ fuerint in Christo nubere volunt habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt*; idest quia lautius nutritæ abundantia bonorum Ecclesiæ, quæ sunt bona Christi, illecebras carnis impotenter concupiscunt, & inde incidunt in damnationem. Absurdè igitur, & inconsequenter prohibet Ecclesia connubia sacrorum hominum, quibus permittit diuitias, largiterque subministrat.

Art. 1. Respondetur. Certum primò est iis, qui iam sunt sacris ordinibus initiati, non solùm non licere contrahere matrimonium, verùm etiam matrimonia eorum esse irrita, ac nulla. Constat id, præter multa, quæ producit Bellarmin. lib. de Clericis cap. 19. ex clara decisione Concilij Tridentini sess. 24. can. 9. de sacr. matrim. qui sic habet: *Si quis dixerit, Clericos in sacris Ordinibus constitutos, vel regulares, castitatem solemniter professos posse matrimonium contrahere, contractumque validum esse, non obstante lege Ecclesiastica, vel voto; & oppositum, &c. anathema sit.* Certum rursus est, iisdem, qui sacros Ordines susceperè, esse illicitum in Ecclesia Latina vsum matrimonij ante ordines contracti, atque vxorem ordinandi debere ab eo separari, & ingredi religionem, ac profiteri; vel si senior sit, emittere saltem votum castitatis in manibus Episcopi. Constat hoc, inter alia, ex cap. 4. 5. & 6. de conuers. coniugat. Certum tertiò est licere Græcis, vt vtantur matrimonio ante ordinationem contracto. Demonstrat hoc pluribus clarè inter alios Arcudius lib. 7. de sacram. cap. 33. Certum denique est ex verbis Innocentij III. quæ habentur cap. *A multis* licuisse olim Subdiaconis vti matrimonio ante contracto, illudque contrahere de nouo. Putat autem Vasquez disp. 248. cap. 3. contrariam respectu eorum obligationem iam præassertam, cæpisse in Concilio Illiberitano can. 33. circa tempora Syluestri I. & Concilij Nicæni. Nempè nullum anterius ea de re statutum vllibi repetitur, atque can. 27. Apostolorum, reliquis, præter Lectores, & cantores, Clericis interdicent vxores, vel non emanauit reipsa ab Apostolis, vt affirmant multi magno cum fundamento, vel ab initio non fuit vsu receptus, vel certè consuetudine contraria fuit postea abrogatus, legisque vigorem, aut nunquam habuit, aut amisit cito, vt liquet ex testimonio Innocentij iam indicato.

Art. 2. Probabilius porro est, obligationem istam sacrorum hominum, etiam sacerdotum, & Episcoporum ad continentiam, tùm quoad vsum matrimonij ante contracti, tum quoad contrahendum de nouo, non esse de iure Diuino, sed inductam esse iure Ecclesiastico, idemque dicitur de voto continentiæ sacris ordinibus annexo. Ita docent communiter Doctores fere omnes cum Mag. dist. 34. & 37. & cum D. Thoma. 2. 2. q. 88. art. 11. atque Turrianum leuibus fundamentis singulariter opinantem in contrarium quoad Sacerdotes, & Diaconos, fusè, & efficaciter impugnant Vasquez loco nuper indicato, & Valentia disp. 9. quæst. 5. punct. 5. §. 1. & vel ex hoc vno apparet sufficienter, eam opinionem esse falsam, quia alioquin non potuisset Ecclesia, permittere Græcis, Sacerdotibus, etiam, & Diaconis, vsum matrimonij ante contracti, vti permisit, atque cum ipsis quoad hoc dispensauit, quod fusè, & clarè demonstrat Arcudius vbi suprà ex Concilio Lateranensi, ex Innocentio, & Clemente III. aliisque testimoniis.

Art. 3. Probabilius rursus est eandem cælibatus, & continentiæ obligationem cæpisse tempore Apostolorum, semperque ab initio Ecclesiæ viguisse quoad Sacerdotes, & Diaconos. Colligitur hoc præcipuè ex Concil. Carthag. 1. can. 2. *Episcopos*, ait, *Presbyteros Diaconos ita placuit, vt condecet Sacrosanctos Antistites, & Dei Sacerdotes, necnon & Leuitas, vel qui sacramentis Diuinis inseruiunt continentes esse in omnibus quo possint simpliciter, quod à Deo postulant impetrare. Vt quod Apostoli docuerunt, & ipsa seruauit antiquitas nos quoque custodiamus. Ab vniuersis Episcopis dictum est. Omnibus placet, vt Episcopi Presbyteri, Diaconi, vel qui sacramenta contrectant, pudicitiæ custodes, etiam ab vxoribus se abstineant.* Plura alia, ac præsertim loca aliqua D. Pauli diligenter expendit Valentia vbi supra §. 2. post Sotum lib. 7. de Iust. quæst. 7. art. 2. vt legem istam cælibatus sacrorum hominum antiquissimam esse ostendat, atque ad tempora reuocet Apostolorum.

Art. 4. Probabilius denique est, omnes sacris ordinibus initiatos obligari grauiter ad perfectam imposterum continentiam, ac cælibatum, non solum ex voto, quod ea de re implicitè; vel explicitè emittunt, dum libera sua voluntate sacros ordines suscipiunt, sed etiam directè, ac immediatè, ex lege Ecclesiastica, ita irritante matrimonia, quæ deinde contraxerint, & prohibente vsum iam ante contracti, vt simul illis interdicat directè omnem actum Venereum, propter eminentiam status, ad quem euehuntur, & propter reuerentiam Altaris, & sacri cultus, cui mancipantur. Ita docent post Sanchez Ægidius Coninck, disp. 20. dub. 13. Martinon, & alij. Fundamentum est. Quia lex Ecclesiastica irritans contractum matrimonialem Clericorum, eosque reddens inhabiles ad contrahendum, vti de facto irritat, ac reddit iuxta Canonem Tridentini supra indicatum, aliaque eiusmodi, quamplura Ecclesiastica Statuta, quæ videri possunt apud auctores indicatos, eo ipso directè, ac immediatè, & non solum mediante voto, obligat ad castitatem, perfectamque continentiam. Nempè motiuum Religionis, & reuerentiæ, ac dignitatis sacrorum ordinum, quo nititur ea lex Ecclesiastica, primò, ac principaliter respicit actum Venereum, qui ratione sui dedecet, vtq; ab eo præseruet, præscribit votum continentiæ, & prohibet, ac irritat matrimonia; ac proinde. Lex prius, ac principalibus, & quodammodo immediatius prohibet ipsum actum venereum, independenter à voto, & à nullitate matrimonij, atque ab inhabilitate personarum ad contrahendum. Confirmatur, quia alioquin volens suscipere sacros Ordines, simulque nolens obligare se voto castitatis, quod proculdubio fieri potest cum ea duo sint separabilia ex sua natura, tametsi peccaret nolendo vouere, non tamen peccaret de nouo, si vteretur

post

post ordinem, matrimonio ante contracto. Imò contraheret validè post susceptum Ordinem, & vteretur licitè matrimonio, si Ecclesia solum mediante voto redderet illicitum matrimonium, eiusque vsum, nec nisi ratione eiusdem voti induceret nullitatem contractus, & inhabilitatem contrahendi. Nulla namque lege fieri potest, vt obligetur voto, qui non vult vouere, habetque voluntatem non vouendi, prævalentem absolutè cuiuis alij suæ voluntati. Quod quidem videtur ex terminis patere. Sequela verò negatur ab omnibus. Debet igitur negari ab omnibus antecedens.

Artic. 5. Legem istam continentiæ, ac cælibatus sacrorum hominum esse iustam, & omninò conuenientem efficaci ratione demonstratur. Quia leges vnicuique præscribentes, aut vetantes, quæ plurimum iuuant, aut impediunt, quoad exhibendum conuenienter, & perfectè munus ipsi impositum, sunt iustæ, & omnino conuenientes, vt patet exemplo legum, quibus vbique gentium diriguntur magistratus ciuiles, belli Duces, milites, mercatores, aliique eiusmodi. Quæ videlicet leges nulla alia de causa ab omnibus vbique laudantur, ac recipiuntur, quam quæ à nobis proposita est. Eam autem causam, locum, vel maximè in re nostra habere, apparet imprimis haud obscurè ex testimoniis productis pro veritate obligationis, & oneris prædicti; vtpotè habentibus insertam sibi talem causam, tanquam rationem ferendi legem, de qua agitur. Probatur deindè specialiter ex ep. 1. ad Corinth. toto ferè cap. 7. ex quolibet hæc pauca seorsim obseruare. Ac primum obseruare id oportet, quod loquens de coniugatis, dicit Apostolus ver. 5. *Nolite fraudare inuicem nisi forte ex consensu ad tempus vt vacetis orationi.* Ergò vsus matrimonij est impeditiuus orationis, & debet abstinere ab illo, qui vult esse benè dispositus ad orandum. Initiati autem ordinibus sacris tenentur ex munere suo ad orandum quotidie & sæpius, & quod perindè est ad assistendum, & inseruiendum altari; ideóque semper debent esse dispositi ad orandum. Ergò vsus matrimonij semper, & quandocunque est impeditiuus muneris ipsorum proprij, quatenùs in eo gradu constituti sunt, ac proindè debent ab illo abstinere semper. Vndè ad eosdem, quatenùs excellenter participes muneris Apostolici specialiter pertinet, quod vniuersaliter subiungitur ibi, ver. 7. & 8. *Volo autem omnes homines esse sicut me ipsum; sed, &c. Dico autem non nuptis, & viduis: bonum est illis si sic permaneant, sicut, & ego.* Illud est vrgentius, quod dicitur ver. 32. *Volo autem vos sine solicitudine esse. Qui sine vxore est, solicitus est, quæ Domini sunt quomodo placeat Deo. Qui autem cum vxore est solicitus est quæ sunt mundi quomodo placeat vxori, & diuisus est, & Mulier innupta, & Virgo cogitat quæ Domini sunt, vt sit sancta & corpore & spiritu. Quæ autem nupta est cogitat quæ sunt mundi, quomodo placeat viro*; Atque immediatè aduertit Apostolus se hæc dicere, vt alliciat *ad id quod honestum est & quod facultatem præbeat sine impedimento Dominum obsecrandi.* Quibus profecto omnibus, & singulis, nihil significantius esse potest ad ostendendum, quam sit opportunum, ac necessarium iis, qui ratione sui status obsecrare Dominum assiduè debent, vt proculdubio debent, qui sunt in sacro ordine constituti, vt sint liberi ab vxore, & à sollicitudine, actibusque vxoriis. Patet itaque plurimum conferre cælibatum ad institutum sacrorum hominum proprium, & quantum eidem accrescat impedimenti, & inhabilitatis, ex statu coniugali cum prouidentia, & actibus ei annexis. Iustè igitur, & omnino conuenienter, lata est pro ipsis lex cælibatus, sub terminis, & modo superius explicatis.

Ad 1. Omnia quæ sunt de solo iure humano, permittuntur iure naturali, nec propterea leges humanæ vniuersim omnes sunt, aut nullæ, aut iniustæ, tametsi inducant impedimentum aliquod naturali alicui inclinationi. Ergò neque lex de cælibatu clericorum est irrita, aut illicita, quandoquidem matrimonium respectu singulorum hominum, est iuris naturalis solum permissiuè, atque cælibatus est melior, & laudabilior, vt patet ex Concilio Euangelico sæpè repetito ab Apostolo, vbi suprà, & alibi.

Ad 2. Iam nuper clarè innotuit, quam, ptopensè cælibatui faueat Apostolus, maximè verò illo cap. primæ ad Corinth. Quapropter, quod dicit, *vnusquisque propter fornicationem vxorem suam habeat* permissiuum tantummodo est, vt dicunt Hieron. Chrisost. Ambros. & alij Sancti Patres, ac interpretes. Agit enim Apostolus de quibusdam ethnicis recens ad fidem conuersis, & dubitantibus de licita retentione suatum vxorum, eaque de causa turbatis, ac prætendentibus periculum fornicationis. Vndè pro eis consolandis, & pro vitando eo periculo, dicit Apostolus, vt pergant porrò habere suas vxores ne fornicentur. Quod quantum, quæso distat à controuersia præsenti? Iam quod deindè addit melius esse nubere, quam vti, non eo pertinet, vt præferatur status matrimonij, statui cælibatus, vexati stimulis, & tentationibus libidinis, sed vt præferatur idem status matrimonij facili, ac effræni peccandi consuetudini, ob quam quis ardeat æternis flammis. Quod non tollit; quo minus sit melius pugnare cælibem, etiam adiuncto voto, cum stimulo carnis, per seueram eius mortificationem, quàm sedare aliqualiter eius impetum per nuptias, vt inibi semel atque iterum docere, ac consulere Apostolum, ostensum est suprà. Rursus *honorabile coniugium in omnibus* non perindè est, atque illud esse laudabile, ac honestum respectu omnium pro quouis ita statu indiscriminatim; Hoc enim apertè contradicit doctrinæ eiusdem Apostoli superius expensæ, maximè verò ei, quam tradit 1. ad Timoth. 5. a. ver. 9. dicens fœminas Deo, & ministerio Ecclesiæ dicatas, habere damnationem, si deindè nubere velint, & irritam facere primam fidem, nempè castitati seruandæ, igitur Apostolus solum vult coniugium debere esse honorabile quoad omnia, idest ea omnia vitanda esse diligenter, quæ pugnant cum honestate, ac pudicitia coniugali, & cum honere coniugij. Haud est minus absurdum, vt adducatur in rem præsentem præceptum quo, iubetur Episcopum esse vnius vxoris virum. Hoc enim dicitur eodem sensu, quo in eadem Epistola 1. ad Timoth. cap. 5. præcipitur elegit viduam in diaconissam, quæ fuerit vnius viri vxor. Solum ergò præcipitur, ne, qui fuerit bigamus, assumatur ad Episcopatum, non verò vt etiam post Episcopatum, retineat, aut accipiat Episcopus vnam vxorem, cum consilium de oppositio præbeat aliis, etiam præter Episcopos, vt visum est suprà. Quod postremo loco prædicit Apostolus de quibusdam introducturis hæresim prohibitione nuptiarum, tangit Manichæos reprobantes vniuersaliter omne coniugium, aut alios hæreticos docturos aliquando à nemine posse matrimonium licitè contrahi, quod Antistites Ecclesiæ minimè docent, sed solum matrimonium illicitè contrahi ab iis qui liberè eligunt eum vitæ statum, & professionem, cui non congruit sollicitudo, & vsus coniugalis.

Ad 3. Quidquid sit, an Apostoli ante Apostolatum omnes, aut plerique habuerint vxores, certum est ex testimonio totius antiquitatis eosdem post Apostolatum continenter vixisse absque noua vxore, & absque vsu præhabitæ; atque de Paulo Apostolo innotuit iam id clarè ex loco ad Corinthios superius obseruato. Quod additur in obiectione Apostolos circumtuliisse vxores, quocunque irent, iuxta illud 1. ad

Corint.

Corint. 9. 5. *Numquid non habemus potestatem sororem mulierem circumducendi, sicut cæteri Apostoli, & frater Domini, & Cephas?* hoc, inquam, Sancti PP. aliique interpretes communi consensu accipiunt de piis mulieribus sequacibus Apostolorum, vt expensis, aliisque suis ministeriis subuenirent indigentiæ Apostorum, per populos adhuc infideles, nec subministraturos, quæ sufficerent alendæ vitæ, & Euangelio commodè prædicando absque diuersione prouidendi sibi necessaria. Quo ferè pacto Christum etiam sequebantur piæ aliquæ mulieres, vt apparet ex 8. Lucæ. Id quod, etiam insinuat ipse Apostolus, dùm dicit sororem mulierem, & non vxorem, aut etiam mulierem vtcumque. Canon ille Apostolorum solum præscribit, vt Episcopus, qui ante Episcopatum habuit vxorem, non desinat postea, prætextu Religionis, & noui status astringentis specialiter ad diuina, prouidere illi sufficienter de rebus ad vitam necessariis similiter intentio Con. Gangrensis dirigitur solum aduersus hæreticos, dicentes, matrimonium ex genere suo esse malum, ideóque non esse admittendos ad ordines sacros, eorumque ministeria, qui aliquando fuissent vxorati, quantumuis postea continentes essent, sicut repelluntur à sacris Ordinibus homicidæ, tametsi postea pœnitentiam agant. Hanc esse intentionem eius Concilij, quæ nihil habet commune cum controuersia præsenti, conuincunt apertè Valentia, Coninch. & alij ex versione Dionysij exigui apud Surium to. 1. Concil. Apparet igitur omnia huius, & præcedentis obiectionis perperam adduci aduersus antiquam, & laudabilem consuetudinem, & legem Ecclesiæ.

Ad 4. Si frequentia peccatorum aduersus leges sufficeret ad probandam iniquitatem earum, & ad easdem abrogandas, decalogus imprimis esset reprobandus, ipsumque lumen rationis, quod Deus indidit animæ esset malè institutum, contra quæ videlicet frequentius, & deterius peccatur. Quod ad iuuenum promouendorum qualitatem attinet, Ecclesia prouidit optimis legibus, vt ij soli promoueantur, de quorum probitate, & spe prudenti bonæ frugis prius legitimè constiterit, vt liquet inter alia ex Conc. Trid. sess. 23. in decr. de reformat. à cap. 11. De circumstantia diuitiarum dicetur paulo post. Circa experientiam incommodorum, & scandalorum affirmari imprimis, verè, ac sincerè potest cum Valentia plures esse sacris ordinibus initiatos, qui cælibatum immaculatè, ac laudabiliter obseruent, quam coniugatos, quorum coniugium sit honorabile in omnibus, vt nuper dicebatur ex Apostolo quique leges coniugales obseruent exactè. Deindè in omni hominum genere, omnibusque eorum statibus plures sunt defectus, quam perfecti, & iusti, quia Deus pluris meritò facit paucorum iustitiam, & sanctitatem, quam impeditionem iniquitatis, ac peruersionis plurimorum de qua comparatione, & de iusta eorum extremorum æstimatione, dictum est ex professo quæst. 35. de Deo. Quapropter numerus qualiscunque, & vtcunque exiguus Clericorum exemplarium, & immaculatorum, præponderat bonitate sua cumulo vtcunque magno, eorum qui non satisfaciunt muneri, ac statui sui sublimitati demum horrida illa narratio Vdalrici est fabulosa, vt apertè conuincit Card. Bellar. lib. 1. de Clericis cap. 22. atque, vt vera esset, id accidisset semel, vti accidit semel occisio sanctorum puerorum Innocentium quæ non suffecit, vt reprobaretur institutio Principatus, idemque dicitur de aliis eiusmodi, quorum exempla sunt quia in historiis. Quod caput est; nihil simile, aut aliqua ex parte proportionale contigit prius aut postea occasione cælibatus sacrorum hominum, atque instituta, & leges laudantur, & reprobantur pro qualitate exitus permanenter, atque vt plurimum indè prouenientis.

Ad 5. Inter diuitias, & vxorem est hoc inter alia discrimen, quòd diuitiæ possunt, ac debent contemni, atque cum aliis communicari, vxor nec debet, nec potest. Vndè habens vxorem, necessariò est diuisus, & cogitare debet, quomodo placeat vxori, estque indispensabiliter solicitus, quæ sunt mundi, vt dicebatur suprà ex Apostolo. Nihil autem eiusmodi accidit necessariò, & conuenit, vt fiat oppositum circa diuitias, vti à pluribus Ecclesiasticis factum est olim, hodieque fit, maxima cum laude, & cum publica vtilitate, haud exigua. Nulla igitur est paritas à permissione diuitiarum, ad permissionem matrimonij, actuumque coniugalium. Longum porrò esset dicere quibus rationibus honestè acceptet Ecclesia ingentes diuitias, quas ipsi erogat pietas Fidelium, earumque administrationem cum moderato proportionaliter vsu commixtat ministris suis. Hoc vnum est *terrenorum possessionem non contrariari diuino cultui ad quem Clerici deputantur sed nimiam eorum solicitudinem, quia solus affectus in crimine est*, vt dicit ex Gregorio Magno, D. Thomas quæst. 40. artic. 3. Deinde habentibus diuitias suppetunt plura nihilominùs remedia pro incolumnitate puritatis, & pro continenda, ac subigenda effrænitate appetitus, inter quæ vnum est, vt illas habeant, tanquam non habentes, vt dicit Apostolus, & dictum est licere, ac expedire diuerso longè modo, ac liceat, & expediat respectu vxoris. Quod attexitur de Diaconissis, duplici de causa non conuincit. Quia videlicet sexus fœmineus est debilior, & rapitur violentius, quauis occasione, & proxima possibilitate malorum; idemque est minus idoneus pro administratione, & vsu diuitiarum ad publicam vtilitatem, & ædificationem, quæ multipliciter indè ab idoneis Clericis promouentur.

## INCIPIVNT QVÆSTIONES de Sacramento Matrimonij.

### QVÆSTIO CX.

*Vtrùm Matrimonium sit Sacramentum Nouæ Legis institutum à Christo.*

VIDETVR non esse. 1. Quia idem non potest bis institui, certè non conuenienter superadditur secunda institutio, post institutionem Diuinam. Matrimonium autem fuit institutum à Deo in Principio mundi, vt patet ex 1. Geneseos, vbi directis prius vniuersaliter ad omnia animalia illis verbis ver. 22. *Crescite, & multiplicamini*, subiungitur deindè benedictio Dei directa determinatè ad virum, & fœminam cum præcepto matrimonij, & vsus eius, vt patet ex verbis illis ver. 28. *Masculum, & fœminam creauit eos. Benedixitque illis Deus, & ait, Crescite & multiplicamini.* Ergò matrimonium non est sacramentum nouæ legis institutum à Christo.

2. Matrimonium Adami, & Euæ, & quorumuis aliorum est sacramentum significatiuum coniunctionis inter Christum, & Ecclesiam, vt apparet ex longa, & exacta comparatione, quam instituit inter vtrumque Apostolus ad Ephes. 5. à ver. 22. absoluitque ver. 32. dicens: *Sacramentum hoc magnum est. Ego autem dico in Christo, & in Ecclesia.* Ergò matrimonium non cœpit habere rationem sacramenti ex institutione Christi in lege noua.

3. De

3. De ratione sacramenti nouæ legis est, vt efficiat, quod significat, iuxta dicta suprà in communi. Matrimonium autem significat coniunctionem Christi, tanquam sponsi, cum Ecclesia, tanquam sponsa, vt modo dicebatur, quam tamen coniunctionem idem matrimonium nequaquam efficit; vt per se patet. Ergò non est sacramentum nouæ legis.

4. Sacramenta nouæ legis omnia instituta sunt ratione peccati originalis, atque in remedium malorum ex eo prouenientium, vt dictum est suprà in communi qu. 11. Matrimonium autem non est institutum ratione peccati originalis, siquidem institutum fuit pro statu innocentiæ, vt liquet ex loco Geneſis nuper producto. Multo verò minus dici potest institutum in remedium. Quia non est remedium infirmitatis, vndè infirmitas ipsa augetur, ac intenditur. Concupiscentia autem, quæ est præcipua infirmitas prouenies ex originali, augetur potius, ac intenditur per actus coniugales, ad quos matrimoniam ordinatur ex sua natura. *Insatiabilis* namque *est concupiscentiæ appetitus, & per operationem congruam augetur*, vt dicitur 5. Ethic. sub finem. Ergò matrimonium non est sacramentum nouæ legis.

5. Vnum sacramentum non pugnat cum sacramento alio, cum omnia sacramenta habeant rationem remedij respectu malorum prouenientium ex peccato originali quæ sunt omnibus communia. Matrimonium autem pugnat cum sacramento Ordinis, vt dictum est in quæstione præcedenti. Ergò matrimonium non est sacramentum.

6. Omnia sacramenta nouæ legis sunt configuratiua cœterorum hominum cum Christo crucifixo, ex cuius passione, & Cruce efficaciam habent. Matrimonium autem non est configuratiuum coniugatorum cum Christo, & eius Cruce, ac Passione, siquidem est ordinatum ad actum delectabilem, quo etiam vltimò completur, seu consummatur, vt dicitur capitulo *Quanto* de diuortiis. Ergò matrimonium non est sacramentum institutum à Christo. Accedit actum coniugalem esse sordidum, & inquinatiuum iuxta illud Apocalyp. 14. 4. *Hi sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati. Virgines enim sunt.* Idemque colligitur ex Epistola Siricij Papæ ad Hemerium Tarraconensem, in qua dicitur Sacerdotes ea de causa debere abstinere à nuptiis. Sacramentum autem nequit esse ordinatum ad actum sordidum, & inquinatiuum.

7. Matrimonium est quid permanens, & quatenùs permanens est, significat coniunctionem Christi cum Ecclesia, quæ videlicet est permanens, sicut coniunctio matrimonialis inter virum, & vxorem. Nullum autem sacramentum, præter Eucharistiam, est permanens, sed omnia cætera consistunt in vsu, eoque transeunte, transeunt, vt dictum est suprà, ergò matrimonium non est sacramentum.

Artic. 1. Respondetur. De nullo sacramento plura, de nullo pauciora scripta sunt, quam de sacramento matrimonij. Cuius rei causa est, quia matrimonium habet rationem contractus simul, & sacramenti. Inter contractus primum locum tenet, inter sacramenta infimum. Indè locuples dicendi materia in præsenti adest volentibus, vti plerique volunt, agere de ratione contractus, congestis eò omnibus, aut ferè, quæ pertinent ad tractationem de contractibus in communi, iisque omnibus exhaustis, quæ circa hunc particularem contractum pertinent ad forum externum, tùm Ecclesiasticum, tùm sæculare; idque tùm iuxta ius antiquum, tùm iuxta ius nouum, & rursùs iuxta vtrumque, tùm vniuersale, tùm particulare; sub insertis demum specialibus, & quasi indiuidualibus casibus conscientiæ indè dependentibus. Quæ omnia procedunt in immensam molem. Tenuis è conuerso suppetit dicendi, exponendique materia volenti considerare solam rationem sacramenti eiusque naturam, & proprietates. Mihi sola hæc posterior consideratio placet, vtpotè pertinens vnicè ad Theologum, quia Theologus est. Nec enim magis pertinet ad Theologicam considerationem sacramenti matrimonij, disputatio de contractu cum præambulis, & appendicibus suis, quam pertineat ad Theologicam considerationem sacramentorum Baptismi, Confirmationis, Eucharistiæ, &c. disquisitio de aqua, oleo, balsamo, pane, vino, &c. cum principiis, proprietatibus, & effectibus eorum. Quia sicut hæc in iis sacramentis se habent materialiter, ita contractus se habet materialiter in sacramento matrimonij; nisi quod cognitio huius cõtractus, & eorum omnium, quæ ad ipsum pertinent, parit plurimas vtilitates pro directione plurimarum operationum humanarum, ideóque laudabilem, valdeque vtilem tradidere doctrinam, qui in hanc partem indefesso conatu incubuere, vti fecit Thomas imprimis Sanchius; atque nihil eiusmodi prouenire potest ex materiis aliorum sacramentorum diligentius, ac disquisitius expensis. Verùm tota ea specialis vtilitas est, vt dixi, extra metas considerationis Theologicæ circa istud sacramentum, eiusdemque vtilitatis percipiendæ alius erit nobis, Deo benè iuuante, opportunior locus. Agendum itaque est directè de sola ratione sacramenti, dimissis interim, & non nisi indirectè, ac obiter attactis sponsalibus, quæ sunt purus contractus, necnon ratione contractus, inclusa realiter in sacramento, quantum præcisè opus erit, vt adæquatè manifestetur formalis conceptus sacramenti.

Art. 2. Obseruandum initio est matrimonium dupliciter vsurpari, actiuè scilicet, & passiuè, ad eum ferè modum, quo dictum est de Ordine q. 102. art. 1. Matrimonium actiuè sumptum est contractus, quo vir, & fœmina ius sui sibi inuicem conferunt, siue est mutua collatio eius iuris. Sumptum verò passiuè est ius ipsum, deindè resultans in contrahentibus, & vnicuique eorum inhærens intrinsecè; diciturque communiter vinculum, & status matrimonialis. Matrimonium, actiuè sumptum, seu contractus matrimonij dicitur ab Hugone Victorino lib. 2. de sacram. par. 10. c. 4. & aliis communiter, duarum *idonearum personarum legitimus consensus*. Matrimonium verò passiuè sumptum, seu vinculum, & status matrimonialis definitur à Iuristis L. 2. ff. de Ritu nuptiarum, & in 4. decret. tit. de sponsalibus in princ. à magistro dist. 27. sub initium à D. Thoma q. 44. art. 3. & ab aliis communiter: *Maritalis coniunctio viri, & mulieris, inter legitimas personas indiuiduam vitæ consuetudinem retinens.* Dicitur verò sub vtroque sensu matrimonium potius, quam patrimonium, quia in procreatione filiorum, ad quam prædictus, tam contractus, quam vinculum ordinatur, certius cognoscitur mater prolis, quam pater, atque à notiori solet fieri nominatio.

Artic. 3. Obseruandum rursus est sacramentum similiter, cum multipliciter absolutè significet, vt notatum est suprà in communi quæst. 1. duobus modis in præsenti vsurpari. Primò pro signo symbolico purè speculatiuo, siue pro re significante rem aliam, cum aliqua inter vtramque analogia, & similitudine proportionis, quin illam efficiat. Secundò pro signo similiter symbolico, sed practico efficiente rem significatam. Vtrobique autem res significata debet esse aliquid sacrum, & spirituale. Alioquin enim signum, seu symbolum, sacramenti rationem nequaquam habebit. Indistinctio, seu confusio istiusmodi diuersarum significationum in vocibus, matrimonium, sacramentum, plures apud aliquos parit æquiuocationes in præsenti, plurimum nocentes conspicuitati, & sinceritati doctrinæ. Illis autem obseruatis, atque legitimè distinctis, facilè est determinare, quæ spectant ad quæstionem propositam.

Art. 4.

Artic. 4. Certum namque imprimis est, matrimonium passiuè sumptum pro vinculo, & statu matrimoniali esse sacramentum sumptum pro signo symbolico speculatiuo, seu non efficiente, quod significat, non tamen esse sacramentum sumptum pro signo symbolico practico, seu continente in se, atque efficiente, quod significat. Nempè vinculum matrimoniale significat coniunctionem Christi cum Ecclesia, tanquam sponsi cum sponsa, iuxta illud ad Ephes. 5. 22. *Sacramentum hoc* (nempè matrimonium) *magnum est. Ego autem dico in Christo, & Ecclesia.* Patet autem vinculum matrimoniale, non esse contentiuum, & causatiuum vnionis inter Christum, & Ecclesiam. Quapropter de ista ratione sacramenti in præsenti non agitur directè, & ex professo, vt liquet ex scopo omnibus istis nostris quæstionibus de sacramentis præfixo initio qu. 1. Et confirmatur, quia prædictum vinculum, & status matrimonialis, est quid permanens, cum sacramenta, de quibus agitur in præsenti, omnia præter Eucharistiam consistant in vsu, eoque transeunte transeant.

Art. 5. Certum rursus est matrimonium actiuè sumptum pro ipso contractu, seu mutuo consensu, quatenùs sensibiliter manifestato, esse sacramentum sumptum pro signo symbolico causatiuo gratiæ. Definitur hoc clarè à Concil. Florent. in decreto Eugenij, §. *noua legis*, & à Trid. sess. 7. can. 1. & 6. Vtrobique enim dicitur matrimonium esse vnum ex septem nouæ legis sacramentis in stitutis à Christo; atque omnia nouæ legis sacramenta esse contentiua, & causatiua gratiæ ex institutione Christi. Idem repetit clarissimè sess. 24. sub initium, §. *cum igitur*, & can. 1. Quas definitiones intelligendas esse de matrimonio actiuè sumpto, patet ex ratione nuper indicata de sacramentis consistentibus in vsu, dempto vno sacramento Eucharistiæ; nec seclusa ratione sacramenti causatiui gratiæ à matrimonio passiuè sumpto, vti nuper seclusa est, superest aliud, quam contractus ipse actualis, cui ea ratio sacramenti accommodetur sub nomine matrimonij. Vndè matrimonium in hac potissimum posteriore significatione vsurpabitur in discursu, & ab aliis etiam vsurpatur communiter in præsenti. Cum igitur ex definitionibus Florentini, & Tridentini modo indicatis, sæpiusque suprà repetitis, certum sit omnia nouæ legis sacramenta causatiua gratiæ, instituta fuisse à Christo Domino dubitari non potest; hoc etiam sacramentum, quatenùs est causatiuum gratiæ, fuisse ab eodem institutum, vt dicitur in dicto can. 1. Tridentin. Quando autem institutio hæc facta sit, incertum omninò est. Aliqui putant, factam eam fuisse, quando matrimonium reuocatum est à Christo ad primæuam vnitatem, & insolubilitatem, reprobatis polygamia, & libello repudij, vti refertur Matth. 19. Alij volunt Christum instituisse hoc sacramentum, cum interfuit nuptiis celebratis in Cana Galileæ. Neutrum tamen dicitur cum sufficienti fundamento, quia vtrumque illud est distinctum, & separabile ab institutione, & eleuatione contractus matrimonij, ad rationem sacramenti. Crediderim tamen ex vtraque ea narratione Euangelica rectè colligi institutionem huius sacramenti, vel in alterutro ex illis euentu factam esse, vel supponi factam à Christo ante vtrumque. Credibile namque non est Christum Dominum, vel adfuturum fuisse nuptiis purè profanis, ac naturalibus, easque illustraturum fuisse insigni miraculo, ad celebritatem, & commendationem ipsarum plurimum conferente; vel inducturum fuisse nouum onus vnitatis, & insolubilitatis, absque nouo adiutorio gratiæ ad illud subeundum, adiuncto contractui, vel tunc, vel antea. Igitur institutio huius sacramenti, vel vtrobique, supponitur iam antea facta à Christo Domino, vel facta est in alterutro ex illis tempore. Illud est improbabile, quòd ex Guidone refert Basilius Pontius, institutionem huius sacramenti factam esse in instanti incarnationis Verbi Diuini, quam idem sacramentum significat. Quia institutio sacramenti fieri non potest absque significatione exterioti voluntatis, quia instituitur, vt dictum est in communi quæst. 9. Nulla verò eiusmodi significatio adfuit in instanti incarnationis.

Art. 6. Facilior, & clarior est ratio conuenientiæ, vt institueretur hoc sacramentum, vrque contractui matrimoniali adiungeretur vis inductiua gratiæ peculiaris, qua specialiter iuuentur coniuges ad perferenda laudabiliter, & cum Christiana perfectione onera matrimonij, & obligationes coniugum, tùm mutuas, tùm respectu prolis. Tenentur enim ad mutuam fidem aduersus adulterium, ad mutuam dilectionem perpetuam, aduersus rixas, & iurgia, ad sobrietatem, & modestiam, aduersus impetum intemperantiæ, & immoderantiæ; ac demum ad conuenientem prolis educationem, vt euadat dignus ciuis, & filius Reipublicæ, & & Ecclesiæ. Quæ quidem omnia sunt ex se difficilia, & plurimum interest Reipublicæ Christianæ, vt ritè, ac perfectè exhibeantur, atque obligatio ad ea omnia est stabilis, & perpetua, atque adeò contractui matrimoniali inest peculiaris indigentia gratiæ, quam, nec præsupponit ex sua natura, nec infert per se ex opere operato. Eadem igitur ratione, qua oportuit, vt institueretur sacramentum Confirmationis, Extremæ-Vnctionis, & Ordinis, conueniens etiam fuit, vt institueretur sacramentum Matrimonij. Ex ista conuenientiæ ratione deduci potest legitima huius sacramenti definitio; nempè matrimonium esse *Sacramentum collatiuum gratiæ specialis, ad mutuum coniugatorum iuuamen spirituale*, tùm pro fine cuiusque vltimò, tùm pro vita sociali, & augmento Reipublicæ, atque Ecclesiæ per dignos ciues, ac filios.

Ad 1. Vt sit inconueniens, idem secundum idem, bis institui, inconueniens tamen certè non est, vt idem secundum diuersa, & relatè ad diuersos fines, atque cum dispari virtute, bis instituatur. Prima autem institutio matrimonij, seu quasi institutio ad solum respexit officium naturæ, necessarium pro conseruatione generis humani. Posterior autem institutio facta à Christo Domino, respicit gratiam necessariam in remedium peccati originalis reddentis specialiter difficilem conuenientem vsum matrimonij, vt obseruat D. Thomas qu. 42. art. 1.

Ad 2. Inerat quidem matrimonio ante institutionem Christi ratio sacramenti latè sumpti, pro signo speculatiuo inter Christum, & Ecclesiam, sed post eius institutionem reddita est perfectior eadem ratio sacramenti latè sumpti, adiuncta maiori insolubilitate matrimonij, qua proindè magis correspondet vnioni penitus insolubili inter Christum, & Ecclesiam, & quòd caput est, superaddita est vis inductiua gratiæ, ac proindè, & sacramenti propriè, ac strictè sumpti; atque sub hac significatione vsurpatur determinatè in præsenti.

Ad 3. Non est de ratione sacramenti nouæ legis, vt contineat in se, atque efficiat, quidquid significat, sed vt significet, & simul contineat in se gratiam, eamque inducat. Matrimonium autem significat, & simul continet in se gratiam, eamque inducit, licet non contineat in se, nec inducat vnionem Christi cum Ecclesia, quam solum significat.

Ad 4. Sacramenta nouæ legis instituta sunt ratione peccati originalis, & in remedium eiusdem, præcisè quatenùs sacramenta sunt propriè, & strictè, seu causatiua gratiæ. Matrimonium autem non fuit institutum sub hoc conceptu pro statu innocentiæ, vt dictum est. A Christo verò institutum est in remedium, quatenùs, adiunxit illi virtutem collatiuam gratiæ, qua cohiberi possit multiplex deordinatio proueniens

ueniens ex peccato originali. Vis enim concupiscentiæ, aucta per peccatum originale minuitur imprimis secundum se per augmentum gratiæ. Quo namque magis perficitur, & validius præmunitur pars superior, eo pars inferior debilitatur magis, quoad impetus suos inordinatos. Deindè ratione eiusdem gratiæ actus coniugalis exercetur cum debitis circumstantiis, & assequitur honestatem, qua careret non iuuante eatenus speciali gratia. Vndè vlterius fit, vt repetitis actibus coniugalibus non recrudescat magis vis concupiscentiæ, sed magis reprimatur, quoad motus, & actus, atque corruptelas illecebrosas, ac inhonestas. Quia ex actibus honestis, & conuenienter circumstantionatis resultat habitus conferens facilitatem ad actus similes quoad substantiam, & modum ipsorum, & consequenter impediens actus oppositæ conditionis, atque inordinationis. Hac de causa dicit Apostolus 1. ad Corinth. 7. 9. *Melius est nubere, quam vri*, intelligens nomine vstionis inhonestos concupiscentiæ actus, qui perducunt ad ignem æternum. Philosophus autem agit de augmento concupiscentiæ per operationem ipsius, quoad substantiam tantùm, & præscindit à modo operis, quo gratia sacramentalis minimè præscindit.

Ad 5. Eiusdem mali possunt plura esse remedia inuicem incompensabilia, & quorum aliud sit alio perfectius, ac efficacius. Eiusmodi autem remedia sunt respectu concupiscentiæ redundantis ex peccato originali, cælibatus annexus ordinibus sacris, & matrimonium. Quia vtrumque, licet diuersimodè adhibet aliquod remedium aduersus concupiscentiam. Sed quod adhibetur à cælibatu est efficacius, & perfectius, quatenùs impedit actus concupiscentiæ quoad substantiam, & modum; cum matrimonium solum inducat modum conuenientem. Vndè sacramentum Ordinis est aliquatenùs incompossibile cum sacramento matrimonij, non præcisè quatenùs vtrumque est sacramentum, sed quatenùs ordini est annexus de facto cælibatus. In quo nullum est inconueniens, sicut neque in eo, quod quis voueat castitatem perfectam. Imò est maximè conueniens, vt sint diuersi status inuicem incompossibiles, & inæqualis perfectionis, ordinati ad vitanda mala prouenientia ex peccato originali, vt suppetat remedium aliquod, licet minus perfectum, absolutè tamen sufficiens, non audenti inire viam maioris, magisque arduæ perfectionis, nec satis benè disposito ex se, vel ex habitu, vt eam aggrediatur.

Ad 6. Non omnia sacramenta sunt eodem modo configuratiua suscipientis cum Christo, atque sacramentum matrimonij habet etiam peculiarem, sibique proprium configurandi. Quia licet nullam in se contineat assimulationem cum Christo patiente, quoad pœnalitatem passionis; continet tamen assimulationem quoad charitatem vnitiuam Christi cum Ecclesia, ex qua charitate passus est, vt illam coniungeret sibi in sponsam; atque istam coniunctionem repræsentat quasi in fieri contractus matrimonij, & sacramentum strictè sumptum realiter identificatum cum ipso; in facto verò esse vinculum matrimoniale, quod indè resultat, idque perfectius, cum consummatur matrimonium, quia tunc redditur magis insolubile; atque coniunctio Christi cum Ecclesia est penitus insolubilis. Quod additur de sordibus, & vi inquinatiua actus coniugalis, non est verum; de sordibus, & inquinatione propria culpæ; quia est actus conformis naturæ, retinetque modum conuenientem, quatenùs debetur ex vi matrimonij. Continet nihilominùs idem actus aliquid sordidi, & inquinamenti, quatenùs pro tunc absorbet vsum rationis, eumque suspendit omninò, propter exuberantiam libidinis, prouenientem ex peccato originali. Atque in hoc solum posteriori sensu accipiendus est locus ille Apocalypsis, necnon, quæ Siricius interiicit de nuptiis, earumque vsu secundum se. Nempè ex professo solùm agit de nuptiis sacrilegis sacerdotum, quibus non conuenit ratio sacramenti.

Ad 7. Dictum iam est vinculum, & statum matrimonialem cum sua permanentia non habere rationem sacramenti propriè, & strictè talis, seu causatiui gratiæ, sed latè solùm, & per solam significationem speculatiuam.

---

## QVÆSTIO CXI.

### *Vtrùm mutua sensibilis coniugum traditio, & acceptatio, sint materia, & forma huius sacramenti?*

VIdentur non esse. 1. Quia mutua traditio, & acceptatio coniugum sub vtroque conceptu, habent solùm rationem materiæ, solaque verba Sacerdotis, addentis subindè; *Ego vos coniungo, &c.* habent rationem formæ eodem modo, quo in sacramento pœnitentiæ habent rationem formæ verba illa: *Ego te absoluo.* Nempè vtrobique verba sacerdotis vltimò complent opus; ad quod dirigiuntur, idque est proprium formæ, vti concludit Melchior Canus.

2. In aliis contractibus id solum habet rationem materiæ, quod traditur, & acceptatur à contrahentibus, vt domus, ager, gemma; rationem verò formæ habent actus tradendi, & acceptandi, quatenùs exterius manifestati. Similiter ergò in contractu, & sacramento matrimonij; corpora contrahentium, quæ inuicem traduntur, & acceptantur, habent rationem materiæ; rationem verò formæ voluntas tradendi, & acceptandi simul cum traditione, & acceptatione exteriori, ac sensibili. Confirmatur, quia in sacramento Ordinis instrumenta, quæ traduntur ordinando habent rationem materiæ; verba verò, quibus significatur ea traditio, habent rationem solius formæ, vt superiùs dictum est. Ergò etiam in matrimonio corpora, quæ traduntur, sunt tota materia, & verba, quibus significatur traditio, & acceptatio, sunt tota, & sola forma.

3. Matrimonialis traditio, & acceptatio fit regulariter per sola verba, vt dicit Conc. Florent. in decreto Eugenij. §. *septimum est.* Idem autem Concilium distinguit vniuersaliter materiam omnium sacramentorum à verbis, cum definit vniuersaliter sacramenta perfici rebus, vt materia: & verbis, vt forma. Ergò sensibilis traditio, & acceptatio non habent rationem materiæ, & formæ simul, sed rationem formæ tantùm, siquidem vtraque constat solis verbis, saltem regulariter.

4. Id habet rationem formæ in vnoquoque sacramento, quod vltimò complet, ac determinat significationem sacramentalem. Quod verò est magis indifferens ex se respectu eiusdem significationis, habet rationem materiæ. Eiusmodi autem maior indifferentia conuenit consensui interno contrahentium; totamque vim vltimò complendi, ac determinandi significationem obtinent traditio, & acceptatio exterior. Ergò materia huius sacramenti sunt interni contrahentium consensus: forma verò traditio, & acceptatio exterior, vt contendit Martinon post Rebellum, & Couarruuiam, aliosque Iuristas. Confirmatur, quia in Sacramento Pœnitentiæ eadem ratione actus interni pœnitentis habent rationem materiæ, & verba Sacerdotis rationem formæ.

5. Sicut acceptatio potest subsequi traditionem, eamque vltimò complere, ac determinare in ordine ad finem intentum; ita traditio potest vicissim subsequi ad acceptationem, eamque similiter vltimò complere;

complere, ac determinare. Ergò neutra potius, quam altera habet determinatè rationem materiæ, vel formæ. Oportet autem assignare in vnoquoque sacramento aliquid, quod ex sua natura, & non per accidens sit materia, & aliquid aliud, quod similiter sit forma. Qua ratione communiter reprobatur opinio Richardi, dicentis, materiam huius sacramenti esse verba, seu signa illa consensus interni, quæ prius exhibentur, & formam, quæ exhibetur posterius, seu tempore, seu natura. Igitur materia & forma huius sacramenti non possunt esse traditio, & acceptatio exterior.

Artic. 1. Respondetur. Materia, & forma dicuntur in sacramentis per quandam assimilationem inadæquatam, & imperfectam cum materia, & forma constituentibus compositum naturale. Cum quibus nimirum ita quoad aliqua conueniunt, vt simul differant ab eisdem quoad plura alia. Differunt autem præcipuè in aliis quidem sacramentis, quoad modum vnionis; in hoc verò matrimonij sacramento quoad modum distinctionis. In composito namque naturali, materia, & forma, distinguuntur inter se realiter, simulque vniuntur mutuò vnione propriè tali, faciente vnum per se. At in reliquis sacramentis præter matrimonium, vnio materiæ, & formæ est solum moralis, nec facit vnum per se propriè tale, sed vnum tantum moraliter; ita vt partes componentes distent inuicem semper quoad locum, & sæpè etiam quoad tempus, pro quo vnaquæque pars existit re ipsa. In sacramento verò matrimonij deficit distinctio realis materiæ, & formæ re ipsa, solumque admitti potest distinctio moraliter seu æquiualenter talis. Sicut nimirum de vnione dictum est pro reliquis sacramentis.

Artic. 2. Ratio est. Quia inter ea, quæ regulariter interueniunt in isto contractu, & sacramento, solis verbis conuenit ratio signi sensibilis practicè respectu effectus, qui resultat ex eodem contractu, & sacramento. Sola namque verba, & quod irregulariter illis substituitur, existunt significandi gratia, pronunturque à parte rei, vel vnice, vel certè principaliter, vt significent, cum cætera omnia sint ex se prorsùs indifferentia, vt detur, vel non detur significatio talis effectus, imò etiam vt detur significatio oppositi, vti patebit clarè eunti per singula. Solus consensus, atque voluntas contrahendi habet ex se maiorem determinationem, vt detur, vel non detur prædicta significatio. Verùm consensus internus, non habet rationem materiæ, saltem ex se solo, & independenter ab aliquo præterea alio, cui ratione sui immediatè conueniat esse materiam sacramenti. Quia sacramentum ex suo conceptu est signum sensibile, vt dictum est suprà in communi. Materia autem, & forma signi sensibilis, debent esse sensibiles, non solùm altera per alteram, sed vtralibet per se ipsam, saltem inadæquatè. Quia totum, cuius altera pars est adæquatè insensibilis ratione sui, atque altera sola est sensibilis per se, non potest dici sensibile potius, quam insensibile. Qua de causa in omnibus aliis sacramentis datur semper aliquid, quod habet rationem materiæ sensibilis per se, & cuius tota sensibilitas non sit penes formam solam.

Artic. 3. Accedit Concilium Florentinum in decr. Eugenij §. *Quintò Ecclesiasticorum* manifestè supponere distinctionem totalem materiæ, & formæ sacramentorum, ab interna ministri intentione, dùm enumeratis omnibus sacramentis, definit; *tribus* ea perfici, videlicet, *rebus tanquam materia, verbis tanquam forma, & persona ministri conferentis sacramentum cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia.* In quibus apparet non nisi perabsurdè intelligi, ac comprehendi posse sub nomine rerum, quæ ponuntur primo loco, intentionem, quæ postremo superadditur: præterquam quod, quando in eo contextu ponuntur res, & actus intentionales, semper res sumuntur, vt contra distinctæ saltem inadæquatè ab actibus intentionalibus. Intentio autem perficiendi sacramentum matrimonij potest esse indistincta à consensu matrimoniali, & plerumque est indistincta, sponsis volentibus indiuisim contrahere iuxta institutionem Christi, seu vt solent contrahere Christiani, seu faciendo, quòd facit Ecclesia, vel alio simili modo. Ergò consensus internus contrahentium non est materia huius sacramenti, saltem se solo. Iam quòd dicit Martinon, intentionem perficiendi hoc sacramentum indistinctum realiter à consensu matrimoniali non sufficere perficiendo sacramento, quia intentio perfectiua sacramenti debet præcedere natura, & causalitate exhibitione materiæ & formæ, atque vsum rerum, quibus constat sacramentum. Hoc inquam videtur dictum præcisè ad tuendum positum, diciturque prædure, quia dicitur contra communem sensum. Certè ratio, qua vtitur, est insufficiens. Quia intentio ministri non debet præcedere, & inducere causalitate sua omnia, quæ vtcunque pertinent ad constitutionem intrinsecam sacramenti. Alioquin deberet se quoque ipsam, necnon institutionem Diuinam præcedere, & inducere, cum vtraque pertineat ad constitutionem intrinsecam cuiusque sacramenti, vt dictum est suprà in communi quæst. 6. & similiter intentio sacerdotis deberet præcedere, ac inducere vi sua actus pœnitentiæ, quæ sunt impossibilia & absurda. Itaque de conceptu intentionis Ministri solum, vt præcedat, & inducat vi sua executionem exteriorem sacramentalem, quæ pertinet ad eundem ministrum. Patet igitur consensum internum non esse materiam huius sacramenti. Multò verò minus dici potest eiusdem forma. Quia forma sacramenti dicitur, quod habet præcipuam vim significandi. Verba autem sunt, quæ præcipuè, maximeque significant in omnibus sacramentis, cum obtineat Principatum inter signa, vt dictum est suprà ex Augustino; cum consensus internus indigeat alio signo sui, vt innotescat.

Artic. 4. Dicendum igitur est, materiam, & formam huius sacramenti constitui per verba quibus manifestatur consensus internus contrahentium, ita vt habeant rationem materiæ, quatenùs sunt traditio vniuscuiusuis contrahentis, respectu alterius; rationem verò formæ, quatenùs sunt acceptatio mutua eius traditionis. Quæ est sententia Suarez, Sanchez, Card. de Lugo, & aliorum. Fundamentum huius sententiæ, & distinctionis, atque accommodationis est iam nuper præindicatum, exponiturque, & confirmatur vlterius. Quia imprimis verba vtriusque contrahentis continent in se adæquatè vim significandi totum effectum huius sacramenti. Significant enim directè, & explicitè vinculum mutui iuris, mutuæque coniunctionis, quod indè resultat, ac proindè significant etiam mediatè, & indirectè effectum gratiæ, necessariæ ad actus proprios vinculi prædicti, atque iuris, & coniunctionis. Imò significant eo ipso directè etiam, & immediatè, eundem effectum gratiæ, significatione symbolica, & analogica; ad eum vtique modum, quo verba baptismalia significando significatione naturali absolutionem corporalem, significant eo ipso significatione symbolica, & analogica, & ex institutione supernaturali Dei, effectum gratiæ spiritualiter abluentis. Nihil igitur desiderari potest pro adæquata, & completa significatione totius effectus, quem confert sacramentum matrimonij, vltra significationem verborum, quibus ipsum perficitur; ac per consequens nihil desiderari potest vltra eadem verba pro constitutione materiæ, & formæ

eiusdem sacramenti; vtpotè requisitarum ad conceptum sacramenti, & pertinentium ad constitutionem eius, præcisè ratione significationis practicæ respectu effectus inducendi per sacramentum.

Artic. 5. Deindè verba matrimonialia quoad conceptum mutuæ traditionis habent virtualiter, & æquialenter maiorem quandam indifferentiam, ac indeterminationem, quam quoad conceptum acceptationis mutuæ. Quia quando traditio distinguitur realiter ab acceptatione, illa est natura prior, quam ista, atque translatio rei ab vno in alium incipit per traditionem, completurque vltimò, atque determinatur per acceptationem. Nempè actio tradendi est propria eius apud quem, & sub cuius dominio erat ante translationem; acceptatio verò est propria eius, ad quem res eadem transit de nouo. Manifestum autem est priorem esse ex natura rei dispositionem personæ præhabentis rem sub suo dominio, quam dispositionem personæ, quæ nondum intelligitur eandem rem habere sub suo dominio, atque non Dominum subordinari Domino rei, quo ad actus disponentes de eadem. Ergò quando traditio, & acceptatio sunt essentialiter reciprocæ, & fiunt vtrinque indiuisim per eadem verba, aut actiones alias, vibis æquialentes, ratio traditionis est virtualiter, & æquialenter prior, magisque indifferens, quam ratio acceptationis. Quia prædicata realiter inter se identificata, & æquialentia prædicatis, seu rebus aliis similibus, realiter inter se distinctis, seruant inter se eundem proportionaliter ordinem rationis, qui realiter conuenit iisdem rebus realiter inter se distinctis, vt traditur in Logica ex professo, & obiter expositum à me fuit quæst. 5. ab artic. 2. de Deo. Itaque verba matrimonialia quatenùs sunt mutuæ coniugum traditiones, sunt virtualiter, & æquialenter priora, magisque indifferentia, quam quatenùs sunt acceptationes mutuæ; idemque dicitur de quibuisuis aliis actionibus, & signis quibus perficitur contractus, & sacramentum matrimonij, quando verba deficiunt. Dictum autem est suprà in communi, quæst. 3. ad 4. ex prædicatis constitutionibus vnumquodque sacramentum, illud vocari, & esse materiam, quòd est magis indifferens, ac indeterminatum; formam verò, quod est magis determinatum, ideóque est vltimò completiuum significationis. Rectè igitur dictum est operationes coniugum, quibus ius sibi inuicem conferunt, & acquirunt vnusquisque sui, & respectu alterius, esse materiam proximam, & formam huius sacramenti, atque iisdem operationibus, quatenùs sunt mutuæ traditiones conuenire rationem materiæ, & quatenùs sunt acceptationes mutuæ, rationem formæ. Pro clariori horum intelligentia, & faciliori assensu oportuerit considerare, quæ dicta sunt in illa qu. 3.

Ad 1. Constat ex Concil. Trid. in decr. de reformat. matrim. initio, matrimonia clandestina rata olim, & vera fuisse. Rursus licet ea matrimonia clandestinè sint iam nulla, vbi receptum est idem Concilium; non tamen sunt nulla, quæ contrahuntur præsente Parocho, & duobus, vel tribus testibus, tametsi, desit benedictio Parochi, & formula verborum benedictionis, vt patet ex eodem illo capite ad medium. Ibi enim solum irritantur matrimonia contracta absque prædicta Parochi, vel alterius sacerdotis legitimè subrogati, & testium præsentia, non verò, quæ contrahentur absque benedictione sacerdotali. Nullius igitur probabilitatis est sententia illa Cani, dicentis, formulam verborum, quibus benedictio sacerdotalis continetur esse formam huius sacramenti. Manifestum siquidem est, nullum sacramentum validum esse posse, aut esse vnquam potuisse, deficiente eius forma. Vndè prædicta formula tantùm est sacramentale quoddam eiusdem vtilitatis, & congruitatis, cuius sunt alia sacramentalia iuxta dicta qu. 36. & 92. atque alibi sparsim.

Ad 2. Multa sunt, quæ efficaciter ostendunt corpora contrahentium matrimonium non esse materiam proximam, sed tantum remotam huius sacramenti, sicut aqua respectu baptismi, peccata respectu pœnitentiæ, & sic de similibus. Sed duplici de causa præcipuè reiicienda est ea sententia. Primum enim contractus, vt sic, & in genere definitur *vltro, citroque obligatio* ex 6. *Labeo*, ff. de verb. signif. Patet autem obligationem distingui adæquatè à re circa quam versatur, eique superaddi extrinsecè, & accidentaliter, ne dicatur rem ipsam esse saltem partialiter obligationem dandi eam, vel relinquendi alicui. Quod est absurdum. Ergò neque in contractu matrimonij corpora contrahentium sunt pars, & materia intrinsecè constituens ipsum contractum. Deindè ea sententia, vt distinguat realiter inter se materiam, & formam huius sacramenti, identificat realiter materiam eandem cum ministro, siquidem ipsi contrahentes sunt ministri huius sacramenti, qui certè non distinguuntur realiter à suis corporibus. Et tamen Florentinum personam ministri distinguit multo clarius à materia eius, & forma, quam vtramque inter se. Dùm enim dicit ministrum conferre sacramentum, clarius distinguit, & multo magis sacramentum quod confertur, à persona ministri, qui illud confert, quam materiam à forma, dùm illam nomine rerum, & istam nomine verborum significat. Incidit ergò ea sententia in inconueniens manifestum, certè maius, vt vitet inconueniens, quod re ipsa tale non est, certè est minus manifestum, tale esse. Quod additur in confirmatione, contradicit potius scopo eius. Quia instrumenta sacra, quæ traduntur, non sunt materia proxima sacramenti ordinis, sed eorum traditio, vt dicit Concilium Florentinum, & ex eodem dictum est suprà quæst. 104. Ergò similiter in præsenti dicendum est, traditionem corporum, & non ipsa corpora esse materiam proximam, seu intrinsecè constitutiuam sacramenti matrimonij.

Ad 3. In compositione totius, quod non physicè, sed moraliter tantum tale est, non debent accipi in sensu rigoroso, & metaphysico voces, quibus exprimuntur eius partes: sufficit enim, quod verificentur moraliter per aliquam non incongruam æquialentiæ rationem. Qua de causa in sacramento Confessionis, ex confessione omnium, nomine rei, & materiæ intelliguntur præcipuè verba pœnitentis, quibus is exponit sua peccata, quæque exhibentur loco peccatorum. Hoc autem pacto verba etiam conjugum, quatenùs sunt traditiones ipsorum mutuæ, non incongruè intelliguntur nomine rei, & materiæ, quatenùs traditiones rerum pierumque fiunt, non per verba, sed per actiones alias physicas translatiuas rei de loco in locum, & de manu in manum; atque voces accommodantur obiectis, iuxta plerumque contingentia, eædemque retinentur etiam, cum sermo est de re particulari, quæ secus habet. Simili ratione eadem contrahentium verba specialiter subintelliguntur sub conceptu verborum, quatenùs sunt acceptationes, quia acceptatio plerumque fit per verba.

Ad 4. Sufficienter innotuit suprà consensus inter nos contrahentium, non posse habere rationem materiæ huius sacramenti saltem adæquatè. Id verò præcipuè obseruandum est aduersus sententias de constitutione materiæ huius sacramenti, tùm per consensum internum, tùm per corpora contrahentium. Nempè materias sacramentorum sicut, & formas debere esse sensibiliter significatiuas effectus, qui est proprius cuiusque sacramenti, vt liquet ex dictis in communi quæst. 1. & alibi sæpiùs; consensui autem

contrahentium

contrahentium secundùm se, præcisè, nulla conuenit significatio sensibilis, cum consensus ipse secundùm se præcisè, sit insensibilis, vtpotè internus, ac spiritualis. Corpora verò, licet sint sensibilia sunt nihilominùs prorsùs indifferentia secundùm se præcisè, vt subsint, vel non subsint iuri alterius, & vinculo matrimoniali, ac proindè non magis significant ex se præcisè hunc effectum, quam priuationem eius, cum tamen sit de ratione signi, tùm totalis, tùm etiam partialis, vt non sit æquè indifferens ad constituendam significationem, & priuationem significationis. Quapropter, licet admitteretur in aliis contractibus habere rationem materiæ proximæ consensus contrahentium, aut res, circa quas contrahitur; admittendum nihilominùs nequaquam esset in contractu matrimonij, quatenùs sacramentum est formaliter, iisdem conuenire rationem materiæ constituentis intrinsecè significationem sacramentalem, & symbolicam, ac practicam. Vndè in obiectione committitur falsa suppositio, dùm affirmatur in consensu interno maior indifferentia, quam in verbis, quoad significationem effectus sacramentalis. Quia consensui interno non conuenit propriè maior quoad id indifferentia, sed conuenit totalis defectus talis significationis, vt dictum est. Quod additur in confirmatione de sacramento Pœnitentiæ, est absre. Quia actus interni pœnitentis, non sunt materia eius sacramenti secundùm se præcisè considerati, sed provt coniuncti cum signis eorum externis, complentibus, & constituentibus intrinsecè rationem materiæ, vt dictum est in loco. Cuiusmodi nihil vult agnoscere author obiectionis in verbis, seu externis aliis signis matrimonialibus. Videre quamplura latissimè licet, si placet circa istud, & præcedens argumentum apud Dicastillo, quæ tamen missa facio, quia pleraque sunt ad hominem aduersus Cardinalem de Lugo, & nonnullos alios, nec me tangunt vlla ex parte pauca verò alia, quæ tangunt, præoccupata iam sunt. Ad 5. Liquet satis ex dictis suprà art. 5.

---

## QVÆSTIO CXII.

### *Vtrùm Minister, & subiectum huius sacramenti, sint vir, & fœmina baptizati, & compotes rationis?*

VIdentur non esse. 1. Quia iisdem verbis, & cum eadem intentione possunt contrahere infideles, atque fideles, seu non baptizati, & baptizati. Ergò vtrilibet possunt perindè perficere, non minus sacramentum, quam contractum matrimonij. Repugnat siquidem effectus euadere diuersos agentibus eadem omnia præstantibus actione sua.

2. Si fieri posset, vt deficeret ratio sacramenti præcisè propter defectum characteris baptismalis in contrahentibus, character ipse baptismalis constitueret intrinsecè sacramentum matrimonij. Quia id, quo deficiente, & existentibus omnibus aliis, ita deest aliquod totum, vt idem totum existat eodem illo existente, & superaddito, cæteris requisitis; eo ipso pertinet ad constitutionem intrinsecam totius, vt dictum est suprà in communi quæst. 6. Sequela autem videtur absurda, & præter opinionem communem.

3. Matrimonium fidelis cum infideli habet rationem sacramenti respectu fidelis. Quia qui fidelis est, eo ipso est capax perficiendi, recipiendique huius sacramenti. Qui verò est infidelis, licet non sit idoneus ad recipiendum idem sacramentum, est tamen idoneus ad illud perficiendum. Nulla namque apparet ratio, ob quam sacramentum Baptismi, possit perfici validè ab infideli, & non possit etiam perfici sacramentum matrimonij, præsertim cum hoc sacramentum recedat minus à iure naturali, minusque suprà ipsum eleuetur, quam reliqua sacramenta. Dictum enim est suprà in communi quæst. 35. Sacramentum matrimonij esse minimæ perfectionis inter omnia sacramenta. Non igitur necesse est vtrumque contrahentem esse baptizatum.

4. Maius, ac indissolubilius est ligamen baptizati cum Ecclesia, quam inter sponsum, & sponsam, atque baptismus ordinatur ad operationes magis arduas, ac difficiles, quam matrimonium. Ergò siquidem ligamen, & onus baptismale induci in paruulum, eidemque imponi potest aliena voluntate; potest etiam eadem induci, ac imponi ligamen, & onus matrimoniale. Ergò eadem ratione, qua Baptismus potest validè conferri subiecto experti rationis, potest itidem conferri eidem sacramentum matrimonij. Non ergò requiritur vsus rationis pro susceptione valida huius sacramenti.

5. Qui est capax, effectus alicuius sacramenti est etiam capax ipsius sacramenti. Effectus autem sacramenti matrimonij potest diuina saltem potentia, & voluntate communicari personis, nec baptizatis, nec vtentibus ratione, tam quoad ius, & vinculum mutuum, quam quoad gratiam. Ergò iidem possunt validè susscipere sacramentum matrimonij.

6. Contractus matrimonij celebrati inter infideles consequitur rationem sacramenti, cum primum postea baptizantur, & eo ipso præcisè, quòd baptizentur, vt tradunt Sanchez, & alij. Et tamen non eo ipso exercent actionem vllam ministratiuam, & perfectiuam sacramenti matrimonij. Ergò non est de conceptu ministri perficientis hoc sacramentum, vt sit baptizatus.

7. Ad valorem huius sacramenti requiruntur ex parte perficientium, & susscipientium plura alia præter baptismum, & vsum rationis, vt patet ex multis iuribus. Ergò non omnes baptizati, simulque compotes rationis sunt minister, & subiectum capax huius sacramenti.

Artic. 1. Respondetur. Hoc inter alia differt sacramentum matrimonij à reliquis sacramentis, quòd minister ipsum perficiens adæquatè sumptus, non distinguitur realiter à subiecto recipiente effectum eiusdem sacramenti, ipsumque sacramentum. Ratio est, quia istud sacramentum includit in suo conceptu contractum matrimonialem, eique superaddit. Personæ autem matrimonialiter contrahentes, simul sunt causa efficiens contractus, & subiectum recipiens effectum eiusdem contractus. Vndè iidem habent rationem ministri perficientis sacramentum matrimonij, simulque subiecti recipientis effectum eius, ipsumque sacramentum. Quia verò contractus matrimonij ex suo conceptu postulat, vt alter ex contrahentibus sit vir, & altera fœmina, concluditur ministrum, & subiectum adæquatum huius sacramenti, esse virum, & fœminam. Rursus, quia contractus matrimonialis, licet fiat à duabus personis, atque effectus eius in eisdem recipiatur, est nihilominùs vnus respectu vniuscuiusque binarij contrahentium mutuo; concluditur similiter sacramentum matrimonij, esse vnum tantum respectu eiusdem binarij.

Artic. 2. In prædictis duabus personis perficientibus, & recipientibus hoc sacramentum, duo principaliter requiruntur ad valorem ipsius, alterum ex conceptu sacramenti, alterum ex conceptu, tùm sacramenti, tùm etiam contractus. Ex conceptu sacramenti requiritur, vt vterque contrahens sit baptizatus. Dictum enim est suprà, baptismum esse ianuam sacra-

mentorum, neque quemquam participem esse posse cuiusquam alterius sacramenti Ecclesiæ, quin prius baptizatus fuerit, atque per baptismum redditus ciuis Ecclesiæ, & particeps bonorum eius. Vndè si neuter contrahentium sit baptizatus, vel alter eorum baptizatus non sit, perindè sacramentum erit inualidum, ac nullum. Et quidem si neuter sit baptizatus, res est clara. Quia nullo subiecto existente idoneo, & capace alicuius effectus, nulla causa inducere illum potest. Sed neque est obscura eadem nullitas si alter contrahentium baptizatus non sit, tametsi alter sit baptizatus. Dictum enim modo est, matrimonium ex suo conceptu esse vnum, & prorsus idem respectu duorum, & vtrumque afficere indiuisim. Fieri igitur non potest, vt data nullitate, respectu alterutrius, vel in ratione contractus, vel in ratione sacramenti, subsistat nihilominùs valor respectu alterius contrahentis, vel in ratione contractus; quòd omnes fatentur, vel in ratione sacramenti, quod omnes consequenter fateri tenentur. Quia non est minor vnitas, & indiuisio operis, quoad conceptum sacramenti, quam quoad conceptum contractus. Sicut igitur impossibile est, vt vir iungatur, atque adiudicetur fœminæ, ex vi contractus matrimonialis, quin hæc vicissim illi, ex vi eiusdem contractus iungatur, atque adiudicetur, ita impossibile est, vt sacramentaliter altera pars colligetur, ac copuletur alteri, quin, & alter sacramentaliter collegitur, ac copuletur priori. Cùm igitur nullum detur vinculum sacramentale, respectu personæ non baptizatæ, sacramentaliter aliquatenùs ipsam afficiens, vt liquet ex præmissis; patet nullum itidem vinculum sacramentale existente, respectu contrahentis baptizati, dùm contrahit cum persona non baptizata. Necesse igitur est pro valore huius sacramenti vtrumque contrahentem esse baptizatum.

Artic. 3. Alterum requisitum contractui, & sacramento commune, est vsus rationis. Primum enim nemo potest perficere sacramentum aliquod, tanquam minister eius, quin præhabeat vsum rationis. Quo videlicet secluso concipi nequit intentio faciendi, quod facit Ecclesia. Quæ tamen intentio essentialiter requiritur ad valorem sacramenti, vt dictum est ex Florentino suprà in communi quæst. 3. initio, liisque rationibus confirmatum est ibidem quæst. 6. Cùm igitur vterque contrahens sit minister huius sacramenti; vtcumque necesse est esse compotem rationis. Præterea, tam contractus, quam sacramentum matrimonij inducit vinculum insolubile vitæ socialis, & confert vtriuis contrahenti ius perpetuum aduersus alterum quoad corpora, & aliquam bonorum omnium communicationem. Est autem contra rationem talis vinculi, & iuris mutui, vt quis illi subsit independenter à proprio libero consensu, & electione. Cùm enim homo ex sua natura sit liber, & existat gratia sui, fieri non potest, vt decedat à iure, & perfecto dominio sui ipsius, suarumque, & operationum, & rerum, absque consensu suo libero, & per solam alterius hominis voluntatem. Accedit, esse contra finem matrimonij, qui est vita socialis perpetua, & tranquilla, ac iucunda duorum conuersatio mutua, vt ineatur absque electione cuiusque coniugis propria, seu per solam alienam voluntatem creatam. Quia quod est ex electione propria, eo ipso placet, & disponit animum ad ea omnia libenter subeunda, quæ illi annectuntur per se. Oppositum verò euenit per se in iis, quæ ex aliena electione incumbunt vnicuique, maximè quoad beneuolentiam, & beneuolas actiones erga aliquem. Quibus nimirum ex sua natura conuenit, vt sint præ cæteris ab intrinseco. Requiritur ergò vsus rationis in contrahentibus matrimonium non minus, quatenùs sunt subiectum ipsius, quam quatenùs sunt ministri, seu causæ efficientes, idque tam sub conceptu contractus, quam sub conceptu sacramenti.

Artic. 4. Plura alia requiruntur de facto ad valorem sacramenti matrimonij præter illa tria hucvsque explicata, diuersitatem sexus, Baptismum, & vsum rationis. Verùm omnia alia, præter hæc tria, requiruntur directè, ac immediatè non ex conceptu sacramenti, de quo agere instituimus, sed ex conceptu contractus, de quo initio prænonui me in præsenti præscindere. Nempè Christus Dominus eleuauit ad rationem sacramenti, non hunc, vel illum contractum matrimonialem, sed quemlibet quomodolibet celebratum inter baptizatos, dummodo validè celebretur. Contractus autem matrimonij ex suo conceptu, ea tantum vniuersaliter requirit pro sui valore, quæ à nobis proposita sunt, nec aliorum defectus, quæ de facto requiruntur, vt valeat, inualidat ipsum in omnem euentum, tùm ordinarium, tùm etiam extraordinarium, saltem metaphysicè possibilem, atque hoc sufficit, vt ab eis omnibus iure suo præscindat, qui de solo conceptu sacramenti agere instituit, cum ad eum sufficiat quilibet contractus validus, pro quouis euentu, siue ordinario, siue etiam metaphysicè tantùm possibili. Concluditur igitur absolutè ministrum, & subiectum idoneum huius sacramenti esse virum, & fœminam baptizatos, & compotes rationis.

Ad 1. In conceptu sacramenti cuiuslibet includitur intrinsecè, tanquam constitutiuum eius essentiale, voluntas instituentis ipsum, vt dictum est suprà in communi quæst. 6. Deus autem instituit istud sacramentum pro solis baptizatis, solumque eorum contractum matrimonialem euexit ad rationem sacramenti. Vndè Infidelibus eadem, & eodem modo, quantum est de se, volentibus, & perficientibus, quæ, & quo modo velle, & perficere possunt fideles, deficit nihilominùs ratio sacramenti, quæ inest contractui fidelium. Quia nimirum hunc afficit, & perficit voluntas Diuina specialis relatè ad effectum supernaturalem; eademque contractui infidelium minimè suffragatur. Qua quidem causa contractus etiam purè naturales, alij euadunt validi, alij inualidi, præcisè, quia aliis fauet, aliis non fauet, sed contradicit lex, cuius dispositio pertinet ad conceptum intrinsecum valoris contractuum.

Hinc etiam patet ad secundum. Quia non præsupposito charactere baptismali, non suffragatur contractui voluntas Diuini institutiua sacramenti, quæ ipsum sacramentum intrinsecè constituit. Dici igitur potest characterem baptismalem non requiri ad sacramentum matrimonij, tanquam partem intrinsecè constitutiuam ipsius, & requisitam immediatè ratione sui, sed obiectiuè tantùm ratione alterius, nempè ratione voluntatis Diuinæ, nolentis, nisi illo præsupposito conferre gratiam, & vti, tanquam instrumento ad illam conferendam, consensu contrahentium exterius manifestato. Atque hic respondendi modus videtur præferendus modis aliis respondendi indicatis quæst. illa 6. in re simili.

Ad 3. Patet satis ex dictis suprà artic. 2. Matrimonium fidelis cum infideli æqualiter esse nullum respectu vtriusque. Indidem patet ratio, ob quam minister huius sacramenti non possit esse infidelis, seu non baptizatus, licet idem possit esse minister baptismi. Quia videlicet minister sacramenti matrimonij est indistinctus ab eiusdem subiecto, nulliusque alterius sacramenti subiectum esse potest, qui non est baptizatus. Quæ ratio locum non habet comparatione ministri perficientis baptismum, vt per se patet. Præterea baptismus est sacramentum summæ necessitatis; ideóque oportuit ministrum eius esse magis obuium,

obuium, quam ministrum vllius alterius sacramenti, vti notatum est in loco.

Ad 4. Baptismus, & quæ à baptismo dependent, sunt de necessitate salutis æternæ, vt superius dictum est quæst. 50. Quæ autem sunt eiusmodi, omnes volunt appetitu tam innato, quam elicito saltem sub conceptu aliquo confuso, & nemini licet, vt nolit sub conceptu etiam explicito, ac determinato, ideóque possunt aliena formali voluntate, & cum consensu interpretatiuo cuiusque proprio, sufficienter, & efficaciter esse volita. At matrimonium non est similiter necessarium ad salutem, & felicitatem æternam, quin imò perfectius, & melius potest vnusquisque ad eam dirigi, ac peruenire absque matrimonio. Quæ autem sunt eiusmodi, propriæ cuiusque electioni liberæ relinquuntur, nec potest in ea induci aliena voluntate. Nulla igitur est ratio paritatis à Baptismo, & eius oneribus ad matrimonium, & eius onera inducenda per alienam voluntatem absque proprio consensu libero.

Ad 5. Non dubium est, quin Deus possit conferre mari, & fœminæ mutuum ius suprà corpus alterius, atque adeò inducere vinculum matrimoniale sola sua voluntate, & independenter à consensu formaliter libero vtriusque, vel alterutrius partis. Quia Deus est Dominus corporis, & cæterorum omnium, quæ insunt vnicuique, & præterea potest voluntates maris, & fœminæ flectere quocunque voluerit, atque perfectè disponere ad vitam socialem, & beneuolam mutuo tranquillam, & felicem. Quo, vel maximè differt ius, & potestas Dei super omnes, & singulos homines ab omni, & qualibet humana potestate suprà aliquos sibi vtcunque subiectos. Quia nulla humana potestas, potest inducere in voluntatem subditorum eam internam voluntatis dispositionem, quæ requiritur ad finem vinculi matrimonialis; atque cui negatur finis, negantur etiam media ad finem. Potest igitur Deus sola voluntate inducere vinculum, & ius matrimoniale, inter quaslibet duas personas diuersi sexus, tametsi nulla humana Domini, aut Principis, aut Reipublicæ potestas efficere id ipsum vnquam possit. Quod quidem quoad vtramque partem puto esse certissimum, quidquid aduersus posteriorem partem, quæ non est æqualiter certa, leuibus nixus fundamentis reclamet Franciscus Victoria. Cæterum nulla, aut Diuina, aut humana potestate fieri potest, vt detur sacramentum matrimonij; vtque sit sacramentale mutuum aliquod duorum vinculum, quin interueniat mutuus ipsorum consensus liber, signis externis manifestatus per eosdem, existente præsenti huius sacramenti institutione. Quæ nimirum exigit prædictum mutuum liberum consensum signis externis manifestum. Quapropter conceditur, capacem effectus alicuius sacramenti, esse etiam absolutè capacem eiusdem sacramenti. Sed negatur esse eo ipso capacem eiusdem sacramenti qualitercunque suscipiendi, & in quibuscuis indiscriminatim circumstantiis. Quia videlicet deesse nihilominùs possunt, aliqua, quæ sunt de conceptu essentiali sacramenti.

Ad 6. Probabilius videtur, quòd docent Vasquez, Basilius Pontius, & plerique alij Authores, contractum matrimonij celebratum inter infideles nunquam deindè consequi posse rationem sacramenti, conferentis gratiam, tametsi illi baptizentur, postea, & insuper adiiciant nouum consensum matrimonialem, cum intentione perficiendi sacramentum. Quia sacramentum matrimonij perficitur iisdem signis externis, quibus perficitur contractus. Vndè necesse est, vt eiusmodi signa externa perfectiua contractus; procedant ex intentione perficiendi sacramentum, quæ intentio sit sufficiens, quantum est de se, ad id, quod intendit. Contractus autem matrimonij inter infideles non perficitur, nec fieri potest, vt perficiatur tali intentione, dùm sunt infideles. Quando autem baptizantur postea, iam non existit prior contractus, nec fieri potest, vt signa externa perfectiua, & completiua eius procedant ab intentione, quæ superinducitur tempore Baptismi, vt per se patet. Sed neque fieri potest, vt tempore Baptismi, aut post ipsum subinducatur nouus contractus validus. Quia iam nulla supereſt materia noui liberi contractus, nullumque effectum inducere potest nouus contractus; quandoquidem totus effectus præsupponitur iam positus ex vi prioris contractus. Patet verò contractum, cuius nullus est effectus, esse nullum. Cuiusmodi argumento probare ipse soleo repugnantiam duplicis causæ adæquatæ in actu secundo respectu eiusdem effectus. Itaque matrimonialis Infidelium contractus, solam consequitur, rationem sacramenti late sumpti, seu speculatiui propter Baptismum postea superuenientem. Nempè contractus solubilis ante Baptismum causa fidei, altero contrahentium conuerso ad fidem, & altero manente infideli, non est post Baptismum solubilis ea de causa, ideóque post Baptismum repræsentat perfectius insolubilem coniunctionem inter Christum, & Ecclesiam, atque hæc repræsentatio est quædam ratio sacramenti latè sumpti, vt notatum est initio. Ad septimum patet ex dictis suprà art. 4.

---

## QVÆSTIO CXIII.

### *Vtrùm Sacramentum Matrimonij conferat gratiam?*

VIdetur non conferre. 1. Quia gratia datur ad solos actus meritorios vitæ æternæ. Actus autem, ad quos ordinatur matrimonium, non sunt meritorij vitæ æternæ. Primum enim non sunt difficiles, cum potius sit difficilis eorum omissio. Et tamen difficultas, ac arduitas de conceptu operis meritorij, vt dictum est quæst. 31. de act. hum. Deindè non est meritorium id, cuius dimissio est laudabilis. Est autem laudabilis virginitas, per quam dimittitur matrimonium cum omnibus suis actibus. Ergò nec matrimonium, nec eius actus sunt meritorij. Demum Chrysostomus hom. 1. in opere imperfecto super Matt. ad illud; *Cùm esset dispensata*; *Matrimonium*, inquit, *etsi vtentibus se pœnam non inferat, mercedem tamen non præstat*. Ergò sacramentum matrimonij non confert gratiam.

2. Vsus matrimonij est peccaminosus. Primum enim est propagatiuus peccati originalis, quod diffunditur per generationem. Actus autem propagatiuus peccati est peccaminosus. Quia est intrinsecè malum, facere, vt aliquis sit peccator. Deindè quod est contra præceptum Apostolicum, est peccatum. Vsus autem matrimonij est contra præceptum Apostoli dicentis, 1. ad Corinth. 7. 29. *Et qui habent vxores tanquam non habentes sint*; Hoc est non vtantur nuptiis, quod faciunt non nubentes. Denique opus, quod de se est turpe, semper est peccaminosum. Copula autem carnalis, ad quem ordinatur matrimonium, est opus de se turpe, tùm quia interuenit motus concupiscentiæ, & libidinis, qui est de se turpis vsque adeò, vt ipsi quoque coniugati indè verecundentur, & refugiant eatenus aspectum aliorum; tùm quia absorbetur interim ratio totaliter, vt dicitur 7. Ethic. cap. 11. sub finem; turpe verò est amittere, propter delectationem corporalem, rationem, & vim intelligendi, quæ est principale hominis bonum. Ergò ad vsum matrimonij non datur gratia.

3. Non est necessaria gratia ad opera, quibus perficiendis sufficit inclinatio, & virtus homini connaturalis. Inclinatio autem, & virtus homini connaturalis sufficit ad perficienda opera, ad quæ ordinatur matrimonium, quod propterea est homini connaturale. Ergo non est necessaria gratia ad opera propria matrimonij.

4. Sacramenta non causant, nisi quod significant. Sacramentum autem matrimonij non significat gratiam. Quia perficitur solis verbis, aliisue externis interni consensus signis, quæ solum significant vinculum, & ius mutuum contrahentium, vt patet ea consideranti. Et confirmatur, quia significatio est eadem, siue contrahentes sint infideles, siue sint baptizati. Verba autem infidelium non significant gratiam. Ergo nec verba baptizatorum.

5. In professione religiosa, quæ est perpetua sicut matrimonium, & ordinatur ad opera multo difficiliora, ac perfectiora, quam matrimonium, non datur vlla gratia ex opere operato. Ergo multo minus in matrimonio.

Art. 1. Respondetur. Cum sit certum ex fide, omnia nouæ legis sacramenta conferre gratiam ex opere operato iuxta dicta in communi quæst. 19. sitque rursus ex fide certum matrimonium fidelium esse sacramentum nouæ legis, propriè, ac strictè tale, vt dictum est q. 110. dubitari minimè potest, quin idem fidelium matrimonium causet gratiam, atque ita definiunt Conc. Florent. in decreto Eugenij, §. *nouæ legis*, & Trid. tum in communi sess. 7. can. 1. & 6. de Sacramentis in genere, tum specialiter sess. 24. can. 1. de hoc sacramento.

Art. 2. Confert autem gratiam solum quoad augmentum. Quia non confert gratiam, ad omnia indiscriminatim, & vniuersaliter opera propria vitæ spiritualis, quod pertinet ad sacramenta mortuorum, conferentia primam gratiam, & vitam ipsam spiritualem, quæ est principium omnium operum salutarium: sed confert gratiam solum ad perfectionem operationum particularium ad quas ordinatur ex sua natura contractus matrimonialis. Quæ proinde gratia supponit vitam spiritualem, quæ est radix omnium operum bonorum. Hinc deducitur contrahentes sacramentaliter matrimonium peccare de nouo lethaliter, si id faciant in statu peccati. Quia eo ipso impediunt effectum principalem sacramenti, ipsumque sacramentum indigne suscipiunt. Quod est sacrilegum, & grauiter, ac lethaliter dedecens, iuxta dicta in communi, quæst. 18. An verò committant duplex peccatum lethale, alterum quatenus indigne ministrant, alterum quatenus indignè suscipiant? eodem illo in loco relictum est indecisum, nec modo occurrit ratio efficax pro alterutra parte. Quia minister huius sacramenti conuenit cum ministris ordinariis aliorum sacramentorum, quoad vsum potestatis conferendi gratiam, & perficiendi causam eius instrumentalem. Vnde cum ministri ordinarij aliorum sacramentorum peccent lethaliter, si perficiant sacramentum aliquod in statu peccati lethalis propter eandem rationem videtur excusari à peccato non posse minister sacramenti matrimonij. Quia verò idem huius sacramenti minister differt ab aliis ministris ordinariis sacramentorum, quatenus in perficiendo sacramento simul vtitur iure suo naturali contrahendi matrimonium, nec videtur institutus minister directè, & donatus dignitate aliqua spirituali peculiari, sed indirectè tantum, & concomitanter videatur admissus ad sacrum ministerium: non potest efficaciter concludi, vrgeri ministrum matrimonij eo genere obligationis, quo vrgentur alij ordinarij sacramentorum ministri. Vtraque igitur pars est probabilis, tametsi hæc posterior videatur aliquanto verisimilior.

Art. 3. Duo superaddenda sunt circa collationem gratiæ. Alterum est sacramentum matrimonij conferre per se, seu cæteris paribus minus gratiæ, quam sacramenta cætera: tum quia hoc sacramentum est minoris perfectionis, quam cætera sacramenta, vt dictum est suprà in communi, quæst. 35. tum quia opera, ad quæ ordinatur sunt minoris perfectionis, & difficultatis, quam opera reliquis sacramentis præfixa. Alterum est istud sacramentum, si suscipiatur cum obice gratiæ, posse postea inducere eandem gratiam, cum primum recesserit obex. Quia sacramenta, quæ non obstante obice gratiæ, conferunt suscipienti effectum aliquem ipsi intrinsecum, eidemque imponunt onus aliquod peculiare, ratione cuius insit peculiaris indigentia gratiæ, eam conferunt, cum primum tollitur obex. Sacramentum autem matrimonij, tametsi suscipiatur cum obice gratiæ, inducit effectum peculiarem, & imponit onus, pro quo ferendo est necessaria specialiter gratia. Inducit enim vinculum matrimoniale cum mutuo alterutrius contrahentis iure aduersus alterum, & consequenter inducit in vtramque obligationem, & onus satisfaciendi ei iuri per mutua vitæ socialis officia, mutuam custodiam, tranquillitatem, & pacem, per Christianam prolis educationem, & similia, quibus idoneè exhibendis patet gratiam esse specialiter necessariam. Igitur hoc sacramentum etiam fictè susceptum retinet vim conferendi gratiam, eamque confert recedente postea fictione, de quo videri potest quæst. 30.

Ad 1. Dubitari non potest, quin sint meritorij actus, ad quos ordinatur sacramentum matrimonij, si debito fine, & circumstantiis non careant. Quia sunt honesti, & ex ratione sacramenti præscribitur eidem finis supernaturalis vitæ socialis Christianæ, & procreationis, atque educationis filiorum, qui sint. Ciues idonei Reipublicæ Catholicæ. Neque verò caret difficultate intentio huius ipsius finis, & obseruatio limitum, & modi, ac moderationis, quos præscribit idem finis. Neque verò est de conceptu actus meritorij, ne possit omitti cum laude per actum perfectiorem. Alioquin soli actus summè perfecti inter eos, qui sunt inuicem incompossibiles essent meritorij. Quod est absurdum. Chrysostomus autem solam negat matrimonio rationem meriti accidentalis, quæ conuenit priuationi matrimonij ex peculiari difficultate, quæ inest tali priuationi, non verò rationem meriti respectu præmij substantialis, quæ correspondet operi, cuiuis honesto procedenti ex charitate, vt dicit D. Thom. q. 411. art. 4. ad 1.

Ad 2. Certum est ex fide, & manifestum ex ratione vsum matrimonij, non esse peccaminosum ex sua natura, sed licitum, & honestum, vt liquet ex ratione finis, nuper indicata, & superius expressa magis, nec rationes in contrarium quidquam conuincunt. Primum enim propagatio peccati originalis non inest per se, sed purè per accidens vsui matrimonij. Quia causa eius propagationis est primum peccatum ab Adamo commissum, idemque est causa; & non parentes, vt filij nascantur peccatores, vti pluribus efficaciter demonstrat Augustinus in libris de nuptiis, & concupiscentia, & alibi semper aduersus Pelagianos. Iam Apostolis non imponit præceptum, sed solum dat consilium de abstinentia à matrimonio, eiusque vsu, vt ipse disertè monet in illo ipso cap. 7. Vnde, quòd dicit, vt qui nubunt, sint tanquam non nubentes, non hunc habet sensum, vt abstineant ab vsu nuptiarum, sed ne propterea dimittant æternorum, ac spiritualium bonorum curam, vtq; in ea bona ferantur intentione præcipua, ordinando ad eandē ipsas nuptias, atque omnem earum vsum. Quod itidem disertè docetur ibidem ab Apostolo, præsertim

dum

dum similiter dicit, *vt qui vtuntur mundo, sint quasi non vtentes.* Vtrobique enim additur particula *quasi* ad indicandum, ne in vsu mundi, aut nuptiarum finis hominis vltimatè collocetur. Permittit itaque vtrobique vsum, solumque superaddit modum vtendi necessarium ad honestatem. Demum turpitudo, quæ inseparabiliter inest vsui nuptiarum ex vehementia libidinis non est turpitudo culpabilis, sed pœnalis, prouenies ex primo peccato, absque noua coniugum catenus libertate, qui non tenentur vitare circumstantias pœnales, operis de se honesti. Quod absorbeatur ratio, & impediatur attentio ad Deum, & rationes æternas, in actuali vsu matrimonij, communè fere est aliis quoque occupationibus honestis circa temporalia. Nempè quòd per breue interuallum impediatur animus ab actuali Dei, & diuinorum consideratione, non est peccatum ex genere suo, sed necessaria humanæ imbecillitatis conditio, cui proinde sufficit, vt semper Deo adhæreat habitualiter, per habitum gratiæ, qui solo tollitur peccato lethali.

Ad 3. Gratia sacramentalis non datur ad præstandum vtcunque officium naturæ, ad quod sufficit vtique ipsa natura, sed ad superaddendum debitum finem, ac modum, ad quem non sufficit natura sine gratia.

Ad 4. Sacramenta causant, quod significant, naturaliter quidem remotè tantùm, & in actu primo, seu aptitudinaliter; supernaturaliter verò, & ex institutione diuina proximè, & in actu secundo. Vtroque autem modo proportionaliter significant gratiam, forma, & materia matrimonij, vti superius expensum est. Quare obiectio in eo peccat, quòd solam considerat significationem naturalem secundum se, & non etiam supernaturalem prouenientem ex institutione diuina, quæ respectu baptizatorum est longè diuersa, quam respectu infidelium.

Ad 5. Professionem religiosam præcedit, ex natura rei vbertas auxiliorum gratiæ, eademque professio continet in se plura media conducentia ad salutem animæ, & applicat ad assiduum virtutum omnium exercitium, ex quibus prouenit multiplex augmentum gratiæ ex opere operantis, ideóque necesse non fuit, vt professioni religiosæ annecteretur augmentum gratiæ ex opere operato; sicut ob rationem contrariam opportunum, ac necessarium fuit, vt eadem annecteretur matrimonio.

---

## QVÆSTIO CXIV.

### *Vtrùm contractus Matrimonij inter fideles sit separabilis à Sacramento?*

VIdetur esse separabilis. 1. Quia Christus Dominus potuit instituere sacramentum matrimonij, retenta libera fidelium facultate, qua prius poterant ad perficiendum validè contractum matrimonij, absque intentione perficiendi sacramentum, & consequenter quin re ipsa perficiant sacramentum. Ex nullo autem scripturæ loco, aut Concilij, aut Patrum vllum apparet iudicium, quod Christus Dominus non sic instituerit de facto; atque præsumptio semper fauet amplitudini libertatis, homini connaturalis. Ergo credendum potius est ita de facto institutum esse sacramentum matrimonij.

2. Omne matrimonium censetur validum, de cuius inualiditate non constat liquido ex aliquo iure, vt dicitur in Extrauaganti Ioannis XXII. *Antiquæ*, de voto. Ex nullo autem iure liquidò constat esse nullum matrimonium fidelium celebratum absque intentione perficiendi sacramentum, immo cum intentione non perficiendi. Ergo tale fidelium matrimonium est validum. Idem autem caret ratione sacramenti. De cuius nimirum essentia est intentio ministri sacramentaliter, ac supernaturaliter operandi, vt dictum est suprà in communi ex Concilio Florentino. Ergo matrimonium fidelium potest esse validum, quin sit sacramentum.

3. Matrimonia clandestina fuere valida ante Concilium Tridentinum, vt dictum est supra ex eodem Concilio. Eiusmodi autem matrimonia saltem pleraque fuere contractus purè ciuiles, vtpote celebrata absque vlla cogitatione, ne dum intentione de aliquo supernaturali, ac sacramentali, sed de solo officio naturæ. Augetur difficultas, quia matrimonia hæreticorum sunt valida, neque de hoc in genere vlla fuit vnquam dubitatio in Ecclesia; & tamen hæretici non perficiunt sacramentum. Quod nimirum nunquam intendunt perficere, cum neque credant dari tale sacramentum. Perficiunt igitur validum contractum, quin perficiant sacramentum.

4. Matrimonium celebratum inter fideles absentes per procuratorem est validum, vt liquet ex c. vlt. de Procuratoribus in 6. Et tamen, tale matrimonium nequit esse sacramentum, vt docent Caietanus, Canus, & Victoria, conuenientibus Soto, Ledesma, & Rebello: tum quia nullum aliud sacramentum conferri potest absenti, nec est vlla ratio excipiendi sacramentum matrimonij: tum quia absolutio sacramentalis nulliter datur absenti præcisè, quia verba formæ diriguntur ex se ad præsentem; diriguntur verò similiter ad præsentem verba matrimonialia, vt patet conferenti verba hæc: *Absoluo te*, cum his: *Accipiate in meum, in meam*, tum denique, quia si matrimonium absentium esset sacramentum, non deberent postea coniungi præsentes in facie Ecclesiæ, vt fert solemnis eiusdem Ecclesiæ ritus.

5. Absolutio, & prolatio verborum, quibus perficitur sacramentum Baptismi, possunt peragi absque intentione perficiendi sacramentum, & consequenter quin perficiatur sacramentum; & nihilominus, tunc etiam retinent veram rationem ablutionis, & prolationis, præstantque effectus sibi connaturales perinde omninò, atque si nulla interuenisset eleuatio, ac institutio supernaturalis. Ergo verba matrimonialia retinent similiter veram rationem contractus naturalis, & præstant omnem effectum naturalem, quem præstarent nulla existente institutione, ac eleuatione supernaturali, tametsi proferantur absque intentione perficiendi sacramentum, & quin perficiatur sacramentum.

Art. 1. Respondetur, qui est membrum Reipublicæ alicuius, & intendit perficere contractum aliquem prætermisso ritu eius, inducto lege supremi Principis, consuetudine recepto, quique est fundamentalis respectu eiusdem Reipublicæ, proculdubio contrahit nulliter. Ritus autem sacramentaliter contrahendi matrimonium, est proprius, & peculiaris Reipublicæ Christianæ, inductus lege Christi Domini supremi Principis, & Conditoris eiusdem Reipublicæ, idemque ritus communi, ac vniuersali Christianorum consuetudine receptus est, & insuper est fundamentalis respectu Reipublicæ Christianæ, cuius videlicet fundamenta præcipua sunt septem sacramenta, instituta à Christo. Cùm igitur omnes Christiani sint membra Reipublicæ Christianæ, si qui eorum intendant contrahere matrimonium prætermisso sacramento, eo ipso contrahent nulliter vtpote nolentes celebrare contractum, qualis institutus est à Christo, quique est proprius Christianorum, sed qualis ante Christum permittebatur, quique post eius institutionem, ac legem solis permittitur infidelibus. Qua quidem ratione, vsque adeò efficaciter persuadetur hæc sententia, vt non parum inclinem in sensum Gregorij de Valentia, dicentis,

Non

*Non videri aliqua temeritate carere quod possit inter Christi fideles verum, & legitimum esse matrimonium, quod non sit etiam sacramentum.*

Art. 2. Accedit Concilium Florentinum, & Tridentinum locis superius indicatis non semel definire, matrimonia fidelium esse sacramentum. Quæ definitio, cum sit vniuersalis, & indefinita, nullius permittit matrimonij fidelium exceptionem à ratione sacramenti. Alioquin enim definire debuissent, vel aliqua matrimonia fidelium esse sacramenta, vel matrimonia fidelium posse esse sacramenta, seu posse celebrati perficiendo simul verum sacramentum, non verò vniuersaliter, & indefinitè, matrimonium fidelium esse verum Christi sacramentum. Sic enim dici non posset absolutè, & sine restrictione hostiam à Sacerdote consecratam esse sacramentum, si fieri posset, vt aliqua hostia verè esset consecrata à Sacerdote, quin daretur verum sacramentum. Nullum igitur verum inter fideles matrimonium esse potest, quod non sit simul verum sacramentum.

Art. 3. Accedit rursus Gabrielem Vasquez, Rebellum, Basilium Pontium, Martinon, & aliquos alios, qui putant dari posse inter fideles verum, ac validum matrimonium, quod non sit sacramentum, docere nihilominus pro nullo euentu licere Christianis, vt separent rationem contractus matrimonialis à ratione sacramenti, sed quicunque tentauerint id facere, peccaturos esse graviter. Id quod supponit apertè Euaristus Papa in Epist. 1. ad Episcopos Africanos, vti refertur causa 30. q. 5. c. 1. additque ita à Patribus acceptum, & à sanctis Apostolis, atque eorum successoribus traditum fuisse. Ista autem tanta certitudo, & tam antiqua ab ipsis Apostolis deriuata, & sanctorum Patrum consensu semper retenta traditio inhonestatis matrimonij fidelium intenti cum exclusione sacramenti non in alio fundari potest, quam in sola indiuisione contractus fidelium à Sacramento. Certè supposita ista contractus, & sacramenti indiuisione manifestissimè apparet ratio peccati grauis in intentione fidelium volente alterum ab altero seiungere. Quia videlicet eo ipso vtrumque reddunt nullum indiuisim. Quod non nisi pessima, & sacrilega voluntate fieri potest loquendo per se. Si verò supponatur contractum matrimonialem validum inter fideles, esse absolutè separabilem à ratione sacramenti, non modo nulla apparet ratio satis clara, ob quam necesse sit graviter peccare fideles, quandocunque tentauerint perficere purum contractum, quin imò concluditur licitum, ac laudabile aliquando fore, vt contraherent secluſa ratione sacramenti. Quando videlicet contractus matrimonij non posset differri absque graui inconuenienti, & ex alia parte contrahentes essent in statu peccati lethalis, nec essent ad iustificationem, tunc temporis obtinendam satis dispositi, quod pluribus multiplici de causa facile contingit. Credendum itaque omninò est, intentionem fidelium perficiendi contractum matrimonij, quin perficiant sacramentum, esse ineuitabiliter peccaminosam, præcisè quia est inseparabilis contractus à sacramento, atque inde fit, vt exhibitis actionibus externis sufficientibus ex se ad contractum validum, absque intentione perficiendi sacramentum eo ipso exhibeantur materia proxima, & forma sufficientes ex se ad sacramentum, quin sacramentum re ipsa perficiatur ob solum defectum debitæ intentionis.

Art. 4. Augetur vis huius rationis. Quia Ecclesia non solum interdicit, sed etiam irritat matrimonium baptizati, cum non baptizata, tametsi iam sit catechumena, & certissimè baptizanda quam primum, vt liquet ex c. *Caue* 28. q. 1. & similiter irritatur matrimonium hæretici, cum eadem infideli nondum baptizata. Quia nimirum dedecet, vt homo baptizatus perficiat matrimonium, quin perficiat sacramentum, quod cum consorte infideli celebrare non potest, vt dictum est supra. Hæc namque sola superest ratio irritationis in duobus casibus modo expressis, vt apparet consideranti. Maior autem longè indecentia est in contractu matrimoniali inter duos baptizatos, quin perficiatur sacramentum. Quia eo ipso duplicatur ratio indecentiæ. Quis igitur credat irritari matrimonium ob indecentiam minorem, & non idem irritari ob indecentiam longè maiorem eiusdem omninò generis? Et quis non credat Concilium Florentinum, & Tridentinum, dum definit vniuersaliter, matrimonia fidelium esse sacramentum, aut supponere nulla esse matrimonia pure ciuilia fidelium ex vi institutionis Christi secundum se, quod mihi est verisimilius, vti initio indicatum est; aut certè eorundem nullitatem complecti vt minimum, tanquam inductam Ecclesiastica authoritate, & traditione ad Apostolis deriuata? vti colligi potest ex authoritate Euaristi paulo prius indicata. Dicendum itaque omninò est cum Soto, Valentia, Ledesma, Sanchez, Coninch, Layman, & aliis, contractum matrimonialem inter fideles, esse inseparabilem à sacramento, nec validum esse posse, quin sit sacramentum, tametsi oppositum sit absolutè probabile propter authores id negantes, quos refert, & sequitur Martinon.

Ad 1. Ex eo, quod Christus Dominus constituerit matrimonium sacramentaliter celebratum inter fundamenta Religionis Christianæ, qualia sunt septem Ecclesiæ sacramenta; sufficienter colligitur, professoribus eiusdem religionis nullum permissum esse verum contractum matrimonialem, qui non sit sacramentum. Quapropter si Christus Dominus voluisset permittere fidelibus liberam electionem contractus matrimonialis validi, vel sacramentalis, vel non sacramentalis, quod non nego fieri absolutè potuisse, id verò distinctè docere oportuisset. Quia foret permissio ordinationi, ac eleuationi fundamentali matrimonij, minimè connaturalis. Vnde cum talis permissionis nulla sit de facto, aut expressio, aut etiam insinuatio, sed magis oppositum, concluditur illam de facto nequaquam dari, atque humanam libertatem, eo ipso, quod sit deuincta professioni Religionis Christianæ esse quoque restrictam ad contractum matrimonialem proprium, ac peculiarem eiusdem Religionis Christianæ, præsertim cum apud Concilia, & Patres, vbique dicatur matrimonia fidelium esse sacramentum, neque vlla vnquam fiat mentio de matrimonio fidelium, quod non sit sacramentum, seu quod sit contractus purè ciuilis, atque de omnibus vniuersim matrimoniis fidelium iudicet Ecclesia absque exceptione, nullaque permissa eatenus potestate Principibus temporalibus; quod fieri iustè non posset: ideóque non fieret ab Ecclesia, si aliqua matrimonia fidelium possent esse valida, quin essent sacramentum. Indisciplinati præterea ingenij est, vt dicit Philosophus, in omnibus euidentiam quærere, eaque negare absque vlla ratione positiua, quæ validis rationibus positiuè comprobantur, atque iis maximè congruunt, quæ sunt certissima, ac manifestissima.

Ad 2. Satis constat ex dictis. Apparuit enim sufficienter ex iure diuino, vel saltem ex Ecclesiastico constare de nullitate matrimonij initi inter fideles, absque intentione sufficienti ad rationem sacramenti. Sanè matrimonium, de quo est sermo in illa Extrauaganti, supponitur inibi fuisse sacramentum, præcisè quia contractum fuit à fidelibus, eaque præcisè de causa Ioannes Papa iudicat, ac disponit circa idem matrimonium, tanquam circa rem sacram, ac spiritualem. Videatur si placet totus contextus.

Ad 3. Negatur matrimonia clandestina fidelium non habuisse veram rationem sacramenti, dum fuerunt veri,

veri, ac validi contractus. Quia absque fundamento, & contra legitimam rationem dicitur defuisse contrahentibus intentionem sufficientem ad perficiendum sacramentum; quandoquidem fideles, siue publicè, siue clam contrahentes perindè habent intentionem faciendi quod, & quomodo alij fideles communiter faciunt, dum matrimonialiter iunguntur; aut contrahendi, vt Christi fideles decet, vtque permissum est, vt validè contrahant: ac demum volunt efficaciter, quidquid necesse est eos velle, vt acquirant verum ius mutuum matrimoniale. Quilibet autem ex iis intendendi modis, aliique illis æquipollentes multipliciter possibiles, continent in se virtualiter, & æquialenter, intentionem formalem perficiendi sacramentum, & sufficiunt ad ipsum reipsa perficiendum, iuxta dicta supra in communi, & ex communi, quæst. 15. art. 2. 3. & 4. Dictum similiter est ibidem quæst. 17. artic. 1. & 2. Existentibus in ministro intentionibus inuicem oppositis, atque incompossibilibus ex parte obiecti, eam intentionem euadere efficacem, & sortiri reipsa effectum sibi conformem, quæ est appretiatiuè maior, quàm opposita. Eadem facilitate solui potest, quod supra opponebatur de matrimoniis hæreticorum; quamuis enim fatendum sit, illa esse valida, vt docent communiter Theologi, & Iuristæ, frustra reclamantibus Simanca, Hostiense, & paucis aliis cum Glossographo, in cap. finali, de conditionibus appositis, verbo *contra substantiam*, cum canones, & Conciliorum testimonia quæ accumulant, contineant tantùm prohibitionem contrahendi matrimonia cum hæreticis, vnde tantum concludi potest ea fuisse illicita, non inualida. Quæ validitas firmatur recepta Ecclesiæ consuetudine, quæ etiam nunc viget in Gallia, Polonia, & Germania vniuersa, vbi accedentibus ad Ecclesiam Catholicam hæreticis, non instauratur de nouo eorum matrimonium, & filij eorum censentur legitimi, in vtroque foro Ecclesiastico & Seculari, vt bene notauit Nicolaus Serarius opusculo de matrimonio hæreticorum. Quamuis, inquam, hæc ita sint, & hæretici præsertim Caluiniani negent matrimonium esse Sacramentum; cùm nulla lege constet ademptum illis esse ius, quod ad omnia Sacramenta consequuti sunt, per Baptismum qui est ianua aliorum Sacramentorum; si cætera ad materiam & formam matrimonij necessaria adhibeant, & non sit aliud impedimentum, conficitur Sacramentum, & hoc ipso quod volunt matrimonium inire, ineunt Christianum. Quod euincitur ratione supra insinuata. Vnde quia in hæreticis non agnoscentibus, ideoque non intendentibus rationem sacramenti, datur nihilominus intentio appretiatiuè maior, perficiendi verum, validumque contractum, & consequenter quidquid ad eam validitatem requiritur, re ipsa volunt perficere, & verè perficiunt sacramentum matrimonij; tametsi sacramentum formaliter non intendant, imò explicitè, & formaliter intendant illud non facere. Quia videlicet hæc posterior intentio solet esse appretiatiuè minor, talisque semper præsumitur in hæreticis, vtpotè magis propensis in statum matrimonialem, quam auersis à sacramento, quando agitur de contrahendo matrimonio. Ita docent Layman, Castro Palao, & alij apud ipsos, & post ipsos. Quod si quando maius sit odium sacramenti, quam amor matrimonij; qui videtur casus metaphysicus, sicut nullum perficietur sacramentum, ita contractus matrimonij nulliter perficietur, vt patet ex dictis.

Ad 4. Pro certo tenendum est cum communi sententia, matrimonium fidelium celebratum inter absentes per procuratorem, sicut extra controuersiam est validum in ratione contractus, ita etiam valere in ratione sacramenti, atque esse verum sacramentum, dummodo adsint cætera requisita. Quia non plura requiruntur in baptizatis ad rationem contractus, vna dempta intentione, quæ pro sacramento debet esse peculiaris conditionis, sed cuius in absente non minus esse potest, quam in personaliter præsente. Quòd fieri idem minimè possit in vllo alio sacramento, nihil probat. Quia sacramentum matrimonij differt quoad plura à reliquis omnibus sacramentis, quatenus simul est contractus. Nec magis vrget paritas ex sacramento pœnitentiæ. Quia ad sacramentum matrimonij non requiruntur verba determinata indicatiua mutuæ præsentiæ, sicut requiruntur ad sacramentum pœnitentiæ; sed sufficiunt, quæcumque signa externa consensus interni siue opere, siue verbo, eoque siue scripto, siue prolato exhibita. Atque huiusmodi significationes sunt ex sua natura indifferentes ad mutuam præsentiam, & absentiam contrahentium. Demum, quòd iuncti matrimonio per Procuratorem, postea nihilominus iungantur solemniter in facie Ecclesiæ, non ad hoc ordinatur, vt tunc superaddatur ratio sacramenti. Quæ videlicet est inseparabilis essentialiter à ratione contractus, ideoque superaddi non posset de nouo, quin iterum perficeretur contractus, quod est impossibile. Ritus igitur ille publicæ coniunctionis obseruatur præcisè, vt suppleantur solemnitates sacræ, quæ prius omissæ fuerant, vtque coniuges mutuo præsentes manifestiùs declarent Ecclesiæ, se ratum habere, quòd per Procuratores eorum nomine, & authoritate actum fuit. Ruinosum porrò est fundamentum, quo nititur Caietanus, vt probet abesse rationem Sacramenti, à matrimonio celebrato inter absentes per Procuratorem, existimans nullum Sacramentum confici posse, sine verbis quæ vult requiri pro forma. Hoc enim pugnat cum decisionibus Iuris cap. Cum apud, & cap. Tuæ fraternitati, de sponsalibus & matrimonio. Vbi Innocentius III. decidit mutum posse contrahere matrimonium, & ad illud contrahendum solum consensum sufficere, qui signis declaretur. Vbi Pontificem agere de matrimonio vt Sacramentum, est conueniunt Doctores.

Ad 5. Ablutio, & prolatio verborum requisitæ ad sacramentum Baptismi hoc inter alia differunt ab exteriori traditione, & acceptatione matrimoniali, quòd traditio, & acceptatio matrimonialis continent in se contractum alterabilem lege superioris, sic vel aliter statuente circa eius valorem, & nullitatem, atque huiusmodi mutatio facta est directè, vel indirectè per voluntatem Christi supremi Principis instituentis hoc sacramentum, vt dictum est; nihilque tale factum est, aut fieri potuit circa materiam, & formam Baptismi. Vndè nulla est eatenus paritas. Cæterùm effectus Physici, & purè naturales vtrobique manent eodem modo, siue adsit, siue desit ratio Sacramenti. Atque quoad hoc solum tenet paritas.

## QVÆSTIO CXV.

### *Vtrùm Matrimonia Hebræorum, aliorúmque populorum, apud quos viget consuetudo repudij, sint valida.*

VIdentur non esse valida 1. Quia qui contractui matrimoniali inserit conditionem contrariam substantiæ matrimonij, contractum efficit nullum, & carentem omni effectu, vti statuitur expressè cap. finali, de conditionibus appositis. Potestas autem repudiandi est in primis contraria substantiæ matrimonij, vt ex illo Matth. 19. 6. *Quod ergo Deus coniunxit, homo non separet.* Et rursus vers. 9. *Dico autem vobis, quia quicumque dimiserit vxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur, & qui dimissam duxerit, mœchatur.* Idem traditur clarè Marci 10. 11. & Lucæ 16. 18. & clarissimè ab Apostolo 1. ad Cor. 7. 10. *Iis autem qui matrimonio iuncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, vxorem à viro non discedere, quod si discesserit, manere innuptam,* aut viro suo reconciliari. *Et vir vxorem non dimittat.* Atque ex iis locis id habetur certum, tanquam dogma fidei, vti reipsa est, apud omnes Catholicos. Deinde Hebræi, cæterique infideles apponunt semper contractui matrimoniali eam conditionem. Volunt enim contrahere iuxta leges suas, & iuxta consuetudinem Patriæ, & non aliter, vti est de more apud omnes vbique in omni negotio, ac proinde volunt explicitè, vel saltem implicitè retinere potestatem repudiandi. Omnia igitur eorum matrimonia sunt nulla.

2. In iis regionibus, ac populis, in quibus viget consuetudo repudiandi, ita sunt affecti omnes, vel plerique, dum celebrant matrimonia, vt si crederent, ac animaduerterent nullam, pro vllo euentu remansuram sibi esse potestatem repudiandi, eo ipso nollent contrahere matrimonium, sed vellent magis manere perpetuò cœlibes, quam habere vxorem cum tali onere. Id quod haud obscurè apparet ex prædicto 19. cap. Matthæi. Cum enim Christus Dominus prætulisset impotentiam repudiandi, & abrogationem legis eatenus Mosaicæ, protinus subintulere discipuli: *Si ita est causa hominis cum vxore, non expedit nubere.* Nempe in hæc verba, ostendentia manifestè maiorem adhæsionem ad potestatem repudiandi, quàm ad matrimonium, absque tali potestate, erumpere non potuere discipuli, nisi ex habituali animi dispositione, sibi communi cum sua gente, præferente libertatem repudij supra matrimonium secundum se. Patet autem taliter affectos matrimonium validum efficere minimè posse, quandoquidem deprehenduntur eo ipso matrimonium validum magis reipsa nolle, quam velle.

3. Matrimonium validum iure naturæ est indissolubile, vt tradit D. Thom. in 4. distinct. 33. quæst. 2. art. 1. & lib. 3. contra gent. cap. 124. Scotus in 4. distinct. 26. quæst. vnic. concl. 3. & cum plerisque aliis Basil. Pontius lib. 1. cap. 13. Matrimonia autem non sunt insolubilia, nec inducunt obligationem nunquam recedendi à consorte, vbi viget consuetudo repudij: tum quia nullus contractus obligat ad id, in quod contrahentes non consentiunt; minimè verò consentiunt in indissolubilitatem, qui volunt retinere potestatem repudiandi, ac dissoluendi: tum quia Pontifices dissoluunt aut dissoluta, seu dissolubilia declarant vniuersaliter matrimonia infidelium, quando altero conuerso ad fidem, alter, aut propterea non vult cohabitare, aut vult quidem, sed non sine contumelia Creatoris, aut quin pertrahat ad peccatum, vt liquet ex cap. *Quanto*, & cap. *Gaudemus* de diuortiis, & sæpè aliàs. Quin imò Eutychianus Papa cap. *si quis Gentilis* 28. quæst. 1. permittit separationem baptizati ab infideli, absque etiam vlla alia causa speciali. Statuit enim sic: *Si quis gentilis gentilem vxorem dimiserit ante Baptismum, post Baptismum in potestate eius erit eam habere, vel non habere.* Ac demum Pius V. & Gregorius XIII. relati à Basilio Pontio lib. 7. cap. 48. num. 22. statuunt valere secundas nuptias baptizati, non requisito etiam, nec præmonito priori consorte gentili, quando longè abest, nec præmoneri potest, tametsi interim is quoque conuersus fuerit ad fidem. Sic autem habent literæ Gregorij XIII. *Quoniam sæpè contingit, multos vtriusque sexus infideles, post contracta gentili ritu matrimonia, ex Anglia, Æthiopia, Brasilia, & aliis Indicis Regionibus, ab hostibus captos, à propriis finibus, & propriis coniugibus in remotissimas regiones exterminari; adeo vt ipsi captiui, & qui in patria remanent, si postea ad fidem conuertantur, coniuges infideles, tam longo interuallo disjunctos, an sine contumelia Creatoris secum habitare velint, vt par est monere nequeant, &c. Idcirco nos, attendentes huiusmodi connubia, inter infideles contracta, vera quidem, non tamen adeo rata censeri, vt necessitate suadente, dissolui non possint; singulis dictorum locorum Ordinariis, & Parochis, & Presbyteris Societatis Iesu, ad confessiones audiendas approbatis, concedimus facultatem dispensandi, cum quibuscumque vtriusque sexus Christi fidelibus, incolis dictarum Regionum, & serius ad fidem conuersis, qui ante baptismum, matrimonia contraxerant; vt eorum quilibet etiam superstite coniuge infideli, & eius consensu minimè requisito, responso non expectato, matrimonium cum quouis fideli, alias tamen ritè contrahere, & in eis postea carnali copula consummatis, quoad vixerint remanere licitè valeant; dummodo constet etiam summariè, & extraiudicialiter, coniugem absentem moneri legitimè non posse; aut monitum intra tempus eadem monitione præfixum, suam voluntatem non significasse, &c.* Sunt igitur nulla matrimonia infidelium, idque non alia profectò de causa, quàm quia perficiuntur cum voluntate diuertendi, si opus fuerit, aut vtcumque placuerit.

4. Error circa substantialia matrimonij tollit validitatem eius, quia tollit verum, ac reolem consensum in ipsum. Quod comprobari potest ratione quæ proponitur in capite vnico 29. quæstione prima, sub initio: *Consensus est duorum, vel plurium sensus in idem. Qui autem errat, non sentit. Ergo non consentit; id est simul cum aliis sentit. Hæc autem errauit. Non ergo consensit. Non itaque coniux est appellanda. Quia non fuit ibi consensus vtriusque, sine quo nullum matrimonium esse potest. Sicut enim ille, qui ordinatur ab eo, quem putat Episcopum esse, & adhuc est laicus, errat, nec vocatur ordinatus, immò ab Episcopo adhuc est ordinandus: sic ista errans nulli est copulata coniugio, & adhuc est copulanda.* Manifestum autem est infideles substantes legi, aut consuetudini repudij errare quoad substantialia matrimonij, quandoquidem credunt ea esse dissolubilia.

5. Si matrimonia infidelium credentium licere, & volentium diuortium, quando videbitur opportunum, valerent, plures inde subsequerentur tricæ, & incommoda, quibus sæpè redderetur valdè difficilis conuersio infidelium ad fidem, necnon eorumdem directio quoad fidem, & vsum coniugalem, postquam susceperè Baptismum. Fieri namque potest, vt Titius gentilis contrahat matrimonium ritu gentilico cum Anna Christiana,

Christiana, vtque idem Titius factus postea Christianus, ac deinde Apostata repudiet prædictam Annam, & transeat ad secundas nuptias. Iam est difficile cogere Annam ad cœlibatum sibi grauem, cum ex altera parte sit iam impossibile Titium reducere ad cohabitationem cum eadem Anna. Redditur proinde valde difficilis, Annæ quidem permanentia in fide Catholica, Titio verò reditus ad eandem.

Fieri similiter potest, vt Anna Christiana nupta Titio gentili euadat sterilis, propterea que Titius accipiat concubinam, retenta tamen Anna vxore, quin eam dimittere velit; sed consanguinei Annæ ex impatientia concubinatus, moueant litem coram Iudice, petentes ab eo, vt cogat Titium per sententiam ad repudiandam Annam; ac demum vt lite pendente Titius suscipiat Baptismum, & professus se iam esse Christianum, cogatur nihilominus à Iudice ad repudiandum. Ecce angustias, quia Titius, & Anna non possunt amplius cohabitare, obstante sententia Iudicis, atque renitentia consanguineorum; & ex alia parte, si prius matrimonium fuit validum, neuter potest transire ad secundas nuptias; ac proinde cogitur vterque inuitus ad vitam quasi cœlibem. Quod est durum, præsertim recens conuersis ad fidem ex infidelitate cœlibatus ignara, vnde redditur exosa Religio Catholica.

Fieri denique potest, vt inito matrimonio inter Titium, & Bertam gentiles, Titius repudiet Bertam; ac deinde transeat vterque ad secundas nuptias, ex quibus vtrique nascantur filij; & demum Titius post hæc, petat baptismum, nec non & Berta; quam tamen nolit dimittere secundus maritus. Oportebit iam, si primum matrimonium dicatur fuisse validum, vt Titius, & Berta se sibi inuicem restituant, simulque cohabitent dimissis posterioribus marito, & vxore, nec non & filiis. Quod Bertæ est impossibile, & Titio prædurum, vt sponte apparet consideranti totam facti seriem.

Propter hæc igitur & similia quam plura frequenter occurrentia incommoda, Illustrissimus Dominus Alphonsus Mendez vltimus Æthiopiæ Patriarcha re tota maturè considerata, & diligenter expensa, statuit eiusmodi matrimonia, apud Tunkinenses, aliasque earum partium gentes esse inualida ob defectum intentionis sufficientis, vtpote adhærentis libertati repudij, & solubilitati. Vnde per totam Indiam Orientalem, aliosque inibi populos inualuit, vt cum vterque coniux baptizantur, renouent contractum matrimonialem coram Parocho, & testibus, vti nuper accepimus ex litteris nostrorum Patrum Tunkinensium continentibus prædictos casus, occasione quorum istam quæstionem accuratius examinandam suscepi, cum varij varia opinarentur.

Art. 1. Respondetur. Censeo standum omnino esse pro validitate eiusmodi matrimoniorum, eademque esse valida, & vera matrimonia, tametsi vbi celebrantur, inualuerit, & quomodocunque inualuerit consuetudo repudiandi, & existimatio, quod liceat; fiatque validè repudium, dummodo tamen in contractu ipso matrimoniali non significetur exterius voluntas retinendi potestatem ad repudiandum pro aliquo euentu. Et quidem matrimonium esse inualidum, si verbis, seu quibusuis aliis signis, quibus celebratur contractus, superaddatur exterior significatio voluntatis repudiandi pro aliquo euentu, merito supponitur vt indubitatum à Thoma Sanchez Cardinali de Lugo, Verricelli, & aliis ex præindicato capite finali de conditionibus appositis. Quia superadditâ eiusmodi voluntatis significatione exteriori, eo ipso deficit forma essentialiter requisita ad verum matrimonium, nempe significatio exterior voluntatis absolutæ contrahendi validè; cum potestas repudiandi repugnet essentiæ matrimonij, seu ex natura rei, seu ex iure diuino, quæ differentia nihil refert pro re præsenti. Cæterum secluså istâ circumstantiâ, quæ ordinariè nullatenus vllibi gentium adhibetur in ipso actu contrahendi, standum omnino esse pro validitate eorum matrimoniorum, nihil obstante prædicta consuetudine repudij validissimè suadetur testimonio in primis Apostoli 1. ad Corinth. 7. 12. ac deinde pluribus sacrorum Canonum documentis, atque ratione.

Art. 2. Apostoli verba sunt hæc: *Si quis frater vxorem habet infidelem, & hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam. Et si qua mulier fidelis habet virum infidelem, & hic consentit habitare cum illa, non dimittat virum.* Vtitur hoc testimonio in rem præsentem doctissimus Pontifex Innocentius III. in cap. *Gaudemus* de diuortiis, vbi consultus de matrimoniis Paganorum inuicem consanguineorum retinendis, vel dissoluendis post baptismum, respondet ea esse retinenda, idque comprobat verbis modo recitatis Apostoli, quibus præmittit, & subiungit alia verba sua, ex quibus scopus propositus redditur clarior. Præmittit enim sic: *Super quo taliter respondemus, quod cum Sacramentum coniugij apud fideles, & infideles existat, quemadmodum ostendit Apostolus, &c.* Et post verba Apostoli subdit: *Fideles huiusmodi matrimonialiter copulati* (nempe dum adhuc essent infideles, de hoc enim agit) *liberè possunt, & licitè remanere coniuncti; cum per Sacramentum Baptismi non soluantur coniugia, sed crimina dimittantur.* In quibus clarissimè, & supponitur, & docetur, matrimonia fidelium tempore infidelitatis contracta valuisse, & valere. Alioquin dum Apostolus dat consilium absolutè, nullaque adiuncta modificatione, ne consors infidelis volens cohabitare dimittatur à fideli, consuleret re ipsa permanentiam in concubinatu, & coniunctione fornicaria, atque Innocentius superadderet perperam, quin & falso, sacramentum coniugij apud fideles, & infideles existere, falsâque suppositione laboraret; tum quod dicit fideles, tempore infidelitatis copulatos, *liberè posse, & licitè remanere coniunctos*, inquit vero *remanere* non de nouo coniungi; tum illud aliud, *Sacramentum Baptismi non soluere coniugia.*

Art. 3. Rursus idem Pontifex ibidem attexit mox quæstionem de multiplicitate vxorum, eaque reprobata, subdit hæc verba: *Qui autem, secundum ritum suum, legitimam repudiauit vxorem, cum tale repudium veritas in Euangelio reprobauerit, nunquam ea viuente licitè poterit aliam, etiam ad fidem Christi conuersus habere, nisi post conuersionem ipsius illa renuat habitare cum ipso, aut etiam si consentiat, non tamen absque contumelia Creatoris, vel vt eum pertrahat ad mortale peccatum. In quo casu, &c.* Absurdissimè autem, & falso legitimam in primis eam vocaret vxorem, quæ ducta fuisset tempore infidelitatis; ac deinde declararet veritatem in Euangelio reprobasse eiusmodi repudium, ritu nempe gentilico factum; nec denique posse conuersum ad fidem transire ad secundas nuptias, viuente priori vxore infideli, nisi renuat, &c. Absurdissimè inquam hæc omnia dicerentur, nisi essent valida matrimonia infidelium, cum notum sit; tum vxorem inualido, adeóque illegitimo matrimonio ductam, legitimam vxorem esse, & ore pleno dici nequaquam posse; tum repudium vxoris inualidè ductæ in Euangelio minimè reprobari; tum demum, post matrimonium inualidum licere transitum ad secundas nuptias absque etiam illis tribus causis, aut vllis aliis, dum nihil obstet aliud.

Art.4. Adiicio confirmationem haudquaquam minus efficacem ex verbis Gregorij Pontificis cap. *Si infidelis* 28. quæst. 2. in qua tota quæstione; & in proximè sequenti itidem tota habetur multiplex nostræ sententiæ, claráque repetitio, ac illustratio. Sed specialiter in prædicto cap. *Si infidelis*, permisso secundo matrimonio infidelis conuersi ad fidem, si propterea ab eo discedat consors adhuc infidelis, de infideli discedenti declarat Pontifex in hunc modum: *Infidelis autem discedens, & in Deum peccat, & in matrimonium.* At in matrimonium minimè peccaret, vt patet, si matrimonium ab initio fuisset inualidum, præsertim cum de inualiditate doceri posset, & sic non peccare, neque per accidens, cuius tamen limitationis peccati per accidens, & per errorem non est vllum vestigium in textu, cum alioquin apponi semper soleat in assertione eiusmodi peccatorum. Præterea inter infidelem volentem, & non volentem discedere ab infideli facto fideli, statuit ibi glossa hoc notabile discrimen: *Volentem cohabitare licet quidem dimittere, sed non ea viuente aliam superinducere; discedentem verò sequi non oportet, & ea viuente aliam ducere licet.* In vtroque autem casu foret eadem facultas secundi matrimonij, si primum fuisset inualidum. Quia ex matrimonio, quod fuit nullum, nullum potuit remanere vinculum impeditiuum alterius matrimonij, præsertim cum supponatur, seu potius exprimatur in dimissione infidelis, tametsi volentis cohabitare decenter, nullum fuisse commissum peccatum, in cuius pœnam dici possit prohiberi secundum matrimonium. Constat itaque clarè matrimonia valida, & quæ vera matrimonia sint, existere apud infideles, neque licere hoc punctum in dubium reuocare.

Artic. 5. Cum igitur ex omni veteri memoria, recentique in hunc vsque diem notitia certissimè constet, consuetudinem repudij apud infideles vbique gentium semper viguisse, clarè colligitur, stante tali consuetudine, matrimonia nihilominus euadere valida, si nihil obstet aliud. Verum hoc ipsum statuit quodammodo clarius Gregorius XIII. in Bulla, quæ habetur in compendio facultatum, & indulgentiarum pro Religiosis Societatis IESV in Indiis sub data 25. Ianuarij anno 1585. Quia cum agat expresè, & ex professo de matrimoniis gentili ritu contractis in Angola, Æthiopia, Brasilia, & aliis Orientalibus regionibus, inter quas vtique continentur Tunkinenses, de quibus specialiter instituta nuper est quæstio præsens, vti præmonitum iam fuit, & apud quas est notissima, atque vulgatissima repudiorum consuetudo valdè effrænis. De iis inquam populis, déque eorum matrimoniis loquens Gregorius subdit hæc verba: *Idcirco nos attendentes huiusmodi connubia inter infideles contracta, vera quidem, non tamen adeo rata censeri, vt necessitate*, &c. Ex iis itaque tot, & tam claris testimoniis necnon ex cap. *Quanto*, & cap. *Deus*, *qui* in prædicto titulo de diuortiis, exque aliis eiusmodi pluribus liquido apparet consuetudinem repudij non tollere validitatem matrimonij absolutè exterius contracti, standúmque proculdubio esse pro illius validitate semper in foro externo, tum apud Hebræos, tum apud cæteros vniuersaliter infideles, ac nominatim Tunkinenses, etiam dum sunt infideles.

Artic. 6. Ratio est, quia licet ea matrimonia contrahantur cum voluntate saltem implicita retinendi potestatem repudij, de quo dubitare minimè licet, cum omnes vbique ordinariè velint celebrare quosvis contractus, provt de more, & provt norunt esse in vsu, præsertim quoad ea, quæ sunt maximi momenti, nec oppositum prudenter præsumi vnquam possit absque specialissimo aliquo fundamento; simul nihilominus habent Hebræi, aliique quilibet infideles, atque adeo Tunkinenses voluntatem validè contrahendi, de quo multo minus dubitari potest, cum verba matrimonialis contractus eam voluntatem vbique gentium significent determinatè, nec præsumi debeat velle homines ordinariè, in re præsertim tanta, contrahere fallaciter, atque inaniter & nulliter. Concurrunt itaque in eiusmodi matrimoniis duæ intentiones (an per vnicum realiter actum, an per duos nihil refert) inuicem contrariæ, ac incompossibiles reipsa ex parte obiecti, idque quoad ea, quæ pertinent ad substantiam matrimonij, cum ad ea certissimè pertineant validitas contractus, eiusdémque non minus perpetuitas insolubilis. In contractibus autem, sicut & in Sacramentis quando simultaneè concurrunt voluntates, ac intentiones in eum modum inuicem contrariæ, illa voluntas, ac intentio præualet absolutè, & sortitur effectum sibi conformem, quæ est efficacior intrinsecè, atque appretiatiuè maior, quæque propterea ex intrinseco suo conceptu habet, vt remaneret sola, si innotescerent contrahenti mutua vtriusque voluntatis contrarietas, & incompossibilitas ex parte obiecti; ac proinde altera voluntas minus efficax, & appretiatiuè minor euadit nulla, nullúmque sortitur effectum, seu positiuum, seu negatiuum, vti ex communi traditum est supra q.17. necnon quæst.114.ad 3.

Artic. 7. Voluntas autem validitatis matrimonij ex natura rei est maior, semperque præsumenda est maior, quam voluntas potestatis repudiandi: quia validitas matrimonij est bonum multo maius quam potestas repudiandi. Validitas namque matrimonij continet in se stabilimentum in primis validè firmum mutui amoris, & confidentiæ mutuæ, quatenus in rem vnusquisque simpliciter, ac permanenter suam afficitur multo magis, quam in rem non suam, vel precariò tantum, & amissibiliter suam, confiditque magis multò voluntati iure sibi obligatæ, quam nulla tali obligatione deuinctæ. Qua de causa ij etiam, qui independenter à matrimonio cupiunt stabilire mutuum alterius erga se, amorem, & confidentiam, nihil suggerunt tam frequenter, nihil vsque adeo impensè persuadere conantur, quam se totos, ac totaliter, atque in omnem euentum, pérque vitam totam esse vicissim alterius. Quod tamen solus validus matrimonij contractus præstare reipsa potest, ac præstat, ideoque idem ipse efficacissimè omnium persuadet ita semper fore, & consequenter firmissimè omnium stabilit mutuum amorem, ac confidentiam, & quò assiduis, summisque conatibus incessanter aspirant cæterorum amantium vota, eo perducit coniuges vno verbo validitas matrimonij. Quæ quidem est valdè æstimabilis prærogatiua ipsius.

Artic. 8. Confert deinde matrimonium validum, idemque solum conferre potest spem prolis re vera legitimæ, id est prolis, quam non dehoneftet, nec in Republica, atque in communi hominum commercio deprimat probrosa illegitimitatis infamia: quæque iis prærogatiuis iure suo fruatur, quæ iure gentium, & specialibus cuiusque Reipublicæ legibus deferuntur legitimè natis; ac demum prolis communibus vtriusque parentis studiis, atque indiuidua prouidentiâ certissimè educandæ, ac fouendæ, quoad vterque vixerit, neutro valente aliis nuptiis alio traducere curam, omnémque suam solicitudinem principalem. Quod, quantum sit bonum, is solum ignorare potest, cui est ignotum, quantus sit naturalis parentum amor erga filios, particulas, & imagines sui arrhas cuiusdam quasi perennitatis suæ, delitiosos, fidos præ cæteris, ac vigiles per totam vitam conuictores, administros,

ac

ac satellites, dulce solamen, tutúmque fulcimentum senectutis.

Art. 9. Tertia validi matrimonij præ inualido commendatio principalis petitur ex iure inamissibili, quod ipsi soli inest, vt neuter contrahentium, vtroque superstite, vllius vnquam alterius mortalis vsibus se permittat, aut ad amplexus alios, aliásve nuptias, seu quasi nuptias inuolare pro libito, vllave de causa possit, nec vllus alius alterutri eorum commisceri. De cuius iuris æstimabilitate apud appetentes coniugalis tori, déque eius æstimabilitatis argumento ex acribus stimulis, & atrocibus vmbris Zelotypiæ, nihil necesse est dicere. Hic porrò totus cumulus bonorum soli valido matrimonio annexus, & habet vsum frequentem, ac quotidianum, præbétque materiam iucundæ, ac honestæ collocutionis cum optima insuper dispositione animorum ad eandem, & inest permanenter, magnáque saltem ex parte inamissibiliter vsque ad obitum alterutrius consortis.

Art. 10. At è conuerso potestas repudij primo suo, eodémque vnico vsu perfecto, & consummato arescit protinus, ac interit, & est ad solum euentum minimè expetibilem per se; quin imo acerbum in summo gradu, quique cum celebratur contractus matrimonialis, nisi insipientissimè, ac stultè celebretur, creditur, certè speratur nunquam esse adfuturus. Quod est magni momenti, valdéque notandum pro scopo huius discursus. Colloqui verò ea de re vsque adeo non delectat, vt ne hiscere quidem desuper marito liceat, dum est, & vult esse maritus felix. Nempe de potestate diuortij delectabiliter colloqui coniuges solum possunt, aut paruipendédo illam, aut eidé renunciando, atque promittendo, & iurando se nunquam in vllis circunstantiis vsuros illa esse, imprecandóque capiti suo omnia infortunia, stygiásque pœnas, si vsi aliquando fuerint. Quod, quia credibile est, plerosque maritos substantes legi permittenti diuortium sæpius, & seriò factitare loco, & tempore opportuno, credibile planè est, eam facultatem talem esse, qua raro quisquam vtatur, nisi eo ipso vsu fœdifragus ac periurus iuxta etiam legem, conscientiámque suam. Apparet itaque ex iis clarè, bonum validitatis matrimonij esse incomparabiliter maius, quam bonum potestatis diuertendi.

Art. 11. Confirmatur, quia facultatem repudiandi indulsit solis Hebræis Deus ad tempus, nempe à Moyse ad Christum, ob duritiam cordis eorum; cum matrimonium validum insolubile institutum fuerit pro statu innocentiæ, ac deinde propagatum ad totum genus humanũ pro omni tempore, cum prædicta sola parua exceptione, & gentis, & temporis. Quæ duo constant ex Matth. 19. 8. vbi Phariseis opponentibus libellum repudij concessum à Moyse, aduersus insolubilitatem matrimonij assertam à Christo domino respondet ipse his verbis: *Quoniam Moyses, ad duritiam cordis vestri, permisit vobis dimittere vxores vestras; ab initio autem non fuit sic.* Sed neque deinceps vt patet ex contextu antecedenti, & consequenti. Manifestum autem est maius esse bonum, quod fuit per se intentum, & prouisum à Deo innocentibus, atque statutum humano generi perpetuò commune, reuelatum verò specialiter, & indictum fidelibus Christi, iisdémque ciuibus Sanctorum, & domesticis Dei, quam quod per accidens, atque ad vitandum præcisè maius malum paucis, & pro breui tempore, atque ratione improbitatis permissum fuit. Immò quia Deus sceleribus, quæ sunt opera cordis duri, non mouetur ad beneficia, sed ad supplicia, cum libellus repudij concessus fuerit ob duritiam cordis Hebræorum occidentium crebro vxores exosas; pronum est credere, quod innuit ibi Maldonatus cum aliis, legem illam repudij, seu purè permissi, seu etiam concessi, ita fuisse medicinalem respectu tanti, & tamen frequentis facinoris, vt simul fuerit punitiua eiusdem. Puniuit verò pœna minimè contemnenda. Quia Hebræi, promulgata ea lege, redditi, eo ipso sunt incapaces accipiendi vxores, à quibus diligerentur, & quas diligerent cum speciali illa amoris firmitate, & grauitate, quam specialiter fundat vinculum mutuum insolubile, & qualem præscribit Apostolus ad Ephesios 5. 25. dicens: *Viri diligite vxores vestras, sicut Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea.* Coacti nimirum sunt ea lege coniuges Hebræi, vt diligerent, & diligerentur nonnisi tanquam fortassis osuri, alioque totum amoris sui pondus translaturi permanenter, ac irredibiliter, & vt inirent animorum, corporúmque coniunctionem mutuam, tanquam fortassis eodem modo separandi, ac proinde hærentes semper, ac penduli, algidique, certè tepentes sub rigore huius exterminij semper imminentis. Quod profectò exiguum malum reputari non potest, nec parua pœna.

Art. 12. Eadem ratione credibile est, in pœnam peccati originalis, ad quod consequuta est multiplex vniuersalis ignorantia iuris naturalis, vt obseruat in simili D. Thom. in 4. distinct. 33. quæst. 1. art. 3. quæstiuncula 4. ad 1. & 2. In pœnam inquam peccati originalis factum esse, vt gentiles vtique omnes aliique, quibus lux, & gratia Euangelij nondum affulsit, nec collatus est Baptismus, per quem remittitur peccatum originale abusu dilectionis primæuæ coniugalis cooperante patratum, iis ignorantiæ, & falsitatis tenebris teneantur, vt credant licere repudium, quod lege supremi, ac vniuersalis Domini prohibitum, irritúmque reipsa est, & vt id reputent esse magnum beneficium, quod est magna pœna, vtpote adigens maritos, vti de plerisque eiusmodi gentibus, ac populis perhibent historiæ, & deponunt qui videre, ad capiendam, ex vxoribus seruiliter habitis, eam solam, aut ferè delectationem, qualis & bestiæ sunt capaces, & ad carendum decentiori longéque maiori suauitate eximiæ illius redamationis rationalis, ad quam dictum est, perducere per se, solum matrimonium indissolubile, vt nihil interim dicatur de puncto alio maximi momenti, nempe de periculo malæ educationis, & miseræ fortunæ temporalis filiorum; quod consequitur per se ad periculum diuisionis parentum.

Artic. 13. Sed quid sit de hoc obiter insinuato potius, quam asserto, comparatio initio huius confirmationis præmissa artic. 11. ex principio quoad vtramque partem certo, ac infallibili, satis efficaciter persuadet intentum, nempe bonitatem validi matrimonij longè præeminere bonitati qualiscumque potestatis repudiandi, esséque melius habere vxorem, tametsi repudiabilis non sit, non solum, quam habere concubinam, aut carere; ex motiuo temporali, omni vsu fœminarum, quod præcisè sufficeret ad intentum, verum etiam quam habere veram vxorem cum potestate repudiandi, quod à fortiori, & superabundanter sufficiens est ad idem intentum principale, vt mox patebit. Cum enim maius bonum fortius, & efficacius moueat voluntatem, maiorémque erga se affectum inducat si vtrumque æquè bene prægnoscatur; quandoquidem causa, & mensura magnitudinis in affectu est magnitudo bonitatis prægnitæ, & mouentis ad ipsum; concluditur planè, in voluntate simultaneè intendente validitatem matrimonij, & potestatem repudiandi, præualere affectum erga validitatem, quam ostensum est esse bonum valdè, atque incomparabiliter maius, affectui erga facultatem repudij, quæ est exiguæ admodum bonitatis, imò est simpliciter, & absolutè nociua sub consideratione etiam boni præcisè

temporalis, & naturaliter æstimabilis per se. Supponitur nimirum vtrumque istud extremum esse omnibus æquè notum quoad eos, commendationis, & depressionis titulos, penes quos mutua vtriusque comparatio instituta à nobis est. Hac videlicet de causa inter comparandum, coniecti sunt vtrobique oculi ad vtile tantùm, & delectabile cum præcisione ab honesto, in quo vtique genere sunt non minus, si non & magis oculati improbi, quam probi, sensuales, quam spirituales, Hebræi, aliique infideles cuiuscumque regionis, quam Christiani. Quapropter iidem & Hebræi, & cæteri quilibet infideles existimantes validitatem matrimonij esse compossibilem cum potestate repudiandi, ideóque simul ac indiuisim intendentes vtramque, dum contractū matrimonialem perficiunt, ita sunt nihilominus dispositi omnes, vel certè plerique, & ordinariè ex vi actualis affectus sui, vt si tunc innotesceret incompossibilitas, quæ reipsa datur inter illas duas conditiones contractus sui, permanerent procul dubio in voluntate perficiendi contractum validum, & desisterent à voluntate retinendi potestatem ad repudiandum. Hæc nimirum est essentialis proprietas affectus absolutè prævalentis, & appretiatiuè maioris, vt pellat affectum minorem, solúsque persistat agnita incompossibilitate inter vtrumque.

Art. 14. Ista ratio à priori manifestari amplius, & confirmari potest à posteriori, quatenus Christiani, quibus est nota, ac indubitata incompossibilitas inter matrimonium validum, & potestatem repudiandi quoad vinculum, proniter nihilominus, & facilè feruntur ad matrimonium, quandocunque aliis de causis, maximè verò propter regnum Cœlorum non afficiuntur magis ad cœlibatum, aut virginitatem, nullúsque est, aut vix vllus, qui cæteroquin bene affectus ad matrimonium, nolit ducere vxorem, hac præcisè de causa, quia nunquam illam deinde repudiare poterit, & quia nullam reperire potest, respectu cuius non paruipendat impotentiam repudiandi, tum cum cogitat de matrimonio ineundo. Inquam verò, cum cogitat de ineundo, quia dispositio animorum est valdè diuersa in principio, & in progressu status coniugalis saltem vtplurimum, atque validitas matrimonij dependet ex dispositione animi, quæ existit in principio. Iam verò Hebræi, aliique infideles nulla ratione dici possunt minus affecti, ac proni ad matrimonium reipsa validum, quam Christiani. Eodem igitur modo, ac Christiani, paruipendunt etiam infideles potestatem repudiandi comparatione validitatis matrimonij, & consequenter concipiunt, dum celebrant matrimonium, affectum longè præeminentem, & absolutè maiorem erga eandem validitatem. Perficiunt igitur saltem vtplurimum, ac ordinariè matrimonia reipsa valida, nihil obstante consuetudine repudij, & interiori actuali voluntate, quæ plerumque est implicita tantum, retinendi potestatem ad repudiandum; quandoquidem vt præmissum est, inter affectus simultaneos inuicem incompossibiles ex parte obiecti, qui est absolutè efficacior, & appretiatiuè maior, perinde prævalet, & sortitur totum suum effectum, atque si existeret solus.

Art. 15. Eadem istiusmodi matrimoniorum validitas comprobatur præterea efficacissimè ex incommodo, quod consequitur ingens ex opposita sententia. Si enim dicatur matrimonia infidelium, apud quos viget consuetudo repudij, esse inualida, ac nulla, sequitur manifestè dispensationes Summorum Pontificum, circa disparitatem cultus, esse nullas, atque omninò inhonestas, ac turpes respectu illorum. Et quidem Vrbanus VIII. in Bulla, *Vt animarum saluti*, data 7. Octobr. Anno 1626. concessit facultatem dispensandi in disparitate cultus quoad Orientales Populos, vt nimirum recèns conuersi ad fidem possent inire matrimonium cum infideli manente infideli; cum certum manifestúmque sit, apud eos populos pro quibus postulata, & concessa fuit ea facultas, vigere consuetudinem repudij, aliique Pontifices sæpius dispensarunt, dederúntque facultatem dispensandi opportunè in istiusmodi impedimento. Si autem vera esset sententia asserens nullitatem matrimoniorum, quæ perficiunt infideles, apud quos viget consuetudo repudij, matrimonia inter fidelem, & infidelem forent inualida, interueniente, qualicumque Pontificia dispensatione. Quia infidelis contrahens cum fideli habet eandem, quantum est ex sua parte, voluntatem, ac intentionem, quam habet infidelis contrahens cum infideli, ac proinde perficit matrimonium inualidum, ac nullum cum fideli non secus, ac cum infideli. Quia verò matrimonium claudicare non potest, quod est inualidum ex parte alterutrius contrahentis, euadit absolutè, ac totaliter inualidum, nullúmque. Sunt igitur indispensabiliter inualida, ac nulla matrimonia fidelem inter & infidelem, si eadem sunt inualida, ac nulla inter vtrumque infidelem. Quapropter Pontifices dispensantes in disparitate cultus, seu concedentes facultatem dispensandi quoad prædictos populos, ac regiones, re ipsa solum concessissent facultatem ad concubinatum, & fornicariam cohabitationem fidelis cum infideli. Quod, quale, & quantum, quamque intolerabile incommodum sit, nemo non videt. Tenendum igitur pro certo est, matrimonia infidelium, apud quos viget, viget verò apud omnes consuetudo repudij, esse nihilominus valida saltem vtplurimum, sempérque præsumenda esse valida, quoties nihil aliud specialiter obstat.

Ad 1. Conceditur, quod est certum, potestatem repudij esse incompossibilem saltem nunc de facto cum validitate matrimonij, adeoque eam conditionem repugnare substantiæ matrimonij. Conceditur rursus, eandem conditionem apponi communiter interius ab infidelibus saltem implicitè, dum contrahunt. Sed negatur, quod illam communiter apponant exterius in verbis, aut aliis signis, quibus perficiunt contractum matrimonialem. Et similiter negatur in interiori intentione non prævalere ordinariè saltem affectum erga validitatem matrimonij affectui erga repudij libertatem. Vnde concluditur legitimè, valere absolutè ea matrimonia iuxta prædicta. Quia in capite illo finali agitur de contractu exteriori.

Art. 1. Ad 2. Illa verba Discipulorum Christi dupliciter exponi possunt. Primò itavt loquuti fuerint tanquam homines educati sub lege Mosaica, & consuetudinem repudij, quæ ex genere suo dicitur altera natura, tenentes altè impressam animis, ideóque apprehendentes potestatem repudiandi, tanquam conditionem matrimonio connaturalem, atque omnino necessariam, cum nondum essent perfectè illuminati per Spiritum sanctum, reprobauerint absolutè, aut per exaggerationem quandam, reprobandas, minimèque tolerabiles pronunciauerint nuptias vinculi prorsus insolubilis, vtpotè perculsi repentino illo nouitatis doctrinæ Christi assultu aduersus anterius ipsorum præiudicium. Siquidem autem hoc modo accipiatur illud pronunciatum, vti accipiendum putauit Caluinus apud Maldonatum ibi; Reiicienda proculdubio est, & nihili facienda ea discipulorum illatio, vtpotè inconsiderata, ac inepta, tum ob superiorem nostrum discursum demonstratiuum præeminentiæ matrimonij validi, tametsi insolubile sit; tum maximè, quia eum matrimonij modum, dicerent, non expedire simpliciter, ac vniuersaliter, quem Magister dicit fuisse à Deo institutum ab initio, tanquam

quam vtique conuenientissimum per se, quem propterea ipse renouat, atque confirmat in posterum.

Secundò potest accipi, cum eodem Maldonato, idem dictum in sensu magis restricto, ita nimirum, vt solùm intenderint inferre Discipuli tale matrimonium, nempe indissolubile non expedire respectu ipsorum. Quia cum deberent esse piscatores hominum, atque destinari ad varias partes orbis terrarum pro munere Apostolico, speciali ratione non expediebat, vt essent vxoribus insolubiliter deuincti. In quem profectò sensum confert plurimum parabolica illa tripartita diuisio, quam subiunxit immediatè Christus Dominus, sterilium à natiuitate, ab arte, & à spontanea propter regnum Cœlorum electione. Posita namque ista diuisione tanquam adæquata, sequitur vltra sterilitatem à natura, & ab arte, solam superesse, quæ expediret, sterilitatem, hoc est cœlibatum, quæ eligeretur propter regnum Cœlorum, atque adeo cæteris, non eligentibus hunc statum propter regnum Cœlorum, expedire vtique matrimonium, tametsi insolubile sit, id est tametsi ita sit causa hominis cum vxore, sicut exposuerat esse Christus Dominus. Iuxta hunc autem sensum nihil habetur pro scopo arguentis, vt patet, sed magis ad oppositum.

Art. 3. Neutro igitur modo quidquam contra nos concluditur; siquidem verba illa Discipulorum iuxta secundum eorum sensum confirmant potiùs nostram sententiam quatenus *exceptio firmat regulam in contrarium.* Prior verò sensus oriri non potuit nisi ex repentina, immatura, & inconsiderata præcipitantia, vti iam constitit, ideóque non ostendit, qualis re ipsa, & in intimo animi recessu substantialiter esset affectus, aut ipsorum, aut cæterorum, sed solum qualis appareret superficie tenus, & quoad accidentale aliquid.

Art. 1. Ad 3. Est quidem iure naturæ aliquo vsque insolubile matrimonium validum ex suo conceptu vniuersali; non tamen omnia matrimonia sunt eodem modo insolubilia in omnem prorsus euentum. Omne namque validum matrimonium habet hoc ex iure naturæ, vt eius vinculum dissolui non possit, aut pro libito, sicut cæteri contractus ex solo mutuo consensu vtriusque contrahentis absque vlla alia causa speciali, ac determinata, aut etiam cum causa purè temporali, qualiscunque ea sit. Quia firmitas, ac perpetuitas vniuersalis interest plurimum Reipublicæ humanæ, & interest vsque adeo, vt præponderet cuicumque alij bono purè temporali; atque hucvsque sunt demonstratiuæ rationes D. Thom. aliorúmque in illis locis, nec difficulter deduci id posset ex dictis, & indicatis in superiori nostro discursu.

Art. 2. Cæterùm quia bona temporalia, ac corporalia sunt subordinata spiritualibus ac propriis animæ, necnon minus bonum spirituale, bono spirituali maiori, neque est rationabile impediri bonum spirituale, vt retineatur bonum temporale, idémque dicitur de bono spirituali minori comparatione maioris; Propterea matrimonium, eiusque vinculum, qua est bonum quoddam temporale, est dissolubile, quoties euenit, vt sit impeditiuum boni spiritualis, & salutis animæ; & similiter est dissolubile idem matrimonium, qua est bonum quoddam spirituale, quoties similiter est impeditiuum boni spiritualis maioris. Verùm eiusmodi comparatio, & ratio præponderantiæ committi nequaquam debuit arbitrio ipsorum contrahentium, propter periculum peruersionis iudicij ex cæco impetu libidinis, exque multiplici aliarum passionum incursu facili inter coniugatos. Immò, propter maximum directionis matrimoniorum momentum in Republica, oportuit, vt id fieret auctoritate publica iudicis, eiusque non qualiscumque, sed spiritualis, atque inter spirituales supremi. Spiritualis quidem, quia præmissum iam est matrimonij vinculum non esse dissolubile propter vllum aliud bonum temporale, sed tantùm propter bonum spirituale. Spiritualium autem bonorum cognitio, comparatio, atque præponderantia ad iudicem temporalem pertinere nullo modo potest, neque ex toto, neque ex parte.

Art. 3. Desideratur autem auctoritas supremi iudicis spiritualis. Quia causæ maiores meritò supremæ sedi reseruantur; nec dubitari potest, quin matrimoniorum dissoluendorum cognitio, inter causas, quæ maiores dicuntur, & sunt, comprehendatur suffragante præsertim continua eatenus Ecclesiæ praxi, ac traditione, atque asserentibus præterea pluribus, nec contemnendis auctoribus, quos refert, & sequitur Basilius Pontius lib. 7. cap. 2. & 3. ne Romano quidem Pontifici vllam in hac materia statuendi potestatem esse concessam à Deo, sed Deum ipsum rem hanc totam tanquam fundamentalem respectu generis humani, sibi soli reseruasse, ideóque Pontificem agere desuper nequaquam posse, loquendo per se, nisi tanquam interpretem Diuinæ eatenus reuelationis, & scripturæ, & tanquam iudicem controuersiarum fidei. Quod licèt ego verum nullatenus existimem, is tamen plurium, & magnorum virorum sensus manifestè commonstrat, quanti hoc punctum momenti sit, & neminem saltem Romano Pontifice inferiorem quidquam seu potestatiuè, seu declaratiuè efficere posse circa ius dissolutionis matrimoniorum quoad vinculum.

Art. 4. Iam Pontifices nihil statuere potuere circa dissoluenda matrimonia vtrinque infidelium; tum quia infideles in nullo subsunt iurisdictioni Ecclesiæ extra quam sunt; tum quia concluſum modo est, matrimonia solùm dissolui posse intuitu boni spiritualis, cuius illa impeditiua esse constaret, atque infideles in sensu composito infidelitatis sunt incapaces omnis boni spiritualis, seu positiuè conferentis ad vitam, & beatitudinem æternam. Circa matrimonia autem fidelis, seu baptizati cum infideli, seu non baptizato, dum talis permanet (quæ sola matrimonia sunt præsentis considerationis) quatuor dissolutionis causas specialiter constituere hucvsque Pontifices, vti legitimè refertur in obiectione, nec quicquam interest pro re præsenti; an id præstiterint, declarando solum, ac intimando ius diuinum, an etiam superaddendo ius nouum Ecclesiasticum.

Art. 5. Hoc obiter aduertere non piget ex prædictis quatuor causis solam primam de infideli, qui fidelem reiicit, nec vult illi cohabitare, quia fidelis est, expressam fuisse ab Apostolo 1. ad Corinth. 7. 15. per hæc verba: *Quod si infidelis discedit, discedat*; quasi diceret: nihil id interest, quia fidelis eo ipso manet liber ad aliud matrimonium ineundum, vtque etiam ipse discedat. Quod manifestat clarius ratio ista, quam immediatè subiungit: *Non enim seruituti subiectus est frater, aut soror in huiusmodi; in pace autem vocauit nos Deus.* Eamdem fidelium exceptionem à seruitute repetit iterum infra v. 23. *Pretio empti estis, nolite fieri serui hominum*, nempe in hac præsertim matrimoniorum materia, de qua est totus ille contextus. Quæ sanè ratio exemptionis à seruitute per Baptismum plus etiam procul dubio probat, quam quod probandum assumptum expressè fuerat. Quælibet namque necessitas obsequendi, atque adhærendi alteri, etiam cum iactura boni proprij præsertim maioris, & cum impotentia eatenus sibi prouidendi, habet rationem seruitutis. Agit verò Apostolus de exclusione seruitutis solum quoad bonum spirituale, & pertinens ad salutem vitæ æternæ, vt patet tum ex qualitate pretij, quo dicit baptizatos liberari

berari à seruitute, nempe sanguine Iesu Christi fuso pro salute animarum, tum quia in antecedenti contextu expresse supponit compossibilitatem Baptismi cum seruitute quoad temporalia. Cùm igitur sit certum de fide ex verbis Apostoli, baptizatum vi Baptismi liberari absolutè à seruitute nociua animæ; sitque aliunde manifestum, baptizatum posse pati impedimentum boni sui spiritualis ex perseuerantia vinculi matrimonialis cum infideli, non solum quando idem infidelis vult recedere in odium fidei, qui erat casus vnicè propositus ab Apostolo, sed etiam pro aliis circumstantiis, tametsi infidelis recedere nolit; manifestum profecto est, vinculum matrimonij inter fidelem, & infidelem, aliis etiam de causis, dissolui posse iudicio, & authoritate summi Pontificis, nempe quoties visum ipsi fuerit perseuerantiam inuitabilem talis matrimonij vergere, omnibus consideratis, in detrimentum aliquod spirituale, atque nocere saluti animarum.

Art. 6. Intellexit hoc, inter alios Innocentius III. in capite illo *Gaudemus*, ea ratione superaddens duas alias dissolutionis causas vltra eam, quam expressit determinatè Apostolus, nempe cohabitationem cum contumelia Creatoris, vel cum allicientia ad peccatum lethale. Verba quibus Innocentius duplicem istam extensionem superaddit, & illam adhibet rationem, & quæ repetere hic iterum necesse est, sunt talia: *Qui autem, secundum ritum suum legitimam repudiauit vxorem, cum tale repudium veritas in Euangelio reprobauerit, numquam ea viuente licitè poterit aliam etiam ad fidem, Christi conuersus habere, nisi post conuersionem ipsius illa renuat habitare cum ipso* (ecce casum Apostoli) *aut etiam si consentiat, non tamen absque contumelia Creatoris, vel vt eum pertrahat ad peccatum lethale* (ecce secundum, & tertium Pontificiæ extensionis) *in quo casu restitutionem petenti, quamuis de iniusta spoliatione constaret, restitutio negaretur. Quia secundum Apostolum* (ecce rationem omnium fundamentalem) *Frater aut soror non est huiusmodi subiectus seruituti.*

Art. 7. Eadem, quod ad rem ipsam attinet, ratione ductus Gregorius XIII. in Bulla præallegata superinduxit quartam causam dissoluendi eadem matrimonia, nempe absentiam consortis infidelis, ob quam is præmoueri, & requiri de consensu cohabitandi sine contumelia Creatoris minimè possit, aut nonnisi difficillimè possit. Concedit enim, pro hoc casu, facultatem, vt dissoluatur matrimonium, vtque fidelis transeat ad secundas nuptias, quas validas, & manu tenendas decernit, tametsi compareat deinde consors absens, atque ostendat se fuisse omnino impeditum, quominus suam legitimè cohabitandi voluntatem declarare posset, & insuper fuerit etiam ipse conuersus ad fidem tempore contracti secundi matrimonij. Apparet porro clarè, ex istis præsertim postremis duabus circumstantiis, quas notat expressè Pontifex, causam istam dissolutionis esse vsque adeo manifestè diuersam à tribus aliis iam præmissis, vt nihil necesse sit ea de re disputare cum Basilio Pontio qui, ad tuendum positum, aduersus Nauarrum, & Sanchez, de dissolubilitate matrimonij ex solo iure diuino, contendit istam causam Gregorianam confundere cum duabus illis aliis Innocētij, sicut & istas ipsas cum illa prima expressa ab Apostolo. Rationem decreti sui & concessionis reddit Gregorius his verbis: *Idcirco nos attendentes huiusmodi connubia inter infideles contracta, vera quidem, non tamen adeo rata censeri, vt necessitate suadente dissolui non possint, talium gentium infirmitatem miserati.* Cum autem necessitas Pontificiæ considerationis propria, quæque Pontifici suadere potuit, dissolutionem, solum potuerit talis esse sub respectu boni spiritualis impediendi, nisi dissoluerentur sub prædictis circumstantiis ea matrimonia; perinde sane est ea dissoluere necessitate suadente, atque dissoluere, ne fidelis patiatur seruitutem ex permanentia ineuitabili matrimonij initi cum infideli. Cuius vtique seruitutis exclusio à consorte fideli est certa de fide ex verbis Apostoli iuxta expositionem præmissam. Vnde, & valide, & licite, idque non per accidens, vt intendit Pontius supra, sed per se, & cum vero, ac sufficienti fundamento in doctrina Apostoli potest dissoluere Pontifex eiusmodi matrimonia, quoties id suaserit necessitas, & liberatio à seruitute in sensu explicato; Absque tamen ista causa non potest, nec Eutychianus oppositum decernit. Communis namque, & vera eius textus intelligentia est, concedi baptizato indifferentem ad libitum facultatem quoad cohabitationem, & torum respectu infidelis, non verò quoad vinculum, & secundas nuptias, vt patet ex aliis testimoniis, quæ ponderata sunt supra art. 4. ad quæstionem.

Art. 8. Neque verò propter assertam dissolubilitatem, eiusmodi matrimonia desinunt esse valida. Quia licèt non sint indissolubilia in omnem prorsus euentum simpliciter, sunt nihilominus indissolubilia in omnem euentum, pro quo vir, & fœmina obligare se sibi inuicem possunt, idque sufficit ad validitatem contractus: sicut contractus emptionis, & venditionis validus esse potest, tametsi ius proprietatis quæsitum emptori, variis de causis, vel delicti, vel boni publici perire ei possit ipso etiam inuicto, nec non ad venditorem redire. Indissolubilitas porro qualis asserta est in eiusmodi matrimoniis, ideo non est inuoluntaria absolutè contrahentibus, licet velint explicitè, vel saltem implicitè contrariam dissoluendi potestatem; quia volunt nihilominus eamdem indissolubilitatem saltem implicitè, idque voluntate, & affectu simpliciter, & absolutè prævalenti, vti expositum, & comprobatum est supra, & mox amplius declarabitur.

Ad 4. Verba illa relata in obiectione sunt Gratiani solùm proponentis rationem dubitandi circa propositum erroris casum. In responsione autem, quam subiungit immediatè, assumit hoc verissimum principium: *Non omnis error consensum euacuat.* Circa quod cum ille plura in rem suam attexat, hoc vnum, in rem nostram sufficit; circa eamdem rem esse mutuo compossibiles cognitionem veram, & falsam sub diuersis conceptibus, seu formalitatibus. Certè Infideles, licèt errent circa substantiam matrimonij quatenus credunt esse dissolubile ex motiuo, & causa purè temporali; legitimam nihilominus, & veram cognitionem habent circa eamdem matrimonij substantiam, quatenus cognoscunt, & credunt ipsum esse contractum, vi cuius vir, & fœmina acquirunt verum, ac reale ius mutuum alterius circa alterum, cum iis insuper omnibus, quæ superiùs ostensa sunt art. 7. 8. & 9. ad quæstionem, inesse matrimonio, quæ omnia sunt nota iisdem infidelibus, vti etiam animaduersum est superiùs. Cùm igitur infideles velint matrimonium sub eiusmodi vero, ac legitimo ipsius concepta, velintque eatenus multo magis, quam nolint indissolubilitatem eiusdem, vti efficaciter commonstratum est supra; dici nequaquam potest verum, ac reale matrimonium esse inuoluntarium simpliciter respectu eorum, licèt sit inuoluntarium secundum quid, quod genus inuoluntarietatis admixtæ, notum est, non annullare contractus, quæ ipsa est tandem conclusio Gratiani in illo loco, negarique à nemine potest pro pluribus aliis errorum casibus, quando adest nihilominus cognitio vera directiua affectus prævalentis circa contractus, & matrimoniales, & quosuis alios.

Art. 1. Ad 5. Præmittendum est in genere, nullam esse

esse legum, & prouidētiæ genus circa matrimoniorum firmitatem, sub quibus effrænis hominum libido, multisque de causis mutabilis, ac vehementer præceps, in hac præcipuè materia, voluntas humana non implicet inexplicabiliter plures tricas, pluráque subinducat irreparabilia, miserabilium maximè fœminarum, incommoda. Argumento est, inter alia, tanta illa, & tam frequens legum eiusmodi varietas, reuocatio, ac reassumptio sub Imperatoribus, quantam, præter alios, repræsentat Basilius Pontius dicto lib. 9. cap. 1. subnascentibus semper nouis incommodis sub noua lege, quæ cogerent ad eam mutandam. Quin & Deus ipse coactus est quodammodo, ob duritiam cordis Hebræorum, ad dispensandum in primæua lege sua, permisso libello repudij, quod illa vetabat, vti relatum est suprà. Quapropter difficultates, & angustiæ in argumento propositæ absterrere neminem debent, quominus lex ea, quam Deus firmam, ac inuariabiliter perpetuam esse voluit, firmissimè teneatur sub memoratis Pauli, & Pontificum modificationibus, iuxta veritatis regulam superiùs stabilitam. Quia occurrentia nonnunquam paucorum incommoda, atque angustiæ publico, ac vniuersali bono, tum priuatis incommodis, & angustiis sub alia qualibet dispositione maioribus, abundè compensantur, ac superantur. Profectò inconueniens, quod, animaduersum, est suprà art. 15. ad quæstionem, sequi, si dicatur, matrimonia infidelium esse inualida, multo est maius, ac manifestius, quàm quæ repræsentantur in argumento. Videatur etiam quæstio proximè sequens art. item 15.

Art. 2. Iam in particulari, ad primum, & secundum casum dicitur, vtrumque illud matrimonium fuisse inualidum ab initio ex causa alia speciali, nempe propter disparitatem cultus, siquidem vtrobique alter contrahentium perhibetur fuisse fidelis, simúlque supponitur, non præcessisse legitimam super hoc impedimento dispensationem. Vnde cum præterea supponatur neutrum matrimonium fuisse renouatum, nouo mutuo consensu, post Baptismum consortij ab initio gentilis; sequitur secundas vtriusque nuptias fuisse validas, nisi obstiterit aliquod rursus aliud impedimentum distinctum à primo matrimonio. Cùm enim nullitas matrimonij, ob disparitatem cultus, inducta minimè sit in pœnam, sed ob defectum solemnitatis, viget proculdubio, etiam vbi inuincibiliter, atque adeò inculpabiliter ignoratur lex ista, seu consuetudo Ecclesiastica, iuxta communem plurimorum auctorum sententiam, quos refert, & sequitur Sanchez. Atque in hunc modum cessat tota difficultas. Si verò supponatur præcessisse dispensationem disparitatis cultus ex auctoritate Pontificia, aut aliqua alia ratione, quæ mihi non occurrit, tale impedimentum non vigere apud eos populos, de quibus est sermo.

Art. 3. Tunc ad primum casum dicitur in primis, illud qualecumque incommodum non esse speciale in matrimonio gentilis cum Christiana. Quia Titius perinde potuisset apostatare, & transire ad secundas nuptias, tametsi fuisset Christianus, sicut & Anna, tempore contracti matrimonij, vel illud, contractum tempore suæ infidelitatis, renouauisset, seu confirmauisset, vti moris esse perhibetur in India, cum postea susceperit Baptismum; & tamen Anna in vtroque hoc casu indubitanter debuisset manere destituta vsu coniugali tori, vt patet. Dicendum igitur est absolutè, Annam in eo casu manere ligatam vinculo matrimonij, nec posse vllo pacto transire ad secundas nuptias viuente Titio; atque Titium similiter teneri, vt dimissis secundis nuptiis, vtpotè nulliter celebratis, redeat ad Annam. Quia matrimonium, quod, sub dicta suppositione, ab initio fuerat legitimum, sed non ratum, factum est deinde ratum, atque omnino indissolubile in omnem euentum ratione Baptismi, quem suscepit Titius, & in cuius tantummodo fauorem conceditur dissolutio matrimonij cum infideli. Quæ est ratio Innocentij III. in re simili cap. *Quanto* de diuortiis.

Art. 4. Difficultas porrò, quæ opponitur inde resultare aduersus permanentiam Annæ in fide Catholica, & aduersus reditum Titij ad eandem, nullius momenti est pro inualiditate eiusmodi matrimoniorum. Quia si supponatur, illa esse inualida, ideoque dissolubilia; tota eadem difficultas redit, ac militat per se aduersus primam conuersionem ad fidem, & Baptismum; quandoquidem necesse est vt instruantur baptizandi, non licere, post Baptismum, vsum, seu celebrationem matrimonij præterquam omnino indissolubilis, atque adeo, si alter ex consortibus apostatando à fide transierit ad secundas nuptias, alterum nihilominus mansurum esse ligatum vinculo prioris matrimonij, & absque facultate transeundi similiter ad secundas nuptias, atque Apostatam nihilo secius mansurum ligatum obligatione redeundi ad priorem consortem. Hac autem præmissa instructione, sponte apparet, ingeri baptizandis parem priori difficultatem aduersus susceptionem Baptismi. Notum denique est multipliciter fieri posse, per nequitiam mariti, siue solubiliter, siue insolubiliter coniugati, vt vxor maneat impedita de facto ad secundas nuptias simulque perpetuo destituta vsu coniugali tori, vt nihil plane ex hoc capite confici possit pro scopo obiicientis.

Art. 5. In secundo casu manent proculdubio inseparabiliter colligati Titius, & Anna iuxta prædicta sub eadem suppositione, & debent patienter tolerare impotentiam cohabitandi prouenientem ex sententia Iudicis, nisi is acquiesceret mutuo vtriusque consortis nouo consensui de cohabitando. Ratio est eadem atque prius nempe matrimonium esse ratum, atque adeo penitus indissolubile post Baptismum vtriusque, cum supponatur fuisse consummatum. Verum hic etiam obseruare licet sicut prius, eiusmodi incommodum non esse speciale matrimonij initi cum infideli. Quia post matrimonium initum inter etiam vtrimque fideles, impediri multipliciter potest eorum cohabitatio per violentiam Iudicis alterum eorum per totam vitam, aut detinentis in carcere, aut damnantis ad triremes.

Art. 6. In tertio casu censeo secundas vtriusque consortis nuptias sustineri posse tanquam validas loquendo per se. Quia licet primum eorum inter se matrimonium fuisset validum, & consequenter fuisset ab initio inualidum eorumdem adhuc infidelium matrimonium cum aliis consortibus, vt patet ex dictis; nihilominus qui prior ex illis susceperit Baptismum, cum inueniat primum suum consortem opere ipso protestantem se nolle cohabitare cum eo, quandoquidem adhæret secundo matrimonio, iure suo potest transire ad secundas nuptias, atque ideo renouato mutuo consensu matrimoniali, siue implicitè, siue explicitè cum secundo consorte post Baptismum, ex tunc incipiet valere secundum matrimonium, manebitque dissolutum reipsa matrimonium primum. Vnde alter consors manebit itidem liber, vt renouato similiter consensu matrimoniali cum suo consorte secundo efficiat validum suum secundum matrimonium. Quod quidem totum videtur legitimè colligi ex testimonio Apostoli superius ponderato de infideli volente recedere, seu quod perinde est nolente redire. Si verò is, qui prior susceperit Baptismum, nullum vllo modo, quod videtur difficile præstet, & acceptet consensum nouum, quo, post susceptum à se Baptismum, & antequam alter prioris matrimonii consors baptizetur, renouet, seu confirmet suum poste-

rius

tius matrimonium; vtrumque vtriusque secundum matrimonium erit nullum, & vterque tenebitur ad se inuicem redire, certè non cohabitare, & certissimè non covti secundis consortibus, vt patet ex dictis.

## QVÆSTIO CXVII.

*Virùm sententia negans, matrimonia contracta sub consuetudine repudij esse valida, sit probabilis, & tuta in praxi?*

VIdetur esse probabilis, & tuta in praxi, quia fundamenta proposita pro ea sententia in principio quæstionis proximè præcedentis sunt magni ponderis, & quæ viro docto, ac prudenti persuadere illam possint. Id quod à posteriori apparet satis, quia de facto Dicastillo, ob aliqua ex illis fundamentis, tenet absolutè matrimonia gentilium, apud quos viget consuetudo repudij, esse prorsus inualida, ac nulla, atque ita tradit ex professo disp. 2. de matr. dubit. 4. n. 20. nec desunt modo viri dati non pauci, qui idem sentiant, & mordicus tueantur quin etiam Illustr. Dominus Alphonsus Mendez vltimus Patriarcha Æthiopiæ matrimonia Tunkinensium, aliorúmque inibi populorum declarauit esse nulla, ob eam præcisè consuetudinem repudij, quæ ibi viget vti relatum est in eadem quæstione præcedenti sub finem rationum dubitandi

Art. 1. Respondetur. Dicendum est in primis sententiam negantem, matrimonia infidelium vt sic, & in genere esse valida, & contentiua veri iuris, ac vinculi mutui, esse vt minimum temerariam, nulliusque prorsus probabilitatis. Patet hoc clarè ex testimoniis Apostoli, & Pontificum ponderatis in quæstione præcedenti, quæ sine manifesta violentia, & corruptione diuelli nequaquam possunt ab assertione validitatis, vt apparet ex ibi dictis, & paulo post apparebit clarius, quasi à fortiori. Accedit quod per se solum ad eam censuram abundè sufficeret Magistrum in 4. dist. 39. atque ibidem Diuum Thomam, Diuum Bonauenturam, Scotum, Durandum, aliosque omnes Commentatores, nullo prorsus posteriorum Auctorum contradicente, docere vnanimi consensu, & ex professo validitatem matrimoniorum inter infideles sub his terminis vniuersalibus. Neque de hoc puncto vlla eatenus controuersia modo est, aut esse potest.

Art. 2. Dicendum itáque rursus, est eamdem censuram mereri sententiam, quæ negat matrimonia Hebræorum adhuc infidelium esse valida. Sequitur hæc conclusio ex præcedenti. Quia sub nomine infidelium absolutè, ac vniuersaliter prolato Hebræi vel maximè comprehenduntur, cum sint, dum adhuc hebraizant, verè propriissimèque infideles, & quodammodo cæteris omnibus infidelibus infideliores, quatenus maiori veritatis luce præuenti à Deo, atque dispositi ad veram fidem, eidem nihilominus resistunt. Confirmatur hæc Hebræorum inclusio sub nomine infidelium, tametsi est nimis ex se manifesta, ex cap. Iudæi 28. quæst. 1. Vbi Concilium Toletanum 4. statuit sic: *Iudæi qui Christianas mulieres in coniugio habent, admoneantur ab Episcopo Ciuitatis illius, vt, si cum eis permanere cupiunt, Christiani efficiantur. Quod si admoniti fuerint, & noluerint, separentur.* Ratio autem statuti subditur immediatè his verbis: *Quia non potest infidelis in eius permanere coniunctione, quæ iam in Christianam translata est fidem.* Patet ergo infidelium nomine Iudæos, vel maximè comprehendi. Confirmatur indidem rursus, quia cum tota illa quæstio sit de veritate, seu validitate coniugiorum inter fideles, atque plerique textus allati pro affirmatiua loquantur de Hebræis in specie. Gratianus concludit sic: *Ex his itáque euidenter colligitur Coniugium esse inter fideles.* Eundem igitur certitudinis gradum obtinet validitas matrimoniorum inter Hebræos, atque inter cæteros infideles, ac proinde eamdem vtrobique censuram meretur sententia negans.

Art. 3. Accedit, Canones Pontificum, & sententias Patrum, ac Theologorum statuentes validitatem matrimoniorum inter fideles niti vnicè, vel certè præcipuè testimonio Apostoli superius ponderato ex 1. ad Corinth. 7. vt quiuis deprehendere facile potest, si velit legere Canones indicatos in quæstione præcedenti, maximè Innocentium III. in capite illo *Gaudemus*, nec non Magistrum sententiarum in distinctione illa 39. ex quo deinde in Diuum Thomam, Diuum Bonauenturam, Scotum, aliosque omnes etiam recentiores Theologos idem constanti traditione fundamentum emanauit, vt quidem ego neminem legerim (legi autem non paucos præter nominatos, & nominandos) qui eo non recurrat pro isto dogmate confirmando. Apostolus autem dum in eo loco consulit, ne quis frater vxorem infidelem, & ne quæ mulier fidelis virum infidelem dimittat, proculdubio subintelligit, vel maximè nomine infidelium Hebræos nondum conuersos ad Fidem Christi Iesu. Præterquam enim incredibile sponte apparet, quod vsurpauerit nomen suæ gentis, aliarúmque nationum hominibus peræquè commune de se, quin suæ etiam gentis homines, eosque vel maximè comprehendere vellet, & quod eorumdem solum, aut non meminerit aut exceptionem fecerit mentalem absque vlla exteriùs exceptione verbali; duo insuper argumenta conuincunt, Iudæos non fuisse in eo documento prætermissos, quin etiam primò, ac principaliter inclusos fuisse.

Art. 4. Pro primo argumento sciendum est, Apostolum, antequam scriberet eam ad Corinthios Epistolam, adfuisse Corinthi, atque inibi Euangelium Iesu Christi annuntiasse, ac prædicasse. Quod & profitentur omnes interpretes, & liquido apparet ex ipsa illa Epistola non vno in loco, vt ex cap. 3. 6. *Ego plantaui, Apollo rigauit*, & cap. 4. 15. *Nam in Christo Iesu per Euangelium ego vos genui.* Vt alia prætermittam non necessaria pro re nimium conspicua. Sciendum rursus est prædicationem Euangelicam exercitam fuisse ab Apostolo in ea vrbe conatu vel maximo, atque præcipuo erga Iudæos, vt apparet ex Act. 18. Vbi præmisso aduentu Pauli in eam ciuitatem, subiungitur vers. 4. *Et disputabat in synagoga per omne Sabbatum, interponens nomen Domini Iesu, suadebátque Iudæis, & Græcis*, & vers. 5. *Instabat verbo Paulus testificans Iudæis esse Christum Iesum.* Eandem circa Iudæos inibi sollicitudinem præcipuam ostendunt hæc Apostoli verba in illa eadem Epistola cap. 9. 20. *Et factus sum Iudæis tanquam Iudæus, vt Iudæos lucrarer.* Nec iste tantus conatus irritus fuit. Lucratus namque est in ea ciuitate primarios Iudæorum Crispum Archisynagogum, & Sosthenem Principem Synagogæ, vt perhibet Lucas in eodem cap. 18. Credibile verò est plures inferioris notæ Iudæos, præeminentium istorum Virorum exemplum, sequutos fuisse, vltra familiares illorum omnes, quibus plures rursus alios adiunxerit Apollo, qui Paulo in prædicatione ibi successit Iudæus & ipse natione, sermone autem vsque adeò potens, vt breui à conuersis per ipsum fidelibus cœperit componi, præferrique Apostolo ipsi Paulo, vt habetur in primo capite Epistolæ nostræ. Is porrò Apollo præcipuum similiter impetum faciebat aduersus Iudæorum perfidiam, eamque fortiter impetitam feliciter expugnabat. Vt liquet ex iis de ipso verbis in prædicto 18. Act. capite postremo. *Vehementer enim*

*Iudæos*

*Iudæos reuincebat publicè ostendens per scripturas esse Christum Iesum.* Ecquis iam, quæro, sibi in animum inducere possit, Hebræos tanto labore, & tam præcipuo conatu quæsitos per prædicationem Euangelij, & tanto per Dei gratiam numero credentes Corinthi, fuisse nihilominus prætermissos, aut non etiam principaliter fuisse inclusos in documentis, & responsionibus ad fideles Corinthios directis, quæ erant appendices prædicationis Euangelicæ, nullamque eorum habitam esse rationem in accessoriis, circa quos in principali negotio præcipua cura, maximúsque conatus fuerat? Patet itaque consilium Apostoli de non dimissione consortis infidelis, atque appellationem vxoris, & viri, seu mariti, ex vi matrimonij in infidelitate contracti, ad Hebræos etiam, quin & præcipuè ad eosdem pertinere.

Art. 5. Alterum argumentum sumitur ex ipso contextu, & materia illius capitis septimi. Materia tota sunt Corinthiorum recens conuersorum ad Christum dubia, quæ omnia versantur circa mutationem status, seu conditionis, & sortis ante Baptismum, faciendam, vel non post Baptismum. Præcipuè verò dubitatum fuerat de triplici hominum conditione ante Baptismum, coniugatorum, seruorum, & Virginum; nempe in priora matrimonia ratione Baptismi susceptis ab altero tantum consorte essent dissoluenda? an seruitus in libertatem commutanda? an virginitas retinenda? Circa hæc tria puncta habebant Hebræi iam fideles rationes dubitandi speciales, ideoque indigebant præ cæteris instructione Apostolica. Circa votum quidem virginitatis, quia populare Hebræorum axioma erat. *Maledictus qui non reliquerit semen in Israël.* Circa seruitutem vero, quia nullus Hebræus apud Hebræum seruus esse poterat, quin & proselyti, atque à gentilismo ad Hebraismum conuersi nonnullo quoad liberationem à seruitute potiebantur priuilegio. Denique circa matrimonium duplex apud eos erat specialis ratio dubitandi. Altera circa vsum matrimonij; Altera circa permanentiam eiusdem. Quoad vsum quidem, quia sacerdotibus Hebræorum erat interdictus vxorum vsus toto eo tempore, quo in tabernaculo, vel templo ministrabant, atque Baptismus multo altius, quam sacerdotium vetus addicit assiduo cultui Dei longè excellentiori, quam qui in tabernaculo exhibebatur. Quoad permanentiam vero, quia Hebrææ professionis homines, qui non magis distabant ab idololatris, quam distent ab illis fideles Christi, non poterant manere in matrimonio cum consorte gentili, seu idololatra, & præterea licebat iisdem dimittere vxores etiam alioquin legitimas ob causas haudquaquam graviores, quam sit pertinacia in infidelitate. De his Hebræorum moribus videri plura possunt inter alios apud P. Mart. Bel. in Analogia cap. 7. quæst. 7. cap. 20. quæst. 5. cap. 26. q. 2. & cap. 25. initio. Perspicuum igitur cum sit ex iis Hebræos fideles indiguisse præ cæteris directione, & doctrina Apostolica quoad præfatas dubitationes, maximè verò circa matrimonia, dubitare profectò minimè licèt, quin Apostolus in suis ad illas responsionibus eosdem primo etiam in loco complexus fuerit, maximè verò quoad documentum de vsu, & firmitate matrimoniorum.

Art. 6. Confert præterea aliquid ad hoc ipsum vox dimissionis, qua vtitur Apostolus dicens: *Vxorem non dimittat: non dimittat illam: non dimittat virum*, necnon vox immunditiei, quam mox adhibet dicens: *Alioquin filij vestri immundi essent, nunc autem sancti sunt.* Notum nimirum est ex sacris litteris vocem dimittendi, atque immundorum à sanctis discrimen apud Hebræos potissimum solemnia fuisse; eademque gentilibus, vel penitus ignota, vel certè raro vsurpata fuere. Iam illud nonne est propriissimum Hebræi Hebræum alloquentis, quod habetur sub finem eorum documentorum? *Mulier alligata est legi quantò tempore vir eius viuit. Quod si dormierit vir eius liberata est.* Confert præterea ad idem, quod Apostolus documentis circa firmitatem matrimonij, & circa seruitutem interiicit documentum speciale circa Hebraïsmum his verbis vers. 18. *Circumcisus aliquis vocatus est? non adducat præputium. In præputio aliquis vocatus est? non circumcidatur. Circumcisio nihil est, & præputium nil est, sed obseruatio mandatorum Dei.* Quid etenim inuerisimilius esse potest, quam eos in extremis documentis vniuersalibus prætermissos fuisse, de quibus sub proprio nomine speciale interiicitur documentum? Ex iis itaque omnibus luce meridiana lucentius est, in matrimoniali illo documento Apostoli Hebræos non minus, si non est magis, ac principalius includi, quam gentiles, atque adeo quod à principio intendebatur totum auctoritatis pondus, quo certum redditur, valere matrimonia infidelium vt sic, & in genere tantumdem, vt minimum certum pariter reddere, valere itidem matrimonia Hebræorum tempore infidelitatis contracta post etiam abrogatam legem Moysis, & promulgatum Euangelium; nec minus proinde temeritate vacare sententiam hoc negantem quam quæ illud negat.

Art. 7. Sed supereſt præterea vnde certa specialiter reddatur validitas matrimoniorum inter Hebræos adhuc infideles post legem Mosaicam iam abrogatam; & vnde simul validè confirmetur ampliùs expositio Pauli hucusque tradita. Consonat nimirum Paulo Petrus in Epist. 1. cap. 3. initio. *Similiter & mulieres*, ait, *subditæ sint viris suis, vt & si qui non credunt verbo, per mulierum conuersationem sine verbo lucrifiant, considerantes in timore castam conuersationem vestram.* Certum est sermonem hic esse determinatè de vxoribus, & maritis gente Hebræis. Quia ea epistola; vt patet ex ipsius principio dirigitur ad electos aduenas dispersionis, id est ad Hebræos conuersos Hierosolymæ ad fidem, propterea que in exilium missos, ac deinde dispersos per Prouincias Iudææ conterminas, vt aduertit ibi in præfatione Cornelius à Lapide, aliique communiter, ac indubitanter; nec legere quisquam eam epistolam potest, quin clarè coniiciat perpetuam cum Hebræis ad Christum conuersis specialiter colloquutionem. Certum rursus est; in verbis relatis contineri consilium, vt vxores iam fideles obsequantur impensè maritis adhuc etiam infidelibus, idque ob spem ita eos perducendi ad veram fidem, atque lucrifaciendi Christo. Incipit autem sententia per particulam *Similiter* cum relatione ad id, quod dixerat in capite præcedenti vers. 18. de seruis respectu dominorum. *Serui subditi estote in omni timore Domini non tantum bonis, & modestis, sed etiam discolis.* Nefas igitur cum sit dicere, quod B. Petrus præcipiat mulieribus nomine tantum vxoribus; & reipsa concubinis, vt adhæreant, & obsequantur suis eiusdem notæ coniugibus; certum planè denique est D. Petrum agnoscere validitatem matrimoniorum inter Hebræos adhuc etiam infideles, siue celebrata illa essent ante, siue post diem Pentecostes (ex quo vt minimum die lex Moysis euanuit, vt est in confesso apud omnes,) quia D. Petrus instruit indistinctè circa matrimonia eo vsque celebrata, ac deinceps celebranda sub iisdem legibus, ac statutis, quæ tunc vigebant. Temerarium itaque vt minimum est, stante ista tanta declaratione Principis Apostolorum dicere matrimonia Hebræorum adhuc infidelium esse inualida, ac nulla.

Art. 8. Adiicio præterea breuem in hunc scopum obseruatiunculam circa verba Concilij Toletani relata supra art. 2. In illo etenim capite, *Iudæi*, dicitur

tur de ipsis adhuc vtique iudaizantibus, *quod habeant mulieres Christianas in coniugio*, iisdémque præscribitur, *Vt si cum eis permanere cupiunt; Christiani efficiantur.* Si autem matrimonia Hebræorum adhuc infidelium essent inualida, dici nequaquam debuissent, quod haberent mulieres in coniugio, sed in quasi coniugio, seu potius in concubinatu: sed multo minus dici potuisset, vt siquidem cupiunt cum eis manere, efficiantur Christiani. Quia perinde esset, atque præcipere, vt si cupiant manere cum concubinis, efficiantur Christiani. Aliud nimirum dicit, qui dicit manere cum mulieribus, quæ prius habebantur in coniugio, & aliud, qui dicit, inire de nouo matrimonium verum cum iisdem mulieribus. Vnde ille Canon diuelli non potest, absque manifesta violentia, & absurditate, ab agnitione validitatis in matrimoniis Hebræorum adhuc infidelium, atque adeo reddit improbabilem sententiam negatiuam eiusdem validitatis. Verùm vt ex iis omnibus aliqua tandem tergiuersatione elabi quis vtcumque tentare posset, illud est ineluctabile prorsus, ac planum, quod habetur cap. de infidelibus de consang. & affin. Ibi enim Innocentius III. interrogatus, an infideles ad fidem conuersi, qui ante conuersionem suam secundum legis veteris instituta coniugaliter coniuncti fuerant, sint separandi post Baptismum. Respondit non esse separandos, quia inter Iudæos est matrimonium, quod dissolui non potest. Nec pluribus circa hoc punctum opus est.

Art. 9. Dicendum iam tertiò est, atque concludendum, eidem censuræ improbabilitatis, & temeritatis subiacere sententiam, quæ negat esse valida matrimonia infidelium, apud quos viget, & quia viget, consuetudo repudij. Hæc conclusio sequitur clarè, tum ex prima, tum maximè ex secunda conclusione, nec nisi vtraque negatâ negari potest. Sequitur quidem quam clarissimè ex secunda. Quia consuetudo repudij nullibi gentium fuit, aut est tam nota, tam celebris, tam pertinaciter, tantóque cum affectu retenta, atque apud Hebræos infideles, qui illi adhærent tanquam inductæ, &, vt falsò reputant, etiam continuatæ auctore Deo. Ergo siquidem hoc nihil obstante, est vt minimum temeraria, atque improbabilis sententia negans, matrimonia Hebræorum infidelium, esse valida; talis proculdubio censenda est sententia, quæ negat esse valida matrimonia gentilium, apud quos viget cõsuetudo repudij, & quia ea viget. Sed sequitur etiam eadem conclusio ex conclusione prima. Quia consuetudo repudij, seu quod perinde est pro controuersia præsenti, existimatio quod licitum sit repudium, insitque coniugibus potestas repudiandi, viget, viguitque apud omnes vbique infideles, vt testatur August. de bono coniug. cap. 7. fine, & cap. 8. initio. Cùm enim præmisisset de indissolubilitate matrimonij per diuortium, ac repudium, subiungit sic: *Nec tamen nisi in Ciuitate Dei nostri, in monte Sancto eius, talis est causa cum vxore. Cæterùm aliter se habere iura gentium, quis ignorat, vbi interposito repudio, sine reatu aliquo vltionis humanæ, & illa, cui voluerit, nubit, & ille, quam voluerit, ducit. Cui consuetudini simile aliquid propter Israëlitarum duritiam, videtur permisisse Moyses de libello repudij.* Perinde igitur est vera, & valida esse matrimonia inter infideles, atque vera, & valida esse matrimonia inter eos, apud quos viget consuetudo repudij. Quandoquidem ex sententia Augustini in sola Ciuitate Dei nostri, in monte Sancto eius abest talis consuetudo. Præterea hoc in dubium reuocat nemo (quod est notissimum apud omnes) apud plerosque saltem infideles, ac ferè omnes viguisse semper consuetudinem repudij. Certè apud Romanos, dum Roma fuit infidelis, viguit ea consuetudo ab vrbe condita, tradente Rosino lib. 5. antiq. Rom. cap. 38. Romulum conditorem vrbis tulisse legem de repudiis, seu de diuortiis existimatis dissoluere vinculum matrimonij, atque eorum modum præscripsisse; creuisse verò semper eorumdem licentiam temporis decursu. Fieri autem non potuit, vt documenta vniuersalia de veritate, & validitate matrimoniorum inter infideles traderentur terminis vniuersalibus nulla adiuncta particula exceptiua, & tamen cum animo excludendi ab ea vniuersalitate, vel certè non includendi plerosque vt minimum, ac ferè omnes, præcipuósque populos infidelium.

Art. 10. Sed nil opus est coniecturis, seu demonstrationibus mediatè deductis. Dico auctoritates omnes quibus nititur certitudo veri, ac validi matrimonij inter infideles, immediatè procedere ex suppositione consuetudinis repudij apud eosdem. Paulus in primis Apostolus, ex quo in cæteros omnes Christianos scriptores propagata est ea doctrina de vero inter infideles coniugio, vt iam præmonui, & mox clarius apparebit, omnino supponit consuetudinem repudij apud Corinthios in illa sua prima ad illos Epistola, cuius caput septimum est fundamentale in hac controuersia. Nolo hoc ex eo iterum capite persuadere, ex quo id manifestissimum redditur, nempe quia Apostolus ibi instruit Hebræos etiam, atque præcipue tempore infidelitatis coniugatos, & post conuersionem alterius tantum consortis dubitantes de retinendo, aut dimittendo consorte infideli, vt innotuit superius ab articulo 3. ad 8. Addo Diuum Thomam, quo præ oculis habito, atque diligenter obseruato exposuimus Apostolum, ita eum quoad hoc punctum intellexisse, sicut intellectus à nobis est. Quia lect. 3. sub finem scripsit sic: Item *si qua mulier habet virum infidelem, &c. contra: Ergo Iudæa conuersa non debet dimittere virum Iudæum, cohabitare volentem. Respondeo, secus est hodie, quam tempore primitiuæ Ecclesiæ. Quia tunc erat spes conuersionis, nunc autem potius est spes subuersionis propter obstinationem infidelium.* Quæ obiectio, & responsio essent abs re, vt patet, si Apostolus non fuisset loquutus comprehendendo etiam Hebræos sub sua repudij consuetudine coniugatos. Sed independenter ab hoc, quorsum Apostolus, nisi nouisset, atque supposuisset antecedentem apud Corinthios consuetudinem repudij, atque dissolutionis matrimoniorum, & transitus ad secundas nuptias, viuenti priori consorte, quorum inquam & qua, vel necessitate, vel vtilitate impulsus tanquam rem nouam, & Euangelicæ institutionis propriam seueriſſimè indiceret Corinthiis, & semel, atque iterum inculcaret indissolubilitatem matrimonij, atque impotentiam transeundi ad secundas nuptias viuenti priori consorte? Dicens vers. 10. auctore, non se, sed Domino. *Vxorem à viro non discedere: Quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari.* Et iterum ver. 39. (Quod placet repetere) *Mulier alligata est legi, quanto tempore vir eius viuit. Quod si dormierit, liberata est, cui vult, nubat.* Minus profecto opportunè, ne dicam perperam, quin & nocenter suggereretur istud documentum Corinthiis, nisi fuissent, & supponerentur contraria dissoluendorum matrimoniorum consuetudine præoccupati. Certè nil opus fuisset præmonere, ac protestari non se, sed Dominum Deum esse auctorem huius mandati, nisi præiuisset humana in contrarium lex, & consuetudo obiectu tantæ auctoritatis retundenda, ac diruenda. Rursus qui fieri potuisset, vt Corinthiis recens conuersis ad fidem in mentem veniret dubitatio de dimissione consortis infidelis, atque de matrimonio ea de causa dissoluendo, si nulla apud eos præextitisset consuetudo vlla de causa dimittendi consortem, atque dissoluendi matrimonium? Et tamen constat Corinthios ea de re dubitasse, atque Apostolum respondisse

spondisse distinguendo accuratè casum, in quo non expedit dimittere, à casu, in quo transitus etiam ad secundas nuptias licitus est, & insuper pro isto secundo casu loquitur de discessione infidelis propter conuersionem sui consortis ad fidem, tanquam de re facilè contingenti, ob consuetudinem vtique similium discessionum apud eam gentem. Patet igitur Apostolum in eo loco, ex quo vnicè, vel certè præcipuè deducitur certitudo veri, ac validi matrimonij, inter infideles loqui ex suppositione consuetudinis repudij apud eosdem.

Art. 11. Iam inter Pontifices statuentes eandem eorumdem matrimoniorum veritatem, ac validitatem nemo dubitare potest quin Innocentius III. plenius, ac distinctius ea de re egerit. Quare sufficerit ipsum solum, cæteris præterea antiquiorem, considerare. Sensus eius circa veritatem, ac validitatem matrimoniorum inter infideles, eiusdemque suppositio quoad consuetudinem repudij apud eosdem innotuit satis in quæstione præcedenti ex celebri textu in cap. *Gaudemus* de diuortiis. Sed confert tamen ad vberiorem intentionis nostræ ab ipso expressæ claritatem, vt integer textus ponatur ob oculos. Verba igitur Innocentij quoad validitatem eorum matrimoniorum in priori capitis illius parte sunt: *Hæc super quo taliter respondemus, quod cum Sacramentum coniugij, apud fideles, & infideles existat, quemadmodum ostendit Apostolus dicens: Si quis frater infidelem habet vxorem, & hæc consentit habitare cum eo, non illam dimittat; & in præmissis gradibus à paganis quoad eos matrimonium licitè sit contractum, qui Constitutionibus Canonicis non arctantur. Quid enim ad nos (secundum Apostolum eundem) de his, qui foris sunt iudicare? in fauorem præsertim Christianæ religionis, & fidei à cuius perceptione, per vxores se deseri timentes, viri possunt facile reuocari: fideles huiusmodi matrimonialiter copulati (dum essent infideles) liberè possunt, & licitè remanere coniuncti, cum per Sacramentum Baptismi non soluantur coniugia, sed crimina dimittantur.* Non potuit clarius definiri dari validum matrimonium inter infideles, tum quia disertè affirmat Sacramentum (late vtique sumptum) coniugij apud fideles, & infideles existere, sicut & in cap. *Quanto* immediatè præcedenti dixerat similiter *matrimonium verum, licet non ratum inter infideles existere*: tum quia declarat *fideles huiusmodi matrimonialiter copulatos* (tempore scilicet infidelitatis, & consorte adhuc permanente infideli) *liberè posse, & licitè remanere coniunctos*, idque non ob renouatum contractum, quod esset reconiungi, non vero remanere coniunctos, sed præcisè, *quia per Sacramentum Baptismi non soluuntur coniugia, sed crimina dimittuntur.* Quod quidem laboraret falsa suppositione, & perabsurdè diceretur, si matrimonia ante baptismum essent nulla, adeoque non ligarent, non copularent, non coniungerent reipsa, sed solum iuxta falsam contrahentium existimationem. Transeo iam ad alteram partem de consuetudine repudij animaduersa, admissa, atque suppositа ab eodem Pontifice apud eosdem infideles, & exhibeo eius verba in posteriori parte eiusdem capitis *Gaudemus*, quæ talia sunt: *Qui autem secundum ritum suum* (nonne est satis bona, & sufficiens ista consuetudinis expressio) *legitimam repudiauit vxorem, cum tale repudium veritas in Euangelio reprobauerit, numquam ea viuente licitè poterit aliam etiam ad fidem Christi conuersus, habere, nisi post conuersionem ipsius illa renuat habitare.* Pauciscque interiectis superaddit: *Quòd si conuersum ad fidem, & illa conuersa sequatur, antequam propter causas prædictas, legitimam ille ducat vxorem, eam recipere compelletur.* Inquiro, vbi reprobauerit, aut vnde colligatur reprobasse veritas in Euangelio repudium mulieris inualidè, nulliterque ductæ? Et qua lege, aut ratione obstent, validitati secundarum nuptiarum iam conuersi ad fidem, priores nuptiæ nondum conuersi, si istæ fuissent inualidæ, ac nullæ ob ritum repudiandi sub quo celebratæ fuere? ac demum qua honestate, & iustitia compellatur iam fidelis eam recipere, recipere inquam, non iterum ducere, quam duxerat infidelis sub suo vtique ritu repudiandi, si hæc propterea fuisset reipsa concubina, solúmque per errorem existimata coniux? Profecto tam sunt hæc pro nobis clara, & perspicua, vt oppositum dici non possit, quin simul dicatur Innocentium non rectè intellexisse documentum Apostoli, nec veritatem Euangelij eatenus calluisse, ac demum perperam, absurdèque decreuisse. Quod esset temeritate plenum, ac prorsus intolerabile.

Art. 12. Iam inter Patres Augustinum similiter solum considerare sufficiet. Qui videlicet iæpius, & luculentius, atque distinctius de tota ista materia disputauit, quam vllus alius, & cuius circa eandem præcipua ab omnibus vbique ratio habetur, tùm in iure Canonico, tum à scriptoribus cæteris. Augustinum autem nuper art. 9. audiuimus affirmantem consuetudinem repudij vbicumque, præterquam in Ecclesia sancta Dei, idest apud omnes infideles. Idem testatur iterum lib. 1. de nupt. & concup. cap. 10. ad med. his verbis. *Quod si quisquam fecerit* (repudiata priori vxore aliam ducere) *non lege huius sæculi, vbi interueniente repudio sine crimine conceditur cum aliis alia copulare connubia, quod etiam sanctum Moysem, Dominus, propter duritiam cordis illorum Israëlitis permisisse, testatur; sed lege Euangely* (sola nimirum) *reus est adulterij, sicut etiam illa, si alteri nupserit.* Et rursus tertiò tom. 10. hom. 49. cap. 2. ad med. *Non vobis licet*, ait, *habere vxores, quorum priores mariti viuunt, nec vobis fœminis habere viros, quorum priores vxores viuunt. Adulterina sunt ista coniugia, non iure fori, sed iure Cœli.* Ex iis liquido apparet esse indubitatam Augustino consuetudinem repudij apud omnes promiscuè infideles, nec eum abusum vllo iure præterquam Euangelio reprobari. Vnde perinde est apud Augustinum affirmare validitatem matrimonij inter infideles, atque eandem affirmare ex suppositione consuetudinis repudij apud contrahentes. Validitatem autem matrimonij inter infideles docet S. Doctor tam frequenter, tam luculenter, ac fusè, idque est tam manifestum, ac peruium omnibus, qui aliquid vspiam legere circa hoc punctum, vt nil necesse sit aliquas speciales eius periodos eatenus hic transcribere. Legatur toto fere lib. 1. de adulter. coniug. præsertim à cap. 18. ad 22. vbi sæpius recurrit ad testimonium toties à nobis quoque memoratum Apostoli ex 1. ad Corinth. 7. illudque in rem nostram exponit optimè, & validissimè vrget. Legatur item lib. de bono coniugali à cap. 7. necnon lib. 1. de serm. Domini in monte cap. 16. vbi pulchre, ac neruosè premit hoc argumentum, & breuius eandem sententiam tradit in homilia illa 49. post verba nuper relata. Videri quoque possunt quæ ex iis locis delegit in hunc scopum Gratianus 28. q. 1. nec non quæ ex eodem Augustino, atque ex Innocentio colligit ibidem quæst. 3. atque distinct. 26. cap. *Acutius*, & cap. *Deinde*, vt concludat esse bigamum, ideoque impeditum ab Episcopatu cum, qui ante baptismum habuit vnam, & alteram post baptismum tametsi vt statuit Innocentius in Epistola decretali, ex qua decisus est textus ille, *Deinde*, bigamus non sit, nec inhabilis ad sacerdotium, qui plures habuit concubinas, siue ante, siue post baptismum. Quod est obseruatione dignum pro validitate, quæ intenditur coniugiorum inter infideles.

Art. 13. Ex Theologis eodem modo, ne catalogum contexam nimis longum, exhibebo solos antesigna-

nos, quorum sensum sequuntur cæteri incunctanter. Magister in primis in dist. illa 39. quarti libri docet ex professo valere matrimonium inter infideles, cumque litt. B. fine dicat *euidenter id apparere, atque idem colligi ex Apostolo* in loco sæpè indicato 1. ad Cor. 7. Vtrumque sigillat in fine distinctionis his verbis. *Quod autem legitima sit infidelium coniunctio, Augustinus testatur dicens*: (cap. 16. de fide, & operibus) *vxor legitima societate coniuncta sine vlla culpa relinquitur, si cum viro Christiano permanere noluerit. Ex hoc etiam probatur, quod infideli ad fidem conuerso Apostolus consulit infidelem non dimittere. Quod non faceret, si non esset inter eos legitimum coniugium.* Hæc autem dici à Magistro suppositâ consuetudine repudij apud infideles, quorum tradit valere matrimonia, colligitur ex principio, & progressu distinctionis. Præfert namque in principio, non licere Christiano cum Gentili, vel Iudæa inire coniugium, idque probat ex veteri, & nouo testamento prohibentibus coniugia fidelium cum infidelibus, & quidem pro parte noui testamenti producit textus, qui potissimum, ac nominatim loquuntur de Hebræis infidelibus. Mouet mox difficultatem aduersus istam conclusionem ex matrimonio inito ab infidelibus, & permanente postquam etiam alter eorum conuertitur ad fidem, altero non conuerso. Ac demum, occasione huius difficultatis, atque respondendo ad eandem, asserit veritatem, ac legitimam, & quod caput est, indissolubilitatem matrimonij inter infideles quoad vinculum, præterquam si altero conuerso ad fidem, alter, vel omnino nolit cohabitare, vel nonnisi cum contumelia Creatoris. Patet autem istum discursum fore perabsurdum, & Magistro sententiarum prorsus indignum, si nomen infidelium non acciperet in obiectione, & obiectionis responsione sub eadem latitudine, sub qua vsurpatum primitus fuerat in conclusione capitali. Vsurpatum vero in ea fuerat, vti prænotatum est, comprehendendo etiam Iudæos, apud quos nil necesse est repetere de consuetudine repudij. Consonat Magistro D. Thomas in eadem distinctione, & quæst. 1. art. 2. tradit ex professo dari verum, ac validum matrimonium inter infideles. Quod autem id teneat, tametsi supponatur lex, seu consuetudo repudij inter illos, constat primum ex verbis eius relatis supra art. 10. Deinde quia dist. 33. quæst. 2. a. 1. ad 1. agnoscit, non secus ac Augustinus supra art. 9. & 12. nulla vspiam lege humana, sed sola Euangelica prohibitum fuisse repudium dissolutiuum matrimonij. Demum quia in prædictis dist. 39. quæst. 1. art. 3. ad 5. statuit, sicut de Innocentio III. aliisque commemoratum antea à nobis fuit, infidelem, qui repudiata, iuxta ritum vtique suum, prima vxore duxerat secundam, si deinde conuertatur ad fidem, teneri, & cogendum esse redire ad primam, id est valuisse primum matrimonium, nil obstante consuetudine repudij. Nihilo differt D. Bonauentura à D. Thoma, nisi quod eadem docet aliquatenus clarius, ac distinctius. In eadem nam[illegible]ue dist. 39. art. 1. quæst. 2. 3. & 4. statuit dari verum matrimonium inter infideles, licet multo imperfectius, quam inter fideles, tale tamen quod sit insolubile, præterquam in fauorem baptismi modo superius explicato, & quod excusset coitum à culpa, & pœna, & ratione cuius sit bigamus, qui ante baptismum habuit vnam, & post baptismum alteram, atque circa hoc vltimum ita d[illegible]eret Augustino, vt dicat ipsum habuisse melius, c verius fundamentum, quam Hieronymum (cuius men textum, dicit D. Thomas in Paulum, esse vitiatum) oppositæ sententiæ patronum, ideoque & sacros canones concordare Augustino, idemque cum ipso nc tenere Ecclesiam. Quod autem Bonauentura quatur suppositâ consuetudine repudij patet ex æst. 4. ibidem; tum quia in secunda ratione dubitandi ponit in vna parenthesi, tanquam notum, ac indubitatum, repudium censeri licitum apud infideles; tum quia in resolutione loquitur determinatè de Hebræis, atque affirmat matrimonium inter ipsos adhuc infideles valere, & permanere, nec separari post baptismum. Scotus ibid. quæst. vn. art. 1. & 2. tradit eandem doctrinam, & quia nititur totaliter Apostolo, & Augustino iam ante consideratis, nil necesse est eadem repetere pouderando. Proderit tamen recitare eius verba inchoatiua articuli secundi, qui est de disparitate cultus, seu de permanentia matrimonij infidelium postquam alter conuertitur ad fidem, & suscipit baptismum. Dicit sic: *De secundo articulo, aliud est esse inter aliquos matrimonium, vel contrahi simpliciter, & absolutè, & aliud licitè, & honestè. Posse autem esse matrimonium inter fidelem, & fidelem primo modo necesse est dicere, & etiam secundo. Probatur vtrũque per illud Apostoli: vir fidelis non dimittat vxorem infidelem, quæ consentit habitare cum eo. Si enim non esset matrimonium; fuaderet fornicationem. Si autem non esset hoc licitum, & honestum: Apostolus non consuleret.*

Art. 14. Addo ex modernis præcipuum P. Thomam Sanchez, qui cæteros longo ordine refert. Cum enim lib. 2. de matr. disp. 9. initio posuisset, tanquam indubitatum, matrimonium apud infideles legitimè contrahi, & esse validum; atque infideles factos fideles non denuo contrahere, sed in legitimo matrimonio prius inito perseuerare, idque constare ex testimonio Apostoli, & Canonibus superius præindicatis à nobis; redit iterum ad hoc punctum lib. 7. disp. 73. vbi agit de eo ex Professo, & asserit num. 2. apud infideles esse verum, & legitimum matrimonium, idque esse certissimum ex testimonio vtique Apostoli, quod mox producit, ac ponderat. Quod autem is Auctor eam conclusionem teneat, suppositâ etiam consuetudine repudij, apparet inter alia plura ex his duobus. Primo quia ibidem num. 4. infert ex ea conclusione, infideles, qui repudiata legitima vxore aliam duxerunt, si deinde conuertantur ad fidem, cogendos esse redire ad primam, quia cum sola prima fuit verum, & validum matrimonium. Censet igitur nil obstitisse, quominus tale esset, consuetudinem repudij apud celebrantes, siquidem supponuntur iuxta eam de facto repudiasse. Secundo quia n. 11. tradit ex Augustino, aliisque communiter, primis Ecclesiæ Catholicæ sex sæculis licuisse Hebræis, sicut & cæteris infidelibus, vt post conuersionem ad fidem alterius ex coniugatis, permanerent in matrimonio contracto tempore infidelitatis, & cohabitarent cum consorte adhuc infideli, dummodo infidelis vellet cohabitare absque iniuria creatoris, quia toto eo tempore viguit consilium, & ratio Consilij Apostolici de non dimittendo consorte infideli, pro quâ, in hunc scopum, atque sententiam, intelligentiâ, Apostoli produxerat n. 7. Communem consensum Sanctorum Patrum, aliorumque interpretum, necnon Theologorum, & Canonistarum. Apud Hebræos autem, dum sunt infideles, nec negari potest, nec ignorari potuit, aut non aduerti consuetudo notissima repudij. Ergo hæc non obstat validitati matrimonij, ex sententia Sanchez, aliorumque omnium communissima, atque receptissima pro indubitata. Constat igitur ex iis omnibus eodem auctoritatis pondere, quo certissimum est dari validum, verumque matrimonium apud infideles, tantundè reddi certũ, non solum indirectè, & argutiè, sed etiã directè, & formaliter, non obesse validitati matrimonij consuetudinem repudij apud celebrantes.

Art. 15. Dicendum est quarto dato, & non concesso probabilẽ vtcũque esse speculatiuè sententiã negãtem valere matrimonia eorum, apud quos viget consuetudo repudij; eãdẽ nihilominus esse specialiter improbabilẽ practice, nec tuta cõsciẽtia posse deduci in praxim

à

à Prædicatoribus Euangelicis, iisdemque propagatoribus fidei apud infideles. Quia videlicet manifestatio opinationis eiusmodi redderet exosam fidem catholicam, & valde difficilem conuersionem ad ipsam apud infideles assuetos repudio, id est apud omnes prorsus infideles, quorum hodie habetur notitia, & de quorum conuersione agitur in omnibus orbis terrarum partibus, de qua æquipollentia is solum dubitare poterit, qui nil audierit, nil legerit de ritibus, & modo agendi eiusmodi infidelium. De sequela vero incommodi propositi dubitari minus potest. Quid enim odiosius infidelibus populis esse potest, quam quod dicatur, neminem apud ipsos existere legitimè natum, omnesque inibi existimatos coniugatos esse re ipsa concubinarios, & concubinas, ac proinde omnes recedere inuicem, non solum tuta conscientia posse, quandocumque libuerit, sed etiam debere id quam primum facere, nisi protinus renouent contractum matrimonialem per nouum mutuum consensum vtrique, & vtrilibet liberum, quo renuncietur penitus consuetudini, & potestati repudiandi credendo nullam esse talem potestatem? Quis præterea non videt qualis indidem admoueatur stimulus infidelibus coniugatis, vt se inuicem impediant ab auditione prædicationis Euangelicæ, & à conuersione ad fidem timente alterutro, ne alter sibi in animum inducat nullitatem matrimonij, quo reperiuntur coniuncti, atque potestatem recedendi, si placeat recedere, imo & obligationem recedendi, nisi vtrique placeat renouare coniugium cum agnitione impotentiæ vnquam repudiandi pro vllo euentu, & postremò impotentiam renouandi, si alter conuertatur ad fidem, altero nolente conuerti, nisi accedat dispensatio Pontificia super disparitate cultus pro iam fideli, & insuper qui est adhuc infidelis renunciet consuetudini suæ gentis, & iuri, quod credit se habere ad repudium? Quantum, & quale inconueniens & obstaculum ex his resultet aduersus prædicationem Euangelicam, & conuersionem infidelium, facilius est, vt quisque considerando concipiat, quam vt scribendo exprimatur adæquatè. Colligi vero potest ex Apostolico sæpe repetito consilio non recedendi à consorte infideli. *Ne* subdit August. lib. 1. de adulter. coniug. cap. 18. initio, *propter coniugum separationem offensi homines ipsam doctrinam salutis, qua illicita prohibentur, exhorreant, ac sic peiores, atque perituri in eadem infidelitate remaneant, intercedit Apostolus, & monendo fieri vetat, quod ita licitum est, vt tamen non expediat.* Circa quod videri plura possunt apud D. Thomam, Cornelium à Lapide, aliosque interpretes ad illud cap. 7. primæ ad Corinth. Recolatur etiam Innocentius III. supra art. 11. Quod si ita censuit Apostolus, ita intelligunt SS. PP. ac interpretes de sola quoad torum, & cohabitationem separatione; quod censendum erit de necessitate separationis, atque impotentia commanendi absque nouo contractu, & absque dispensatione ad contrahendum modo dicto. Cum igitur negari minimè possit nostram quæstionis præcedentis sententiam esse, vt minimum probabilem, ac tutam, patet oppositam tanto insuper, tam graui, & vsque adeo enormiter læsiuo, atque per Apostolum tam cautè vitato grauatam incommodo, probabilem practicè, atque tutam nequaquam esse posse.

Art. 16. Dicendum postremo est, seu potius aduertendum, in partibus infidelium assuetis repudio, præsertim quæ sunt admodum barbaræ, nulliusque, aut vix vllius regiminis, & modi agendi politici, adiungi non raro coniunctioni, quam putant, & vocant matrimonialem, circumstantias perabsurdas, ratione quarum matrimonia euadunt nulla ex. gr. quod paciscantur parentes pro filio, & filia, vel pro alterutro, nullo ipsorum, vel ipsius filiorum præeunte, aut subsequente mutuo consensu, mutuaque acceptatione, præterquam ad coëundum, & cohabitandum de facto sub ea parentum venia; Quod vir, & fœmina inuicem copulandi paciscantur quidem immediatè per se ipsos, vel alij ex præuio ipsorum consensu, sed ita, vt mutuæ traditioni superaddatur conditio de recedendo, si tale, vel tale quid contigerit, nempe sterilitas, adulterium, infirmitas incurabilis, sæuitia, occursus commodioris, aut delectabilioris consortis. Idque vel deducatur in pactum exterius, vel sit volitum purè internè tanquam conditio contractus, & mutuæ traditionis. In iis enim, & similibus casibus, & multò magis quando adest animus dimittendi pro libito & quacumque cauta absque agnitione vllius iuris, aut vinculi mutui, manifestum est matrimonium euadere nullum, vbi suppositum est in quæstione præcedenti initio, quanquam eiusmodi vitium contractus sit pure internum non præsumatur, nec credatur pro foro externo ex dictis, ac expensis in eadem quæstione, ideoque standum sit eatenus pro validitate matrimonij. De matrimoniis modo prædicto specialiter vitiatis accipiendus est Augustinus de Bono coniug. cap. 5. sub initium, dum præmissis, masculi, & fœminæ consensu vsque ad mortem, & voluntate procreandi filios, subiungit. *Cæterum si vel vtrumque, vel vnum horum desit, non inuenio, quemadmodum has nuptias appellare possim.* Quod autem talis sit eius intentio, verba sequentia manifestant: *Etenim*, ait, *si aliquam sibi vir ad tempus adhibuerit, donec aliam dignam vel honoribus, vel facultatibus suis inueniat, quam comparem ducat, ipso animo adulter est, nec cum illa, &c.* In eundem sensum, & sub eadem limitatione accipiendos esse puto nonnullos rerum Indicarum historicos, dum de matrimoniis earum partium inter infideles loquuntur contemptim, quasi de nullis, ac irritis, id quod caute, & doctè insinuatur in historia Prouinciæ nostræ Philippinæ conscripta à P. Francisco Colin. par. 1. lib. 2. cap. 24. §. 5.

Art. 17. Cæterum reprobare matrimonia, eaque nulla, ac irrita censere propter solam consuetudinem repudij, & propter qualitatem consensus, qui sub ea consuetudine, & ex vi solius eiusdem communiter adhibetur, seu præsumitur adhiberi; id vero dico omni prorsus probabilitate præsertim practica carere, nec à nota vt minimum temeritatis liberari vllatenus posse. Certè fundamentis in contrarium propositis in quæstione præcedenti, ad quæ hic iterum recurritur, inibi sufficienter, nisi fallor, satisfactum est, & siquidem comparentur cum nostris vtriusque huius quæstionis fundamentis, non modo leuia, verum etiam nullius omnino ponderis merito reputantur. Iam Dicastillo author alioquin doctus, ac diligens qui deinde subiicitur, quantæ circa hoc punctum auctoritatis sit, & quantum ad probabilitatem sententiæ valere possit, apparebit facile consideranti, quæ sequuntur. Primo loquitur circa istam quæstionem inconsequenter, idque non vno modo. Cum enim tom. 3. de sacr. qui est de matr. disp. 2. dubit. 4. num. 20. posuisset suam conclusionem: Gentiles habentes plures vxores, cum conuertuntur ad fidem, posse eligere, quam velint, & manere cum illa, quia matrimonium cum prima non minus, quam cum reliquis, fuit nullum propter consuetudinem repudij, quæ vbi est recepta, matrimonia euadunt nulla ob defectum consensus, & intentionis in perpetuitatem. Hac inquam conclusione ibi posita deinde dubitat. 41. præmittit conclusionem certissimam de facultate repudiandi penitus sublata in nouo testamento, vel viuente adhuc Christo Domino, vel immediate post eius mortem, vel quod probabilius merito putat, à die Pentecostes, atque hinc deducit duas illationes numero 522. & 523. quarum

rum prior est, Iudæos pariter, & gentiles repudiantes vxorem peccare grauiter per se, nempe nisi excuset ignorantia inuincibilis; posterior est, infideles conuersos ad fidem, si tempore infidelitatis repudiauerint vxorem, eaque repudiata, vt adiungit paulo post, aliam duxerint, cogendos esse redire ad primam.

Art. 18. Hæc dico non cohærere inter se, quia repudiare vxorem nulliter ductam vsque adeò non est peccatum per se, vt potius sit peccatum per se eam retinere, quia re ipsa est retinere concubinam. Similiter nulla est obligatio redeundi potius ad primam, quam retinendi secundam, aut etiam ducendi quamlibet aliam, siquidem nullum reipsa intercessit vinculum matrimoniale cum prima magis, quam cum secunda, aut cum qualibet alia. Iuxta autem priorem huius auctoris conclusionem matrimonia, tum gentilis, tum Hebræi adhuc infidelium fuerunt nulla, vtpotè contracta sub cõsuetudine repudij. Quod circa Hebræum, quem exprimit in prima illatione, & non excludit in secunda, est nimis manifestum. Sed neque quoad gentilem est obscurum, quia apud omnes gentiles viguit vbiuis semper, vigetque consuetudo repudij, vt positum à nobis est superius ex Augustino, & aliis. Deinde inquiro ab hoc Auctore quod genus hominum comprehendat sub nomine infidelium: dum dicit vniuersaliter infideles conuersos teneri redire ad primam vxorem. Non potuit intelligere Indos, de quibus suppofuerat dubitatione illa 4. quod subsint consuetudini repudij, ideoque nulliter contrahant. Multo minus intelligere potuit Hebræos, apud quos est notior eadē consuetudo, sicut etiam est notissima, ac receptissima apud Mahometanos, quorum priores vbique gentium reperiuntur dispersi, posteriores occupant tam magnã partem orbis terrarũ. De infidelibus per hæresim non erat è re, vt loqueretur, vtpotè iam baptizatis, & tamen ex iis etiam plerique omnes censent licere, & exercẽt repudium, saltem propter adulterium. Nulli igitur superfunt infideles, de quibus conuersis ad fidem verificari possit iuxta sententiam huius auctoris, obligatio ab eodem asserta redeundi ad primam vxorem, cum tamen oporteret omnes vel certe præcipuos, aut plerosque, atque notissimos infideles esse tales, de quibus verificari illa posset, quandoquidem ab eo asseritur per propositionem, & terminos vniuersales vniuersaliter enunciatos. Hinc patet cautionẽ, quam subiungit Dicastillo n. 524. immediatè post illas duas illationes, implicare in terminis, atque falsa suppositione laborare. Subiungit enim se loquutum esse de solis vxoribus legitimis, seu de vxoribus tantum, si fuerint legitimæ. Et verum est ipsum in secunda illatione addidisse istã expressionem, seu limitationem vxorum legitimarum, licet eandem æquè necessariam, vt patet, pro prima illatione, in ea nihilominus prætermiserit. Sed vbi illam adhibuit, non bene adhibuit. Quia vxor legitima apud hunc auctorẽ nequaquam esse potest, quæ ducitur sub consuetudine repudij, & cum voluntate implicita, vel explicita retinendi potestatem repudij. Hæc autem consuetudo, & voluntas adest in omnibus matrimoniis, tum Hebræorum, quod est in confesso apud omnes, tum gentilium, vti nuper, & prius patefactum à nobis est. Perinde igitur est hunc auctorem loqui de vxoribus legitimis Hebræorum, & gentilium, atque loqui de vxoribus legitimis, quæ sunt illegitimæ apud eundem. Itaque hic auctor voluit ex vna parte retinere doctrinam expressam in sacris Canonibus, & receptam vnanimi consensu à Patribus, ac Theologis, qualis est doctrina duarum illarum illationum, & ex alia parte noluit recedere ab illa sua priori conclusione, quæ est incompossibilis cum ea doctrina, ideoque incidit in illam implicationem terminorum de vxoribus legitimis infidelium Hebræorum, & gentilium. In eandem inconsequentiam incurrit etiam sæpe alias, quia in aliis pluribus quæstionibus, quæ dependent ab ista, de qua agitur, amplectitur sententias communiter receptas, & ex sacris Canonibus deriuatas, perinde atque si innodatus minimè esset istâ suâ singulari sententiâ de nullitate matrimonij sub consuetudine repudij, cuius sententiæ veritas est incompossibilis cum veritate illarum aliarum communium sententiarum. Verum esset nimis longum ire singillatim per singula eiusmodi.

Art. 19. Noto igitur secundo Dicastillum in dubit. illa 4. ad probandam suam sententiam, vti consideratione voluntatis contrahendi manifestè inadæquata, ac insufficienti. Vnica namque probatio eius est, quia vbi est receptum repudium, & repudiandi facultas; qui contrahunt matrimonium, etiamsi nil ea de re cogitent, volunt re ipsa contrahere more patriæ, adeoque cum voluntate retinendi potestatem repudij, & sine consensu in perpetuitatem. Debuisset autem præterea considerare, eo ipso, quod illi velint contrahere more patriæ, velle simul perficere contractum validum, quia mos omnium gentium est, vt velint contrahere validè, quando contrahunt de facto. Atque hoc posito, quod est certissimum, oportebat mittere in bilancem istas duas voluntates, & videre vtra alteri præponderet. Hinc nimirum dependet resolutio quæstionis. Vnde cum hoc ille prætermiserit, vsus planè est discursu inadæquato, & defectuoso, miniméque concludenti. Qua quidem in re duplici de causa est inexcusabilis Dicastillo. Prima causa est, quia Cardinalis de Lugo, quem solum nominatim impugnat, tametsi re ipsa agat contra omnes auctores, totam vim fundamentalem posuerat, idque valde fusè in præponderantia, seu prævalentia intentionis validi contractus, supra intentionem potestatis repudiandi. Est autem contra rationem boni Antagonistæ, eam corporis sui partem in defensam relinquere, quam aduersarius impetit validius. Impetiisse autem præcipuè hanc partem Cardinalem ipse Dicastillo refert inibi, atque fatetur. Aggranat vero hunc defectum, quod relato partitim toto discursu Cardinalis disput. 8. de sacram. sect. 8. subdit ea omnia absolutè placere sibi, sed non videre multum seruire posse ad praxim. Non multum? imo plurimum, & concludentissimè. Quia cum notum sit in genere doctrinam practicam dependere adæquatè ab speculatiua, hoc specialiter in discursu Cardinalis eminebat, suppositâ consuetudine repudij, existimationem nihilominus honestatis eiusdem repudij, & potestatis repudiandi se habere purè concomitanter respectu voluntatis contrahendi, cuius proinde causa esset sola cognitio, & existimatio validi contractus quâ validi. Cui autem hoc non displicet, displicere non potest, si benè aduertat, contractum deinde in opere ipso, & praxi euadere validum, cum valor, & inualiditas non dependeant à cognitione concomitanti, sed ab ea, quæ est causa volendi.

Artic. 20. Altera causa inexcusabilitatis est, quia ipse Dicastillo tom. 1. de Sacram. disput. 3. dubitat. 8. tractat fusè, & ex professo quæstionem ordinariam voluntatum, seu intentionum inuicem incompossibilium ex parte obiecti quoad ea, quæ pertinent ad substantiam Sacramentorum, & (quod multum aggrauat præsentem eius omissionem) vt aliis exemplis superaddat vnum de matrimonio, supponit contractum matrimonialem inter baptizatos esse inseparabilem à ratione Sacramenti, idest contractum inter eos euadere nullum, nisi Sacramentum simul perficiatur. Resoluit autem quæstionem vniuersaliter dicendo, videndum esse, vtra voluntatum incompossibilium prævaleat alteri, & siquidem prævaleat voluntas, quæ fauet Sacramento, Sacramentum euadere validum, sin minus, nullum

lum ; idque fatetur esse communem , & certam omnium lententiam ; quod est verum. Est autem eadem prorsus ratio de contractu puro. Manifestum igitur est ipsum in præsenti argumentari insufficienter, & nulliter , dum probat nullitatem contractus præcisè , quia adest voluntas contraria eius valori , cum oportuisset, præterea ostendere, iuxta principium illud operosè ab eodem stabilitum , non simul adesse voluntatem prævalentem , quæ faueat valori contractus , quam voluntatem ostenderat Lugo, & nos superius efficaciter ostendimus , adesse saltem vt plurimum, & præsumendam semper esse, vbi contrarium specialiter non constat.

Art. 21. Tertiò non bene respondet ad testimonium Apostoli 1. ad Corinth. 7. de non dimittendo per fidelem consorte infideli volente cohabitare. Prior responsio est, Romanos pluribus prouinciis sibi subiectis permisisse , vt vterentur suis legibus , & consuetudinibus , ideoque fieri potuisse , vt Corinthij non haberent consuetudinem repud j , & contraherent cum perpetuitate , tametsi apud Romanos dominantes, tunc maximè temporis esset plurimus repudij vsus. Hæc responsio non subsistit , quia vti superius ostensum à nobis est palam , illa responsio Apostoli directa fuit non solum ad Corinthios ex gentilitate conuersos, sed etiam & maxime ad Hebræos inibi manentes , de quorum repudij consuetudine nulla potest esse tergiuersatio. Deinde quænam ratio esse potest supponendi , vel etiam leuiter suspicandi Corinthios gentiles , subiectos licet à multo iam tempore perditissimis repudiatoribus, & habuisse , & fortiter nihilominus retinuisse legem , seu consuetudinem non repudiandi? Quandoquidem omnes gentiles, de quorum circa hoc consuetudine per historicos , aut alios relatores nobis innotescit , omnes inquam vbique nulla excepta prouincia, aut populo, habuerunt semper, & habent consuetudinem repudij. Nonne ex notis ad ignota prudens diuiditur coniectura , & iudicium , & ex quamplurimis ad perpaucos eiusdem generis ?

Art. 22. Altera responsio est vnum supponi absque vlla eatenus determinatione , & aliud deinde determinari ibi ab Apostolo. Supponi legitimum coniugium, quin asserat , & definiat fuisse, vel non fuisse tale : Determinari vero ex suppositione , quod fuerit legitimum, separationem non esse faciendam. Itaque responsio Apostoli ex sententia huius auctoris est resoluenda in duas conditiones præambulas , alteram expressam ab ipso Apostolo ; *Si quis frater vxorem habet infidelem ; si qua mulier fidelis habet virum infidelem:* alteram subintellectam ab eodem; *& si hæc vxor fuerit legitima, & si hic vir fuerit legitimus maritus.* Istam interpretandi rationem dico esse illegitimam , minimeque ferendam. Primum, quia sic responsio est frustratoria intentionis , & indigentiæ interrogantium. Corinthij enim ad fidem conuersi interrogabant, & plurimum ipsorum intererat scire, qualem absolutè obligationem in se continerent , & quale vinculum pro tempore conuersionis non mutuæ ad fidem , matrimonia ab ipsis contracta iuxta ritum suum tempore infidelitatis, & consequenter an tenerentur , vel illa renouare , vel abstinere à commercio consortis infidelis. Cui certè desiderio, & necessitati sciendi scientia practica , & deducibili in opus hic & nunc , non satisfacit, non subuenit responsio taliter conditionata; *Si matrimonia vestra fuerunt valida, & contentiua mutui vinculi perpetui , non dimittatis , sed tenete consortes adhuc infideles volentes cohabitare, vt par est.* Quo nimirum hæret sicut prius absoluta operis determinatio, & honestas.

Art. 23. Deinde eadem responsio euaderet indidem captiosa , & amphibologica , & mendax. Quia non fuisset responsum ad mentem interrogantium , idque sine vlla necessitate occultandi veritatem per amphibologiam, imo cum contraria necessitate , seu conuenientia reuelandi totam veritatem de plano. Quia Corinthij fideles interrogantes de dimittendis, vel retinendis consortibus suis infidelibus ; nomine vxoris, & viri , seu mariti intelligebant eos vnicè , & determinate, atque omnino absolutè , quibus de facto copulati fuerant iuxta ritum suum, atque de iisdem solis expediebat eosdem instrui absolutè. In responsione autem sub iisdem vocibus vxoris, & viri non fuissent intellecti absolutè , & determinate iidem illi de facto copulati iam fidelibus infideles , sed disiunctiuè , & conditionatè , vel iidem illi , si matrimonia fuissent valida, & legitima ; vel alij ab illis distincti, si matrimonia nulla, & illegitima , de quibus sane aliis nulla erat instructio necessaria , aut opportuna , ac proinde neque de prioribus sub disiunctione, & conditionatè tantum. Neque vero excusare Apostolum potuit pro amphibologica , & distorta eiusmodi loquutione ignorantia facti circa qualitatem eorum matrimoniorum , cuiusmodi ignorantiam videtur Dicastillo supponere in Apostolo ; supposuisset autem perabsurdè, & ex crassa sua ignorantia facti circa Apostolum. Quia cum Apostolus mansisset Corinthi diu, egisset que cum Corinthiis familiariter , atque per se ipsum conuertisset ad fidem eos , quibus respondebat , iuxta dicta superius; ignorare non poterat, qualia fuissent, & sub quo ritu contracta matrimonia ipsorum. Nullam igitur habuit honestam rationem amphibologicè loquendi , ac proinde iuxta vnanimem Theologorum consensum , mentitus fuisset Apostolus ita loquens in ea rerum opportunitate, & circumstantiis, quæ aderant de facto. Scandalosum plane , atque enormiter scandalosum videtur mihi , tribuere Apostolo talem respondendi, & instruendi modum. Id est palpabiliùs scandalosum, quod non nemo ausus est dicere, nempe Apostolum optimè nouisse matrimonia Corinthiorum adhuc infidelium fuisse nulla, sed tamen dissimulare voluisse propter teneritudinem recens conuersorum, ideoque consuluisse, vt commanerent marito, & & vxori existimatis talibus bona fide, id est vt pergerent bona fide in reali concubinatu , & fornicatione. Dignam profecto Apostolo , & plantatore Ecclesiæ commiserationem, atque doctrinam , præsertim cum interrogaretur de veritate cum desiderio instructionis legitimæ ? Hoc non indiget vlla impugnatione , cum quivis facile aduertat , aliud esse dissimulare per silentium , aliud impellere consilio ad actus re ipsa malos intrinsece, atque lethales , impellere vero interrogantem , & cupientem instrui iuxta veritatem. Videatur si placet fusa , & efficax Augustini circa hoc discussio lib. 1. de adult. coniug. cap. 13. ac deinceps , & multo acrius lib. de fide , & oper. à cap. 7.

Art. 24. Redeo ad Dicastillo, & addo , illud denique esse deterrimum in vtraque eius expositione, quod iuxta neutram deduci certò potest ex illo Apostoli testimonio dari verum , & validum coniugium inter infideles. Et quidem iuxta secundam expositionem neque certò , neque incertò deduci id inde potest. Quia iuxta eam nil definit Apostolus , sed se habet omnino præcisiuè circa valorem , & inualiditatem coniugiorum , de quibus loquitur. Iuxta priorem vero expositionem deducibilitas valoris eorumdem coniugiorum dependet , vt patet illam recolenti, ex desuetudine , aut prohibitione repudij apud Corinthios adhuc infideles. Quæ porro desuetudo, & prohibitio est manifestè falsa quoad vnam partem eorum infidelium , & quoad alteram partem est summè incerta , & præterea inuerisimilis valde , atque incredibilis. Quam autem absurdum, & intolerabile sit , ex illo Pauli testimonio non

certo deduci, quod detur verum, & validum matrimonium inter infideles, hinc liquido apparet, quia sensus Ecclesiæ semper fuit, & est ex illis Apostoli verbis constare certo de veritate huius dogmatis, vt apparet ex verbis Innocentij III. Augustini, D.Thomæ, D. Bonauenturæ, & Scoti superius relatis, exque vnanimi cæterorum Patrum, Interpretum, & Theologorum consensu præindicato apud Sanchez. Ipse quin etiam Dicastillo in illa disp. 2. dubitat. 36. num. 452. clarè, & expresè supponit, licet vsque adeo inconsequenter, eundem illum esse sensum Ecclesiæ circa ea Apostoli verba.

Art.25. Quarto, & hoc erit postremum prætermissis aliis, quæ non sunt tanti momenti, nihilo melius respondet ad memoratum sæpius caput *Gaudemus* de diuortiis. Dicit Innocentium III. auctorem eius textus floruisse decimo Ecclesiæ sæculo, die duodecimo, vel etiam decimotertio, quando ipsa iam habebat Christianos Imperatores, & Reges, in quorum ditionibus habitabant Pagani, qui tenebantur non repudiare propter leges ciuiles suorum Principum, vel poterant contrahere more eorum, inter quos degebant, vbi poterat iam esse abrogatus vsus repudij. Itaque Dicastillo vult Innocentium, dum affirmat dari verum coniugium inter infideles, loqui de solis infidelibus apud quos non esset consuetudo repudij. Sed contra est, primò quia hæc interpretatio est expresè contra ipsum textum. In quo nimirum habentur hæc verba Innocentij: *Qui autem secundum ritum suum legitimam repudiauit vxorem.* Vbi aduertere præterea debuisset Dicastillo in sensu composito ritus repudiorum, agnosci à Pontifice casum legitimam repudiantis vxorem, adeoque consuetudinem repudij non tollere legitimitatem matrimonij, si nil obstet aliud. Deinde quod supponit de Imperatoribus Christianis prohibentibus repudium non subsistit, concesserunt enim potius, vt videre licet inter alios apud Sanchez lib. 10. disp. 1. n.12.& mirum videri posset, id ibi non fuisse obseruatum à Dicastillo, cum pleraque illius disputationis eodem ordine, & contextu, quo ibi iacent, transcripserit in illa sua dubitatione 41. de qua paulo prius dictum est. Ex iis itaque omnibus coniicere quisque facilè potest, quantum deferri possit auctoritati Dicastillo in hoc negotio.

Art.26. Patriarchæ Mendez, qui deinde opponebatur, contrapono Illustrissimum Andream Ouiedo virum doctum, & heroïcæ ac mirabilis sanctimoniæ, vt videre est in 1. tom. Historiæ Societatis Iesu, qui matrimonia Abissinorum, Tunkinensibus similia, loco præsens, & fungens munere pastorali censuit esse valida. Deinde puto vtrumque accipiendum esse cum distinctione, & attributione accommoda, vt alter respexerit ad ea matrimonia præcise, quatenus subsunt consuetudini repudij, ideoque merito illa eatenus approbauerit; alter vero respexerit ad abusus alios enormes, de quibus fuit quinta nostra conclusio, frequenter apud eam gentem superadditos consuetudini repudij, ideoque etiam ipse meritò eatenus reprobauerit. Ad viros denique doctos, qui tenent oppositam sententiam, & quos ego plurimum reuereor, debeoque reuereri, omnino nescio quid dicam, nisi quod spero in nostram esse concessuros iis omnibus, quæ hic per nos indicata sunt, profundiori sua ipsorum consideratione, & doctrina magis, magisque promotis. Pronum nimirum est credere, fore, vt viri simul cum doctrina pij, atque Romano insuper, & cœlo, & aëri expositi, accepto quouis vtcumque alioquin leui impulsu, in eam demum partem libentes incumbant, in quam multiplici, & efficacissimo, vt minimum dicam, nutu digitum intendunt Romani Pontifices, diriguntque vexillum Apostolus Paulus, & Princeps Apostolorum, præsertim vbi plano verborum sensui adminiculatur etiam reuerentia facti exacta à me in quæstione præcedenti art.15. Exacta vero argumento forti, vtpotè cogenti fateri Romanos Pontifices, iuxta oppositam sententiam, nulliter dispensasse, non semel in disparitate cultus, nec posse excusari à culpa dispensationis nullius respectu eorum, quibus illam impertiti sunt, nisi per ignorantiam consuetudinis eorundem, lippis notæ, tonsoribusque.

# FINIS.

## *Præmonitio ad Lectorem circa Indicem rerum.*

QVoniam plerique eorum, qui quærunt aliquid Theologicum per Indicem rerum, sunt iam præscij plus minus in quam potissimum Theologiæ partem, seu tractatum id cadat, operæpretium me facturum existimaui, si Lectorem meum non grauarem necessitate percurrendi promiscuè totum eum caracterem, qui erit initialis rei quæsitæ, propterea que curaui, vt sub singulis caracteribus singuli seorsim libri distribuerentur inchoata denuò pro singulis serie alphebetaria, quò citius, ac facilius inuenias, quod desideras. Minimè autem necessarium iudicaui notare vbique distinctè tomum primum, vel secundum, quandoquidem tu ipse facilè ab initio recognosces, quot libros totus primus complectatur, & reliquos ad secundum tomum spectare. Hoc te scire oportet, quando incides in particulam remissiuam, *vide*; recurrendum tibi esse ad caracterem initialem remissionis vbi tali caracteri subest idem ille liber, ex quo remitteris. Vtere, & vale.

# INDEX